

SMITHSONIAN INSTITUTION

SYNONYMIA INSECTORUM.

GENERA ET SPECIES

CURCULIONIDUM.

TOMUS TERTIUS. — PARS SECUNDA.

PARISIIS. — EX TYPIS JULII DIDOT, NATU MAJORIS,
Aggere d'Enfer, n° 4.

Synonymia insectorum

GENERA ET SPECIES

CURCULIONIDUM,

CUM

SYNONYMIA HUJUS FAMILIÆ;

A

C. J. SCHOENHERR.

SPECIES NOVÆ AUT HACTENUS MINUS COGNITÆ,

DESCRIPTIONIBUS

A Dom. LEONARDO GYLLENHAL, C. H. BOHEMAN,
ET ENTOMOLOGIS ALIIS

ILLUSTRATÆ.

TOMUS TERTIUS. — PARS PRIMA.

PARISIIS,

Apud RORET, via Hautefeuille, N° 10 bis.

LIPSIÆ,

Apud Fred. FLEISCHER.

1836.

PARISIIS. — EX TYPIS JULII DIDOT, NATU MAJORIS,
Aggere d'Enfer, n° 4.

VIRIS

PRÆCLARISSIMIS ET CELEBERRIMIS

DOMINIS

CAROLO REGINALDO SAHLBERG,

PHIL. ET MED. DOCT., OECON. ET HIST. NAT. PROFESS., EQUIT. ORD. S. WLADIMIR. CLASS. IV.

ET

FREDERICO SCHÜPPEL,

ENTOMOLOGO BEROLINENSI EXIMIO.

HAS PLAGULAS

SIGNUM VENERATIONIS, AMICITIÆ ET ANIMI GRATI

OFFERT

AUCTOR.

LIBRI

IN SYNONYMIA INSECTORUM CITATI,

ET

ABBREVIATIONUM EXPLICATIO.

(CONTINUATIO.)

Ann. de la Soc. Ent. de France. — Annales de la Société Entomologique de France, — Paris. 1832. — 8°.

Guérin, Iconograp. du Règne Animal.

Ménétr. Catal. raisonné. — Catalogue raisonné des objets de Zoologie, recueillis dans un voyage au Caucase, et jusqu'aux frontières actuelles de la Perse, par E. Ménétriés. — St. Pétersbourg. 1832. — 4°.

Say, Descript. of Curc. of N. Amer. — Descriptions of new species of Curculionites of North America, with observations on some of the species already known. By Thomas Say. — New Harmony — Indiana. Julii 1831. — 8°.

Steph. Brit. Ent. — Illustrations of British Entomology; or, a Synopsis of indigenous Insects; containing their generic and specific distinctions, etc. By James Francis Stephens. — Vol. IV. London. 1831. — 8°.

Steph. Syst. Catal. — A systematic Catalogue of British Insects. By James Francis Stephens. — London. 1829. — 8°.

Stev. Mus. Mosqu. — Musæum Historiæ naturalis Universitatis Cæsareæ Mosquensis. — Pars II. Insecta. — Mosquæ. 1829. 8°.

Domini *Ecklon* et *Zeyher* cum, ardentissimo Scientiæ amore impulsi, tam mihi fiderunt et tanto me prosecuti sunt favore, ut per Dominum von Winthem totam illam amplissimam copiam Cur-

culionidum, quam plures annos in Africa meridionali et Caffraria degentes, per innumeros labores, se suasque fortunas pro scientiæ evolumento devoventes, nacti sunt, ad me miserint, officii mei fuit, omnia illa nova genera et species tomo III° hujus Operis, loco illis debito comprehendere; quod in causa fuit, cur Opus hocce non jam pridem in publicum prodierit.

Liceat mihi interea Dominis Ecklon et Zeyher publice testari multis nominibus illis obstrictum et intime gratum animum, haud minus propter ea, quæ ediderunt documenta liberalissimæ voluntatis aditum patefaciendi ad res, quas natura Terræ parum visitatæ rarissimas genuit, quam propter honorem eximium, quem in me hoc modo maxima cum voluptate delatum verecunde comperio et cui pro modulo virium respondere conabor.

Sparresæter d. I. Majus 1834.

SCHOENHERR.

FAMILIA.

CURCULIONIDES.

ORDO SECUNDUS.

GONATOCERI.

Antennæ geniculatæ (in nonnullis tamen indistincte, quorum scapus etiam brevior, sed semper in scrobe rostrali insertus); scapus (articulus basilaris) plerumque elongatus, sæpissime in canalicula seu scrobe ad latera rostri insertus (1). (Continuatio.)

Legio II. MECORHYNCHI. (*Rhynchænides* Fabr.)

Rostrum cylindricum vel filiforme, plus minusve elongatum, raro thorace brevius. Antennæ ante vel prope medium rostri, nec juxta sinum oris insertæ.

Sectio I. — *Antennæ articulis* 11, 12; *clava 4-articulata.*

Divisio I. ERIRHINIDES.

Pedes antici basi approximati.

Subdivisio I. — *Thorax subtus integer; h. e. ante pedes anticos haud canaliculatus.*

Cohors I. *Scutellum plus minusve distinctum.* — Alati.

Genus 183. LIXUS.

Lixus Fabr., Gyllenh., Germ., Illig., Oliv., Latr., Cuvier, Dejean, Sturm, Billberg, Stephens, Steven, Schh. (2). — *Phoxus* Billb. — *Curculio* auctorum reliquorum.

---

(1) Confer observationem ad *Orthoceros* in hujus Operis I. Tab. synopt. p. 1. not. 2.

(2) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 215. n° 120.—Germ. Ins. Spec. I. p. 390.—*Id.* in N. Wetter. Annal. I. I. p. 133. n° 17. —Latr. Règne anim. p. 394 —*Id.* Gen. Crust. et Ins. II. p. 258. — *Id.* Consid. génér. p. 221. n° 223.—Gyllenh. Ins. Suec. III. p. 62. — Fabr. Syst. El. II. p. 498. —Oliv. Ent. V. p. 73. n° 6.—Cuvier, Règne anim. III. p. 326. n° 8.—Stephens, Brit. Ent. IV. p. 157.—Illig. Mag. III. p. 104. n° 172, et VI p. 326. — Oken, Naturg. III. p. 771. n° 4. —Thunb. Nov. Acta Ups. VII. p. 107. — Walcken, Faun. Paris. I. p. 294.

Character generis. — Antennæ mediocres, subtenues, pone medium rostri insertæ; funiculo 7-articulato : articulis 1, 2 longiusculis, sub-ob-conicis, 3-6 brevibus, apice truncatis, sub-coarctatis; 7° crassiore, clavæ adpresso; clava oblonga, fusiformi.

Rostrum elongatum, validiusculum, teres vel cylindricum, deflexum, paululum arcuatum.

Oculi laterales, sub-ovati, parum convexi.

Thorax oblongus, conicus, ad latera antica parum coarctatus, basi bi-sinuatus.

Scutellum minutum, triangulare, vix conspicuum.

Elytra elongata, cylindrica, basi singulatim rotundata, humeris obtuse sub-angulatis; apice aut seorsim acuminata, interdum dehiscentia, aut conjunctim rotundata.

Observ. — Corpus elongatum, pubescens, durum, alatum, majusculæ aut mediocris magnitudinis. — A genere *Cleoni* præcipue differt, antennis pone medium, haud apici rostri insertis, tenuioribus; rostro tereti, lævi, nec distincte carinato neque canaliculato; corpore etiam sæpissime minus crasso.

Patria : Europa, Asia, Africa, America.

STIRPS 1. — Elytra apice singulatim plus minusve distincte acuminata, interdum dehiscentia.

Manipulus I. — Femora mutica.

♂♀ 1. L. PARAPLECTICUS.

Angustus, niger, cinereo-pubescens, flavo-virescenti-farinosus, thorace elongato, obsolete canaliculato, subtilissime alutaceo; elytris sub-punctato-striatis, apice longius mucronatis, acutis, dehiscentibus. — GYLL.

FABR. *Syst. El.* II. p. 498. n° 1.

GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 62. n° 1.

OLIV. *Ent.* V. 83. p. 242. n° 243. T. 21. f. 289.

LATR. *Gen. Cr. et Ins.* II. p. 261. n° 3. — *Hist. nat. des Cr. et des Ins.* XI. p. 10.

OKEN. *Naturg.* III. p. 771.

DEJEAN. *Catal. Col.* p. 97 (1).

---

(1) Catalogue des Coléoptères Domini Comitis Dejean est quidem opus præclarissimum, tum respectu ordinis systematici, cum modi exacti, quo species plerumque ibi nominatæ sunt; quum vero diagnoses illustrantes et definientes desunt, et insectum interdum ibi occurrit vel proprio, vel alio nomine, quam quo apud alios et veteres auctores insignitur, haud ratum duxi Illustrissimi hujus Auctoris et aliorum Entomolo-

Curculio id. LINN. *Faun. Suec.* n° 604. — *Syst. nat.* I. II. p. 610. n° 34. — Ed. GMEL. I. IV. p. 1750. n° 34.

FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 414. n° 91. — *Mant.* I. p. 103. n° 77. — *Spec. Ins.* I. p. 172. n° 62. — *Syst. ent.* p. 135. n° 44.

HERBST. *Col.* VI. p. 42. n° 1. T. 62. f. 1.

PAYK. *Faun. Suec.* III. p. 244. n° 63. — *Mon. Curc.* p. 53. n° 50.

OLIV. *Enc. méth.* V. p. 489. n° 82.

ROSSI. *Faun. Etr.* I. p. 115. n° 295.—Ed. HELLW. I. p. 122. n° 295.

MARSH. *Ent. Brit.* p. 272. n° 106.

VILLERS. *Ent.* I. p. 183. n° 29.

WALCKEN. *Faun. Paris.* I. p. 244. n° 21.

PANZ. *Ent. Germ.* p. 307. n° 49.

LAICH. *Tyr. Ins.* I. p. 225. n° 19.

PETAGNA. *Ins. Calabr.* p. 13. n° 64.

GOEZE. *Eur. Faun.* VIII. p. 463. n° 9.

BLUMMENB. *Handb. Ed.* 7. p. 328. n° 4.

HOPPE. *Taschenb.* 1797. p. 179. n° 15.

BRAHM. *Ins. Kal.* I. p. 227. n° 774.

MULL. *Zool. Dan. Prodr.* p. 87. n° 971.

PONTOPP. *Nachricht.* p. 204. n° 14. Tab. 16. fig.

LEPECH. *Tageb.* I. p. 207. n° 6.

GADD *in Acta Holm.* 1774. p. 235. n° 7.

FOURCR. *Faun. Paris.* I. p. 117. n° 4.

MULL. LINN. *Nat. Syst.* V. I. p. 224. n° 34. — *Faun. Fridr.* p. 10. n° 100.

BECHST. *Naturg.* I. II. p. 849. n° 2.

BECKMANN. *Biblioth.* VIII. p. 7. n° 168.

Curculio phellandrii. DE GEER. *Ins.* V. p. 224. n° 18. T. 7. f. 8.

L. productus. STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 158. n° 3. videtur (1).

---

gorum Catalogos (e. gr. Celeb. Sturm, Stephens et Steven) citare, nisi cum ejusmodi insectum sub eodem nomine, quod in eorum Catalogo obvenit, ab eis acceperim, vel nisi illustrans quædam synonymia in Catalogo occurrerit; scientiæ enim minime proderit, omissis firmis principiis, nomina tantum simplicia et interdum dubia citare. — Hæc excusationis gratia, si quis hac de re observandum quid voluerit.

(1) Opere meo hocce longius jam provecto, tandem per officiosam et liberalem gratificandi voluntatem Rev. Domini Hope nactus sum Celeb. Stephens, British Entomology : quod opus egregium significatissimas plerumque exhibet diagnoses insectorum ibi occurrentium latine compositas, descriptiones tamen sermone Anglicano exaratas vehementer equidem voluissem minus dubitanter quam factum est hoc opus citare; excusationis tamen gratia necesse est ut ingenue inscitiam meam linguæ anglicanæ agnoscam.

Occasione oblata, liceat quoque excusare imperitiam, qua laboro, linguæ latinæ, in opere meo haud raro obviam, quæ impedimento fuit, quominus me tam plane et ac-

LINN. *Iter Scan.* p. 184.
Acta Ups. 1736. p. 16. n° 1.
DON. *Brit. Ins.* Tab. 348. fig. 2.
PODA. *Mus. Græc.* p. 29. n° 4.
SCHREBER. *Samml.* XI. p. 336. Tab. 4.
PETIV. *Gazoph.* Tab. 138. fig. 19.?
GEOFF. *Ins.* I. p. 279. 4. *Curculio.* ?

Observ. — A *L. turbato* differt corpore angustiore; thorace longiore, obsolete canaliculato, subtiliter tantum alutaceo, atque elytrorum apicibus longius productis, acuminatis, extrorsum flexis, dehiscentibus. — Elytra perpendiculariter inspecta seriatim punctata quidem videntur, oblique vero lustrata revera punctato-striata sunt, præsertim juxta suturam et apicem.—GHL.

Patria : Omnis Europa.

*2. L. BIIMPRESSUS. *Schh.*

Lineari-elongatus, angustus, nigro-piceus, subtus dense, supra parcius pallido-farinosus; thorace oblongo, distincte punctato, anterius leviter carinato, fovea rotunda utrinque impresso; elytris sub-striato-punctatis, apice longius mucronatis, acutis, dehiscentibus.

Patria : Sibiria occidentalis. A Dom. GEBLER amice communicatus. Mus. SCHH.

Masculis *L. paraplectici* simillimus, sed adhuc duplo minor et notis in diagnosi indicatis distinctus. Caput majusculum, convexum, punctulatum, nigrum, pallido-pubescens, fronte inter oculos foveola oblonga impressa, vertice leviter carinato; oculi ovati, nigri, modice prominuli; rostrum capite plus duplo longius, validum, parum arcuatum, punctulatum, leviter carinatum, nigrum, pallido-pubescens et farinosum. Antennæ testaceæ, clava oblonga nigricante. Thorax latitudine longior, anterius subito paulo angustior, apice emarginatus, lateribus subrectis, basi leviter sinuatus, supra parum convexus, sat distincte punctatus, ab apice ultra medium leviter carinatus, intra medium marginis lateralis utrinque fovea majuscula rotunda impressus; niger, subtus et lateribus dense, supra parce pallido-pubescens et farinosus. Scutellum parvum, immersum, nigrum. Elytra antice singulatim rotundata, elevato-marginata, thoracis basi vix latiora, lateribus non am-

---

curate, ac par esset, expresserim. Malui tamen lingua latina quam vernacula aut alia quadam hodierna uti; persuasum enim mihi habeo, haud parum emolumenti scientiæ accessurum, si omnes illius amatores, qui unius nationis habendi sunt, cogitata communia communi lingua invicem communicarent.

pliata, versus apicem angustata, apice in mucronem longum, acuminatum, nonnihil adscendentem et extrorsum flexum, dehiscentem, excurrentia, thorace quintuplo longiora, supra parum convexa, punctis distinctis, sub-remotis, seriatim digestis impressa, sed vix striata, nisi juxta suturam et versus apicem, interstitiis subtiliter, confertim alutaceis; fusco-picea, opaca, lateribus dense, in dorso parcius pallido-pubescentia et farinosa. Corpus subtus subtilissime punctulatum, fusco-piceum, dense pallido tomentosum. Pedes subtenues, fusco-testacei, pallido-pubescentes; antici longiores et validiores; tarsi omnes longiusculi, subtus brunneo-spongiosi, articulo penultimo bilobo, ultimo longo, clavato, unguiculis dilutius ferrugineis.—GHL.

♂♀ 3. L. TURBATUS.

Latior, niger, cinereo-pubescens, flavo-virescenti-pollinosus ; thorace breviore, sub-conico, fortius varioloso-punctato, elytris sub-striato-punctatis, apice brevius productis, minus acuminatis, adscendentibus, parum dehiscentibus.—GHL.

GYLLENH. *Ins. Suec.* IV. p. 553. n° 2.
L. iridis. OLIV. *Ent.* V. 83. p. 239. n° 233. T. 9. f. 106.
Curculio paraplecticus. PANZ. *Faun. Germ.* VI. 15.
CLAIRV. *Ent. Helv.* I. p. 94. T. 10. f. 1. 2.
HERBST. *Borowsky. Naturg.* VI. p. 107. n° 3. T. 14. 2.
STURM. *Ins. Cab.* IV. Tab. 14.
SULZ. *Gesch. d. Ins.* p. 39. T. 4. f. 7.
VOET. *Col. ed.* PANZ. IV. p. 56. n° 21. T. 37. f. 21.?
L. pulverulentus. FABR. *Syst. El.* II. p. 499. n° 2.?
DEJEAN. *Catal. Col.* p. 97.
ILLIG. *Mag.* VI. p. 327.?
L. recurvatus. SCHH. *in Litteris*, olim. (Var. certe.)
STEV. *Mus. Mosqu.* II. p. 97.
ZETTERST. *in Acta Holm.* 1818. p. 255. n° 6. not.
SCHÆFF. *Icon.* Tab. 44. f. 1.
HARRER. *Beschr.* n° 290.

Patria : Tota Europa, Sibiria, Persia.

4. L. CONNIVENS. *Ghl.*

Elongatus, angustior, niger, undique dense flavescenti-pubescens et pollinosus ; thorace breviore, sub-conico, confertim subtilius punctato ; elytris obsolete sub-punctato-striatis, apice acuminatis, conniventibus.

Patria : Caucasus. Ex Musæo Dom. MÉNÉTRIÉS descriptus.

L. turbato longitudine æqualis et similis, sed angustior, magis linearis et in pluribus distinctus. Caput breve, convexum, confertim punctulatum, nigrum, flavescenti-pubescens et pollinosum, fronte foveola impressa; oculi ovati, nigro-brunnei, parum convexi; rostrum longitudine capitis cum thorace, cylindricum, parum arcuatum, confertim punctulatum, nigrum, sub-nitidum, flavescenti-pubescens et pollinosum. Antennæ nigræ, albido-pilosæ et pubescentes. Thorax latitudine baseos vix longior, anterius angustior, apice late emarginatus, lateribus obliquis, non ampliatis; basi bi-sinuatus, supra parum convexus, in lobo medio baseos impressus; undique confertim subtiliter ruguloso-punctatus, niger, tomento et polline flavescente dense tectus, relictis lineis tribus paulo obscurioribus, dorsali antice leviter carinata. Scutellum parvum, immersum, concolor. Elytra antice singulatim rotundata, thoracis basi non latiora, pone basin nonnihil ampliata, dein longe ultra medium linearia, versus apicem attenuata, apice ipso acuminato, cum opposito connivente; thorace fere sextuplo longiora, supra parum convexa, juxta suturam et versus apicem obsolete punctato-striata, in disco reliquo seriatim punctata, interstitiis subtiliter alutaceis; nigra, tomento et polline flavescente sat dense vestita. Corpus subtus confertim punctulatum, nigrum, dense flavescenti-tomentosum et pollinosum. Pedes mediocres, nigri, flavescenti-tomentosi, tarsis dilatatis, subtus brunneo-spongiosis.

GHL.

* 5. L. GEMELLATUS. *Ghl.*

Angustior, niger, cinereo-pubescens, flavescenti-pollinosus; rostro longiori, subtenui, basi leviter carinato; thorace sub-conico, fortius rugoso-punctato; elytrorum seriebus punctatis per paria approximatis, apicibusque breviter acuminatis, non mucronatis.

L. paraplecticus. STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 157. n° 2. — *Syst. Catal.* p. 182. n° 1861. forte.

Patria: Germania. A Dom. SCHNEIDER communicatus. Mus. SCHH.

L. turbato valde affinis, sed dimidio minor, rostrum magis tenue, basi leviter carinatum; elytra angustiora, et illorum striæ punctatæ evidenter per paria approximatæ. Caput breve, subtiliter ruguloso-punctatum, nigrum, supra oculos dense cinereo-pubescens, flavescenti-pollinosum, fronte impressa; oculi sub-ovati, nigri, parum convexi; rostrum longitudine fere capitis cum thorace, cylindricum, minus crassum quam in plerisque congeneribus, parum arcuatum, supra a basi ad medium leviter carinatum,

undique ruguloso-punctatum, nigrum, posterius pubescens et pollinosum, apice nudum. Antennæ validæ, nigro-piceæ, cinereo-pubescentes. Thorax latitudine baseos vix brevior, anterius angustior, sub-conicus, apice leviter emarginatus, intra apicem obsolete constrictus, lateribus obliquis, pone medium nonnihil ampliatis; basi bi-sinuatus, supra parum convexus, sub-disperse ruguloso-punctatus, niger, vittis duabus dorsalibus, apicem non attingentibus, lateribusque densius cinereo-pubescentibus, flavescenti-pollinosis. Scutellum parvum, demersum, nigrum. Elytra antice singulatim rotundata, pone basin oblique nonnihil ampliata, dein linearia, apicem versus attenuata, apice singulatim sub-acuminata, non vero mucronata, thorace fere quadruplo longiora, supra parum convexa, sub-remote seriatim punctata, juxta suturam et apicem sub-striata, seriebus punctorum, præsertim dorsalibus, evidenter per paria approximatis, interstitiis confertim subtilissime alutaceis; nigra, in interstitiis latioribus et margine densius cinereo-pubescentia et ad latera flavescenti-pollinosa. Corpus subtus obsolete punctulatum, nigrum, cinereo-pubescens et flavescenti-pollinosum. Pedes longiusculi, validi, nigri, parce cinereo-tomentosi, tarsis dilatatis, subtus flavescenti-spongiosis.—GYLL.

* 6. L. INCARNATUS. *Schh.*

Elongatus, angustus, niger, undique cinereo-pubescens, antennis basi ferrugineis; thorace sub-conico, disperse punctato, antice constricto, elytris fusco-rufescentibus, seriatim punctatis, juxta suturam sub-striatis, apice acuminatis, conniventibus.

L. umbellatarum. FABR. *Syst. El.* II. p. 500. n° 6. ?
Curculio id. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 415. n° 94.— *Mant.* I. p. 103. n° 78. ?
OLIVIER. *Enc. méth.* V. p. 491. n° 86. ?
HERBST. *Col.* VI. p. 51. n° 4. ?
LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1751. n° 146. ?

Patria : . . . . . . A Dom. SCHNEIDER, sub nomine *L. umbellatarum* Fabr. missus.

L. turbato propinquus, sed longe minor, angustior; thorax antice distincte constrictus, elytrorum color alius et illorum apices magis conniventes. Caput fere planum, obsolete punctatum, nigrum, cinereo-pubescens; oculi sub-ovati, nigro-brunnei, parum convexi; rostrum capite duplo longius, validum, parum arcuatum, confertim punctulatum, nigrum, cinereo-pubescens. Antennæ brevius-

culæ, nigræ, cinereo-pubescentes, scapo ferrugineo, apice nigro. Thorax latitudine baseos paulo longior, anterius angustior, subconicus, apice leviter emarginatus, longe intra apicem sat distincte constrictus, lateribus dein obliquis, fere rectis; basi profunde bi-sinuatus, supra parum convexus, disperse punctatus, niger, cinereo-pubescens. Scutellum parvum, immersum, tuberculiforme, nigrum. Elytra antice singulatim rotundata, thoracis basi ibi non latiora, sed pone basin subito modice ampliata, lateribus dein linearia, apicem versus attenuata, apice in mucronem acuminatum, cum opposito conniventem, producta; thorace quadruplo longiora, supra parum convexa, in disco seriatim punctata, juxta suturam, marginem et apicem tenuiter punctato-striata, interstitiis planis, confertim subtiliter alutaceis; fusco-rufescentia, opaca, parce cinereo-pubescentia. Corpus subtus obsolete punctulatum, nigrum, parce cinereo-pubescens. Pedes longiusculi, validi, nigri, parce cinereo-pubescentes, tarsis dilatatis, subtus albido-spongiosis.

GHL.

* 7. L. CANESCENS. *Steven.*

Elongatus, niger, pube depressa albida undique densissime tectus, rostro parum arcuato, crasso, subtiliter punctato, thorace sub-conico, minus crebre parum profunde varioloso, utrinque vitta obscuriori, parcius pubescente decorato, elytris subtiliter striato-punctatis, apice mucronatis, dehiscentibus, pone scutellum obsoletissime impressis.

L. canescens. FISCH. DE WALDH. in *Bullet. de la Soc. des Nat. de Mosc.* IX. p. 284. n° 2.

Patria : Tauria. A Dom. SCHUPELL benevole communicatus. Mus. SCHH.

Habitus et magnitudo *L. turbati;* rostro crassiori ut et colore, ab illo facile distinctus. Caput parvum, sub-rotundatum, nigrum, confertim punctulatum, dense albido-pubescens, pone oculos denudatum; oculi ovati, sub-transversi, haud prominuli, nigri; rostrum longitudine fere thoracis, crassum, porrectum, teres, perparum arcuatum, nigrum, subtiliter confertim punctulatum, dorso dense lateribus parce albido-pubescens. Antennæ breviusculæ, crassiusculæ, nigræ, pube albida adspersæ, clava elongata, acuminata, apice dilutiori. Thorax antice angustior, sub-truncatus vel leviter tantum emarginatus, posterius sensim ampliatus, basi longitudine paulo latior, bi-sinuatus, supra convexus, minus crebre parum profunde varioloso-punctatus, superficie reliqua subtilissime coriacea; totus niger, pube depressa, albida, densissime tectus,

vitta utrinque sat lata obscuriori, parce pubescens, notatus. Scutellum minutum, immersum. Elytra thoracis basi paulo latiora, eoque fere quadruplo longiora, cylindrica, apice attenuata, utrumque ad angulum scutellarem rotundata, ad apicem vero in mucronem, sub-acutum, extrorsum nonnihil arcuatum, producta, supra convexa, humeris sub-rotundatis, pone scutellum obsoletissime impressa, subtiliter striato-punctata, pube depressa, undique dense tecta, dorso canescente punctis parvis, albidis, variegato, versus latera albida. Corpus subtus nigrum, subtilissime confertim punctulatum, pube depressa albida, dense tectum; abdomen punctis denudatis, atris, minus crebris, irroratum. Pedes mediocres, validiusculi, mutici, nigri, pube depressa, albida, dense vestiti; tibiis rectis, apice uncinatis; tarsis dilatatis, subtus fulvo-spongiosis, ungulis ferrugineis.—BHN.

* 8. L. SICULUS. *Dejean.*

Oblongus, niger, farina flavescenti pubeque cinerea adspersus, rostro longitudine thoracis cum capite, modice arcuato, thorace sub-conico, remote parum profunde varioloso, utrinque albido-squamoso, linea dorsali obscuriori notato, elytris subtiliter striato-punctatis, supra humeros leviter pone scutellum sat profunde impressis, apice dehiscentibus, sub-carinatis, acuminatis.

Patria : Sicilia et Lycopolis Africæ. Dom. LEFEBVRE. Mus. SCHH.

L. turbato non angustior, sed brevior. Caput parvum, rotundatum, nigrum, confertim punctulatum, griseo-pubescens; oculi oblongi, transversi, depressi, nigri; rostrum longitudine capitis cum thorace, crassiusculum, teres, porrectum, parum arcuatum, confertim punctatum, nigrum, pube grisea tectum. Antennæ fusco-piceæ. Thorax latitudine baseos nonnihil brevior, sub-conicus, apice late sed parum profunde emarginatus, a basi apicem versus sensim angustatus, basi profunde bi-sinuatus, supra parum convexus, punctis remotis, parum profundis, variolosis impressus, superficie reliqua confertim subtiliter coriacea; niger, pube depressa cinerea et pulvere grisea adspersus, linea angusta dorsali, obscuriori, parce pubescens, notatus, lateribus dense albido-squamosis et pubescentibus. Scutellum minutum, immersum. Elytra basi singulatim nonnihil rotundato-producta, antice thorace paulo latiora, humeris vix prominulis, rotundatis, thorace quadruplo longiora, mox pone basin nonnihil ampliata, tum usque ad apicem linearia, apice citius acuminata, dehiscentia, singulo elytro mucrone modice elongato, sub-acuto, reflexo, instructo; supra modice convexa, minus

profunde regulariter striatim punctata, interstitiis planis, subtilissime coriaceis; supra humeros leviter ad angulum scutellarem sat profunde impressa, singulo versus apicem carinula parum elevata, obliqua, notato; tota nigra, pube sat densa, depressa, cinerea et pulvere flavescenti adspersa. Corpus subtus nigrum, subtiliter punctulatum, pube depressa grisea dense tectum. Pedes mediocres, validi, nigri, pube grisea adspersi; antici validiores; tarsis piceis, elongatis, subtus fulvo spongiosis.—BHN.

9. L. ACUMINATUS. *Dejean.*

Elongatus, niger, dense griseo-pubescens, sulphureo-pollinosus, rostro subrecto, evidenter punctulato, basi carinato, thorace elongato, coriaceo, remote varioloso, ante scutellum profunde apicem versus leviter impresso, elytris sat profunde striato-punctatis, apice acute mucronatis.

Habitat in Senegalia. Mus. Dom. CHEVROLAT, ad describendum benevole missus.

L. turbato minor, præsertim brevior et crassior. Caput breve, nigrum, subtiliter crebre punctulatum, pube grisea adspersum; frons deflexa, lineola inter oculos longitudinali, abbreviata, insculpta; oculi laterales, ovati, transversi, nigri, haud prominuli; rostrum thorace multo brevius, crassiusculum, teres, parum arcuatum, a basi ultra medium, carinula parum elevata, instructum; dorso subtiliter confertim versus latera profundius punctatum totum nigrum, pube cinerea adspersum, tenuissime flavescenti-pollinosum. Antennæ longe pone medium rostri sitæ, vix longitudine thoracis, minus tenues, nigræ, pulvere tenui flavescenti obsitæ, clava oblonga, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos multo longior, apice truncatus, anterius angustior, posterius sensim ampliatus, basi bi-sinuatus, supra modice convexus, niger, subtiliter coriaceus, punctis vagis, sat profundis minus crebre impressus, ante scutellum foveola profunda, ovata, et in dorso antico alia obsoleta insculptus, polline flavescenti pubeque grisea dorso parcius ad latera dense obsitus. Scutellum nullum. Elytra thoracis basi haud latiora, quam lata triplo longiora, subcylindrica, pone medium apicem versus angustata, apice attenuata, in spinam elongatam, rectam, excurrentia; supra convexa, nigra, regulariter sat profunde striato-punctata, insterstitiis planis, subtiliter coriaceis, pulvere sulphureo pubeque cinerea undique sat dense adspersa; faveola supra humeros et pone angulos scutellares obsolete impressa. Corpus subtus nigrum, dense cinereo-pubescens

et flavo-pollinosum. Pedes longiusculi, nigri, griseo-pilosi; femoribus parum clavatis, muticis; tibiis rectis, apice intus uncinatis; tarsis piceis, subtus fulvo-spongiosis.—BHN.

* 10. L. ANGUINUS.

Elongatus, sub-cylindricus, niger, subtus niveo-pubescens, rostro vix longitudine thoracis, subtiliter confertim punctato, modice arcuato, thorace sub-conico, remote varioloso, niveo quadri-lineato, elytris apice dehiscentibus, mucronatis, linea lata laterali, tribus disci angustis, apice abbreviatis, niveo-pubescentibus.—BHN.

FABR. *Syst. El.* II. p. 499. n° 4.
OLIV. *Ent.* V. 83. p. 239. n° 239. T. 14. f. 168.
Curculio id. LINN. *Syst. nat.* I. II. p. 610. n° 35. — Ed. GMEL. I. IV. p. 1751. n° 35.
FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 415. n° 92.
CLAIRV. *Ent. Helv.* I. p. 96. n° 10. T. 10. f. 3. 4.
HERBST. *Col.* VI. p. 49. n° 8. T. 62. f. 8.
OLIV. *Enc. méth.* V. p. 491. n° 83.
PANZ. *Faun. Germ.* XLII. 11. — *Ent. Syst.* p. 308. n° 50.
PANZ. *in Naturf.* XXIV. p. 19. n° 26. T. 1. f. 26.
VILLERS. *Ent.* I. p. 183. n° 30.
L. mucronatus. FABR. *Syst. El.* II. p. 500. n° 7.
Curculio id. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 415. n° 95.
HERBST. *Col.* VI. p. 52. n° 12.
Curculio bufo. HERBST. *Col.* Tab. 73. f. 7. (Secundum figuram Olivieri; exclusa descriptione.)

Patria: Europa meridionalis et intermedia; Barbaria.

* 11. L. ANGUICULUS. *Schh.*

Elongatus, sub-cylindricus, niger, pube cinerea adspersus, rostro longitudine thoracis, modice arcuato, thorace angustiore, conico, remote varioloso, antice obsolete carinato, albido quadri-lineato, lineis dorsalibus obsoletis, elytris apice mucronatis, dense cinereo-pubescentibus, linea lata laterali albida ornatis, corpore subtus nigro-punctato.

Patria: Græcia. A Dom. LEFEBVRE communicatus. Mus. SCHH.

L. anguino affinis, illo vix angustior, sed fere dimidio brevior, elytris apice non dehiscentibus, aliter coloratis, distinctus. Caput parvum, sub-rotundatum, nigrum, subtilissime crebre punctulatum, supra et infra oculos dense læte silaceo-pubescens et pollino-

sum; oculi sub-ovati, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum longitudine thoracis, teres, crassiusculum, modice arcuatum, nigrum, sub-nitidum, subtiliter crebre punctulatum, linea utrinque angusta, a basi ultra medium extensa, dense silaceo-farinosa ornatum. Antennæ subtenues, nigro-piceæ, dense albido-pubescentes, clava oblonga, valde acuminata. Thorax latitudine postica vix longior, apice late sed parum profunde emarginatus, a basi apicem versus sensim angustatus, basi sat profunde bi-sinuatus, supra modice convexus, punctis majusculis variolosis, minus profunde remote impressus, superficie reliqua subtiliter coriacea; dorso antico obsolete carinatus, lobo ante-scutellari leviter impresso; totus niger, linea laterali sat lata, recta et aliâ utrinque dorsali obsoleta, dense albido-pubescentibus et farinosis decoratus. Scutellum minutum, immersum. Elytra basi parum rotundato-producta, antice thoracis basi non latiora, cylindrica, linearia, humeris vix prominulis, thorace fere quadruplo longiora, apicem versus attenuata, apice ipso acute mucronata, supra modice convexa, subtiliter striatim punctata, interstitiis planis, concinne coriaceis; tota nigra, pube depressa cinerea dense obsita, linea sat lata marginali albido-pubescens ornata. Corpus subtus dense albido-pubescens, remote nigro-punctatum. Pedes nigri, punctulati, pube cinereo-albida tecti; femoribus parum clavatis, muticis; tibiis rectis, apice intus uncinatis; tarsis elongatis, subtus griseo-spongiosis.—BHN.

* 12. L. LINEATUS. *Schh.*

Elongatus, sub-cylindricus, niger, pube cinereo-albida obsitus, rostro longitudine thoracis, modice arcuato, thorace sub-conico, angustiore, crebre varioloso, dorso obsolete carinato, albido quadri-lineato, elytris apice dehiscentibus, mucronatis, linea lata suturali et alia laterali, dense albido-pubescentibus ornatis, corpore subtus remote nigro-punctato.

Patria: Ægyptus. A Dom. LEFEBVRE amice communicatus. Mus. SCHH.

L. anguiculo simillimus, sed fere dimidio minor et angustior; an ejus mas? Caput parvum, sub-rotundatum, nigrum, subtilissime confertim punctulatum, supra oculos citrino subtus albido-pubescens; fronte foveola parva, parum profunda, oblonga, impressa, oculi sub-ovati, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum longitudine fere thoracis, teres, crassiusculum, modice arcuatum, nigrum, sub-nitidum, subtiliter confertim punctulatum, dorso obsolete carinatum, linea utrinque angusta, apice attenuata, a basi

ultra medium extensa, albido-pubescente, ornatum. Antennæ subtenues, nigræ, dense albido-pubescentes, clava oblonga, valde acuta. Thorax sub-conicus, latitudine baseos vix longior, apice late sed parum profunde emarginatus, a basi apicem versus sensim angustatus, basi sat profunde bi-sinuatus, supra modice convexus, punctis majusculis variolosis, minus profunde sat crebre impressus, superficie interjacente subtiliter coriacea, dorso obsolete carinatus; totus niger, linea utrinque dorsali et alia laterali sat latis, rectis, dense albido-pubescentibus, ornatus. Scutellum minutum, demersum. Elytra antice parum rotundato-producta, thoracis basi vix latiora, cylindrica, linearia, humeris non prominulis, thorace fere quadruplo longiora, apicem versus attenuata, apice ipso dehiscentia, acute mucronata, supra modice convexa, subtiliter, crebre striato-punctata, interstitiis confertim coriaceis; nigra, linea lata suturali et alia laterali dense albido-pubescentibus, linea denudata, ante apicem abbreviata, acuminata, includentibus. Corpus subtus nigrum, dense albido-pubescens, remote, subtiliter nigro-punctatum. Pedes longiusculi, nigri, punctulati, pube albida dense tecti; femoribus parum clavatis, muticis; tibiis rectis, apice intus uncinatis; tarsis elongatis, subtus griseo-spongiosis.—BHN.

13. L. STRIATELLUS (1).

Cylindricus, fuscus, elytris fusco cinereoque lineatis.

OLIV. *Ent.* V. 83. p. 240. n° 240. T. 30. f. 459.
FABR. *Syst. El.* II. p. 505. n° 5.
Curculio id. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 415. n° 93.
HERBST. *Col.* VI. p. 51. n° 10.
VOET. *Col.* Ed. PANZ. IV. p. 55. n° 20. T. 37. f. 20.?

Patria : Barbaria.

14. L. RECURVUS (1).

Niger, elytris striatis, acutis, flavo-pulverulentis.

OLIV. *Ent.* V. 83. p. 237. n° 236. T. 21. f. 287.

Patria : Georgia Asiæ.

15. L. FURCATUS (1).

Fuscus, elytris fascia dentata cinerea, apice acuto recurvo.

OLIV. *Ent.* V. 83. p. 237. n° 235. T. 21. f. 286.

Patria : Georgia Asiæ.

---

(1) Mihi invisus.

* 16. L. MOTACILLA. *Schh.*

Oblongus, niger, pube cinerea adspersus, rostro crassiusculo, arcuato, basi carinulato, thorace rude rugoso, lateribus et subtus niveo-squamoso, utrinque oblique impresso, elytris punctato-striatis, pone scutellum et supra humeros impressis, apice dehiscentibus, mucronatis, versus apicem fascia lata, dentata, niveo-squamosa, decoratis.

MÉNÉTRIÉS. *Catalogue raisonné.* p. 222. n° 995.

Habitat in Caucaso. A Dom. MÉNÉTRIÉS communicatus. Mus. SCHH.

Magnitudo, statura et summa similitudo *L. sittæ* rostro arcuato, basi tantum carinato, thorace latiore, rude rugoso, utrinque oblique impresso ut et colore, ab illo bene distinctus. Caput parvum, rotundatum, subtiliter coriaceum, remote punctatum, nigrum, farina grisea parce obsitum; frons deflexa, foveola sat magna, insculpta; oculi oblongi, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum longitudine thoracis, crassiusculum, arcuatum, nigrum, sub-nitidum, denudatum, subtiliter coriaceum, punctis remotis impressum, basi obsolete carinatum. Antennæ crassiusculæ, nigræ, pube grisea adspersæ, clava oblongo-ovata, acuta. Thorax antice angustior, late emarginatus, lateribus perparum rotundatus, basi longitudine vix latior, bi-sinuatus, lobo ante-scutellari acuto, retrorsum producto; supra convexus, rude sed minus crebre rugosus, niger, lateribus inæqualiter et subtus dense niveo-squamosus, utrinque ad latera oblique impressus. Scutellum vix conspicuum. Elytra thoracis basi paulo latiora eoque quadruplo longiora, sub-cylindrica, apice attenuata, utrumque ad angulum scutellarem rotundata, ad apicem vero in mucronem sub-acutum, extrorsum sursumque nonnihil arcuatum productum; supra convexa, pone scutellum et supra humeros impressa, sat profunde punctato-striata, punctis nonnullis striarum præsertim ad basin et apicem valde profunde impressis, foveolæ-formibus, notata; nigra, pube cinerea adspersa, longe pone medium non procul ab apice fascia lata, transversa, dentata, niveo-squamosa, decorata. Corpus subtus nigrum, pube albida et cinerea variegatum, apice denudatum. Pedes mediocres, nigri, squamulis pubeque albida obsiti; femoribus parum clavatis, muticis; tibiis rectis; tarsis modice dilatatis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

♂ 17. L. SITTA. *Schh.*

Oblongus, niger, farina vel pube pallido-viridi adspersus, rostro validiusculo, subrecto, ad dimidium carinulato, thorace coriaceo, remote varioloso, lineis duabus dorsalibus lateribusque dense luteo-farinosis, elytris punctato-striatis, pone scutellum vix impressis, apice mucronatis, dehiscentibus, versus apicem plaga magna dentata flavo-virescenti-squamosa, ornatis.—BHN.

SAHLB. *Spec. Ins.* I. p. 37. n° 24. T. 2. f. 11.
L. ravicularis. STURM. *Ins. Catal.* 1826. p. 163.

Patria : Iberia.

♂♀ 18. L. INOPS. *Schh.*

Oblongus, niger, pube cinerea et polline flavescente dense adspersus, rostro non carinato, thorace remote varioloso, longitudinaliter obsolete canaliculato, elytris a basi ultra medium profunde dein subtiliter punctato-striatis, versus apicem plaga dentata e pube flavescente, densiore ornatis, apice mucronatis, dehiscentibus.

Mas : rostro crassiore, parum arcuato, longitudine thoracis cum capite.

Femina : dimidio major, rostro tenuiore, modice arcuato, capite cum thorace dimidio longius.

L. Tatariæ. STEVEN. *Mus. Mosqu.* II. p. 97.

♂♀ VAR. β. Parcius cinereo-pubescens, plaga postica elytrorum obsoleta ; forte detritus.

L. inops. MÉNÉTRIÉS. *Catal. raisonné.* p. 222. n° 994.

Habitat in Caucaso, in crambe Tatariæ. Dom. STEVEN et MÉNÉTRIÉS. Mus. SCHH.

L. sittæ valde affinis, sed dimidio fere angustior, rostro non carinato. Caput parvum, rotundatum, nigrum, subtiliter rugulosum et coriaceum, punctis remotis impressum, pube flavescente dense adspersum ; frons sub-deflexa, foveola parva inter oculos impressa ; oculi oblongo-ovati, transversi, nigri, haud prominentes ; rostrum crassiusculum, teres, totum nigrum, subtiliter rugosum, lineola inter antennas longitudinali, abbreviata, impressa, notatum, pube flavescente in illæsis sat dense obsitum. Antennæ subtenues, basi piceæ, extrorsum nigræ, clava oblongo-ovata, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax antice angustior, truncatus, posterius sensim ampliatus, basi bi-sinuatus, lobo ante-scutellari acuto, retrorsum producto ; supra convexus, punctis majusculis, parum profundis,

parce impressus, superficie reliqua confertim coriacea; ante scutellum leviter impressus, dorso obsoletissime canaliculatus; totus niger, polline pubeque flavo-virescente ad latera densius adspersus. Scutellum vix observandum. Elytra thoracis basi paulo latiora, eoque quadruplo longiora, sub-cylindrica, apice attenuata, utrumque ad angulum scutellarem rotundatum, ad apicem vero in mucronem sub-acutum, extrorsum sursumque nonnihil arcuatum productum; supra convexa; humeris parum prominulis; supra humeros et pone scutellum leviter impressa, a basi ultra medium profunde dein subtiliter punctato-striata, interstitiis planis, subtiliter coriaceis, nigra pube et polline flavo-virescente sat dense adspersa, pone medium in plaga dentata condensata. Corpus subtus nigrum, pube cinerea et polline flavescente parce adspersum. Pedes mediocres, mutici, nigri, pube cinerea et polline flavescente adspersi; femoribus modice clavatis, muticis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis.—BHN.

♂♀ 19. L. CYLINDRICUS.

Oblongus, niger, pulvere umbrino adspersus, fronte foveolata, antennis tarsisque fusco-ferrugineis, thorace conico, remote ruguloso, lateribus late albido-pubescentibus et farinosis, elytris basi transversim profunde impressis, punctato-striatis, sutura fasciaque lata postica, transversa, communi nivea ornatis, apice acuminatis, dehiscentibus, mucronatis.—BHN.

FABR. *Syst. El.* II. p. 501. n° 16.

OLIV. *Ent.* V. 83. p. 246. n° 249. T. 10. f. 123.

Curculio id. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 417. n° 103. — *Mant.* I. p. 103. n° 80.

HERBST. *Col.* VI. p. 62. n° 26. T. 63. f. 3.

OLIV. *Enc. méth.* V. p. 492. n° 88.

TOWNS. *Voy. en Hongr.* III. p. 195. n° 391. T. 12. f. 8.

LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1751. n° 148.

Curculio cylindrus. FABR. *Spec. Ins.* I. p. 172. n° 64.

VILLERS. *Ent.* I. p. 189. n° 57, et IV. p. 269. n° 57.

Patria: Hungaria, Gallia meridionalis, Sibiria, Persia.

20. L. TORVUS. *Chevrolat.*

Elongatus, niger, tenue griseo-pubescens, antennis ferrugineis, rostro subrecto, subtiliter crebre punctulato, thorace minus elongato, coriaceo, remote varioloso, ante scutellum impresso, elytris sat profunde regulariter striato-punctatis, apice acuminatis.

Habitat in Senegalia. Mus. Dom. CHEVROLAT.

L. turbato duplo minor. Statura et summa similitudo *L. acuminati*, nonnihil tamen minor, thorace breviore, aliter impresso, elytris apice acuminatis, non mucronatis, ut et colore ab illo tamen distinctus. Caput minutum, sub-rotundatum, nigrum, crebre subtiliter punctulatum; frons deflexa, puncto inter oculos impressa; oculi laterales, ovati, transversi, nigri, haud prominuli; rostrum thorace nonnihil brevius, crassiusculum, cylindricum, subrectum; subtiliter confertim punctulatum. Antennæ minus crassæ, rufo-ferrugineæ, parce pubescentes, clava oblongo-ovata, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos nonnihil longior, anterius angustatus, apice truncatus, posterius sensim ampliatus, basi bi-sinuatus, supra modice convexus, niger, tenuissime griseo-pubescens, undique subtiliter coriaceus, minus profunde et remote vage punctatus, ante scutellum foveola, sat profunda, ovata, impressus. Scutellum nullum. Elytra thoracis basi vix latiora, quam lata triplo longiora, cylindrica, pone medium apicem versus angustata, apice ipso acuminata, dehiscentia, supra modice convexa; nigra, sub-nitida, pube brevissima, cinerea, tenue adspersa, sat profunde regulariter striato-punctata, foveola supra humeros et pone angulos scutellares obsolete impressa. Corpus subtus nigrum, subtilissime punctatum, pube grisea sat dense obsitum. Pedes longiusculi, mutici, nigri, parce griseo-pubescentes; femoribus modice clavatis; tibiis rectis, apice uncinatis; tarsis ferrugineo-rufescentibus, subtus fulvo-spongiosis.—Bhn.

* 21. L. Lefebvrei. *Schh.*

Oblongus, niger, dense flavescenti-pollinosus, rostro crassiusculo, parum arcuato, longitudine thoracis, thorace sub-obconico, sat profunde rugoso, a basi ultra medium profunde sulcato, elytris punctato-striatis, supra humeros et pone scutellum leviter impressis, apice nonnihil dehiscentibus, singulatim acuminatis.

Patria : Europa meridionalis. Sicilia forte. Dom. Lefebvre. Mus. Schh.

Habitus et magnitudo *L. angustati*, ab illo elytrorum apice singulatim acuminato, præcipue distinctus. Caput parvum, oblongum, nigrum, sat crebre subtiliter punctatum, dense flavescenti-pollinosum, inter oculos foveola profunda insculptum; oculi oblongi, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum longitudine thoracis, teres, crassiusculum, parum arcuatum, nigrum, crebre punctatum, dense flavescenti-pollinosum. Antennæ non procul ab apice rostri

insertæ, ad dimidium thoracis non pertingentes, minus crassæ, nigræ, cinereo-pubescentes, clava elongata, valde acuta, apice testacea. Thorax latitudine baseos paulo longior, apice sub-truncatus, a basi apicem versus sensim perparum angustatus, postice bi-sinuatus, supra modice convexus, niger, undique sat profunde rugoso-punctatus, a basi ultra medium longitudinaliter profunde sulcatus, sulco apicem versus tenuiori; totus dense flavescenti-pollinosus. Scutellum vix conspicuum. Elytra oblonga, antice thoracis basi paulo latiora, illique arcte applicata, quam lata plus triplo longiora, mox pone basin nonnihil ampliata, humeris obtuse rotundatis, tum apicem versus linearia; sub-cylindrica, longe pone medium citius angustata, apice ipso nonnihil dehiscentia, singulatim sub-acuminata, convexa, supra humeros et pone scutellum leviter impressa, nigra, parum profunde punctato-striata, interstitiis sub-planis, pube brevissima cinerea obsita, dorso flavescenti-pollinosa. Corpus subtus nigrum, sub-nitidum, subtiliter punctulatum, pube cinerea sat dense obsitum. Pedes longiusculi, validi, nigri, cinereo-pubescentes; femoribus modice incrassatis, muticis; tibiis teretibus, subrectis, apice intus uncinatis; tarsis modice dilatatis, subtus fulvo-spongiosis—BHN.

Dom. A. LEFEBVRE, Secretarius Societ. Entom. Gall.—Meritissimus Entomologus. — Multis novis speciebus hoc opus auxit; cujus igitur nomine hoc insectum insignitum voluerim.—SCHH.

* 22. L. AURITUS. *Schh.*

Elongatus, niger, tenuissime flavescenti-pollinosus, thorace angusto, sub-cylindrico, subtiliter varioloso, in medio utrinque impresso, tuberculato, fovea elytrorum communi ad basin impressa, elytris profunde punctato-striatis, pone medium paulo ampliatis, apice obtuse mucronatis.

Habitat in Sierra Leona. Dom. AFZELIUS. Mus. SCHH.

L. turbato vix major. Caput minutum, breve, nigrum, subtiliter punctatum; frons deflexa, rugulosa, inter oculos faveola parva, impressa; oculi oblongi, transversi, depressi, nigri; rostrum thorace brevius, crassiusculum, teres, parum arcuatum, nigrum, basi striolato-rugosum, apicem versus subtiliter punctatum, inter antennas canalicula tenui, abbreviata, excavatum. Antennæ fere in medio rostri insertæ, capite cum rostro nonnihil longiores, piceæ, clava oblongo-ovata, acuminata, obscuriore, pubescente. Thorax latitudine multo longior, sub-cylindricus, antice paulo angustior,

truncatus, basi bi-sinuatus, supra convexus, niger, punctis minoribus variolosis, parce impressus, superficie reliqua confertim subtiliter coriacea, dorso antico obsolete carinato; in medio lateris utriusque tuberculo minuto, sub-acuto, armatus, pone hoc transversim sat profunde impressus, atque in angulo basali fovea parum profunda, obsoleta, excavatus; tenuissime et parce flavescenti-pollinosus. Scutellum immersum. Elytra basi singulatim nonnihil rotundato-producta, antice thoracis basi paulo latiora, et illo triplo longiora, pone humeros ultra medium sensim perparum ampliata, apice attenuata, mucrone brevi, conico, instructa, supra modice convexa, nigra, sub-nitida, squamulis minutissimis griseis et pulvere flavescente, tenuissime adspersa; sat profunde punctato-striata, interstitiis sub-convexis, fovea ad basin oblonga, communi, sat profunda, excavata, a fossula utrinque minori, supra humerali, carinula interjecta, distincta. Corpus subtus nigrum, subtiliter punctulatum, densius flavescenti-pollinosum. Pedes nigri, griseo-pubescentes et flavo-pollinosi; antici validiores, femoribus muticis. Tarsi subtus fulvo-spongiosi.—Bhn.

23. L. Augurius. *Schh.*

Angustus, niger, tenue flavescenti-pollinosus, thorace angusto, sub-cylindrico, rugoso, antice constricto, in medio utrinque impresso, tuberculato, dorso antico obsolete carinato, fovea elytrorum communi ad basin, elytris punctato-striatis, ante apicem callosis, apice ipso mucronatis.

Habitat ad Algier. Dom. Paykull. Mus. Reg. Acad. Scient. Holm.

Facies et similitudo *L. auriculati*, sed angustior et fere duplo minor; a congeneribus elytris supra versus apicem callo valido, obtuso, notatis, præcipue distinctus. Caput parvum, breve, nigrum, rugoso-punctulatum, pulvere flavescenti dense adspersum; oculi oblongi, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum thorace multo brevius, crassiusculum, teres, subrectum, nigrum, a basi ad medium carinatum, subtiliter punctulatum, pulvere flavescenti adspersum. Antennæ subtenues, piceæ, clava oblongo-ovata, acuminata, pubescente. Thorax latitudine multo longior, sub-cylindricus, antice paulo angustior, truncatus, coarctatus, basi bi-sinuatus, supra convexus, niger, rugoso-punctatus, dorso antico linea transversa impressus, et carinula longitudinali obsoleta, abbreviata, insignitus; in medio lateris utriusque tuberculo minuto, sub-acuto, armatus, pone hoc foveola parum profunda excavatus,

atque in dorso postico, non in ipsa basi foveola obsoleta insculptus. Scutellum minutum, immersum. Elytra basi singulatim perparum rotundato-producta, antice thoracis basi haud latiora, sed illo triplo longiora, pone humeros apicem versus nonnihil ampliata, apice attenuata, sub-reflexa, in mucrone parum elongato, acuto, extrorsum et sursum nonnihil arcuato, excurrentia, supra modice convexa, punctato-striata, fovea ad basin oblonga, communi, sat profunda, insculpta, ante apicem callo sat valido, obtuso, notata; tota nigra, pulvere flavescenti pubeque grisea tenuissime adspersa. Corpus subtus nigrum, confertim punctulatum, cinereo-pubescens. Pedes mediocres, griseo-pubescentes; femoribus muticis, nigris; tibiis tarsisque piceis.—BHN.

♂♀ 24. L. VENUSTULUS. *Dejean.*

Angustus, niger, tenue griseo vel flavescenti-farinosus et pubescens, antennis tibiis tarsisque rufo-ferrugineis, rostro basi obsolete carinato, thorace conico, subtiliter varioloso, elytris tenue striato-punctatis, pone scutellum obsolete impressis, apice attenuatis, dehiscentibus, mucronatis.

DEJEAN. *Catal. Col.* p. 97.

L. mucronatus. OLIV. *Ent.* V. 83. p. 247. n° 250. T. 16. f. 199. a. b. ?

Curculio mucronatus. OLIV. *Enc. méth.* V. p. 492. n° 90. ?

Curculio mucropherus. HERBST. *Col.* VI. p. 63. n° 27. T. 63. f. 4. ?

Patria: Gallia meridionalis. Dom. Com. DEJEAN; Sicilia. Dom. LEFEBVRE; Algier. Dom. PAYKULL. Mus. Reg. Acad. Scient. Holm.

Statura fere *L. turbati*, sed plus triplo minor. Caput minutum, breve, subtiliter confertim rugoso-punctatum, farina flavescenti adspersum; frons depressa, foveola inter oculos obsoleta impressa; oculi oblongo-ovati, haud prominuli, nigri; rostrum longitudine fere capitis cum thorace, crassiusculum, modice arcuatum, nigrum, subtilissime punctulatum, basi obsolete carinatum, farina flavescenti adspersum. Antennæ subtenues, rufo-ferrugineæ. Thorax antice angustior, truncatus, latitudine baseos longior, sub-conicus, posterius sensim ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, lobo medio acuto, retrorsum producto; supra parum convexus, foveolis minoribus variolæ-formibus, minus confertim impressus, superficie interjacente subtiliter granulata vel coriacea; niger, lateribus et interdum vitta angusta dorsali dense flavo-pollinosis et pubescentibus. Scutellum minutum, immersum. Elytra basi singulatim

rotundato-producta, antice thoracis basi paulo latiora, sed illo quadruplo longiora, cylindrica, versus apicem attenuata, apice ipso mucronata, dehiscentia, mucrone recto, acuto, modice elongato instructa, supra modice convexa, pone scutellum leviter impressa, regulariter subtiliter striatim-punctata, interstitiis planis, subtiliter coriaceis; nigra, pube et pulvere cinereo vel flavescenti plus minusve tecta. Corpus subtus nigrum, farina flavescenti obsitum. Pedes mediocres, validi, flavo-pollinosi; femoribus nigris, muticis; tibiis tarsisque ferrugineis.—Bhn.

* 25. L. Brevirostris. *Chevrolat.*

Angustus, niger, pube depressa cinerea adspersus, tibiis tarsisque fusco-piceis, rostro thorace multo breviori, thorace sub-conico, confertim subtiliter punctato, elytris basi transversim leviter impressis, evidenter punctato-striatis, apice dehiscentibus, mucronatis.

Patria: Hispania meridionalis. A Dom. Chevrolat missus. Mus. Schh.

Inter minimos hujus generis. Magnitudo fere *L. rufitarsis.* Caput minutum, breve, crassum, nigrum, opacum, subtiliter confertim punctulatum; fronte foveola obsoleta impressa; oculi laterales, ovati, transversi, depressi, nigri; rostrum capite vix dimidio longius, crassiusculum, teres, parum arcuatum, nigrum, punctulatum, pube cinerea et pulvere flavescenti adspersum. Antennæ subtenues, nigræ, clava oblongo-ovata, acuminata. Thorax subconicus, apice truncatus, antice leviter constrictus, lateribus a basi apicem versus sensim perparum angustatus, basi bi-sinuatus, supra parum convexus, niger, crebre subtiliter punctulatus, pube cinereo-albida versus latera magis condensata adspersus. Scutellum minutum, immersum. Elytra basi singulatim perparum rotundato-producta, transversim leviter impressa, antice thorace vix latiora, sed illo quadruplo longiora, humeris rotundatis, pone humeros apicem versus linearia, apice ipso acuminata, dehiscentia, singulo elytro tuberculo conico instructo; supra modice convexa, nigra, pube cinereo-albida parce adspersa, regulariter minus profunde punctato-striata, interstitiis planis, subtiliter coriaceis. Corpus subtus nigrum, punctulatum, pube dilute grisea tectum, ventre obsolete fusco maculato. Pedes mediocres, cinereo-pubescentes; femoribus nigris, muticis; tibiis tarsisque fusco-piceis; tarsis subtus fulvo-spongiosis.—Bhn.

* 26. L. NANUS. *Schh.*

Angustus, niger, tenue cinereo-pubescens, rostro capite dimidio longiori, subrecto, thorace conico, confertim subtiliter punctato, elytris basi transversim obsolete impressis, evidenter punctato-striatis, apice dehiscentibus, vix mucronatis.

Patria : Hispania meridionalis. A Dom. CHEVROLAT communicatus. Mus. SCHH.

Parvus. Statura et summa similitudo *L. brevirostris*, sed dimidio fere minor, parcius pubescens, elytris apice obsolete mucronatis, ab illo distinctus videtur. Caput minutum, breve, crassum, nigrum, sub-nitidum, subtiliter concinne punctulatum, inter oculos puncto profundo insculptum; oculi ovati, transversi, nigri, haud prominuli; rostrum capite vix dimidio longius, crassiusculum, teres, parum arcuatum, nigrum, crebre punctulatum, pube cinerea parce adspersum. Antennæ subtenues, nigro-piceæ, clava oblongo-ovata, acuminata. Thorax sub-conicus, apice truncatus, mox intra apicem leviter constrictus, lateribus a basi apicem versus sensim perparum angustatus, basi leviter bi-sinuatus, supra modice convexus, subtiliter crebre punctulatus, niger, pube cinerea tenuissime adspersus. Scutellum minutum, immersum. Elytra basi singulatim nonnihil rotundato-producta, mox intra basin leviter transversim impressa, antice thorace haud latiora, sed illo fere quadruplo longiora, linearia, sub-cylindrica, humeris vix prominulis, rotundatis, apicem versus angustata, apice ipso nonnihil dehiscentia, vix mucronata, supra modice convexa, regulariter minus profunde punctato-striata, interstitiis planis, subtiliter coriaceis; tota nigra, pube cinerea tenuissime adspersa. Corpus subtus nigrum, subtiliter crebre punctulatum, pube cinerea tenuissime adspersum. Pedes mediocres, nigri; femoribus parum clavatis, muticis; tibiis rectis; tarsis parum dilatatis, subtus griseo-spongiosis. — BHN.

27. L. KARELINI. *Ménétriés.*

Oblongus, niger, supra dense silaceo subtus niveo-squamosus, rostro breviusculo, valido, supra apicem versus carinato, thorace subtiliter varioloso, linea utrinque recta denudata, lineola dorsali obsoleta nigra, decorato; elytris apicem versus coarctatis, apice ipso mucronatis, dehiscentibus, lateribus niveo-squamosis, singulo linea laterali, denudata, nigra, ornato.

Patria : Desertum Kirguisiæ. Ex Musæo Dom. MÉNÉTRIÉS ad describendum benevole communicatus.

Statura fere *L. Ascanii*, sed nonnihil major, præsertim latior. Caput breve, crassum, supra convexum, nigrum, dense silaceo-squamosum, pone oculos denudatum, subtus niveo-squamosum; vertice macula parva triangulari fusca notato; fronte puncto profundo insculpta; oculi oblongi, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum capite dimidio longius, validum, modice arcuatum, supra versus apicem tenue carinatum, dorso dense silaceo subtus niveo-squamosum, lateribus parce squamosis, fuscis. Antennæ crassiusculæ, nigræ, dense niveo-squamosæ et pubescentes. Thorax latitudine baseos fere brevior, apice late emarginatus, mox pone apicem constrictus, lateribus perparum rotundatus, basi bi-sinuatus, supra modice convexus, parum profunde minus crebre variolosus, superficie interjacente confertim subtiliter coriacea; niger, dorso dense silaceo-subtus niveo-squamosus, linea utrinque laterali recta denudata nigra, et alia dorsali angusta, obsoleta, medio sub-interrupta, fusca, decoratus. Scutellum parvum, immersum. Elytra basi singulatim perparum rotundato-producta, antice thorace paulo latiora et illo triplo longiora, humeris vix prominulis, a basi ultra medium linearia, tum apicem versus acuminata, ibique sub-coarctata, apice ipso dehiscentia, mucrone parvo, brevi, acuto instructa, supra modice convexa, subtiliter striato-punctata, interstitiis planis, subtiliter confertim coriaceis; tota nigra, dorso dense silaceo lateribus niveo-squamosa, macula parva supra humerali in ipsa basi lineaque laterali, longitudinali, antice posticeque attenuata, nigris, denudatis, ornata. Corpus subtus nigrum, dense niveo-squamosum, remote nigro-punctatum. Pedes mediocres, nigri, dense niveo-squamulosi; femoribus parum clavatis, muticis; tarsis elongatis, subtus fusco-spongiosis.—BHN.

28. L. MELES. *Bartels.*

Oblongus, niger, supra dense cinereo subtus niveo-squamosus, rostro breviusculo, crassiusculo, carinato, parce squamoso, thorace profunde varioloso, lineis utrinque duabus lateralibus vittaque dorsali postice abbreviata denudatis, nigris, insignito; elytris apicem versus minus acuminatis, apice ipso dehiscentibus, vix mucronatis, lateribus niveo-squamosis, singulo linea laterali denudata, nigra, ornato.

Patria: Ad litus orientale maris Caspii lectus. Mus. BARTELS.

Magnitudo et summa similitudo *L. Karelini;* rostro tenuiore, thorace profunde varioloso, aliter colorato, elytris apicem versus acuminatis, vix mucronatis, ab illo abunde distinctus. Caput breve,

crassum, supra convexum, nigrum, subtiliter coriaceum, squamulis nonnullis niveis adspersum, subtus dense squamosum; inter oculos foveola parva insculptum; oculi oblongi, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum capite dimidio longius, crassiusculum, modice arcuatum, dorso carinatum et basi profunde punctatum; totum nigrum, sub-nitidum, squamulis niveis infra oculos densius adspersum. Antennæ crassiusculæ, nigræ, dense albido-pubescentes et squamosæ. Thorax latitudine baseos nonnihil brevior, apice late sed parum profunde emarginatus, mox intra apicem leviter constrictus, lateribus parum rotundato-ampliatus, postice bi-sinuatus, supra modice convexus, sat profunde at minus crebre variolosus, superficie reliqua crebre coriacea; niger, dorso cinereo lateribus et subtus niveo-squamosus, dorso vitta lata postice abbreviata, linea utrinque laterali et alia infra-laterali, denudatis, nigris, notatus. Scutellum parvum, immersum. Elytra basi singulatim perparum rotundato-producta, antice thorace paulo latiora, et illo vix triplo longiora, humeris non prominulis, a basi longe ultra medium linearia, tum apicem versus attenuata, apice ipso dehiscentia, singulatim acuminata, non vero mucronata, supra modice convexa, pone scutellum leviter impressa, subtiliter striato-punctata, interstitiis planis, subtiliter confertim coriaceis; tota nigra, dorso dense cinereo lateribus niveo-squamosa, linea longitudinali, laterali, antice posticeque attenuata, nigra, denudata, decorata. Corpus subtus nigrum, dense niveo-squamosum, remote nigro-punctatum. Pedes mediocres, nigri, dense niveo-squamosi; femoribus parum clavatis, muticis; tarsis elongatis, subtus fusco-spongiosis.—BHN.

29. L. VIBEX (1).

Cylindraceus, albissimus, striga utrinque nigra per thoracem elytraque longitudinali; rostro teretiusculo, supra stria obsoletissime impressa, elytra punctato-striata, sub-acuminata.—PALL.

Curculio id. PALL. *Icon.* p. 32. n° 13. Tab. B. f. 13.
HERBST. *Col.* VI. p. 55. n° 18. T. 62. f. 11.
OLIV. *Enc. méth.* V. p. 551. n° 361.
LINN. *Syst. nat.* Ed. GMEL. I. IV. p. 1797. n° 462.

Patria: Selemgam Sibiriæ.

(1) Mihi invisus.

* 30. L. ASCANII.

Elongatus, niger, pube tenuissima cinerea tectus, antennis tarsisque obscure ferrugineis, rostro breviori, crassiusculo, parum arcuato; thorace oblongo, minus crebre varioloso, utrinque linea sat lata, niveo-squamosa, ornato; elytris subtiliter striato-punctatis, basi late transversim impressis, apice acuminatis, linea marginali, niveo-squamosa, decoratis.—BHN.

FABR. *Syst. El.* II. p. 503. n° 26.
OLIV. *Ent.* V. 83. p. 243. n° 244. T. 16. f. 83. c. et T. 7 f. 83. a. b.
STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 157. n° 1.—*Syst. Catal.* p. 182. n° 1860.
DEJEAN. *Catal. Col.* p. 97.
Curculio id. LINN. *Syst. nat.* I. II. p. 610. n° 36. — Ed. GMEL. I. IV, p. 1751. n° 36.
FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 418. n° 108. — *Mant.* I. p. 104. n° 85. — *Spec. Ins.* I. p. 173. n° 67. —*Syst. Ent.* p. 135. n° 47.
HERBST. *Col.* VI. p. 46. n° 5. T. 12. f. 5. — *Arch.* p. 71. n° 19. T. 24. f. 8.
PANZ. *Faun. Germ.* XLII. n° 13. — *Ent. Germ.* p. 309. n° 57.
ROSSI. *Faun. Etr.* I. p. 111. n° 285. — Ed. HELLW. I. p. 118. n° 285.
OLIV. *Enc. méth.* V. p. 493. n° 94.
TOWNS. *Voy. en Hongr.* III. p. 195. n° 394.
PATAGNA. *Ins. Cal.* p. 13. n° 66.
VILLERS. *Ent.* I. p. 184. n° 31.

Patria: Europa intermedia et meridionalis; Barbaria, Sibiria.

* 31. L. PALPEBRATUS. *Schh.*

Elongatus, niger, supra parce griseo-pubescens, subtus squamulis niveis adspersus, antennis tibiis tarsisque rufo-ferrugineis, rostro brevi, crassiusculo, orbita oculorum albido-villosa, thorace confertim ruguloso, utrinque et subtus albido-farinoso, elytris castaneis, subtiliter striato-punctatis, pone scutellum et supra humeros leviter impressis, apice attenuatis, mucronatis.

Patria: Barbaria. A Dom. SCHESTEDT sub nomine *L. algirus* communicatus. Mus. SCHH.

Magnitudo et summa similitudo *L. Ascanii;* ab illo thorace confertim ruguloso, elytris castaneis, unicoloribus, apice evidenter mucronatis, distinctus. Caput minutum, breve, nigrum, confertim subtiliter rugoso-punctatum, pube flavescenti parce adspersum; frons deflexa; oculi oblongi, transversi, nigri, haud prominuli,

orbita oculorum in speciminibus illæsis dense albido-villosa; rostrum thorace brevius, crassiusculum, subrectum, teres, nigrum, crebre rugoso-punctatum, basi obsoletissime carinatum. Antennæ subtenues, rufo-ferrugineæ. Thorax latitudine baseos vix longior, sub-conicus, antice angustior, truncatus, posterius sensim ampliatus, basi bi-sinuatus, supra parum convexus, confertim sed minus profunde rugoso-punctatus; niger, parce griseo-pollinosus et pubescens, lateribus et subtus niveo-farinosus. Scutellum immersum. Elytra basi singulatim nonnihil rotundato-producta, antice thoracis basi vix latiora, sed illo triplo longiora, cylindrica, apicem versus attenuata, apice ipso dehiscentia, singulo elytro tuberculo conico, modice elongato, instructo; supra parum convexa, pone scutellum et supra humeros leviter impressa, regulariter subtiliter striatim punctata, interstitiis planis, subtiliter coriaceis; tota castanea, pube grisea et pulvere dilute flavescente parce adspersa. Corpus subtus nigrum, subtiliter crebre punctulatum, parce niveo-farinosum; ventre medio magis denudato. Pedes mediocres, validi, albido-pubescentes; femoribus piceis, muticis; geniculis, tibiis tarsisque rufo-ferrugineis; tarsis subtus fulvo-spongiosis.—BHN.

32. L. SANGUINEUS.

Elongatus, niger, pube depressa cinerea et pulvere miniato adspersus, antennis tibiis tarsisque piceis, rostro brevi, crassiore, obsolete carinato, fronte foveolata, orbita oculorum albido-villosa, thorace conico, confertim varioloso, antice obsolete carinato, utrinque silaceo lineato, elytris anterius striato-punctatis, posterius punctato-striatis, basi transversim impressis, apice attenuatis, obtuse mucronatis.

Curculio id. ROSSI. *Faun. Etr. Mant.* I. p. 36. n° 89. Tab. 5. fig. J. Ed. HELLW. I. p. 374. n° 89.

Habitat in Italia. Dom. ROSSI. Mus. Reg. Acad. Scient. Holm.

Magnitudo et summa similitudo *L. palpebrati*; fronte canaliculata, rostro nonnihil crassiori, thorace varioloso, antice carinato, elytris nigris, profunde striato-punctatis, apice vix mucronatis, ab illo facile distinctus. Caput minutum, rotundatum, nigrum, crebre subtiliter rugoso-punctatum, pube cinerea parce adspersum; frons deflexa, foveola parva insculpta; oculi sub-ovati, transversi, nigri, depressi; orbita oculorum albido-villosa; rostrum thorace brevius, quam in *L. palpebrato* crassius, parum arcuatum, ni-

grum, confertim ruguloso-punctatum, obsolete carinatum, nigrum, pube cinerea adspersum. Antennæ subtenues, fusco-ferrugineæ. Thorax sub-conicus, latitudine baseos vix longior, antice angustior, apice truncatus, versus basin sensim ampliatus, basi bisinuatus, supra parum convexus, punctis minus profundis, variolosis, confertim impressus, superficie reliqua subtilissime coriacea, dorso antico obsolete carinatus; niger, pulvere miniato adspersus, ad latera utrinque vitta e farina silacea notatus. Scutellum minutum, immersum. Elytra basi singulatim rotundato-producta, mox pone basin transversim impressa, antice thorace vix latiora, sed illo fere quadruplo longiora, a basi apicem versus linearia, tum attenuata, apice ipso acuminata, obtuse mucronata, supra modice convexa, nigra, anterius sat profunde striato-punctata, interstitiis ibique transversim rugosis, posterius punctato-striata, interstitiis confertim subtiliter coriaceis; pube grisea et pulvere miniato præsertim apicem versus adspersa. Corpus subtus nigrum, remote punctulatum, pube grisea adspersum, abdomine pulvere dilute miniato obsito, fusco maculato. Pedes mediocres, validi, pube cinerea et pulvere miniato adspersi; femoribus nigris, muticis; tibiis tarsisque piceis; tarsis subtus fulvo-spongiosis.—Bhn.

* 33. L. Superciliosus. *Schh.*

Elongatus, niger, parce flavescenti-pollinosus, antennis tibiis tarsisque ferrugineis, rostro brevi, crassiusculo, basi obsolete carinato, pulvere rufescenti adsperso, thorace confertim subtiliter varioloso, utrinque flavo lineato, elytris subtiliter striato-punctatis, fovea basali communi et alia utrinque supra-humerali, obsoletis, impressis, apice attenuatis, rectis, sub-acuminatis.

Patria: Lusitania. Mus. Schh.

L. sanguineo affinis; illo tamen minor, præsertim brevior, thorace subtilius varioloso, elytris subtiliter striato-punctatis. Caput minutum, breve, nigrum, supra oculos flavescenti-pollinosum; vertice subtiliter confertim punctulato; fronte rugulosa; oculi oblongi, transversi, depressi, nigri; rostrum thorace brevius, crassiusculum, sub-teres, parum arcuatum, basi obsolete carinatum, nigrum, pulvere rufescenti dense tectum. Antennæ subtenues, rufo-ferrugineæ. Thorax latitudine baseos fere brevior, antice angustior, truncatus, lateribus perparum rotundato-ampliatus, basi profunde bi-sinuatus, supra modice convexus; niger, punctis mi-

noribus variolosis dense impressus, superficie reliqua confertim subtilissime coriacea, linea utrinque laterali, recta, e pulvere flavescenti, notatus. Scutellum parvum, immersum. Elytra basi singulatim rotundato-producta, antice thoracis basi paulo latiora, subcylindrica, apicem versus attenuata, thorace fere quadruplo longiora, apice ipso dehiscentia, sub-acuminata, supra modice convexa, regulariter subtiliter striatim punctata, interstitiis planis, subtilissime coriaceis; ad basin pone scutellum et utrinque supra humeros leviter impressa; nigra, pulvere flavescente pubeque cinerea, præsertim versus latera adspersa. Corpus subtus nigrum, obsolete punctatum, dense griseo-pubescens. Pedes mediocres, griseo-pubescentes; femoribus muticis, nigris; tibiis tarsisque ferrugineis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis.—BHN.

* 34. L. RUFICORNIS. *Schh.*

Elongatus, niger, parce cinereo-pubescens, antennis tibiis tarsisque rufis, rostro breviusculo, angustiore, parum arcuato, thorace subconico, subtiliter crebre varioloso, elytris subtiliter striato-punctatis, sutura margineque ferrugineis, apice dehiscentibus, singulatim acuminatis.

Patria: Europa meridionalis. A Dom. LEFEBVRE communicatus. Mus. SCHH.

L. supercilioso affinis, sed dimidio minor; rostro breviori, tenuiori, sutura margineque elytrorum ferrugineis, ab illo præcipue distinctus. Caput parvum, elongatum, supra parum convexum, nigrum, subtiliter crebre punctulatum, pube cinerea supra oculos magis condensata parce adspersum; fronte foveola obsoleta impressa; oculi laterales, ovati, transversi, parum prominuli, nigri; rostrum capite nonnihil longius et angustius, validiusculum, teres, parum arcuatum, nigrum, subtiliter crebre punctulatum, pube cinerea parce obsitum. Antennæ minus crassæ, rufo-ferrugineæ, parce cinereo-pubescentes, clava oblongo-ovata, acuminata, dilutiori. Thorax sub-conicus latitudine baseos vix longior, a basi apicem versus angustatus, apice ipso truncatus, postice bi-sinuatus, supra parum convexus, subtiliter crebre variolosus, niger, dorso denudatus, lateribus pube cinerea dense obsitus. Scutellum subtriangulare, immersum. Elytra basi singulatim rotundato-producta, antice thoracis basi vix latiora, quam lata triplo longiora, humeris rotundatis; linearia, sub-cylindrica, apicem versus attenuata, apice ipso dehiscentia, singulatim acuminata, supra modice con-

vexa, basi ad humeros leviter impressa, subtiliter striato-punctata, interstitiis planis, subtilissime coriaceis; nigra, sutura margineque laterali ferrugineis, pube depressa cinerea sat dense adspersa. Corpus subtus nigrum, subtiliter concinne punctulatum, cinereo-pubescens. Pedes mediocres, pube cinerea adspersi; femoribus nigris, modice clavatis, muticis; tibiis teretibus, rectis, ferrugineis, apice intus uncinatis; tarsis ferrugineis, subtus griseo-spongiosis.—Bhn.

* 35. L. Desertorum. *Gebler.*

Elongatus, niger, pulvere grisescente et flavescente tectus, rostro longo, subtenui, arcuato, remote rugoso-punctato, thorace breviore, varioloso, utrinque cinereo lineato, elytris ad basin utrinque bis impressis, striato-punctatis, apice parum attenuatis, rectis, sub-acuminatis.

Habitat ad Irtysch. Dom. Gebler. Mus. Schh.

L. *Ascanii* paulo longior et latior; rostro longo,arcuato,etc.,a reliquis facile distinctus. Caput parvum, breve, nigrum, punctulatum, pulvere grisescente adspersum; fronte deflexa, inter oculos impressa, rude sed minus crebre punctata; oculi ovati, transversi, nigri, depressi; rostrum thorace dimidio longius, minus crassum, teres, arcuatum, nigrum, rude sed minus confertim rugoso-punctatum,indumento capitis. Antennæ subtenues,nigro-piceæ. Thorax latitudine baseos paulo brevior, antice late sed minus profunde emarginatus, anterius nonnihil angustior, lateribus perparum rotundato-ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra modice convexus, punctis majusculis variolæ-formibus parce impressus, superficie interjacente subtiliter granulata vel coriacea; niger, parce cinereo-pubescens, linea utrinque laterali, sat lata densius cinereo-farinosa, decoratus. Scutellum immersum. Elytra elongato-ovata, basi singulatim rotundato-producta, antice thoracis basi paulo latiora, pone basin nonnihil ampliata, thorace quadruplo longiora, apicem versus sensim angustata, apice ipso recto, tuberculo parvo instructo, non acuto; supra modice convexa, striatim punctata, interstitiis planis, subtilissime coriaceis, singulo in angulo scutellari foveola obsoleta,a fossula majori supra-humerali, carinula interjecta, distincta; nigra, pube cinerea et pulvere flavescenti, dense adspersa. Corpus subtus nigrum, punctulatum, griseo-pubescens. Pedes mediocres, nigri, mutici, griseo-pubescentes, antici validiores. Tarsi subtus fulvo-spongiosi.—Bhn.

* 36. L. MYAGRI.

Elongato-ovatus, niger, dense, aut flavescenti-aut cinereo-farinosus, rostro carinato, thorace profunde varioloso, nigro tri-lineato, elytris subtiliter striato-punctatis, lateribus cinereo-pubescentibus, apice vix attenuatis, sub-acuminatis, divergentibus.—BHN.

OLIV. *Ent.* V. 83. p. 249. n° 253. T. 30. f. 453.
L. diloris. GERM. *Ins. Spec.* I. p. 396. n° 540.—In WETTER. *Annal.* I. I. p. 134. n° 10.
L. sabulosus. Dom. Com. DEJEAN *in Litteris*, olim.
L. Pisanus. Dom. SCHNEIDER *in Litteris.*

Patria : Europa meridionalis.

* 37. L. ESCHSCHOLTZII.

Oblongus, niger, pube cinereo-albida sat dense obsitus, rostro crassiusculo, basi obsolete carinato, subrecto, thorace crebre sat profunde varioloso, linea utrinque laterali et duabus obsoletis dorsalibus dense albo-pubescentibus, elytris subtiliter striato-punctatis, pone scutellum et supra humeros impressis, apicem versus vix attenuatis, dehiscentibus, obtuse mucronatis.

Cleonus id. Dom. KARELINI *in Litt.* teste Dom. GEBLER.

Patria : Sibiria occidentalis. A Dom. GEBLER amice donatus. Mus. SCHH.

Magnitudo, statura et summa similitudo *L. myagri*; ab illo colore indumenti, rostro basi tantum carinato, elytris pone scutellum evidenter impressis, fere unice distinctus. Caput parvum, breve, nigrum, crebre punctulatum, pube depressa, cinerea sat dense obsitum; oculi ovati, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum thorace brevius, validiusculum, parum arcuatum, nigrum, subtiliter crebre ruguloso-punctatum, basi obsolete carinatum, indumento capitis. Antennæ minus tenues, piceæ, basi ferrugineæ, cinereo-pubescentes. Thorax latitudine baseos nonnihil brevior, apice sub-truncatus, anterius angustior, coarctatus, lateribus parum rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, supra modice convexus, punctis majusculis variolosis minus crebre impressus, superficie reliqua concinne coriacea; ante scutellum leviter impressus, niger, pube cinerea parce adspersus, linea utrinque laterali sat lata distincta et duabus dorsalibus obsoletis albido-pubescentibus et pollinosis, decoratus. Scutellum parvum, immersum. Elytra basi sub-truncata, antice thorace nonnihil latiora et illo plus triplo

longiora; ultra medium perparum ampliata, tum apicem versus angustata, apice ipso dehiscentia, singulatim obtuse mucronata, supra modice convexa, pone scutellum late parum profunde et supra humeros leviter impressa, subtiliter striato-punctata, interstitiis planis, subtiliter anterius evidenter coriaceis; tota nigra, pube cinereo-albida dense obsita, versus latera magis condensata, dilutiori. Corpus subtus nigrum, pube cinereo-albida et pulvere flavescenti tectum, minus remote nigro-punctatum. Pedes mediocres, validi, nigri, pube cinereo-albida obsiti; femoribus parum clavatis, muticis; tibiis rectis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis.—BHN.

38. L. PEREGRINUS. *Schh.*

Oblongus, niger, pube cinerea et polline silaceo dense obsitus, rostro crassiusculo, modice arcuato, basi obsolete striolato-rugoso; thorace profunde crebre varioloso, dorso canaliculato, vitta laterali introrsum rotundato-ampliata, dense albido-pubescente, ornato; elytris pone scutellum et supra humeros impressis, profunde punctato-striatis, interstitiis sub-convexis, apice vix attenuatis, dehiscentibus, obtuse mucronatis.

Patria: . . . . A Dom. SAHLBERG ex Musæo Acad. Imp. Alexandrin. ad describendum communicatus.

Habitus et magnitudo *L. myagri*, sed aliter coloratus, elytris profundius punctato-striatis. Caput parvum, rotundatum, nigrum, concinne coriaceum, remote punctulatum, pube cinerea parce adspersum, inter oculos foveola obsoleta insculptum; oculi oblongi, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum thorace brevius, validiusculum, teres, modice arcuatum, nigrum, sub-nitidum, basi obsolete striolato-rugosum, apicem versus crebre subtiliter punctulatum, inter antennas canalicula abbreviata, tenui, impressum. Antennæ minus tenues, piceæ, basi ferrugineæ, cinereo-pubescentes, clava ovata, valde acuta. Thorax latitudine baseos nonnihil brevior, sub-conicus, apice late sed parum profunde emarginatus, lobis ocularibus parum productis, rotundatis; mox intra apicem leviter constrictus, tum versus basin sensim ampliatus, postice parum profunde bi-sinuatus, supra modice convexus, punctis majusculis, variolosis, sat crebre impressus, superficie interjacente crebre coriacea, dorso longitudinaliter tenue canaliculatus; niger, pube et polline flavescente adspersus; vitta utrinque laterali, introrsum rotundato-ampliata, dense albido-pubescente, ornatus.

Scutellum parvum, demersum. Elytra basi sub-truncata, antice thorace nonnihil latiora, et illo vix triplo longiora, humeris perparum prominulis, rotundatis, lateribus non ampliata, apicem versus angustata, apice ipso dehiscentia, singulatim obtuse mucronata, supra modice convexa, pone scutellum et supra humeros late sed parum profunde impressa; profunde punctato-striata, interstitiis sub-convexis, subtiliter concinne coriaceis; tota nigra, pube cinerea et polline flavescente dense obsita; interstitium septimum a sutura reliquis parcius pubescens. Corpus subtus nigrum, pube cinerea et polline flavescente dense obsitum. Pedes mediocres, validi, pube cinereo-albida vestiti; femoribus nigris, parum clavatis, muticis; tibiis tarsisque obscure ferrugineis.—BHN.

Species huc quoque referri posse opinor, mihi invisas.

39. L. OCTOLINEATUS.

Cylindricus, niger, elytris acuminatis, albo lineatis.

OLIV. *Ent.* V. 83. p. 241. n° 241. T. 8. f. 89.
FABR. *Syst. El.* II. p. 500. n° 10.
Curculio id. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 416. n° 98.
OLIV. *Enc. méth.* V. p. 491. n° 84.
HERBST. *Col.* VI. p. 60. n° 24. T. 63. f. 1.

Patria : Cap. Bonæ Spei.

40. L. LINEARIS.

Fuscus, linearis, rostro cylindrico thorace breviori.

OLIV. *Ent.* V. 83. p. 248. n° 251. T. 30. 461.

Patria : Græcia.

41. L. MIXTUS.

Cylindricus, albo-fuscoque nebulosus, elytris sub-acuminatis.

FABR. *Syst. El.* II. p. 501. n° 13.
OLIV. *Ent.* V. 83. p. 250. n° 255. T. 21. f. 285.
Curculio id. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 417. n° 101.
HERBST. *Col.* VI. p. 53. n° 14.

Patria : Barbaria.

42. L. Tricostalis.

Flavo-pulverulentus, elytris rugosis, acuminatis, thorace carinato.

Thunb. *in Acta Ups.* VII. p. 113.

Patria: Cap. Bonæ Spei.

Manipulus II. — Femora dentata.

* 43. L. Subulipennis. *Schh.*

Angustus, niger, flavescenti-farinosus, rostro obsolete carinato, thorace profunde remote varioloso, fovea thoracis elytrorumque communi ad basin impressa, elytris minus regulariter striato-punctatis, apice acute mucronatis, dehiscentibus, femoribus anticis acute dentatis.

Habitat in Podolia australi. A Dom. Com. Mannerheim amicissime donatus.

Statura angusta *L. paraplectici*, sed dimidio minor. Caput parvum, breve, nigrum, sat crebre punctulatum, parce flavescenti-pollinosum; oculi parvi, transversi, depressi, nigri; rostrum thorace paulo longius, porrectum, crassiusculum, modice arcuatum, nigrum, nitidum, subtiliter confertim punctulatum, a basi ultra medium, obsolete carinatum. Antennæ subtenues, rufo-ferrugineæ, clava oblongo-ovata, acuminata, obscuriore, pubescente. Thorax latitudine baseos longior, antice angustior, truncatus, lateribus perparum rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, supra modice convexus, niger, polline flavescenti, præsertim ad basin adspersus; punctis majusculis, profundis, remotis, variolosis, impressus, superficie reliqua confertim coriacea, fovea ante-scutellari, sat magna, oblonga, excavatus. Scutellum immersum. Elytra basi singulatim rotundato-producta, antice thoracis basi paulo latiora, sed illo quadruplo longiora, cylindrica, apice valde attenuata, dehiscentia, in spinam elongatam, acutam, rectam, reflexam, producta, supra modice convexa; nigra, pulvere flavescente tenuissime, ad basin et apicem densius adspersa; minus regulariter obsolete striatim punctata, fovea ad basin magna, communis, cum fovea thoracis conjuncta, excavata, atque a fossula utrinque humerali, minori, carina interjecta, distincta. Corpus subtus nigrum, tenue punctulatum, farina flavescenti adspersum. Pedes nigro-picei, pallido-pubescentes; anticis femoribus clavatis, subtus pone medium acute dentatis; tibiis parum arcuatis, medio nonnihil ampliatis; tarsis rufo-piceis, subtus fulvo-spongiosis.—Bhn.

* 44. L. Bambalio.

Femoribus omnibus acute dentatis, niger, flavo-pollinosus, thorace vage et profunde punctato, interstitiis punctatissimis, medio carinato, basi quadratim impresso, elytris striato-punctatis, basi bi-impressis, apice acuminatis.

Germ. *Ins. Spec.* I. p. 392. n° 535.

Patria : Brasilia.

* 45. L. Carinatus. *Klug.*

Oblongus, niger, parce flavo-pollinosus, rostro breviori, parum arcuato, thorace remote varioloso, dorso longitudinaliter late impresso, antice medio carinato, elytris striato-punctatis, pone scutellum et supra humeros impressis, apice parum acuminatis; femoribus anticis obtuse dentatis.

Habitat ad Rio de la Plata. A Dom. Com. Mannerheim amicissime donatus.

L. bambalioni proximus, sed dimidio minor, thorace aliter impresso, femoribus tantum anticis obtuse dentatis. Caput breve, rotundatum, nigrum, crebre subtiliter ruguloso-punctulatum, supra parce subtus dense flavescenti-pollinosum, inter oculos foveola oblonga, sat profunda, impressum; oculi juxta basin rostri, parvi, oblongi, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum thorace brevius, crassiusculum, cylindricum, nonnihil arcuatum, nigrum, sub-nitidum, vage punctulatum, tenuissime flavescenti-pollinosum, lineola inter antennas longitudinali, abbreviata, impressum. Antennæ validiusculæ, nigro-piceæ, clava oblongo-ovata, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine postica brevior, antice angustior, truncatus, posterius sensim ampliatus, basi bisinuatus, supra parum convexus, dorso longitudinaliter late impressus, antice medio carinatus, et medio lateris utriusque arcuatim impressus, subtiliter coriaceus, punctis majoribus, remotis, intersparsis; totus niger, polline flavescenti dorso parcius, ad latera densius adspersus. Scutellum vix ullum. Elytra oblonga, thoracis basi haud latiora, sed quadruplo longiora, sub-cylindrica, pone medium apicem versus angustata, apice ipso sub-mucronata, supra convexa, basi utrinque supra humerum et pone scutellum sat profunde impressa, regulariter sed minus profunde striato-punctata, interstitiis planis, subtilissime coriaceis; nigra, pube grisea et pulvere flavescente ad apicem densius adspersa. Corpus subtus

nigrum, subtilissime punctulatum, pube et farina flavescenti adspersum. Pedes robusti, nigri, punctulati; femoribus modice clavatis, anticis subtus obtuse dentatis; tibiis posterioribus rectis, anticis nonnihil arcuatis, intus in medio perparum ampliatis, unculo armatis; tarsis modice dilatatis, subtus fulvo-spongiosis.

Bhn.

* 46. L. Impressicollis. *Dejean.*

Oblongus, niger, polline flavo adspersus, fronte foveolata, rostro arcuato, remote punctato, thorace basi foveola profunda cordiformi impresso, lateribus rugosis, elytris minus regulariter parum profunde striato-punctatis, pone scutellum profunde supra humeros leviter impressis, apice acuminatis, femoribus anticis obsolete dentatis.

Habitat in Brasilia meridionali. A Dom. Schuppel communicatus. Mus. Schh.

L. bambalioni proximus, sed fere quadruplo minor. Caput minutum, rotundatum, nigrum, vertice subtiliter confertim punctulato; fronte inter oculos foveola sat profunda, impressa, remote profundius punctata; oculi oblongi, transversi, depressi, nigri; rostrum longitudine fere thoracis, crassum, arcuatum, nigrum, nitidum, basi remote profunde apicem versus subtiliter punctulatum, supra apice tenue canaliculatum. Antennæ longitudine thoracis, minus tenues, ferrugineæ, parce pilosæ, clava oblonga, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos brevior, apice truncatus, angustior, versus basin sensim ampliatus, basi leviter bisinuatus, supra parum convexus, dorso punctis minutis dense obtectus, majoribus intersparsis, ante scutellum foveola magna, cordiformi, impressus, lateribus rugosus, foveola dorsali in fundo lateribusque dense flavo-pollinosis. Scutellum nullum. Elytra antice thoracis basi vix latiora, humeris rotundatis, mox pone humeros nonnihil ampliata, dein posteriora versus sub-linearia, thorace quadruplo longiora, apicem versus angustata, apice ipso conjunctim acuminata, supra modice convexa, minus regulariter parum profunde striato-punctata, interstitiis subtiliter coriaceis, pone scutellum sat late et profunde, supra humeros leviter impressis; tota nigra, polline flavo hinc inde condensato adspersa. Corpus subtus nigrum, obsolete punctatum, pube et polline flavescenti parce adspersum. Pedes mediocres, validiusculi, nigri, griseo-pubescentes; femoribus modice clavatis, anticis subtus obsolete dentatis; tarsis subtus fulvo-spongiosis.—Bhn.

* 47. L. FARINOSUS.

Elongato-ovatus, niger, farina flavescenti adspersus, rostro valde arcuato, thorace distincte carinato, antice coarctato, transversim in medio profunde punctato, fovea thoracis elytrorumque communi ad basin impressa, elytris minus profunde punctato-striatis, apice subacuminatis, divergentibus, femoribus anticis dentatis.

L. farinosus. STURM. *Ins. Catal.* 1826. p. 163.

Habitat in Brasilia. Dom. STURM. Mus. SCHH.

Statura fere eadem ac *Cleoni*, et *L. cribricolli* magnitudine æqualis, sed paulo latior. Caput parvum, breve, nigrum, subtilissime confertim punctulatum, pulvere flavescenti parce adspersum; fronte inter oculos foveola parva impressa; oculi oblongi, transversi, nigri, depressi; rostrum longitudine thoracis, crassiusculum, teres, valde arcuatum, nigrum, nitidum, subtilissime punctulatum. Antennæ longe pone medium rostri insertæ, capite cum rostro longiores, subtenues, rufo-ferrugineæ, clava oblongo-ovata, acuminata, obscuriore, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos fere brevior, antice angustior, truncatus, coarctatus, lateribus perparum rotundato-ampliatus, basi profunde bi-sinuatus, marginatus; niger, polline flavescenti parce ad latera dense adspersus, modice convexus, longitudinaliter distincte carinatus, dorso in medio transversim punctis majusculis, parum profundis, impressus, rugisque pluribus in medio lateris utriusque transversim et flexuose elevatis, sulcus præterea profundior ad marginem anticum subtus et ad latera thoracem ambiens; fovea denique sat magna, lævis, ad basin excavata. Scutellum parvum, immersum. Elytra basi singulatim rotundato-producta, antice thoracis basi paulo latiora et illo quadruplo longiora, pone humeros nonnihil ampliata, apicem versus angustata, apice ipso dehiscentia; sub-mucronata, supra convexa, ante apicem gibbere obsoleto, notata, minus regulariter at subtiliter punctato-striata, interstitiis subtilissime coriaceis; fovea ad basin magna, communis, cum fovea thoracis conjuncta, excavata, atque a fossula utrinque minori, carinula interjecta, distincta; tota nigra, farina flavescente, hinc inde condensata, adspersa. Corpus subtus nigrum, nitidum, obsolete punctulatum pulvere flavescente, tenue adspersum. Pedes nigri, pubescentes; femoribus anticis subtus pone medium, acute dentatis. Tarsi subtus fulvo-spongiosi.—BHN.

* 48. L. IMPRESSUS. *Schh.*

Femoribus anticis obtuse dentatis, elongatus, niger, tenue flavescenti-pollinosus, fovea thoracis elytrorumque communi ad basin impressa, rugisque ad latera thoracis flexuosis elevatis.

SAHLB. *Spec. Ins.* I. p. 38. n° 25.
L. hirticaudis. GERM. *Ins. Spec.* I. p. 395. n° 536.
L. Brasiliensis. DEJEAN. *Catal. Col.* p. 97.

Patria : Brasilia.

* 49. L. LORATUS.

Femoribus anticis obtuse dentatis, niger, thorace basi profunde impresso, lateribus vitta flava, elytris striato-punctatis, apice mucronatis, vitta sub-marginali flava.

GERM. *Ins. Spec.* I. p. 393. n° 537.
L. lateralis. Dom. Com. DEJEAN *in Litteris,* testibus D. SCHUPPEL et CHEVROLAT.

Patria : Brasilia.

* 50. L. STUPOR. *Schh.*

Elongatus, niger, tenuissime flavescenti-pollinosus, fovea thoracis elytrorum communi ad basin impressa, thorace varioloso, lateribus dense flavescenti-pollinoso, non rugoso, elytris subtiliter striato-punctatis, apice attenuatis, rectis, sub-obtusis, femoribus anticis obtuse dentatis.

Patria : Brasilia. Dom. FREYREISS. Mus. SCHH.

Habitus et summa similitudo *L. impressi*, sed duplo fere minor, thorace confertim varioloso, ad latera non impresso, ab illo mox distinctus. Caput minutum, breve, nigrum, subtiliter punctulatum, parce flavescenti-pollinosum; fronte inter oculos foveola parva insculpta; oculi parvi, oblongi, transversi, depressi, nigri; rostrum thorace vix brevius, crassiusculum, teres, modice arcuatum, nigrum, sub-nitidum, punctulatum, inter antennas canalicula tenui, abbreviata, notatum. Antennæ subtenues, piceæ, clava oblongo-ovata, acuminata, obscuriore, pubescente. Thorax antice angustior, sub-truncatus, posterius sensim ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra parum convexus; niger polline flavescenti dorso parcius lateribus dense adspersus, punctis majusculis, variolosis, minus profunde crebre impressus, superficie interjacente subtiliter granulata vel coriacea, ante scutellum fovea sat magna, minus pro-

funda, punctata, excavatus. Scutellum immersum. Elytra basi singulatim nonnihil rotundato-producta, antice thoracis basi haud latiora, sed quadruplo longiora, cylindrica, apicem versus attenuata, apice sub-mucronata, supra modice convexa, subtiliter striatim punctata, interstitiis planis, coriaceis, basi transversim rugulosis; fovea ad basin magna, communis, a fovea thoracis regione scutellari elevata disjuncta, excavata, atque a fossula utrinque supra-humerali, carinula interjecta, distincta; nigra, pulvere flavescenti tenuissime ad apicem densius adspersa. Corpus subtus nigrum, punctatum, farina flavescenti obsitum. Pedes nigri, griseo-pubescentes; femoribus modice clavatis, anticis subtus pone medium obtuse dentatis; tibiis apice unculo armatis, anticis basi parum arcuatis, intus in medio nonnihil ampliatis; tarsis subtus fulvo-s ongiosis.—BHN.

* 51. L. PULVINATUS. *Chevrolat.*

Elongatus, sub-cylindricus, niger, farina flavescenti adspersus, fronte transversim impressa, rostro thorace nonnihil breviori, modice arcuato, thorace obsolete valde remote punctato, basi sat profunde impresso, elytris fovea basali et alia utrinque humerali obsoleta impressis, subtiliter punctato-striatis, apice obtuse acuminatis, femoribus anticis dentatis.

Habitat in Brasilia. A Dom. CHEVROLAT communicatus. Mus. SCHH.

L. turbato nonnihil longior et angustior. Caput parvum, breve, rotundatum, nigrum, obsoletissime punctulatum, inter oculos transversim impressum, pulvere flavescente adspersum; oculi laterales, oblongi, transversi, depressi, nigri; rostrum thorace nonnihil brevius, teres, crassiusculum, modice arcuatum, nigrum, obsolete punctulatum, inter antennas canalicula tenui, abbreviata, notatum. Antennæ subtenues, piceæ, parce pubescentes, clava oblongo-ovata, acuminata. Thorax latitudine baseos nonnihil longior, apice truncatus, a basi apicem versus sensim angustatus, basi bi-sinuatus, supra parum convexus, inæqualis, punctis valde remotis, obsoletis, impressus, foveola præterea sat profunda ad basin excavata; sulcus profundior, ad marginem anticum, subtus et ad latera thoracem ambiens; totus niger, farina læte flavescenti adspersus. Scutellum immersum. Elytra basi singulatim angulatim producta, antice thoracis basi vix latiora, quam lata quadruplo longiora, linearia, cylindrica, lateribus inflexa, apicem versus ci-

tius angustata, apice obtuse acuminata, parum dehiscentia, supra modice convexa; nigra, farina flavescenti, præsertim in dorso adspersa, obsolete punctato-striata, interstitiis planis, subtilissime coriaceis; fovea ad basin sat magna, parum profunda, communis, cum fovea thoracis conjuncta, atque a fossula utrinque humerali, minori, carinula interjecta, distincta. Corpus subtus nigrum, obsolete punctulatum, farina flavescenti obsitum. Pedes nigri, parce flavo-pollinosi, pubescentes; femora antica obtuse dentata; tibiæ unculo armatæ, anticæ basi parum arcuatæ, medio infuscatæ. Tarsi elongati, subtus fulvo-spongiosi.—BHN.

* 52. L. LONGULUS. *Dejean.*

Elongatus, niger, polline flavescenti parce adpersus, rostro tenui, modice arcuato, supra a basi ultra medium sulcato, thorace conico, subtiliter confertim varioloso, basi leviter lateribus utrinque oblique, obsolete impresso, elytris sat profunde confertim punctato-striatis, basi bi-impressis, apice acuminatis, femoribus anticis obtuse dentatis.

Mas: minor, rostro longitudine fere thoracis parum arcuato.

Femina: dimidio major, rostro longitudine capitis cum thorace magis arcuato.

Habitat in Brasilia meridionali. A Dom. SCHUPPEL missus. Mus. SCHH.

L. venustulo statura subsimilis, sed dimidio major. Caput elongatum, nigrum, crebre subtiliter punctulatum, pube et pulvere flavescenti parce adspersum; oculi oblongi, transversi, depressi, nigri; rostrum maris thorace nonnihil brevius, perparum arcuatum, feminæ longitudine capitis cum thorace, tenue, arcuatum, teres, confertim punctulatum, a basi ultra medium obsolete parum profunde sulcatum, nigrum, parce pubescens. Antennæ minus tenues, rufo-ferrugineæ, clava magna, oblongo-ovata, acuminata, atra, albido-pubescente. Thorax sub-conicus, latitudine baseos vix longior, apice truncatus, pone apicem versus basin sensim ampliatus, postice leviter bi-sinuatus, angulis baseos retrorsum nonnihil productis, supra parum convexus, subtiliter confertim variolosus, ante scutellum leviter ad latera magis versus basin oblique obsolete impressus, niger, parce flavescenti-pollinosus et pubescens. Scutellum immersum. Elytra elongata, basi singulatim perparum rotundato-producta, antice thoracis basi non angustiora, linearia, thorace fere quadruplo longiora, apicem versus angustata, apice

ipso acuminata, supra modice convexa, regulariter confertim punctato-striata, interstitiis angustis, subtilissime coriaceis, pone scutellum fovea magna, communis, obsoleta, a fossula utrinque suprahumerali, carinula interjecta, distincta; tota nigra, polline flavescenti parce versus apicem sat dense adspersa. Corpus subtus nigrum, obsolete punctulatum, tenue flavo-pollinosum. Pedes breves, tenues, nigro-picei, parce pubescentes; femoribus modice clavatis, anticis subtus dente obtuso, armatis; tarsis ferrugineis, subtus fulvo-spongiosis.—BHN.

STIRPS 2. Elytra apice mutica, aut singulatim aut conjunctim rotundata.

Manipulus I. — Femora mutica.

♂♀ 53. L. SPECTABILIS. *Klug.*

Oblongus, niger, parce sulphureo-farinosus, thorace remote tuberculato, dorso antico obsolete carinato, lateribus dense sulphureo-farinoso, elytris subtiliter punctato-striatis, tuberculatis, plaga sub-triangulari pone humeros macula dorsali apiceque late dense sulphureo-squamosis, corpore subtus pedibusque nigro punctatis.

Patria : Cap. Bonæ Spei. A Dom. GERMAR et SCHUPPEL communicatus. Mus. GHL. et SCHH.

Species pulchra. Maximus hujus generis lineas II longus. Caput breve, crassum, nigrum, confertim rugoso-punctulatum, pulvere flavescente adspersum; fronte sulco longitudinali obsoleto, impressa; oculi oblongo-ovati, transversi, nigri, depressi; rostrum thorace nonnihil brevius, crassiusculum, teres, modice arcuatum, nigrum, rugoso-punctatum, basi transversim leviter impressum, indumento simili ac in capite. Antennæ minus tenues, nigræ, flavescenti-pubescentes, et farinosæ, clava oblongo-ovata, acuminata. Thorax latitudine baseos longior, apice sub-bisinuatus, anterius angustior, sub-coarctatus, lateribus perparum rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, supra modice convexus, in dorso remote ad basin et lateribus densius tuberculatus, superficie reliqua confertim rugulosa, ante scutellum foveola parva, oblonga impressus, et in dorso antico longitudinaliter obsoletissime carinatus; niger, lateribus sulphureo-farinosus, in medio flavedine introrsum rotundato-ampliata, tuberculis laterum nigris, denudatis. Scutellum minutum, triangulare. Elytra oblonga, basi

singulatim perparum rotundato-producta, antice thoracis basi paulo latiora, et illo quadruplo longiora, sub linearia, apice conjunctim obtuse rotundata, supra convexa, parum profunde punctato-striata, interstitiis rugulosis, ad basin remote tuberculatis, supra humeros et in angulo scutellari leviter impressa, ante apicem callo vel gibbere obtuso notata; nigra, pone humeros plaga triangulari, in medio dorsi macula parva, sub-oblonga apiceque late dense sulphureo-pollinosis et pubescentibus. Corpus subtus nigrum, dense sulphureo-pubescens et farinosum, nigro-punctatum. Pedes nigri, sulphureo-pubescentes, tuberculis parvis, nigris, denudatis minus confertim obsiti; femoribus muticis; tarsis dilatatis, subtus fulvo-spongiosis.—BHN.

* 54. L. LIVIDUS.

Oblongus, niger, squamulis cinereo-albidis variegatus, rostro crassiusculo, remote punctato, thorace sub-conico, antice constricto, dorso lateribusque remote nigro tuberculato, elytris subtiliter punctato-striatis, undique nigro tuberculatis et cicatricosis, femoribus muticis.—BHN.

OLIV. *Ent.* V. 83. p. 254. n° 261. T. 5. f. 59. et T. 18. f. 59. b.

Curculio id. FABR. *Syst. El.* II. p. 532. n° 151. — *Ent. Syst.* I. II. p. 475. n° 343. — *Mant.* I. p. 543. n° 325. — *Spec. Ins.* I. p. 191. n° 175.

HERBST. *Col.* VI. p. 108. n° 70. T. 67. f. 1.

OLIV. *Enc. méth.* V. p. 543. n° 325.

LINN. *Syst. nat.* Ed. GMEL. I. IV. p. 1780. n° 341.

ILLIG. *Mag.* IV. p. 158. n° 151.

BROWN. *Illust.* p. 128. T. 49. f. 8.?

Curculio ignavus. HERBST. *Col.* VII. p. 8. n° 569. T. 96. f. 2.

Curculio histrionicus. SPARRM. *in Acta Holm.* 1785. I. p. 48. T. 2. f. 17.

FABR. *Syst. El.* II. p. 533. n° 154.?—*Ent. Syst.* I. II. p. 476. n° 346.? —*Mant.* I. p. 118. n° 233.?—*Spec. Ins.* I. p. 192. n° 177.?—*Gen. Ins. Mant.* p. 227. n° 125-6.?

VILL. *Ent.* V. p. 544. n° 328.?

Patria: Cap. Bonæ Spei.

* 55. L. FIMBRIOLATUS. *Sturm.*

Elongatus, niger, sub-nitidus, pube cinereo-albida parce adspersus, antennis piceis; rostro longitudine capitis cum thorace, crassiusculo, modice arcuato, subtiliter punctato, thorace a basi ultra medium triangulariter antice utrinque transversim impresso, subtiliter remote varioloso elytris minus profunde punctato-striatis, pone scutellum leviter impressis.

Habitat in Mexico. A Dom. STURM benevole communicatus. Mus. SCHH.

Statura et similitudo *L. angustati*, sed fere duplo major. Caput breve, nigrum, pube cinereo-albida tenue adspersum; vertice transversim subtiliter ruguloso, fronte minus crebre disperse punctata, inter oculos puncto profundo insculpta; oculi juxta basin rostri, parvi, ovati, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum longitudine capitis cum thorace, crassiusculum, teres, modice arcuatum, apicem versus nonnihil ampliatum, nigrum, nitidum, minus crebre punctulatum, pube cinerea tenuissime adspersum, lineola infra antennas longitudinali, abbreviata, impressum. Antennæ piceæ, parce pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, atra, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos brevior, antice angustior, truncatus, ultra medium sensim dilatatus, basi bi-sinuatus, supra parum convexus; niger, punctis parvis variolosis, parcius impressus, superficie reliqua subtiliter coriacea, a basi ultra medium sat profunde triangulariter impressus, antice utrinque sulculo transverso insculptus; totus pube cinerea, ad latera magis condensata, adspersus. Scutellum minutum, triangulare, nigrum, immersum. Elytra thoracis basi vix latiora, sed illo fere quadruplo longiora, cylindrica, humeris vix prominulis, apice obtuse rotundata, supra convexa, nigra, sub-nitida, minus profunde punctato-striata, punctis hinc inde versus suturam confluentibus, interstitiis confertim subtiliter coriaceis, pube cinereo-albida parce versus latera densius adspersa; fovea ad basin minus profunda communis, fossulaque utrinque supra-humerali, minori, exarata. Corpus subtus nigrum, sub-nitidum, obsolete punctulatum, pube cinereo-albida, sat dense adspersum. Pedes longiusculi, validi, nigri, griseo-pilosi; femoribus muticis, modice clavatis, anticis validioribus; tibiis subrectis, apice uncolo armatis; anticis basi parum arcuatis, medio incrassatis; tarsis dilatatis, piceis, subtus fulvo-spongiosis.—BHN.

♂♀ 56. L. ANGUSTATUS.

Elongatus, niger, sub-nitidus, pube cinerea tenuissime adspersus, antennis fusco-ferrugineis, fronte foveolata, rostro thorace longiori, modice arcuato, punctato, punctis remotis, magnis, impresso, thorace sub-conico, rude rugoso, basi obsolete impresso, elytris evidenter striato-punctatis, supra humeros sat profunde, pone scutellum leviter impressis.—BHN.

FABR. *Syst. El.* II. p. 502. n° 20.
OLIV. *Ent.* V. 83. p. 238. n° 237. T. 16. f. 200.
STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 158. n° 4.?
Curculio id. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 418. n° 106.—*Mant.* I. p. 104. n° 83. — *Spec. Ins.* I. p. 172. n° 66. — *Syst ent.* p. 135. n° 46.
HERBST. *Col.* VI. p. 44. n° 2. T. 62. f. 2. — *Arch.* V. p. 71. n° 18. T. 24. f. 7.
OLIV. *Enc. méth.* V. p. 493. n° 92.
PANZ. *Faun. Germ.* XLII. 12. — *Ent. Germ.* p. 308. n° 55.
MARSH. *Ent. Brit.* p. 273. n° 107.
VILL. *Ent.* I. p. 189. n° 56. et IV. p. 269. n° 56.
GERM. *It. in Dalm. et Rag.* p. 230. n° 261.
LINN. *Syst. nat.* Ed. GMEL. I. IV. p. 1751. n° 151.
MART. *Engl. Ent.* T. 20. f. 43.
SCHÆFF. *Icon.* Tat. 79. f. 1.
HARRER. *Beschr.* n° 291.
♂♀ VAR. β. Pulvere flavescenti undique adpersus.
ILLIG. *Mag.* IV. p. 150. n° 8.
Curculio pulverulentus. ROSSI. *Faun. Etr.* I. p. 111. n° 283. — Ed. HELLW. I. p. 117. n° 283.
SCOP. *Ent. Carn.* p. 25. n° 75.
VILL. *Ent.* I. p. 216. n° 193. et IV. p. 284. n° 193.
SCHRANK. *Enum. Ins.* p. 103. n° 196.
LINN. *Syst. nat.* Ed. GMEL. T. IV. p. 1757. n° 193.
Curculio pulvereus. OLIV. *Enc. méth.* V. p. 564. n° 16.
Curculio algirus. LINN. *Syst. nat.* I. II. p. 611. n° 37.
OLIV. *Enc. méth.* V. p. 494. n° 99.
VILL. *Ent.* I. p. 184. n° 32.
PETAGNA. *Ins. Calabr.* p. 14. n° 69.
L. ferrugatus. FABR. *Syst. El.* II. p. 500. n° 8. Teste Dom. CHEVROLAT.
GERM. *in N. Wetter. Annal.* I. I. p. 133. n° 4.
DEJEAN. *Catal. Col.* p. 97.

Curculio id. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 416. n° 96.
HERBST. *Col.* VI. p. 52. n° 13.
PANZ. *Ent. Germ.* p. 308. n° 51.

♀ VAR. γ. Niger, sub-nitidus, elytrorum margine laterali fere toto rufo-testaceo. — E Sicilia. Dom. LEFEBVRE.

Patria: Europa intermedia et meridionalis, Barbaria, Persia.

57. L. CYLINDROIDES (1).

Rostro longiore, femoribus inermibus; corpore elongato, tomento pulverulento flavo undique adsperso; elytris punctato-striatis, apice obtusiusculis.—SPARRM.

Curculio id. SPARRM. *in Acta Holm.* 1785. I. p. 41. n° 1. T. 2. f. 1.
HERBST. *Col.* VI. p. 57. n° 20. T. 62. f. 13.
OLIV. *Enc. méth.* V. p. 562. n° 7.
LINN. *Syst. nat.* Ed. GMEL. I. IV. p. 1753. n° 161.

Patria: Cap. Bonæ Spei.

♂♀ 58. L. CRIBRICOLLIS. *Dejean.*

Oblongus, niger, pube cinerea, pulvere fulvescenti adspersus, antennis tarsisque fusco-ferrugineis, rostro longitudine thoracis, confertim punctato, basi striolato-rugoso, thorace latiore, profunde minus crebre varioloso, elytris evidenter striato-punctatis, supra humeros et pone scutellum leviter impressis, femoribus anticis obsolete dentatis.

L. ferrugatus. OLIV. *Ent.* V. 83. p. 245. n° 247. T. 7. f. 79. a. b. (Secundum ejus Musæum, teste Dom. CHEVROLAT.)
L. acetosellæ. Dom. CHEVROLAT *in Litteris.*

Habitat in *rumice acetosa* Galliæ, præsertim circa Parisios. Dom. CHEVROLAT; in Sicilia. Dom. LEFEBVRE. Mus. SCHH.

Statura *L. bardanæ*, sed duplo major. Caput minutum, rotundatum, nigrum, sub-nitidum, confertim ruguloso-punctatum, pube cinerea, pulvere fulvescenti, adspersum; oculi oblongi, transversi, depressi, nigri; orbita oculorum in illæsis flavescenti-villosa; rostrum in mare longitudine thoracis, in femina nonnihil longius, crassiusculum, teres, parum arcuatum, nigrum, crebre punctatum, basi striolato-rugosum, pube cinerea, pulvere flavescente, adspersum, apicem versus denudatum. Antennæ subtenues, fusco-ferrugineæ. Thorax latitudine baseos vix longior, sub-conicus, apice truncatus, a basi apicem versus sensim angustatus, basi bi-sinuatus,

(1) Mihi invisus.

supra parum convexus, punctis majusculis, variolosis, parcius impressus, superficie reliqua confertim subtilissime coriacea, niger, pube depressa, cinerea, pulvere fulvescente, adspersus. Scutellum minutum, immersum. Elytra basi singulatim perparum rotundato-producta, antice thoracis basi vix latiora, quam lata quadruplo longiora, sub-linearia, apice obtuse rotundata, supra convexa, regulariter striatim punctata, punctis majusculis, distantibus, interstitiis subtiliter coriaceis, utrinque supra humeros et pone scutellum leviter impressa; nigra, pube cinerea, pulvere fulvescente plus minusve, adspersa. Corpus subtus nigrum, remote punctulatum, pube cinerea obsitum. Pedes nigri, pubescentes; femoribus modice clavatis, anticis nonnihil incrassatis, subtus dente obtuso, obsoleto, armatis; tarsis elongatis subtus fulvo-spongiosis.—Bhn.

* 59. L. Punctiventris. *Steven.*

Elongatus, niger, sub-nitidus, pube cinereo-albida sat dense adspersus, antennis tarsisque ferrugineis, rostro longitudine thoracis, crassiusculo, modice arcuato, confertim rugoso-punctato, thorace oblongo, lateribus subrecto, profunde varioloso, elytris subtiliter striato-punctatis, basi obsolete impressis, apice obtuse rotundatis, dehiscentibus, corpore subtus punctis denudatis, nigris, nitidis, decorato.

Habitat in Caucaso. A Dom. Steven amicissime donatus.

Magnitudo et statura *L. cribricollis*, ab illo elytris apice nonnihil dehiscentibus, femoribus omnino muticis, mox distinctus. Caput, breve, nigrum, sub-nitidum, sat profunde, minus crebre punctatum, superficie reliqua subtiliter coriacea, pube depressa, cinereo-albida, tenue adspersum; oculi laterales, oblongi, transversi, nigri, haud prominuli; rostrum longitudine thoracis, crassiusculum, teres, parum arcuatum, nigrum, nitidum, sat crebre ruguloso-punctatum. Antennæ minus crassæ, rufo-ferrugineæ, clava oblongo-ovata, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos nonnihil longior, antice paulo angustior, truncatus, lobulo pone oculos producto, mox pone apicem dilatatus, lateribus tum fere rectis, basi bi-sinuatus, supra convexus; niger, punctis majusculis variolosis, sat dense impressus, superficie interjacente subtiliter granulata vel coriacea, pube brevissima, cinereo-albida, tenuissime adspersus. Scutellum minutum, triangulare, nigrum, immersum. Elytra thoracis basi vix latiora, illoque plus triplo

longiora, cylindrica, sub-linearia, humeris vix elevatis, apicem versus angustata, apice ipso obtuse rotundata, nonnihil dehiscentia, supra convexa, nigra, sub-nitida, subtiliter striato-punctata, interstitiis subtilissime coriaceis, basi circa scutellum obsolete impressa; tota pube cinereo-albida, sat dense adspersa. Corpus subtus nigrum, pube cinereo-albida dense vestitum, punctis remotis, impressis, nigris, nitidis, denudatis, variegatum. Pedes mediocres, mutici, nigri, pube albida obsiti; femoribus parum clavatis; tibiis teretibus, subrectis, apice intus uncinatis; tarsis modice dilatatis, ferrugineis, subtus fulvo-spongiosis.—BHN.

* 60. L. VULNERATUS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, pulvere flavescenti pubeque cinerea adspersus, rostro crassiusculo, parum arcuato, thorace confertim subtiliter ruguloso, dorso longitudinaliter late impresso, utrinque cinereo lineato, elytris obsolete striato-punctatis, apice obtusis, abdomine quadrifariam nigro punctato.—BHN.

Cleonus id. BOHEM. in hujus Operis II. pars I. p. 201. Gen. 115. 44.

Patria: Sierra Leona Africæ.

* 61. L. TENUICOLLIS. *Klug.*

Elongatus, niger, pube cinerea adspersus, rostro crassiusculo, modice arcuato, thorace conico, elongato, subtiliter varioloso, dorso tenue carinato, lateribus obsoletius varioloso, in medio impresso, elytris striato-punctatis, pube cinerea plagiatim variegatis, pone scutellum profunde supra humeros leviter impressis.

Habitat ad. Cap. Bonæ Spei. Dom. SCHUPPEL benigne communicavit. Mus. SCHH.

Magnitudo *L. angustati.* Caput breve, convexum, nigrum, subtiliter sat crebre ruguloso-punctatum, pube cinerea æqualiter adspersum, inter oculos foveola parva insculptum; oculi laterales, oblongi, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum thorace multo brevius, crassiusculum, teres, modice arcuatum, nigrum, basi evidenter crebre apicem versus subtilius punctulatum, pube cinerea adspersum. Antennæ minus tenues, obscure ferrugineæ, pubescentes, clava elongata, dense cinereo-pubescente. Thorax sub-conicus, latitudine baseos longior, apice late sed parum profunde emarginatus, lobis ocularibus modice productis; postice sat profunde bi-sinuatus, a basi apicem versus sensim angustatus, supra modice convexus, dorso evidenter etsi subtiliter lateribus

obsolete varioloso-punctatus, superficie reliqua subtiliter coriacea; longitudinaliter tenue carinatus et in lobo ante-scutellari obsolete impressus; lateribus in medio foveola sat magna, parum profunda, impressis; totus niger, pube cinerea undique parce adspersus. Scutellum immersum, vix observandum. Elytra basi singulatim nonnihil rotundato-producta, antice thorace paulo latiora et illo vix triplo longiora, humeris parum prominulis, rotundatis; linearia, cylindrica, apicem versus angustata, apice ipso conjunctim rotundata, supra convexa, striato-punctata, interstitiis planis, subtilissime coriaceis; tota nigra, sub-nitida, pube cinerea parce hinc inde plagiatim condensata adspersa, pone scutellum profunde lateque supra humeros leviter impressa. Corpus subtus nigrum, subtilissime crebre punctulatum, pube cinerea sat dense obsitum. Pedes validi, nigri, pube cinerea adspersi; femoribus modice clavatis, muticis; tibiis rectis, apice uncinatis; tarsis modice dilatatis, subtus fulvo-spongiosis.—BHN.

62. L. COSTALIS. *Schh.*

Elongatus, piceus, pube cinerea adspersus, rostro crassiusculo, magis arcuato, thorace conico angustiore, dorso ruguloso, evidenter carinato, lateribus transversim impresso, elytris subtiliter punctato-striatis, interstitiis alternis elevatioribus, sub-costatis, pone scutellum profunde, supra humeros leviter impressis.

Patria : Caffraria. A Dom. ECKLON et ZEYHER ad describendum benevole communicatus.

Magnitudo et fere statura *L. tenuicollis*, ab illo rostro magis arcuato, thorace angustiore, elytrorum interstitiis alternis elevatioribus, sub-costatis, abunde distinctus. Caput breve, convexum, nigrum, subtiliter crebre ruguloso-punctatum, pube cinerea adspersum, inter oculos foveola parva, rotunda, sat profunda, impressum; oculi laterales, oblongi, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum thorace brevius, teres, crassiusculum, arcuatum, a basi ad medium evidenter crebre dein apicem versus subtiliter punctulatum; totum nigrum, pube cinerea adspersum. Antennæ minus tenues, piceæ, clava elongata, valde acuta, dense cinereo-pubescente. Thorax sub-conicus, latitudine baseos longior, apice late sed parum profunde emarginatus, lobis ocularibus productis, acutis; postice sat profunde bi-sinuatus, a basi apicem versus sensim angustatus, supra modice convexus, dorso rugulosus, longitudinaliter evidenter carinatus, lateribus subtiliter remote punc-

tulatis, medio transversim, impressis; totus piceus, pube cinerea adspersus. Scutellum immersum, vix observandum. Elytra basi singulatim nonnihil rotundato producta, antice thorace paulo latiora et illo vix triplo longiora, humeris parum prominulis, rotundatis; fere linearia, cylindrica, apicem versus angustata, apice ipso conjunctim rotundata, supra convexa, subtiliter punctato-striata, sutura interstitiisque alternis elevatioribus, sub-costatis, subtilissime coriaceis; pone scutellum profunde lateque supra humeros leviter impressa; tota obscure ferruginea, sub-nitida, pube cinerea undique parce adspersa. Corpus subtus nigro-piceum, subtilissime creberrime punctulatum, pube cinerea parce adspersum; segmentorum ventralium marginibus anoque dilutius ferrugineis. Pedes validi, obscure ferruginei, pube cinerea obsiti; femoribus modice clavatis, muticis; tibiis rectis, apice uncinatis; tarsis dilatatis, subtus fulvo-spongiosis.—BHN.

63. L. NUBILOSUS. *Schh.*

Oblongus, rufo-castaneus, pube cinerea variegatus, capite rostroque nigro-piceis, rostro brevi, recto, basi carinato, rugoso, thorace coriaceo, remote punctato, basi canaliculato, utrinque transversim impresso, elytris punctato-striatis, cinereo-nebulosis.

Habitat in Senegalia. Mus. Dom. CHEVROLAT.

L. bardanæ paulo longior, sed fere duplo latior. Caput breve, rotundatum, nigrum, subtiliter punctulatum, pube cinerea adspersum; frons deflexa, puncto parvo, inter oculos impressa; oculi laterales, sat magni, oblongi, transversi; haud prominuli, nigri; rostrum breve, capite dimidio longius, crassum, subrectum, teres, nigrum, basi distincte carinatum, striolato-rugosum, ad apicem subtiliter punctulatum, lineola inter antennas longitudinali, abbreviata, impressum, pube cinerea tenue adspersum. Antennæ, minus tenues, rufo-ferrugineæ, albido-pubescentes. Thorax latitudine longior, apice sinuato-emarginatus, anterius paulo augustior, posterius nonnihil ampliatus, basi bi-sinuatus, tenue elevato-marginatus, supra convexus, rufo-castaneus, subtiliter coriaceus, remote minus profunde vage punctatus, sulculo longitudinali versus basin canaliculatus, in medio lateris utriusque foveola parum profunda, transversim impressus, dorso parcius, ad latera densius cinereo-pubescens. Scutellum nullum. Elytra thoracis basi haud latiora, quam lata vix triplo longiora, cylindrica, apicem versus citius angustata, apice ipso conjunctim obtuse ro-

tundata, supra convexa, rufo-castanea, sub-nitida, punctato-striata, foveola pone angulos scutellares obsolete impressa; squamulis piliformibus, minutissimis, cinereis, hinc inde magis condensatis, variegata. Corpus subtus nigro-piceum, sub-nitidum, pube grisea sat dense vestitum. Pedes longiusculi, rufo-ferruginei, cinereo-pubescentes; femoribus modice clavatis, muticis; tibiis rectis, apice unculo brevi, armatis; tarsis dilatatis, subtus fulvo-spongiosis.

BHN.

* 64. L. HÆRENS. *Schh.*

Oblongus, niger, pube cinerea et silacea variegatus, rostro brevi, sub-recto, subtiliter crebre punctulato, thorace latiore, profunde varioloso, utrinque leviter impresso, punctis quinque transversim positis, nigris, nitidis, decorato, elytris antice striato-punctatis, posterius subtiliter punctato-striatis, cinereo et silaceo-nebulosis, fascia media transversa, denudata, decoratis.

Habitat ad Cap. Bonæ Spei. Dom. SCHUPPEL. Mus. SCHH.; in Caffraria. Dom. ECKLON et ZEYHER.

L. nubiloso magnitudine et statura similis, rostro non carinato, thorace latiore profundius varioloso, ut et colore, ab illo bene distinctus. Caput breve, latum, confertim subtiliter punctulatum, nigrum, parce cinereo pubescens, posterius convexum; fronte plana, foveola parva, parum profunda, impressa; oculi perpendiculares, ovati, nigri, modice convexi; rostrum breve, capite vix dimidio longius, crassiusculum, teres, parum arcuatum, confertim punctulatum, nigrum, cinereo-tomentosum. Antennæ breves, minus tenues, piceæ, cinereo-pubescentes, clava elongata, valde acuta. Thorax latitudine baseos vix brevior, anterius multo angustior, longe intra apicem arcuatim constrictus, antice late sinuato-emarginatus, lobis ocularibus parum productis, rotundatis; basi bi-sinuatus, supra convexus, punctis profundis sat crebris impressus, superficie reliqua subtiliter coriacea; in medio lateris utriusque foveola parum profunda, transversim locata, impressus; niger, sub-nitidus, pube cinerea versus latera densiore ibique pulvere silaceo mixto adspersus; in medio punctis parvis quinque transversim positis, nigris, nitidis, denudatis, ornatus. Scutellum demersum, vix observandum. Elytra elongata, antice singulatim nonnihil rotundata, thoracis basi arcte applicata, ibique illo paulo latiora, linearia, sub-cylindrica, apice ipso singulatim rotundata, thorace triplo longiora, supra convexa, intra apicem abrupte impressa et versus apicem callo obsoleto instructa; cæterum anterius

sat rude striato-punctata, posterius subtiliter punctato-striata, interstitiis planis, sub-lævibus; nigra, sub-nitida, tomento cinereo pulvereque silaceo plagiatim variegata, mox pone medium fascia undulata, transversa, communi, denudata, decorata. Corpus subtus nigrum, dense cinereo-tomentosum et silaceo vel dilute cinnabarino-pollinosum; abdomine trifariam nigro punctato. Pedes validi, nigri, subtiliter punctulati, cinereo-tomentosi; femoribus modice clavatis, muticis; tibiis subrectis, apice uncinatis; tarsis dilatatis, subtus bruneo-spongiosis.—BHN.

65. L. SUBFASCIATUS. *Schh.*

Elongatus, ferrugineus, pube cinerea adspersus, capite, rostro abdominisque basi nigro-piceis, rostro recto, basi carinato, rugoso, thorace latiore, lateribus ampliato, apice constricto, supra tenue canaliculato, subtiliter punctulato; elytris punctato-striatis, interstitiis anterius sub-convexis, transversim rugosis; singulo basi fasciaque pone medium obliqua, nigris, denudatis, ornato.

Patria: Caffraria. A Dom. ECKLON et ZEYHER, ad describendum, amice communicatus.

Longitudo *L. nubilosi*, sed dimidio angustior, thorace latiore, apice tantum constricto, lateribus non impresso, interstitiis elytrorum anterius sub-convexis, ut et colore, ab illo abunde distinctus. Caput breve, latum, confertim ruguloso-punctulatum, nigro-piceum, parce cinereo-pubescens, posterius convexum; fronte plana, puncto parvo, profundo, impressa; oculi perpendiculares, ovati, nigri, haud prominuli; rostrum breve, capite vix dimidio longius, crassiusculum, sub-cylindricum, rectum, basi obsolete carinatum, confertim striolato-rugosum, apicem versus subtiliter punctulatum, nigro-piceum, parce cinereo-tomentosum. Antennæ breves, minus tenues, nigro-piceæ, clava oblonga, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos vix brevior, a basi apicem versus vix angustatus, mox intra apicem constrictus, antice late sed parum profunde emarginatus, lobis ocularibus vix productis, basi bi-sinuatus, supra convexus, sat crebre subtiliter punctulatus, superficie reliqua subtiliter coriacea, dorso obsoletissime canaliculatus; ferrugineus, sub-nitidus, tomento cinereo æqualiter adspersus. Scutellum demersum, vix observandum. Elytra elongata, antice singulatim rotundata, thoracis basi arcte applicata, ibique illo vix latiora, humeris rotundatis, lateribus parum ampliata, apice singulatim rotundata, thorace triplo longiora, supra convexa, intra

basin vix impressa; anterius evidenter, posterius subtiliter punctato-striata, insterstitiis a basi ultra medium sub-convexis, transversim rugulosis; ferruginea, sub-nitida, pube cinerea undique adspersa: singulo margine basali angusto, pone medium fascia obliqua nec suturam nec marginem lateralem attingente, nigris, denudatis. Corpus subtus ferrugineum, subtiliter crebre punctulatum, pube cinerea adspersum; segmentis duobus basalibus abdominis nigro-piceis. Pedes validi, ferruginei, punctulati, cinereo-tomentosi; femoribus parum clavatis, muticis; tibiis rectis, apice uncinatis; tarsis modice dilatatis, subtus brunneo-spongiosis.—Bhn.

♂♀ 66. L. Foveolatus. *Schh.*

Elongatus, niger, sub-nitidus, pulvere flavescente tenue adspersus, antennis rufo-ferrugineis, rostro longo, arcuato, thorace latiori, rugoso-punctato, obsolete canaliculato, basi bi-sinuato, elytris punctato-striatis, obsolete oblique cinereo-fasciatis, supra humeros profunde, pone scutellum leviter impressis.

L. conicus. Dom. de Haan *in Litteris.*

Habitat in Insula Java. Mus. Mannerheim et Schh.

Facies et summa similitudo *L. auriculati* et *binoduli*, sed nonnihil major, thorace latiori, profundius rugoso-punctato, utrinque non impresso, rostro multo longiori, etc., facile distinctus. Caput parvum, breve, nigrum, obsolete crebre punctulatum, pulvere flavescenti tenuissime adspersum; oculi oblongi, transversi, nigri, haud prominentes; rostrum longitudine thoracis cum capite, crassiusculum, teres, modice arcuatum, nigrum subtiliter confertim punctulatum. Antennæ subtenues, rufo-ferrugineæ, clava oblongo-ovata, acuminata, nigra, pubescente. Thorax latitudine baseos multo longior, apice sub-truncatus, anterius angustior, coarctatus, lateribus nonnihil rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, supra modice convexus, confertim et sat rude rugoso-punctatus, sulco longitudinali, parum profundo, impressus, niger, pulvere flavescente tenuissime adspersus, versus latera magis condensato. Scutellum immersum. Elytra elongato-ovata, basi singulatim perparum rotundato-producta, antice thoracis basi vix latiora, pone basin nonnihil ampliata, apicem versus angustata, thorace triplo longiora, apice ipso singulatim obtuse rotundata, supra modice convexa, confertim punctato-striata, interstitiis angustis, subtilissime coriaceis, pone scutellum obsolete, supra humeros profunde impressa, ante apicem callo vel gibbere obtuso notata; nigra, sub-nitida,

pulvere flavescenti tenuissime adspersa, fascia angusta ante medium, versus apicem alia, in medio dorsi tertia communis, hæ omnes oblique locatæ, dense cinereo-pubescentes. Corpus subtus nigrum, subtilissime punctulatum, parce flavescenti-pollinosum. Pedes longiusculi, mutici, nigri, cinereo-pubescentes; tarsis elongatis, piceis, subtus fulvo-spongiosis.—BHN.

♂♀ 67. L. AURICULATUS. *Schh.*

Elongatus, niger, sub-nitidus, antennis tarsisque rufescentibus, rostro longiori, tenuiori, thorace elongato, evidenter ruguloso, canaliculato, utrinque impresso, bi-tuberculato, basi leviter bi-sinuato, elytris punctato-striatis, pone medium ampliatis, obsolete cinereo-fasciatis.—BHN.

SAHLB. *Spec. Ins.* I. p. 40. n° 26.

Patria : Java, Cap. Bonæ Spei.

♂♀ 68. L. BINODULUS. *Illiger.*

Elongatus, niger, sub-nitidus, antennis rufo-piceis, rostro breviori, crassiori, thorace elongato, angustiore, ruguloso, canaliculato, utrinque impresso, vix tuberculato, basi sub-truncato, cinereo lineato, elytris punctato-striatis, pone medium ampliatis, oblique cinereo-fasciatis.

L. albolineatus. Dom. Com. DEJEAN *in Litteris.*

L. conicus. STURM. *Ins. Catal.* 1826. p. 163.

L. pica. OLIV. *Ent.* V. 83. p. 248. n° 252. T. 30. f. 445. (Secundum Dom. CHEVROLAT.) FAB. *Syst. El.* II. p. 502. n° 21.?

Curculio pica. FABR. *Ent. Syst.* Suppl. p. 167. n° 106-7 ?

Habitat in Insula Java. Dom. MELLERBORG. Mus. SCHH.

Statura et summa similitudo *L. auriculati*, nonnihil tamen major; rostro multo breviori, crassiori, thorace longiori et angustiori, basi sub-truncato, obsolete tuberculato ut et signaturis elytrorum aliis. Caput minutum, breve, nigrum, confertim punctulatum, foveola inter oculos parva, impressa; oculi oblongi, transversi, depressi, nigri; rostrum thorace multo brevius, crassum, subrectum, nigrum, basi striolato-rugosum, ad apicem subtiliter punctulatum, lineola inter antennas longitudinali, abbreviata, impressa. Antennæ subtenues, rufo-piceæ, clava oblongo-ovata, acuminata, nigra, pubescente. Thorax latitudine multo longior, quam in *L. auriculato* angustior, sub-cylindricus, antice paulo

angustior, truncatus, posterius sensim perparum ampliatus, basi sub-truncatus, supra modice convexus, subtiliter confertim ruguloso-punctatus, sulco longitudinali versus apicem evanescente impressus, in medio lateris utriusque tuberculo obsoletissimo, armatus, atque pone hoc foveola transversali parum profunda exaratus, niger, vitta angusta, laterali, obliqua, tenue cinereo-pubescente. Scutellum immersum. Elytra basi sub-truncata, antice thorace paulo latiora, illique arcte applicata, pone humeros longe ultra medium sensim nonnihil ampliata, dein apicem versus citius angustata, thorace vix triplo longiora, apice conjunctim obtuse rotundata, supra modice convexa, punctato-striata, interstitiis subtilissime coriaceis, foveolæ pone angulos scutellares et supra humeros obsoletæ impressæ, ante apicem callo vel gibbere obtuso, notata; nigra, sub-nitida, fascia angusta ante medium, versus apicem alia, in medio dorsi tertia, communis, omnes obliquæ, dense cinereo-pubescentes. Corpus subtus nigrum, obsolete punctulatum, pube grisea parce adspersum. Pedes longiusculi, mutici, nigri, griseo-pubescentes; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis.

BHN.

* 69. L. IRRORATUS. *Schh.*

Elongatus, niger, pulvere flavescenti adpersus, antennis, tibiis tarsisque rufo-ferrugineis, rostro brevi, crassiusculo, thorace varioloso, utrinque obsolete impresso, elytris punctato-striatis, cinereo maculatis, supra humeros obsolete impressis, apice singulatim obtuse rotundatis.

Habitat ad Angeri in Java. Mus. SCHH.

L. bardanæ vix longior, sed dimidio fere latior. Caput minutum, breve, nigrum, subtilissime punctulatum, pube grisea et pulvere flavescenti adspersum; oculi oblongi, transversi, depressi, nigri; rostrum thorace multo brevius, crassiusculum, subrectum, nigrum, subtilissime punctulatum, pube depressa, cinerea, tectum. Antennæ subtenues, rufo-ferrugineæ, cinereo-pubescentes. Thorax latitudine baseos longior, sub-conicus, apice truncatus, pone apicem coarctatus, basi bi-sinuatus, supra parum convexus, foveolis majusculis variolæ-formibus, minus confertim impressus, superficie interjacente subtiliter coriacea, utrinque in medio obsolete transversim impressus; niger, pube grisea et pulvere flavescenti adspersus, versus latera magis condensatis. Scutellum minutum, immersum. Elytra basi singulatim perparum rotundato-producta, antice thoracis basi vix latiora, sed illo triplo longiora, ad humeros

nonnihil ampliata, sub-linearia, apice ipso singulatim obtuse rotundata, supra modice convexa, minus regulariter punctato-striata, interstitiis angustis subtiliter coriaceis, pone scutellum et supra humeros leviter impressa, ante apicem gibbere obsoleto, notata; tota nigra, sub-nitida, pulvere flavescenti, præsertim pone scutellum, adspersa, maculisque plurimis magnis e pube densa cinereo-albida, variegata. Corpus subtus nigrum, pube flavescenti dense tectum; abdomine nigro maculato. Pedes mediocres, validiusculi, mutici, griseo-pubescentes; femoribus nigris, tibiis tarsisque rufo-ferrugineis.

Observ.—*L. truncatulo* Fabr. valde similis et affinis, sed duplo major; impressiones laterales thoracis obsoletiores; elytra antice minus rotundato-producta, nec intra basin tam late transversim impressa; rostrum etiam paulo longius. An ideo *L. truncatuli* femina?

BHN.

* 70. L. TRUNCATULUS.

Sub-cylindricus, niger, subtus dense, supra plagiatim cinereo-tomentosus, antennis, tibiis tarsisque obscure ferrugineis; thorace subconico, disperse punctato, striga laterali transversa utrinque impresso; elytris remote punctato-sub-striatis, basi transversim late impressis; rostro brevi, crasso, apice sub-truncato.

FAB. *Syst. El.* II. p. 532. n° 23.
Curculio id. FABR. *Ent. Syst.* Suppl. p. 168. n° 107-8.

Patria: India orientalis. Ex Musæo Dom. J. LUND, Hafniæ, sub hoc nomine communicatus. Mus. SCHH.

Parvus; *L. seniculo* minor, angustior. Caput breve, latum, disperse punctatum, nigrum, fronte plana; oculi ovati, nigri, parum prominuli; rostrum capite dimidio longius, crassum, fere rectum, basi disperse punctatum, extrorsum læve, nigrum, sub-nitidum, apice obtusum. Antennæ obscure ferrugineæ, cinereo-pubescentes. Thorax latitudine baseos paulo longior, anterius angustior, subconicus; apice leviter emarginatus; lateribus obliquis, fere rectis; basi profunde bi-sinuatus, supra convexus, disperse punctatus, in medio laterali utrinque striga brevi transversa impressus, niger, in dorso parce, lateribus et subtus dense cinereo-tomentosus. Scutellum parvum, immersum, nigrum. Elytra antice singulatim rotundato-producta, pone basin, oblique nonnihil ampliata, dein lateribus linearia, apice etiam singulatim obtuse rotundata, thorace triplo longiora, supra convexa, sat profunde, remote seriatim

punctata, juxta suturam et versus apicem sub-striata, intra basin transversim late et profunde, pone callum posticum obsoletius impressa, nigra, in disco parce, versus latera et apicem densius plagiatim cinereo-tomentosa. Corpus subtus obsolete punctatum, nigrum, tomento denso, depresso, cinereo, vestitum. Pedes longiusculi, validi, dense cinereo-tomentosi; femoribus muticis, nigris, tibiis tarsisque obscure ferrugineis.—Ghl.

* 71. L. Æthiops.

Elongatus, niger, sub-nitidus, pube tenui cinerea adspersus, antennis tarsisque rufescentibus, rostro brevi, crassiusculo, thorace angusto, ruguloso, dorso canaliculato, utrinque impresso, lævi, obsolete bi-tuberculato, basi truncato, elytris cylindricis, striato-punctatis, apice punctato-striatis.

Curculio id. Herbst. *Col.* VI. p. 48. nº 7. T. 62. f. 7.

Patria: Surinam. A Dom. Schuppel missus. Mus. Schh.

Affinis certe *L. auriculati* et *binoduli*, sed triplo minor, rostro brevi, elytris angustis, cylindricis, pube cinerea æqualiter adspersis, ab illis distinctus. Caput mediocre, rotundatum, nigrum, subtiliter crebre punctulatum, pube grisea adspersum; fronte inter oculos canalicula abbreviata insculpta; oculi oblongo-ovati, transversi, nigri, haud prominuli; rostrum capite vix duplo longius, crassiusculum, subrectum, nigrum, subtiliter punctulatum, parce griseo-pubescens. Antennæ tenues, rufo-ferrugineæ, clava oblongo-ovata, acuminata, fusca, cinereo-pubescente. Thorax latitudine plus duplo longior, antice paulo angustior, truncatus, posterius sensim ampliatus, basi sub-truncatus, supra convexus, subtiliter punctato-rugosus, sulculo longitudinali versus basin profundiori excavatus, in medio lateris utriusque tuberculo minuto armatus, atque pone hoc impressus; sub-lævis, totus niger, parce griseo-pubescens. Scutellum nullum. Elytra elongata, antice thoracis basi paulo latiora, illoque vix triplo longiora, cylindrica, a basi apicem versus linearia, tum angustata, apice ipso rotundata, supra modice convexa, nigra, sub-nitida, pube cinerea undique parce adspersa, a basi longe ultra medium striato-punctata, apicem versus punctato-striata; foveola pone angulos scutellares obsolete impressa, ante apicem callo obtuso instructa. Corpus subtus nigrum, sub-nitidum, subtiliter punctulatum, parce griseo-pubescens. Pedes mediocres, mutici, nigri, griseo-pilosi; tarsis rufescentibus, subtus griseo-spongiosis.—Bhn.

* 72. L. PULVISCULOSUS. *Schh.*

Oblongus, niger, pube cinerea adspersus, pulvere silaceo variegatus, rostro brevi, recto, fulvo-tomentoso, thorace sub-conico, minus crebre punctulato, basi carinato, utrinque obsolete impresso, elytris striato-punctatis, pone scutellum et supra humeros leviter impressis.

Patria: Ægyptus. A Dom. LEFEBVRE benevole communicatus. Mus. SCHH.

Magnitudo *L. filiformis* minoris. Caput breve, latum, convexum, nigrum, subtiliter punctulatum, fulvo-tomentosum et pollinosum; oculi perpendiculares, ovati, haud prominuli, nigri; rostrum capite paulo longius, crassiusculum, sub cylindricum, rectum, confertim subtiliter punctulatum, nigrum, fulvo-tomentosum et pollinosum, apice denudatum. Antennæ breves, crassiusculæ, nigræ, cinereo-pubescentes, clava elongata, valde acuta. Thorax latitudine baseos vix brevior, sub-conicus, a basi apicem versus sensim angustatus, antice late sinuato-emarginatus, lobis ocularibus parum productis; basi bi-sinuatus, supra convexus, sat crebre sed parum profunde punctatus, superficie reliqua subtiliter coriacea; a basi ultra medium obsolete carinatus, lateribus in medio leviter impressus; niger, pube cinerea æqualiter parce adspersus, pulvere silaceo ante scutellum et versus latera plagiatim variegatus. Scutellum demersum, vix observandum. Elytra elongata, antice singulatim rotundata, thoracis basi arcte applicata, ibique illo nonnihil latiora, lateribus parum ampliata, apice ipso singulatim rotundata, thorace fere triplo longiora, supra convexa, pone scutellum et supra humeros obsolete impressa, subtiliter striato-punctata, interstitiis planis, vix coriaceis; nigra, sub-nitida, tomento cinereo pulvereque silaceo et brunneo plagiatim variegata. Corpus subtus nigrum, subtilissime confertim punctulatum, pube cinerea sat dense obsitum; abdomine trifariam nigro punctato. Pedes validi, nigri, punctulati, cinereo-tomentosi; femoribus parum clavatis, muticis; tibiis rectis, apice uncinatis; tarsis dilatatis, subtus fulvo-spongiosis.—BHN.

* 73. L. CONCAVUS.

Oblongus, niger, pube grisea et polline flavescente dense adspersus, rostro breviore, modice arcuato, punctulato, thorace medio longitudinaliter profunde lateribusque obsolete impresso, remote varioloso, elytris subtiliter striato-punctatis apice parum attenuatis, sub-obtusis, pone scutellum profunde, supra humeros leviter impressis, femoribus muticis.

SAY. *Descript. of Curcul. of N. Amer.* p. 14.

Patria: Indiana Americæ borealis. A Dom. SAY communicatus. Mus. SCHH.

Affinis certe *L. lorati*, sed nonnihil brevior; thorace aliter impresso, elytris apice minus attenuatis, ut et femoribus muticis, ab illo mox distinctus. Caput parvum, rotundatum, nigrum, subtiliter crebre punctulatum, squamulis griseis pulvere flavescenti adspersum; fronte inter oculos foveola parva insculpta; oculi parvi, sub-ovati, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum longitudine thoracis, teres, crassiusculum, modice arcuatum, nigrum, subtiliter confertim punctulatum, pulvere flavescenti adspersum. Antennæ breves, subtenues, nigræ, basi rufescentes, parce pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos brevior, sub-conicus, apice truncatus, basi leviter bi-sinuatus, a basi apicem versus angustatus, punctis majusculis variolosis, minus profundis, remote impressus, superficie reliqua subtilissime coriacea, dorso late et longitudinaliter concavus, lateribus utrinque fovea parva oblonga, obsoleta, impressus; totus niger, griseo-squamulosus, pulvere flavescenti adspersus. Scutellum parvum, immersum. Elytra basi singulatim nonnihil rotundato-producta, thorace vix latiora, sed illo triplo longiora, cylindrica, apicem versus angustata, apice ipso sub-obtusa, vix acuminata, supra modice convexa, regulariter at subtiliter striato-punctata, interstitiis sub-lævibus, basi pone scutellum profunde lateque supra humeros leviter impressa; tota nigra, squamulis griseis et polline flavescenti sat dense adspersa. Corpus subtus nigrum, subtiliter punctulatum, griseo-squamulosum et flavescenti-pollinosum. Pedes nigri, griseo-pubescentes; femoribus modice clavatis, muticis; tibiis teretibus, apice intus unco horizontali armatis, anticis sinuatis; tarsis dilatatis, subtus fulvo-spongiosis.—BHN.

* 74. L. CYLINDRACEUS. *Schh.*

Elongatus, niger, antennis ferrugineis, rostro subtenui, valde arcuato, basi carinato, thorace subtiliter confertim rugoso-punctato, lateribus sulphureo-pollinoso, elytris punctato-striatis, griseo-pubescentibus et sulphureo-pollinosis, pone scutellum et supra humeros leviter impressis, apice sub-acuminatis.

L. filiformis. Dom. NORDEMAN. teste Dom. Com. MANNERHEIM.

Patria: Cap. Bonæ Spei. A Dom. Com. MANNERHEIM communicatus. Mus. SCHH.

Affinis certe *L. teretiusculi*, sed nonnihil minor, præsertim an-

gustior, rostro valde arcuato, elytris apice sub-acuminatis, ab illo mox distinctus. Caput elongatum, supra modice convexum, nigrum, sub-nitidum, subtiliter confertim rugoso-punctulatum, infra oculos sulphureo-squamosum; oculi laterales, transversi, oblongo-ovati, nigri, haud prominentes; rostrum longitudine thoracis, minus crassum, teres, valde arcuatum, basi obsolete carinatum, nigrum, subtiliter confertim rugulosum. Antennæ minus tenues, rufo-ferrugineæ, parce pilosæ, clava oblonga, acuminata, obscuriori. Thorax antice angustior, truncatus, posterius sensim ampliatus, latitudine baseos longior, postice bi-sinuatus, lobo scutellari acute retrorsum producto, supra convexus subtiliter confertim ruguloso-punctatus; niger, subtus et ad latera farina sat densa, sulphurea, tectus. Scutellum vix conspicuum, immersum. Elytra elongata, thoracis basi paulo latiora, eoque quadruplo longiora, cylindrica, apice attenuata, singulatim acuminata, supra convexa, humeris parum prominulis, pone scutellum et supra humeros leviter impressa, punctato-striata, interstitiis planis; nigra, margine basali ferrugineo, pube depressa grisea obsita, farina flavo-virescenti maculatim adspersa. Corpus subtus nigrum, subtilissime confertim punctulatum, pube grisea parce adspersum, tenue sulphureo-pollinosum. Pedes mediocres, obscure ferruginei, griseo-pubescentes; femoribus parum clavatis, muticis; tibiis rectis, teretibus, apice intus uncinatis; tarsis parum dilatatis, subtus fulvo-spongiosis.

BHN.

* 75. L. ADSPERSUS. *Klug.*

Angustus, niger, pulvere albido adspersus, antennis fusco-ferrugineis, capite angusto, rostro tenui, arcuato, basi carinato, thorace sub-conico, fusco tri-vittato, elytris subtiliter punctato-striatis, pone scutellum et supra humeros impressis, apice attenuatis, plagiatim albo variegatis.

Mas: minor, rostro breviore, minus arcuato.

Femina: dimidio major, rostro longiore, magis arcuato.

Habitat ad Cap. Bonæ Spei. A Dom. SCHUPPEL et DUPONT missus. Mus. SCHH.; in Caffraria. Dom. ECKLON et ZEYHER.

Statura et summa similitudo *L. gracilis,* sed dimidio major, aliter coloratus, rostro basi carinato. Caput elongatum, crassum, nigrum, confertim rugoso-punctatum, subtus vittaque utrinque supra-oculari, dense flavescenti-pubescens, notatum; oculi oblongi, transversi, parum prominuli, nigri; rostrum in mare longitudine thoracis,

in femina longius, subtenue, teres, modice arcuatum, nigrum, confertim rugoso-punctatum, dorso ultra medium carinatum, parce pubescens. Antennæ subtenues, rufo-ferrugineæ, pallido-pubescentes, clava oblongo-ovata, valde acuminata. Thorax subconicus, latitudine baseos multo longior, apice truncatus, antice leviter coarctatus, lateribus vix rotundatus, basi bi-sinuatus, angulis baseos retrorsum productis, supra parum convexus, crebre subtiliter rugoso-punctatus, pube et pulvere albido dense tectus, vittis tribus fuscis notatus, una dorsali et duabus lateralibus. Scutellum minutum, demersum. Elytra basi singulatim perparum rotundato-producta, antice thoracis basi vix latiora, sed illo quadruplo longiora, linearia, humeris rotundatis, apicem versus angustata, apice ipso attenuata, supra modice convexa, regulariter minus profunde punctato-striata, interstitiis confertissime coriaceis, pone scutellum fovea magna, communis, obsoleta, a fossula utrinque supra-humerali, minore, carinula interjecta, distincta; nigra, pube et polline albido, maculatim variegata. Corpus subtus nigrum, punctulatum, dense sordide cretaceo-pubescens et farinosum. Pedes tenues, nigri, pube albida obsiti; femoribus parum clavatis, muticis; tibiis interdum fusco-piceis; tarsis elongatis, obscure ferrugineis, subtus fulvo-spongiosis. — Bhn.

76. L. Alboguttatus. *Schh.*

Angustus, niger, pube cinerea tenuissime adspersus, antennis obscure ferrugineis, rostro minus crasso, parum arcuato, thorace subconico, subtiliter ruguloso-punctato, vitta utrinque dorsali lateribusque niveo-tomentosis, ornato, elytris subtiliter striato-punctatis, basi vix impressis, singulo guttulis circiter duodecim niveo tomentosis decorato.

Patria: Cap. Bonæ Spei. Ex Musæo Acad. Imp. Alexandrin. a Dom. Sahlberg ad describendum benevole communicatus.

Longitudo *L. adspersi* ♂, sed nonnihil latior. Caput breve, latum, nigrum, opacum, supra parum convexum, subtiliter confertim ruguloso-punctatum, pube cinerea parce adspersum; fronte plana, obsolete impressa; oculi perpendiculares, ovati, modice prominuli, nigri; rostrum capite vix dimidio longius, crassiusculum, teres, arcuatum, subtiliter crebre ruguloso-punctatum, nigrum, opacum. Antennæ subtenues, obscure ferrugineæ, cinereo-pubescentes, clava elongata, valde acuta. Thorax latitudine baseos vix longior, anterius nonnihil angustior, intra apicem leviter constrictus, antice late sed parum profunde emarginatus, lobis ocularibus vix productis;

lateribus perparum ampliatus, basi bi-sinuatus, supra convexus, subtiliter ruguloso-punctatus vel coriaceus, utrinque in medio obsolete impressus; niger, parce cinereo-tomentosus, vitta utrinque anterius angustata dorsali lateribusque dense niveo-pubescentibus. Scutellum demersum, vix observandum. Elytra elongata, antice singulatim rotundata, thoracis basi arcte applicata, ibique illo nonnihil latiora, lateribus apicem versus parum ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace vix triplo longiora, supra convexa, pone scutellum et supra humeros obsolete impressa, subtiliter striato-punctata, interstitiis planis, subtilissime coriaceis; nigra, sub-opaca, tenuissime cinereo-tomentosa; singulo elytro guttulis circiter duodecim sine ordine locatis, dense niveo-pubescentibus, decorato. Corpus subtus nigrum, confertim subtilissime punctulatum, dense cinereo-tomentosum. Pedes validi, nigri, pube cinerea obsiti; femoribus parum clavatis, muticis; tibiis rectis, apice uncinatis; tarsis elongatis, subtus griseo-spongiosis.

BHN.

* 77. L. GRACILIS. *Klug.*

Angustus, niger, pulvere flavescenti adspersus, antennis pedibusque rufo-ferrugineis, capite angusto, rostro tenui, arcuato, thorace subconico, subtiliter rugoso, flavescenti bi-lineato, elytris subtiliter punctato-striatis, pone scutellum et supra humeros impressis, apice attenuatis, flavescenti maculatis.

Habitat ad Cap. Bonæ Spei. Dom. SCHUPPEL. Mus. GYLLENH. et SCHH.

Valde gracilis, linearis; *L. bardanæ* dimidio longior et multo angustior. Caput elongatum, crassum, nigrum, subtiliter confertim punctulatum, pube flavescenti dense adspersum; oculi oblongi, transversi, haud prominentes, nigri; rostrum vix longitudine thoracis, minus crassum, teres, arcuatum, nigrum, confertim punctulatum, parce pubescens. Antennæ subtenues, rufo-testaceæ, pallido-pubescentes. Thorax latitudine baseos multo longior, subconicus, apice truncatus, et pone apicem sensim ampliatus, basi bi-sinuatus, angulis baseos retrorsum productis, supra parum convexus, confertim subtiliter rugoso-punctatus; niger, lateribus et vittis duabus dorsalibus, dense flavo-pubescentibus. Scutellum minutum, immersum. Elytra basi singulatim rotundato-producta, antice thoracis basi vix latiora, sed illo quadruplo longiora, linearia, apicem versus angustata, apice ipso attenuata, supra modice convexa, regulariter subtiliter crebre punctato-striata, interstitiis confertis-

sime coriaceis et transversim rugulosis, pone scutellum fovea magna communis, obsoleta, a fossula utrinque supra-humerali minori, carinula interjecta, distincta, impressa; nigra, pube et polline flavescenti hinc inde maculatim condensatis, adspersa. Corpus subtus nigrum, obsolete punctulatum, pube et pulvere flavescenti, dense obductum. Pedes tenues, rufo-ferruginei, mutici, dense flavescenti-pubescentes, antici validiores. Tarsi elongati, subtus fulvo-spongiosi.—BHN.

78. L. CIRCUMCINCTUS. *Schh.*

Oblongus, niger, pube olivacea adspersus, rostro crassiusculo, rude rugoso, obsolete carinato, thorace granulato, basi obsolete canaliculato, lateribus niveo vittato, elytris subtiliter punctato-striatis, interstitiis granulatis, linea marginali niveo-squamosa ornatis.

Habitat in Persia. Mus. FALDERMANN.

L. impresso longitudine æqualis, sed dimidio latior. Caput mediocre, crassum, rotundatum, nigrum, subtiliter punctulatum, cum punctis majoribus interjectis; pube pallida præsertim ad oculos adspersum; fronte impressa, rugosa; oculi oblongo-ovati, transversi, nigri, haud prominentes; rostrum capite duplo longius, deflexum, crassum, teres, dorso remote minus profunde, lateribus rude rugoso-punctatum, a basi ultra medium obsolete carinatum, lineola inter antennas longitudinali, abbreviata, impressum; totum nigrum, pube pallida parce adspersum. Antennæ crassiusculæ, nigræ, clava elongata, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos vix brevior, antice angustior, truncatus, posterius sensim ampliatus, basi bi-sinuatus, lobo scutellari acute retrorsum producto, supra parum convexus, a basi ultra medium obsolete sulcatus, minus crebre granulatus, superficie reliqua subtiliter coriaceus; totus niger, pube olivacea adspersus, versus latera utrinque vitta sat lata, recta, dense albido-pubescens. Scutellum nullum. Elytra oblonga, antice thoracis basi paulo latiora, humeris rotundatis, mox pone humeros nonnihil ampliata, lateribus linearia, thorace quadruplo longiora, apicem versus sensim angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra modice convexa, subtiliter punctato-striata, interstitiis planis, subtiliter coriaceis, ad basin evidenter et crebrius tum obsolete remote granulatis; nigra, pube brevissima olivacea sat dense adspersa, linea angusta, simplici, intra-marginali, dense niveo-pubescente, decorata. Corpus subtus nigrum, pube densa dilute miniata tectum; pectore sat crebre, ventre remote profunde, nigro punctatis. Pedes

robusti, nigri, albido-pubescentes; femoribus modice clavatis, muticis; tarsis subtus fulvo-spongiosis.—BHN.

79. L. PRÆPOTENS. *Say.*

Oblongus, niger, pube cinereo-albida vestitus, rostro breviori, crasso, nonnihil arcuato, carinato, thorace conico, varioloso, atro tri-lineato, basi impresso, antice carinato, elytris subtiliter striato-punctatis, striis per paria sub-approximatis, singulo vitta dorsali denudata.

Habitat in Civitatibus Fœderatis Americæ borealis. Mus. Dom. SAY.

Habitus et statura *L. spartii*, sed plus dimidio major. Caput breve, crassum, rotundatum, nigrum, pube squamulisque griseis dense tectum; oculi oblongi, transversi, sub-depressi, nigri; rostrum thorace multo brevius, capite nonnihil angustius, crassum, parum arcuatum, apice perparum ampliatum, rugoso-punctatum, nigrum, supra fere planum, longitudinaliter carinatum, pube grisea dense vestitum. Antennæ minus tenues, nigræ, parce griseo-pilosæ, clava oblongo-ovata, cinereo-pubescente. Thorax conicus, latitudine baseos multo longior, antice truncatus, postice bi-sinuatus, a basi apicem versus sensim angustatus, supra parum convexus; niger, punctis parum profundis variolosis impressus, superficie reliqua subtiliter confertim coriacea, ante scutellum impressus, dorso antico longitudinaliter carinatus, squamulis piliformibus cinereo-albidis dense tectus, linea angusta dorsali aliaque versus latera latiori, denudatis, nigris, insignitus. Scutellum nullum. Elytra basi singulatim nonnihil producta, antice thorace paulo latiora, illoque triplo longiora, humeris rotundatis, pone humeros ultra medium sensim perparum ampliata, tum angustata, apice ipso conjunctim sub-rotundata, supra convexa, subtiliter striato-punctata, interstitiis planis, obsoletissime coriaceis, alternis paulo angustioribus, unde striæ per paria magis approximatæ; tota nigra, squamulis piliformibus cinereo-albidis vestita; in singulo elytro vitta lata, dorsali, denudata, nigra, nitida. Corpus subtus nigrum, punctatum, dense griseo-pubescens. Pedes validi, nigri, cinereo-squamulosi et pubescentes; femoribus modice clavatis, muticis; tarsis dilatatis, subtus fulvo-spongiosis.—BHN.

* 80. L. Lycophoeus. *Schh.*

Oblongus, niger, cinereo-albido-pubescens, rostro validiusculo, modice arcuato, basi obsolete carinato, thorace remote varioloso, lateribus cinereo-pubescente, elytris basi obsolete bi-impressis, striato-punctatis, linea laterali albido-pubescente, notatis, apice vix attenuatis, sub-obtusis.

Habitat in Caucaso. Dom Steven. Mus. Schh.

L. spartii paulo longior et dimidio latior. Caput parvum, breve, nigrum, subtilissime confertim coriaceum; fronte rugoso-punctata, foveola parva, parum profunda, impressa; oculi oblongi, transversi, nigri, haud prominuli; rostrum thorace paulo brevius, validum, teres, modice arcuatum, nigrum, basi obsolete carinatum, subtiliter striolato-rugosum, lineola inter antennas longitudinali, abbreviata, impressa. Antennæ subtenues, piceæ, clava oblongo-ovata, acuminata, obscuriore, pubescente. Thorax latitudine baseos fere brevior, antice angustior, truncatus, coarctatus, lateribus perparum rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, marginatus, supra modice convexus; niger, punctis majusculis, variolosis, parcius impressus, superficie reliqua confertim subtiliter coriacea, ante scutellum leviter impressus, lateribus pube densa cinerea tectus. Scutellum parvum, immersum. Elytra oblonga, basi singulatim sub-truncata, antice thoracis basi paulo latiora, et illo quadruplo longiora, apicem versus angustata, apice ipso sub-obtusa; supra modice convexa, regulariter sed parum profunde striatim punctata, punctis distantibus; interstitiis planis, subtilissime coriaceis; supra humeros et in angulo scutellari leviter impressa; nigra, pube cinerea dense adspersa, linea laterali sat lata, e pube densiori, albidiori, ornata. Corpus subtus nigrum, dense griseo-pubescens. Pedes mediocres, nigri, mutici, cinereo-pubescentes, antici validiores; tarsis elongatis, subtus fusco-spongiosis.

Bhn.

* 81. L. Spartii.

Oblongus, niger, pube cinerea adspersus, fronte foveolata, rostro brevi, crassiusculo, apice sulcato, thorace sub-conico, granulato, niveo quadri-lineato, elytris subtiliter striato-punctatis, interstitiis remote granulatis, linea utrinque laterali nivea ornatis, apice dehiscentibus, vix mucronatis.— Bhn.

Oliv. *Ent.* V. 83. p. 251. n° 256. T. 21. f. 284.

L. scoparii. DEJ. *Catal. Col.* p. 97. teste Dom. CHEVROLAT.

Patria: Lusitania, *in spartio spinoso* Galliæ meridionalis. Dom. CHEVROLAT.

82. L. PISTRINARIUS. *Schh.*

Oblongus, niger, pube depressa albida parcius obsitus, rostro crasso, modice arcuato, obsoletissime carinato, thorace latiore, lateribus modice rotundato, minus profunde varioloso, vittis quatuor dense albido-pubescentibus decorato, elytris subtiliter striato-punctatis, apice obtuse rotundatis, nonnihil dehiscentibus.

Habitat ad litus orientale maris Caspii. A Dom. BARTELS communicatus. Mus. SCHH.

L. spartii proximus, sed dimidio minor, præsertim brevior; rostro tenuiori, thorace latiori, etc., ab illo facile distinctus. Caput breve, sub-rotundatum, nigrum, subtilissime punctulatum, pube depressa, albida, minus dense obsitum; oculi juxta basin rostri, parvi, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum capite dimidio longius, sub-horizontale, crassiusculum, teres, modice arcuatum, nigrum, subtiliter crebre punctulatum, longitudinaliter obsoletissime carinatum, supra sat dense ad latera et subtus vix abido-pubescens. Antennæ medio rostri insertæ, validiusculæ, nigræ, parce albido-pubescentes, clava oblonga, acuminata. Thorax antice angustior, truncatus, mox pone apicem rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, supra convexus, niger, pube albida parce adspersus, vittis tamen quatuor, duabus in dorso et alia utrinque laterali dense albido-pubescentibus, ornatus; minus crebre parum profunde varioloso-punctatus, superficie interjacente evidenter coriacea. Scutellum parvum, immersum. Elytra oblonga, thorace haud latiora, sed illo triplo longiora, cylindrica, utrumque ad angulum scutellarem rotundata, humeris vix prominulis, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, nonnihil dehiscentia, supra modice convexa, basi pone scutellum et supra humeros leviter impressa; tota nigra, subtiliter striato-punctata, interstitiis planis, subtilissime coriaceis, pube depressa, albida in dorso parce versus latera dense adspersa. Corpus subtus nigrum, subtiliter punctatum, dense albido-pubescens, punctis denudatis, atris, sat crebre irroratum. Pedes mediocres, validiusculi, mutici, nigri, subtiliter crebre punctulati, pube albida sat dense vestiti; tibiis subrectis, apice uncinatis; tarsis obscure piceis, subtus cinereo-spongiosis. — BHN.

* 83. L. VARICOLOR. *Dahl.*

Oblongus, niger, pube et pulvere aurantiaco tectus, thorace angustiore, conico, ruguloso, utrinque albido vittato, elytris minus profunde striato-punctatis, macula parva, humerali, albida notatis, basi transversim leviter impressis, apice rotundatis, vix mucronatis.

Habitat in Toscana. A Dom. STURM communicatus. Mus. SCHH.

L. cribricolli magnitudine æqualis. Caput minutum, elongatum, nigrum, subtilissime punctulatum, pulvere aurantiaco tectum; vertice denudato; oculi oblongi, transversi, parum prominuli, nigri; rostrum longitudine fere thoracis cum capite, teres, validum, parum arcuatum, obsolete punctulatum, pulvere aurantiaco tectum. Antennæ subtenues, pallide pilosæ. Thorax conicus, apice truncatus, a basi apicem versus angustatus, latitudine baseos longior, basi bi-sinuatus, supra modice convexus, niger, sat rude rugulosus, pulvere aurantiaco tectus, vitta utrinque sat lata, albido-farinosa et pubescente, notatus. Scutellum minutum, immersum. Elytra basi singulatim perparum rotundato-producta, antice thoracis basi vix latiora, mox pone basin transversim leviter impressa et nonnihil ampliata, tum apicem versus linearia, thorace quadruplo longiora, apice obtuse rotundata, vix dehiscentia, minime mucronata, supra modice convexa, subtiliter striatim punctata; nigra, dorso pulvere flavescenti versus latera aurantiaco dense tecta, ad humeros macula parva albida notata. Corpus subtus nigrum, obsolete punctulatum, pulvere flavescenti dense obsitum. Pedes nigri, griseo-pubescentes, flavo-pollinosi; femoribus parum clavatis, muticis; tarsis elongatis, fusco-ferrugineis, subtus fulvo-spongiosis.—BHN.

* 84. L. JUNCII. *Dahl.*

Elongatus, niger, parce flavescenti-farinosus, fronte foveolata, thorace sub-conico, confertim parum profunde punctulato, ante scutellum leviter impresso, lateribus albido-squamoso, elytris subtilissime striato-punctatis, basi obsolete bis impressis, linea utrinque laterali, albida, ornatis, apice sub-attenuatis.

Patria: Sardinia. A Dom. STURM benevole missus. Mus. SCHH.

Longitudo *L. cribricollis*, sed dimidio angustior. Caput parvum, breve, nigrum, subtiliter confertim punctulatum, pube cinerea adspersum, inter oculos foveola parva insculptum; oculi laterales,

ovati, transversi, depressi, nigri; rostrum thorace brevius, teres, crassiusculum, modice arcuatum, nigrum, obsolete punctulatum, pube cinerea adspersum. Antennæ pone medium rostri insertæ, subtenues, nigro-piceæ, pubescentes, clava oblonga, acuminata. Thorax latitudine baseos nonnihil longior, sub-conicus, apice truncatus, a basi apicem versus sensim angustatus, basi leviter bi-sinuatus, supra modice convexus, undique confertim subtiliter punctulatus, ante scutellum foveola parva impressus; totus niger, lateribus et subtus albido-pubescens et pollinosus. Scutellum minutum, immersum. Elytra basi vix rotundato-producta, antice thorace non latiora, sed illo quadruplo longiora, linearia, apicem versus attenuata, apice ipso conjunctim sub-rotundata, supra modice convexa, subtilissime striato-punctata, supra humeros et pone scutellum leviter impressa; tota nigra, pube et polline flavescenti plus minusve adspersa, linea utrinque laterali, nivea, ornata. Corpus subtus nigrum, obsolete punctulatum, dilute miniato-pollinosum et pubescens; ventre medio denudato. Pedes validiusculi, nigri, cinereo-pubescentes; femoribus modice clavatis, muticis; tarsis elongatis, piceis, subtus fulvo-spongiosis.—BHN.

85. L. CIRCUMDATUS (1).

Ferrugineo-fuscus, thoracis elytrorumque margine flavo.—PANZ.

Curculio bicolor. PANZ. *Faun. Germ.* XVIII. n° 4. — *Krit. Rev. d. Ins. Faun.* p. 129. — *Ent. Germ.* p. 309. n° 58.

L. ascanii. Var. Teste Dom. GERMAR *in Litteris.*

Patria : Germania.

* 86. L. BICOLOR.

Elongatus, niger, pube cinerea et pulvere brunnescenti adspersus, rostro thorace breviori, minus valido, recto, carinato, orbitis oculorum sulphureo-villosis, thorace conico, subtiliter varioloso, utrinque læte flavo lineato, elytris subtiliter striato-punctatis, supra humeros et pone scutellum leviter impressis, punctis cinereo-albidis adspersis, apice rotundatis, abdomine crebre nigro punctato.—BHN.

OLIV. *Ent.* V. 83. p. 244. n° 245. T. 30. f. 460. a. b. c.
L. ferrugatus. STURM. *Ins. Catal.* 1826. p. 163.
L. lateralis. STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 159. n° 5.

---

(1) Mihi invisus.

* VAR. β. Orbitis oculorum, linea laterali thoracis maculaque parva elytrorum in basi, angusta, niveo-pubescentibus.

Patria: Europa intermedia et meridionalis, Caucasus.

* 87. L. ABDOMINALIS. *Schh.*

Elongatus, niger, pube cinerea sat dense adspersus, rostro validiore, subrecto, basi carinato, orbita oculorum albido-villosa, thorace breviore, lato, profunde varioloso, lateribus modice rotundato-ampliato, utrinque albido lineato, lineola abbreviata in dorso antico nivea ornato; elytris evidenter striato-punctatis, basi obsoletissime impressis; abdomine nigro punctato.

Patria: Sicilia. A Dom. LEFEBVRE communicatus. Mus. SCHH.

Statura et summa similitudo *L. bicoloris,* nonnihil tamen major; rostro validiore, thorace breviore et latiore profunde varioloso, lateribus rotundato-ampliato, elytris evidenter striato-punctatis,ab illo distinctus. Caput breve, crassum, nigrum, subtiliter confertim punctulatum, pube cinerea adspersum; orbita oculorum dense albido-villosa; oculi laterales, oblongi, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum longitudine fere thoracis, validiusculum, teres, parum arcuatum, nigrum, crebre punctatum, a basi ad medium carinatum, pube cinerea adspersum. Antennæ minus tenues, nigræ, pube cinerea obsitæ. Thorax latitudine baseos brevior, apice truncatus, anterius angustatus, lateribus modice rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, supra parum convexus, punctis majusculis variolosis sat crebre impressus, superficie reliqua confertim subtiliter coriacea; niger, pube cinerea adspersus, linea lata utrinque laterali et lineola angusta in dorso antico, albido-pubescentibus, decoratus. Scutellum parvum, immersum. Elytra basi vix rotundato-producta, antice thorace paulo latiora et illo fere quadruplo longiora, humeris non prominulis, sub-linearia, cylindrica, apicem versus angustata, apice ipso conjunctim rotundata, basi vix impressa, evidenter striato-punctata, interstitiis planis, subtiliter coriaceis, dorso dense lateribus parcius cinereo-pubescentia et pollinosa. Corpus subtus nigrum, pube cinerea et polline rufescenti obsitum, minus crebre nigro punctatum. Pedes mediocres, nigri, cinereo-pubescentes; femoribus parum clavatis, muticis; tibiis rectis, apice uncinatis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis.

BHN.

* 88. L. ORBITALIS. *Schh.*

Elongatus, niger, pube cinereo-albida obsitus, antennis tarsisque obscure ferrugineis, rostro valido, subrecto, vix carinato, longitudine fere thoracis; orbita oculorum albido-pubescente, thorace oblongo, minus profunde varioloso, utrinque albido vittato, elytris striato-punctatis, apicem versus nonnihil ampliatis, basi vix impressis; corpore subtus impunctato.

Patria: Tauria. A Dom. STEVEN amice donatus. Mus. SCHH.

Statura et summa similitudo *L. bicoloris var.* β, nonnihil tamen major, elytris posterius magis ampliatis, profundius striato-punctatis, rostro vix carinato, corpore subtus impunctato. Caput angustum, nigrum, subtiliter rugoso-punctatum, pube brevissima cinerea vestitum; orbita oculorum albido-pubescens; oculi laterales, ovati, transversi, nigri, haud prominuli; rostrum thorace nonnihil brevius, teres, crassiusculum, subrectum, nigrum, subtiliter rugoso-punctatum, dorso obsoletissime carinatum, pube depressa, cinereo-albida, dense adspersum. Antennæ minus tenues, obscure ferrugineæ, parce pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos longior, a basi apicem versus sensim perparum angustatus, apice truncatus, postice bi-sinuatus, tenue marginatus, supra convexus; niger, punctis minus profundis variolosis, sat dense impressus, superficie reliqua subtiliter coriacea, pube cinereo-albida dense obsitus, vitta utrinque laterali, subrecta, albida, decoratus. Scutellum parvum, triangulare, nigrum, immersum. Elytra thoracis basi nonnihil latiora illoque plus triplo longiora, cylindrica, a basi ultra medium sensim ampliata, apice ipso obtuse rotundata, supra convexa, nigra, margine ferrugineo, evidenter striato-punctata, interstitiis planis, subtilissime coriaceis; tota pube depressa, cinereo-albida, dense adspersa. Corpus subtus nigrum, minus profunde punctatum, pube cinerea vestitum, immaculatum. Pedes mediocres, mutici, nigri, pube cinereo-albida obsiti; femoribus parum clavatis; tibiis teretibus, apice intus uncinatis; tarsis obscure ferrugineis, subtus fulvo-spongiosis. BHN.

* 89. L. NIGRITARSIS. *Schh.*

Elongatus, niger, pube cinereo-albida parce adspersus, antennis obscure ferrugineis, rostro valido, subrecto, subtiliter confertim ruguloso-punctato, sub-carinato, thorace oblongo, subtiliter concinne varioloso, utrinque albido vittato, elytris subtiliter striato-punctatis, apicem versus non ampliatis, basi vix impressis.

Patria: Europa meridionalis. Dom. LEFEBVRE. Mus. SCHH.

L. orbitalis simillimus, sed angustior, tenue cinereo-pubescens, thorace crebre subtiliter varioloso, elytris apicem versus non ampliatis, tarsis nigris. Caput angustum, nigrum, subtiliter rugoso-punctatum, pube cinerea tenuissime adspersum; oculi laterales, ovati, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum thorace brevius, teres, validum, parum arcuatum, nigrum, subtiliter confertim ruguloso-punctatum, obsoletissime carinatum, pube depressa, cinerea, parce obsitum. Antennæ minus tenues, obscure ferrugineæ, parce pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, obscuriore, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos longior, sub-conicus, a basi apicem versus sensim perparum angustatus, apice ipso truncatus, postice leviter bi-sinuatus, supra convexus; niger, punctis minus profundis, variolosis, crebre impressus, pube cinereo-albida parce obsitus; vitta utrinque laterali, recta, antice abbreviata, dense albido-squamosa, ornatus. Scutellum parvum, triangulare, nigrum, immersum. Elytra thoracis basi paulo latiora illoque triplo longiora, cylindrica, apicem versus vix vel perparum ampliata, apice ipso obtuse rotundata, supra convexa, ad humeros leviter impressa, nigra, subtiliter striato-punctata, interstitiis planis, subtilissime confertim coriaceis; pube depressa, cinereo-albida, parce adspersa. Corpus subtus nigrum, minus profunde punctatum, pube cinerea vestitum. Pedes mediocres, validi, mutici, nigri, pube cinereo-albida obsiti; femoribus parum clavatis; tibiis teretibus, apice uncinatis; tarsis elongatis, nigris.—BHN.

90. L. VILIS.

Elongatus, niger, tenue cinereo-pubescens, rostro thorace nonnihil breviori, distincte carinato, subtilissime punctulato, thorace sub-conico, remote parum profunde varioloso, crebre punctulato, dorso obsoletissime carinato, utrinque cinereo lineato, elytris basi transversim impressis, subtiliter striato-punctatis, punctis remotis.

Curculio id. ROSSI. *Faun. Etr.* I. p. 120. nº 309.—Ed. HELLW. p. 128. nº 309.

Patria: Italia. Dom. ROSSI. Mus. Reg. Acad. Scient. Holm.

Statura fere et similitudo *L. bicoloris*, sed duplo minor, gracilior. Caput minutum, breve, nigrum, obsoletissime confertim punctulatum, pube depressa, cinerea adspersum; oculi oblongi, transversi, depressi, nigri; orbita albido-villosa; rostrum thorace nonnihil brevius, teres, crassiusculum, subrectum, supra distincte carinatum, nigrum, confertim punctulatum, tenue pubescens. Antennæ

subtenues, fusco-ferrugineæ, parce pubescentes, clava ovata, acuminata. Thorax latitudine baseos longior, sub-conicus, apice truncatus, a basi apicem versus sensim angustatus, basi bi-sinuatus, supra modice convexus, confertim punctulatus, punctis majusculis, parum profundis, variolosis, parce impressus, dorso obsoletissime carinatus; totus niger, pube cinerea versus latera utrinque in linea condensata, adspersus. Scutellum minutum, immersum. Elytra basi singulatim perparum rotundato-producta, antice thorace vix latiora, sed illo quadruplo longiora, sub-linearia, apicem versus angustata, apice ipso conjunctim rotundata, supra modice convexa, subtiliter striatim punctata, punctis remotis, interstitiis subtilissime coriaceis; nigra, pube cinerea tenue adspersa. Corpus subtus nigrum, obsolete remote punctulatum, pube depressa, cinerea, dense adspersum. Pedes mediocres, validiusculi, nigri, cinereo-pubescentes; femoribus modice clavatis, muticis; tarsis fusco-ferrugineis, subtus fulvo-spongiosis.—BHN.

91. L. LATERALIS.

Elongatus, niger, pube cinerea parce adspersus, rostro brevi, crassiusculo, parum arcuato, supra carinato, thorace minus crebre parum, profunde varioloso, utrinque vitta antice angustata, albido-pubescente, ornato, elytris subtiliter striato-punctatis, macula parva humerali aliaque laterali ante medium punctisque nonnullis albido-pubescentibus, decoratis.—BHN.

Curculio id. PANZ. *in Naturf.* XXIV. p. 20. n° 17. T. 1. f. 27.
HERBST. *Col.* VI. p. 50. n° 9. T. 62. f. 9.
SCRIBA. *Journ.* p. 15. n° 27.
Curculio arctii. PANZ. *Ent. Germ.* p. 309. n° 59.
Observ. Statura *L. bicoloris*, sed nonnihil minor, præsertim brevior.

Patria: Italia.

* 92. L. MARGINATUS. *Schh.*

Elongatus, niger, parce griseo-squamulosus, antennis ferrugineis, rostro valde arcuato, sat profunde punctato, thorace rude crebre varioloso, basi leviter impresso, utrinque cinereo vittato, elytris profunde striato-punctatis, basi impressis, apice attenuatis, lateribus dense cinereo-squamulosis.

SAY. *Descrip. of Curc. of N. Amer.* p. 13.
L. impressus. Dom. SAY *in Litteris*, olim.

Habitat in America boreali. A Dom. Say communicatus. Mus. Schh.

L. filiformi dimidio minor. Caput parvum, rotundatum, nigrum, minus crebre punctatum, pube cinerea parce adspersum; fronte inter oculos foveola parva insculpta; oculi laterales, oblongi, transversi, parum prominuli, nigri; rostrum longitudine fere thoracis, teres, validum, valde arcuatum, nigrum, nitidum, sat profunde punctatum, inter antennas canalicula tenuissima, abbreviata, sculpturatum. Antennæ subtenues, ferrugineæ, parce pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, obscuriori. Thorax sub-conicus, latitudine baseos nonnihil longior, apice truncatus, anterius sensim angustatus, basi bi-sinuatus, supra parum convexus, punctis magnis sat crebris hinc inde confluentibus variolosus, superficie reliqua subtiliter coriacea, basi ante scutellum leviter impressus; totus niger, squamulis cinereis parce adspersus, vitta utrinque recta, laterali, cinereo-squamulosa, ornatus. Scutellum vix conspicuum. Elytra basi singulatim nonnihil producta, antice thorace vix latiora, sed illo triplo longiora, cylindrica, pone medium apicem versus angustata, apice ipso singulatim sub-acuminata, vix mucronata, supra modice convexa, basi transversim leviter impressa, profunde striato-punctata, interstitiis planis, subtilissime coriaceis; nigra, squamulis cinereo-albidis parce adspersa, linea sat lata laterali, a basi ad apicem ducta, dense cinereo-squamosa, decorata. Corpus subtus nigrum, punctulatum, griseo-squamulosum et pubescens. Pedes breviusculi, nigro-picei, pube cinerea adspersi; femoribus modice clavatis, muticis; tarsis dilatatis, subtus fulvo-spongiosis.—Bhn.

* 93. L. Binotatus. *Megerle.*

Oblongus, niger, pube cinerea adspersus, rostro breviusculo, modice arcuato, thorace sub-conico, valde remote varioloso, ante scutellum impresso, lateribus late silaceo-pollinoso, elytris striato-punctatis, supra humeros et pone scutellum leviter impressis, lateribus dense cinereo-pubescentibus, apice attenuatis.

Habitat......... A Dom. Megerle von Muhlfeldt benevole missus. Mus. Schh.

Magnitudo *L. bardanæ*. Caput minutum, breve, nigrum, profunde, rugoso-punctatum, pube grisea adspersum; oculi ovati, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum thorace nonnihil brevius, crassiusculum, teres, parum arcuatum, apicem versus non-

nihil ampliatum, nigrum, striolato-rugosum, pube cinerea adspersum. Antennæ subtenues, fusco-ferrugineæ, cinereo-pubescentes. Thorax latitudine baseos brevior, sub-conicus, apice truncatus, lateribus perparum rotundato-ampliatus, basi sat profunde bi-sinuatus, supra modice convexus; niger, punctis majusculis variolosis, valde remote impressus, superficie interjacente confertim subtilissime coriacea, ante scutellum leviter impressus, subtus et lateribus dense silaceo-pollinosus et pubescens, plaga dorsali, antrorsum angustata, denudata, nigra, cum lineola longitudinali, albo-pubescente, medio interrupta. Scutellum minutum, immersum. Elytra basi singulatim rotundato-producta, antice thoracis basi vix latiora, sed illo triplo longiora, sub-linearia, apicem versus attenuata, apice ipso sub-acuminata, supra parum convexa, sat profunde striatim punctata, interstitiis subtilissime coriaceis, pone scutellum et supra humeros obsolete impressa; nigra, pube cinerea versus latera magis condensata adspersa. Corpus subtus nigrum, obsolete punctulatum, cinereo-pubescens. Pedes validiusculi, mutici, nigri, cinereo-pubescentes; antici longiores; femoribus crassis; tibiis validis, arcuatis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis.—BHN.

* 94. L. INQUINATUS. *Steven.*

Elongatus, niger, pulvere flavescenti pubeque cinerea adspersus, antennis, tibiis tarsisque rufo-ferrugineis rostro, arcuato, thorace sub-conico, longiore, remote varioloso, utrinque flavescenti lineato, elytris striato-punctatis, supra humeros leviter impressis, apice attenuatis.

Habitat in Caucaso. Dom. STEVEN. Mus. SCHH.

Magnitudo *L. bardanæ*, sed angustior. Caput minutum, breve, nigrum, punctulatum, pulvere flavescente dense tectum; oculi oblongi, transversi, nigri, haud prominentes; rostrum thorace multo brevius, validum, teres, modice arcuatum, nigrum, rugoso-punctatum, indumento capitis. Antennæ tenues, rufo-ferrugineæ, pallide pubescentes. Thorax latitudine baseos longior, sub-conicus, apice truncatus, anterius nonnihil angustior, basi leviter bi-sinuatus, supra modice convexus, punctis majusculis, sat profundis, variolosis, remote impressus, superficie interjacente subtilissime coriacea; niger, pulvere flavescente versus latera magis condensato, adspersus. Scutellum minutum, immersum. Elytra basi singulatim nonnihil rotundato-producta, antice thoracis basi paulo latiora, sed illo triplo longiora, sub-linearia, apicem versus attenuata, apice ipso singulatim sub-acuminata,

supra parum convexa, regulariter parum profunde striatim punctata, interstitiis planis, subtilissime coriaceis, supra humeros leviter impressa; nigra, pulvere flavescenti pubeque grisea, maculatim condensatis, variegata. Corpus subtus nigrum, pectore fortius, ventre obsoletius punctulatis, pulvere flavescente pubeque grisea, tectum; abdomine medio magis denudato. Pedes validiusculi, mutici, cinereo-pubescentes; femoribus nigris; tibiis tarsisque rufo-ferrugineis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. —Bhn.

* 95. L. Subtilis.

Elongatus, niger, pulvere flavescenti pubeque cinerea adspersus, antennis, tibiis tarsisque piceis, rostro arcuato, thorace sub-conico, breviore, profunde remote varioloso, lateribus flavescenti-squamoso, elytris striato-punctatis, supra humeros leviter impressis, apice attenuatis.

L. subtilis. Sturm. *Ins. Catal.* 1826. p. 164.

Habitat ad Bannat. Dom. Sturm. Mus. Schh.

L. inquinato valde similis et affinis, sed dimidio minor; thorace breviore, minus profunde varioloso, fere unice distinctus. Caput minutum, breve, nigrum, punctulatum, dense flavescenti-pollinosum; oculi oblongi, transversi, nigri, depressi; rostrum thorace vix brevius, validum, teres, modice arcuatum, nigrum, sat profunde punctulatum, indumento simili ac in capite tectum. Antennæ subtenues, rufo-piceæ, cinereo - pubescentes. Thorax latitudine baseos paulo longior, sub-conicus, apice truncatus, lateribus perparum rotundato-ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra modice convexus, punctis majusculis minus profundis, variolosis, remote impressus, superficie reliqua confertissime subtiliter coriacea; niger, pulvere flavescente versus latera condensato, adspersus. Scutellum minutum, immersum. Elytra basi vix rotundato-producta, antice thoracis basi non latiora, sed illo triplo longiora, sub-linearia, apicem versus attenuata, apice ipso singulatim sub-acuminata, supra parum convexa, regulariter sat profunde striatim punctata, interstitiis planis, subtilissime coriaceis, supra humeros et pone scutellum leviter impressa; nigra, ad basin et in dorso pulvere flavescenti adspersa, versus latera fasciculis e pube cinerea variegata. Corpus subtus nigrum, punctulatum, cinereo-pubescens, ventre pulvere flavescenti tecto, nigro maculato. Pedes validiusculi, mutici, cinereo-pubescentes, femoribus nigris; tibiis tarsisque piceis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. — Bhn.

96. L. SULPHURATUS. *Schh.*

Elongatus, niger, dense sulphureo-pollinosus, antennis rufescentibus, articulo 2° funiculi 3° plus duplo longiori, rostro longo, minus crasso, arcuato, thorace subtiliter confertim granulato, elytris tenue punctato-striatis, supra humeros et pone scutellum leviter impressis.

Habitat in Persia. Mus. Dom. FALDERMANN, ad describendum, amice communicatus.

L. filiformis proximus, sed fere duplo major. Caput crassum, antice nonnihil angustatum, nigrum, subtiliter confertim punctulatum, tenue sulphureo-pollinosum; fronte plana, leviter impressa, longitudinaliter rugulosa; oculi oblongo-ovati, transversi, vix prominuli; rostrum longitudine thoracis cum capite, minus crassum, teres, parum arcuatum, nigrum, tenuissime sulphureo-pollinosum, a basi ultra medium subtiliter confertim striolato-rugulosum, dein crebre punctatum, lineola inter antennas longitudinali, abbreviata, impressum. Antennæ vix longitudine capitis cum thorace, rufo-ferrugineæ, clava fusca, cinereo-pubescente; articulus 1us longissimus, versus apicem incrassatus, 2us brevissimus, crassior, 3us secundo fere triplo longior, insequentibus brevissimis, ultimis quatuor in clavam oblongo-ovatam, apice acutam, coarctatis. Thorax antice angustior, truncatus, posterius sensim ampliatus, basi longitudine paulo latior, bi-sinuatus, supra convexus, creberrime subtiliter granulatus, niger, sat dense sulphureo-pollinosus, ad latera linea recta e farina densa dilute sulphurea, ornatus. Scutellum nullum. Elytra thoracis basi haud latiora, sed quadruplo longiora, cylindrica, linearia, apicem versus angustata, apice ipso singulatim rotundata, supra convexa, nigra, sat dense sulphureo-pollinosa, tenue punctato-striata, interstitiis planis, crebre subtiliter coriaceis, supra humeros et pone scutellum leviter impressa. Corpus subtus nigrum, farina flavescenti pubeque cinerea adspersum. Pedes nigri, flavo-pollinosi et cinereo-pubescentes; femora clavata, mutica; tibiæ unculo armatæ, anticæ basi parum arcuatæ; tarsis piceis, subtus fulvo-spongiosis.—BHN.

* 97. L. FLAVESCENS. *Schh.*

Elongatus, niger, pubescens, flavescenti-pollinosus, rostro breviusculo, validiusculo, parum arcuato, thorace oblongo, subtiliter varioloso, antice obsolete constricto, basi sub-impresso, elytris subtiliter punctato-striatis, apice obtuse rotundatis.

Patria: Sarepta. A Dom. STEVEN amicissime donatus.

Magnitudo et statura *L. bardanæ;* ab illo rostro breviori, crassiori, ut et colore, bene distinctus. Caput parvum, breve, nigrum, crebre subtiliter rugoso-punctatum, tenue cinereo-pubescens, læte flavescenti-pollinosum, præsertim circa oculos; fronte leviter impressa; oculi laterales, oblongi, transversi, nigri, haud prominuli; rostrum capite dimidio longius, teres, validiusculum, parum arcuatum, subtiliter punctulatum, læte flavescenti-pubescens et pollinosum. Antennæ nigro-piceæ, parce pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos nonnihil longior, sub-conicus, apice truncatus, pone apicem leviter constrictus, postice bi-sinuatus, supra modice convexus, ante scutellum obsolete impressus, niger, punctis parum profundis variolosis confertim impressus; superficie interjacente subtiliter granulata vel coriacea, undique læte sulphureo-pubescens et pollinosus, præsertim ad latera. Scutellum minutum, triangulare, nigrum, immersum. Elytra thoracis basi vix latiora, sed illo triplo longiora, cylindrica, sub-linearia, apice obtuse rotundata, supra convexa, subtiliter punctato-striata, interstitiis planis confertissime subtiliter granulatis vel coriaceis; nigra, pube et polline læte flavescenti, præsertim versus latera obtecta. Corpus subtus nigrum, subtiliter punctulatum, pube et polline dilute sulphureis dense tectum. Pedes mediocres, validiusculi, nigri, pubescentes, polline læte sulphureo adspersi; antici longiores; femoribus parum clavatis, muticis; tibiis teretibus, subrectis, apice intus uncinatis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis.—BHN.

♂♀ 98. L. POLLINOSUS.

Oblongus, niger, pube cinerea adpersus, antennis tarsisque fusco-ferrugineis, rostro longitudine thoracis, confertim punctulato, basi obsolete canaliculato, thorace sub-conico, antice transversim profunde impresso, confertim subtiliter granulato, flavescenti quadri-lineato, elytris cinereo tessellatis, basi transversim impressis, subtiliter minus crebre punctato-striatis, interstitiis confertim granulatis.—BHN.

GERM. *Ins. Spec.* I. p. 394. n° 532. — N. WETTER. *Annal.* I. I. p. 134. n° 6. — *It. in Dalm. et Rag.* p. 230. n° 264.
L. filiformis. MÉNÉTR. *Catal. Raison.* p. 221. n° 989.
Curculio id. HERBST. *Col.* VI. p. 47. n° 6. T. 62. f. 6.?
L. cardui. OLIV. *Ent.* V. 83. p. 250. n° 254. T. 30. f. 454.?

♂♀ VAR. β. Dense flavescenti-pollinosus et pubescens.

L. tigrinus. MEGERLE, DEJEAN. *Catal. Col.* p. 97.

Patria: Hungaria, Dalmatia, Croatia, Caucasus, Persia, Hispania, Sicilia.

♂♀ 99. L. FILIFORMIS.

Elongatus, niger, pube cinerea et polline flavescenti adspersus, antennis tarsisque rufo-ferrugineis, rostro confertim punctato, basi obsolete canaliculato, thorace conico, antice transversim profunde impresso, confertim subtiliter granulato, flavescenti quadri-lineato, elytris basi vix impressis, subtiliter confertim punctato-striatis, interstitiis concinne granulatis.

FABR. *Syst. El.* II. p. 501. n° 15.
OLIV. *Ent.* V. 83. p. 246. n° 248. T. 16. f. 198. a. b.
DEJEAN. *Catal. Col.* p. 97. Var.
Curculio id. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 417. n° 102. — *Mant.* I. p. 103. n° 79. — *Spec. Ins.* I. p. 172. n° 63.
OLIV. *Enc. méth.* V. p. 492. n° 87.
ROSSI. *Faun. Etr.* I. p. 119. n° 305.—Ed. HELLW. I. p. 127. n° 305.
VILLERS. *Ent.* I. p. 188. n° 55. et IV. p. 269. n° 55.
PANZ. *Ent. Germ.* p. 308. n° 53.
LINN. *Syst. nat.* ed. GMEL. I. IV. p. 1751. n° 147.
Curculio hæmatocerus. GERM. *It. in Dalm. et Rag.* p. 231. n° 265. — *Magaz. der Ent.* III. p. 415.
Lixus id. GERM. *in N. Wetter. Annal.* I. I. p. 134. n° 9.
Curculio angustus. HERBST. *Col.* VI. p. 45. n° 3. T. 62. f. 3.?
♂♀ VAR. β. Flavescenti-pollinosus et pubescens.
Curculio bardanæ. PANZ. *Faun. Germ.* XVIII. n° 3.

Patria: Gallia, Dalmatia, Persia, Caucasus et Ucrain. Mus. SCHH.

Affinis certe *L. filiformis,* sed semper duplo minor et ultra, magis elongatus, elytrorum striis crebrioribus et magis confertim profundius punctatis. Caput elongatum, crassum, nigrum, subtiliter confertim punctulatum, pube cinerea adspersum; oculi ovati, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum longitudine fere thoracis, validiusculum, teres, in mare tenuius, nigrum, confertim punctatum, basi plus minusve distincte canaliculatum, parce cinereo-pubescens. Antennæ minus crassæ, rufo-ferrugineæ, clava oblonga, cinereo-pubescente, obscuriore. Thorax latitudine baseos fere brevior, conicus, apice truncatus, mox intra apicem transversim profunde impressus, versus basin nonnihil ampliatus, postice leviter bi-sinuatus, supra modice convexus, subtiliter crebre granulatus; niger,

lineis duabus dorsalibus et alia utrinque laterali sulphurea, interdum cinereo-pollinosis et pubescentibus. Scutellum minutum, immersum. Elytra basi singulatim perparum rotundato-producta, mox intra basin transversim impressa, antice thorace paulo latiora et illo fere quadruplo longiora, humeris vix prominulis, rotundatis; linearia, cylindrica, apicem versus angustata, apice ipso rotundata, supra modice convexa, confertim punctato-striata, punctis striarum crebris, interstitiis concinne subtiliter granulatis; tota nigra, pube cinerea et interdum polline flavescenti sat dense obsita. Corpus subtus nigrum, subtiliter punctulatum, cinereo vel flavescenti-pubescens. Pedes mediocres, nigri, cinereo-pubescentes; femoribus parum clavatis, muticis; tarsis ferrugineis, subtus fulvo-spongiosis.

BHN.

* 100. L. PARDALIS. *Schh.*

Elongatus, niger, pulvere flavescenti adspersus, antennis rufo-ferrugineis, rostro mediocri, subrecto, rugoso, basi carinato, thorace breviore, subtiliter rugoso-punctato, utrinque silaceo lineato, elytris striato-punctatis, rugulosis, flavescenti-fasciculatis, apice attenuatis, rectis, sub-acuminatis.

Patria: Lusitania. Mus. SCHH.

L. filiformis affinis, sed rostro basi carinato, thorace subtiliter rugoso-punctato, antice non impresso, elytris apice sub-acuminatis, ab illo bene distinctus. Caput minutum, breve, nigrum; vertice confertim punctulato; fronte deflexa, rugulosa; oculi ovati, transversi, haud prominentes, nigri; rostrum thorace paulo brevius, crassiusculum, sub-teres, parum arcuatum, nigrum, confertim rugoso-punctatum, basi leviter carinatum, inter antennas canalicula brevi, obsoleta, insculptum. Antennæ subtenues, rufo-ferrugineæ, clava oblongo-ovata, acuminata, obscuriore, pubescente. Thorax latitudine baseos brevior, apice truncatus, anterius angustior, sub-coarctatus, lateribus perparum rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, supra modice convexus, niger, confertim subtiliter rugoso-punctatus, pulvere flavescenti tenuissime adspersus, linea utrinque laterali, angusta, subrecta, e pulvere denso silaceo, ornatus. Scutellum immersum. Elytra basi singulatim perparum rotundato-producta, antice thoracis basi paulo latiora, et illo quadruplo longiora, pone basin nonnihil ampliata, versus apicem attenuata, apice ipso recto, acuto; supra modice convexa, nigra, regulariter striatim punctata, interstitiis planis, confertim rugulosis, fasciculis pilorum flavescentium plus minusve adspersa. Cor-

pus subtus nigrum, punctatum, griseo-pubescens, indumento e polline flavescente parce obductum. Pedes mediocres, nigri, mutici, cinereo-pubescentes, antici validiores; tarsis obscure rufo-piceis, subtus fusco spongiosis.—BHN.

* 101. L. CONSTRICTUS. *Schh.*

Angustus, niger, pube cinerea sat dense variegatus, antennis ferrugineis, rostro tenui, arcuato, confertissime punctato, thorace antice valde constricto, transversim impresso, lateribus modice rotundato, confertissime punctato, cinereo quadri-lineato, elytris tenue punctato-striatis, apice sub-acuminatis.

Patria: Tauria. A Dom. STEVEN amice donatus. Mus. SCHH.

Inter minimos hujus generis. *L. bardanæ* triplo minor, præsertim angustior. Caput elongatum, supra convexum, nigrum, subtiliter sat crebre punctatum, pube depressa cinerea adspersum; oculi laterales, ovati, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum longitudine thoracis, minus crassum, teres, parum arcuatum, nigrum, confertissime rugoso-punctatum, pube cinerea obsitum. Antennæ subtenues ferrugineæ, parce pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, obscuriori, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos nonnihil longior, apice truncatus, mox pone apicem valde constrictus et transversim impressus, lateribus modice rotundato-ampliatus, postice bi-sinuatus, supra parum convexus, crebre punctatus; niger, dorso denudatus, linea utrinque dorsali et alia laterali, dense cinereo-pubescentibus, ornatus, subtus cinereo-pubescens. Scutellum minutum, triangulare, nigrum, immersum. Elytra thoracis basi vix latiora, sed illo quadruplo longiora, cylindrica, sub-linearia, apice ipso sub-acuminata, supra convexa, subtiliter punctato-striata, interstitiis planis, confertissime subtiliter granulatis vel coriaceis; nigra, pube cinerea hinc inde magis condensata, adspersa et variegata. Corpus subtus nigrum, punctulatum, pube cinerea obsitum. Pedes mediocres, nigri, pube cinerea adspersi; femoribus parum clavatis, muticis; tibiis teretibus, subrectis, apice intus uncinatis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis.—BHN.

* 102. L. RUFITARSIS. *Schh.*

Angustus, niger, pulvere flavo-virescenti pubeque cinerea adspersus, antennis tarsisque rufo-ferrugineis, capite elongato, rostro tenui, modice arcuato, thorace confertim profunde punctato, mox intra apicem coarctato, utrinque virescenti lineato, elytris subtiliter punctato-striatis, apice obtusis.

L. filiformis. DEJEAN. *Catal. Col.* p. 97.
L. angustatus. Dom. DAHL. *in Litteris.*

Patria : Gallia meridionalis. Dom. Com. DEJEAN et STEVEN ; Sicilia. Dom. LEFEBVRE ; Lusitania. Dom. LUNDSTEDT. Mus. SCHH.

Facies *L. filiformis*, sed duplo et etiam quadruplo minor. Caput elongatum, crassum, apicem versus attenuatum, nigrum, crebre punctatum, pube et polline virescenti adspersum ; oculi oblongi, transversi, nigri ; rostrum longitudine thoracis, subtenue, teres, modice arcuatum, nigrum, confertim rugoso-punctatum, apice ferrugineum. Antennæ subtenues, rufo-ferrugineæ, pallido-pubescentes. Thorax latitudine baseos paulo longior, antice angustior, apice truncatus, mox intra apicem coarctatus, lateribus perparum rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, supra parum convexus, confertim et sat profunde punctatus ; niger, pube flavo-virescenti adspersus, linea utrinque laterali dense virescenti-pubescente, ornatus. Scutellum minutum, triangulare, immersum. Elytra basi singulatim perparum rotundato-producta, antice thoracis basi paulo latiora, sed illo quadruplo longiora, sub-linearia, apice obtuse rotundata, supra modice convexa, subtiliter et confertim punctato-striata, interstitiis planis, confertissime subtiliter granulatis vel coriaceis ; nigra, pube et polline cinereo et flavo-virescenti plus minusve tecta. Corpus subtus nigrum, pectore fortius, ventre obsoletius punctulatis, dense pubescentibus. Pedes validiusculi, mutici, nigri, griseo-pubescentes, antici longiores ; tarsis rufo-ferrugineis, subtus fulvo-spongiosis.—BHN.

103. L. ACICULARIS. *Hoffmans* (1).

Angustatus, niger, antennis tibiisque rufis, thorace confertim punctato, elytris profunde striato-punctatis, piceis.

GERM. *Ins. Spec.* I. p. 396. n° 541.

Patria : Lusitania.

♂♀ 104. L. SCOLOPAX.

Angustus, niger, pubescens, dense flavescenti-farinosus, antennis tibiis tarsisque obscure ferrugineis, thorace breviore, confertim granulato, antice constricto, utrinque flavescenti-lineato, elytris subtiliter punctato-striatis, transversim rugulosis.

---

(1) Mihi invisus.

L. scolopax. DEJEAN. *Catal. Col. p.* 97.

Patria: Dalmatia. A Dom. Com. DEJEAN benevole communicatus. Mus. SCHH.

L. bardanæ vix latior, sed dimidio longior. Caput parvum, breve, nigrum, rugoso-punctatum, dense flavescenti-pubescens et pollinosum; fronte deflexa; oculi sub-rotundi, nigri, haud prominentes; rostrum thorace vix longius, crassiusculum, subteres, parum arcuatum, nigrum, rugoso-punctatum, indumento capitis. Antennæ subtenues, rufo-ferrugineæ, clava oblongo-ovata, acuminata, obscuriore. Thorax latitudine baseos brevior, apice truncatus, anterius angustior, pone apicem obsolete constrictus, transversim impressus, lateribus modice rotundato-ampliatus, basi profunde bi-sinuatus, marginatus, angulis baseos acutis, retrorsum productis; supra convexus, granulis parvis, sat confertim obsitus, niger, undique flavescenti-pubescens et pollinosus, linea utrinque laterali, angusta, sulphurea, ornatus. Scutellum minutum, immersum. Elytra basi singulatim perparum rotundato-producta, antice thoracis basi vix latiora, sed illo quadruplo longiora, linearia, apice obtuse rotundata, supra convexa, regulariter subtiliter punctato-striata, interstitiis planis, confertissime subtiliter granulatis et transversim rugulosis; nigra, pube et polline cinereo et flavescenti plus minusve tecta. Corpus subtus nigrum, obsolete punctulatum, dense flavescenti vel cinereo-pubescens et farinosum. Pedes validiusculi, nigri, cinereo-pubescentes; femoribus parum clavatis, muticis; tarsis subtus fulvo-spongiosis.

Femina differt statura graciliori, rostro nonnihil longiori et tenuiori.—BHN.

♂♀ 105. L. FASCICULATUS. *Gebler.*

Angustus, niger, cinereo-pubescens et flavo-pollinosus, antennis rufo-ferrugineis, rostro longiore, apicem versus paulatim ampliato, thorace longiore, angustiore, antice constricto, profunde sat crebre varioloso, obsolete flavescenti quadri-lineato, elytris subtiliter striato-punctatis, cinereo et flavescenti tessellatis, pone scutellum et supra humeros leviter impressis.

Patria: Sibiria. Dom. GEBLER. Mus. SCHH.

Præcedenti statura subsimilis, sed abunde distinctus. Caput minutum, elongatum, apicem versus angustatum, nigrum, pube grisea adspersum; vertice confertim sat profunde punctato; fronte striolato-rugosa; oculi ovati, transversi, depressi, nigri; rostrum

longitudine thoracis, crassiusculum, a basi ad apicem sensim aliquantum ampliatum, modice arcuatum, supra fere planum, striolato-rugosum, basi obsolete bi-sulcatum, nigrum, tenue griseo-pubescens. Antennæ tenues, rufo-ferrugineæ, pubescentes, clava oblongo-ovata, acuminata, obscuriore. Thorax latitudine baseos multo longior, sub-cylindricus, apice truncatus, pone apicem obsolete constrictus et transversim impressus, basi leviter bi-sinuatus, supra modice convexus, punctis majusculis, variolæ-formibus, sat confertim impressus, superficie interjacente distincte coriacea; niger, lineis duabus dorsalibus obsoletis et alia utrinque laterali, flavo-pollinosis et pubescentibus, ornatus. Scutellum minutum, immersum. Elytra basi singulatim perparum rotundato-producta, antice thoracis basi vix latiora, sed illo plus triplo longiora, linearia, apice obtuse rotundata, supra convexa, regulariter sed parum profunde subtiliter striato-punctata, interstitiis planis vix coriaceis; pone scutellum et supra humeros obsolete impressa, nigra, pube grisea et polline flavescenti sat dense adspersa, hinc inde maculatim variegata. Corpus subtus nigrum, pectore fortius, ventre obsoletius punctulatis, griseo-pubescentibus. Pedes validiusculi, nigri, mutici, griseo-pubescentes; tarsis subtus fusco-spongiosis.

Femina: fere dimidio major, rostro multo longiore et tenuiore, cætera ut in mare.—BHN.

106. L. ELONGATUS (1). *Dahl.*

Angustatus, niger, griseo-tomentosus, fulvo-pollinosus, thorace oblongo, lineato, elytris punctato-striatis, basi bi-impressis.

GERM. *Ins. Spec.* I. p. 395. n° 539.

Patria: Hungaria.

♂♀ 107. L. BARDANÆ.

Elongatus, niger, pubescens, flavescenti-farinosus, antennis ferrugineis, rostro basi obsolete carinato, thorace sub-conico, sat crebre minus profunde varioloso, antice obsolete constricto, elytris subtiliter striato-punctatis, interstitiis subtiliter granulatis.—BHN.

FABR. *Syst. El.* II. p. 502. n° 22.
GYLLENH. *Ins. Suec.* IV. p. 554. n° 3.
ZETTERST. *in Acta Holm.* 1818. p. 254. n° 6.

---

(1) Mihi invisus.

Curculio id. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 418. n° 107. — *Mant.* I. p. 104. n° 84.

HERBST. *Col.* VI. p. 46. n° 4. T. 62. f. 4.

OLIV. *Enc. méth.* V. p. 491. n° 93.

ROSSI. *Faun. Etr. Mant.* I. p. 36. n° 8. Ed. HELLW. p. 373. n° 88.

PANZ. *Ent. Germ.* p. 309. n° 56.

TOWNS. *Voy. en Hongr.* III. p. 194. n° 407. T. 12. f. 7. Var.?

VILLERS. *Ent.* IV. p. 287.

LINN. *Syst. Nat.* ed. GMEL. I. IV. p. 1751. n° 152.

Curculio cylindricus. HERBST. *Arch.* IV. p. 71. n° 20.

Patria: Germania, Italia, Suecia.

♂♀ VAR. β. Undique dense rufescenti-farinosus, thorace linea utrinque dilutiori decorato, elytris punctis pallidioribus tessellatis.—BHN.

Lixus rufescens. Dom. BESSER *in Litteris.*

Patria: Podolia, Sibiria.

* 108. L. TRISTIS. *Schh.*

Elongatus, niger, obscurus, tenuissime griseo-pubescens, antennis tibiis tarsisque rufo-ferrugineis, rostro longo, modice arcuato, obsolete carinato, thorace sub-conico, profunde remote varioloso, obsolete carinato, elytris striato-punctatis, pone scutellum et supra humeros leviter impressis, cinereo-fasciculatis.

Patria: Sibiria. Dom. GEBLER. A Dom. Com. MANNERHEIM amice donatus. Tauria. Dom. STEVEN. Mus. SCHH.

Lixo bardanæ statura similis, sed paulo major, pedibus aliter coloratis, thorace remotius varioloso. Caput minutum, breve, nigrum, subtiliter punctulatum, pube tenui grisea sat dense adspersum; oculi ovati, transversi, nigri, depressi; rostrum longitudine thoracis, minus crassum, teres, modice arcuatum, nigrum, obscurum, subtiliter punctulatum, a basi ad apicem usque obsolete carinatum, indumento capitis. Antennæ subtenues, rufo-ferrugineæ, pallido-pubescentes. Thorax latitudine baseos vix longior, sub-conicus, apice truncatus, pone apicem leviter constrictus, basi bi-sinuatus, supra parum convexus, punctis majusculis variolosis parce impressus, superficie reliqua subtiliter granulata vel coriacea, dorso obsolete carinatus, niger, obscurus, pube cinerea tenuissime adspersus, linea utrinque laterali obsoleta e pube magis condensata, notatus. Scutellum minutum, immersum. Elytra basi singulatim nonnihil rotundato-producta, antice thoracis basi vix latiora, sed

illo triplo longiora, sub-linearia, apice obtuse rotundata, supra convexa, regulariter striatim punctata, interstitiis planis, subtilissime coriaceis, pone scutellum et supra humeros leviter impressa; nigra, fasciculis e pube cinerea adspersa. Corpus subtus nigrum, punctulatum, cinereo-pubescens. Pedes mediocres, validiusculi, mutici, cinereo-pubescentes; femoribus nigris; tibiis tarsisque ferrugineis; tarsis subtus fulvo-spongiosis.—Bhn.

109. L. Angusticollis. *Chevrolat.*

Elongatus, niger, tenuissime cinereo-pubescens, antennis basi ferrugineis, fronte deflexa, striolato-rugosa, rostro longo, crassiore, subrecto, thorace medio latiori, profunde magis crebre varioloso, vix carinato, elytris striato-punctatis, pone scutellum et supra humeros leviter impressis.

Habitat in Gallia meridionali. Mus. Dom. Chevrolat.

Lixo tristi affinis et simillimus, vix angustior, sed nonnihil longior; fronte striolato-rugosa, rostro nonnihil crassiore vix arcuato, thorace medio latiore, profundius varioloso ut et colore pedum, ab illo distinctus. Caput parvum, breve, nigrum, opacum, subtiliter confertim punctulatum; frons deflexa, striolato-rugosa; oculi oblongi, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum longitudine fere thoracis, crassiusculum, teres, vix arcuatum, nigrum, obscurum, remote minus profunde punctatum, pube grisea tenuissime adspersum. Antennæ subtenues, nigro-piceæ, articulo primo ferrugineo, clava oblongo-ovata, acuminata, densius cinereo-pubescente. Thorax latitudine media vix longior, apice truncatus, antice posticeque perparum angustatus, lateribus nonnihil ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra modice convexus, punctis profundis variolosis, sat crebre impressus, superficie reliqua subtiliter granulata vel coriacea, dorso non carinatus, niger, obscurus, pube cinerea tenuissime adspersus. Scutellum nullum. Elytra basi subtruncata, antice thoracis basi haud latiora, sed illo quadruplo longiora, sub-linearia, cylindrica, apicem versus angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra convexa, regulariter striato-punctata, interstitiis planis, subtilissime coriaceis, pone scutellum vix, supra humeros obsolete impressa, nigra, sub-opaca, pube cinerea tenue, æqualiter, adspersa. Corpus subtus nigrum, pectore profunde, ventre obsolete punctulatis, parce cinereo-pubescens. Pedes mediocres, validiusculi, nigri, cinereo-pubescentes; femoribus modice clavatis, muticis; tibiis rectis, apice uncinatis; tarsis piceis, subtus fulvo-spongiosis.—Bhn.

* 110. L. SCROBICOLLIS. *Schh.*

Elongatus, niger, parce cinereo-pubescens, rostro breviore, modice arcuato, thorace antice subito angustato, constricto, dein lateribus fere recto, subtiliter coriaceo, remote valde profunde varioloso-punctato, utrinque cinereo lineato, elytris striato-punctatis, pone scutellum et supra humeros evidenter impressis, callo postico magis elevato, notatis.

Lixus lateralis. SAY. *Descript. of Curcul. of N. Amer.* p. 14.

Patria: America borealis. Dom. SAY. Mus. SCHH.

Lixo bardanæ nonnihil minor, præsertim angustior; rostro multo breviore non carinato, thorace antice subito angustato, constricto, lateribus fere rectis, dorso remote profunde varioloso, callo postico elytrorum magis elevato, ab illo facile distinctus. Caput minutum, breve, nigrum, opacum, punctis profundis impressum, pube cinerea parce adspersum, inter oculos foveola parva insculptum; oculi oblongo-ovati, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum capite dimidio longius, crassiusculum, teres, modice arcuatum, nigrum, obscurum, punctis remotis impressum, pube cinerea parce obsitum. Antennæ minus crassæ, nigræ, parce cinereo-pubescentes, clava oblonga, acuminata, densius pubescente. Thorax latitudine baseos vix longior, apice truncatus, mox pone apicem coarctatus, anterius subito angustatus, tum versus basin lateribus fere rectis; basi bi-sinuatus, supra parum convexus, punctis majusculis, profundis, valde remotis, impressus, superficie reliqua subtiliter granulata vel coriacea; niger, obscurus, dorso parcius, lateribus dense cinereo-pubescens. Scutellum nullum. Elytra antice thoracis basi haud latiora, quam lata triplò longiora, cylindrica, sub-linearia, apicem versus angustata, apice ipso conjunctim sub-rotundata, supra convexa, ante apicem callo vel gibbere modice elevato notata, regulariter striato-punctata, punctis remotis, interstitiis planis, subtilissime coriaceis, pone scutellum et supra humeros evidenter impressa; nigra, pube cinerea tenuissime adspersa. Corpus subtus nigrum, tenue griseo-pubescens; pectore profunde, ventre subtiliter punctatis. Pedes mediocres, validi, nigri, pube cinerea adspersi; femoribus modice clavatis, muticis; tibiis rectis, apice intus uncinatis; tarsis parum dilatatis, subtus fulvo-spongiosis.

BHN.

* 111. L. ABERRATUS. *Schh.*

Elongatus, niger, tenue cinereo-pubescens, antennis tarsisque rufescentibus, rostro longiori, tenuiori, apice sub-incrassato, obsolete punctato, thorace confertim subtiliter ruguloso, utrinque obsolete cinereo lineato, elytris subtiliter punctato-striatis, basi leviter bi-impressis, apice obtuse rotundatis.

Habitat in Persia. A Dom. FALDERMANN missus. Mus. SCHH.

Lixo cinerascenti magnitudine et statura valde similis; structura rostri, thorace subtiliter ruguloso, elytris obsoletius punctato-striatis, ab illo distinctus. Caput parvum, rotundatum, nigrum, subtiliter punctulatum, infra oculos dense cinereo-pubescens; frons deflexa, transversim leviter impressa; oculi oblongo-ovati, transversi, depressi, nigri; rostrum longitudine fere thoracis, teres, minus crassum, apicem versus sub-incrassatum, parum arcuatum, nigrum, sub-nitidum, subtiliter punctulatum, pube cinerea parce adspersum. Antennæ subtenues, rufo-ferrugineæ, clava oblongo-ovata, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax antice angustior, truncatus, posterius sensim ampliatus, basi bi-sinuatus, supra modice convexus, undique confertim subtiliter rugulosus, pube tenui cinerea adspersus, in utroque latere, in linea obsoleta condensata. Scutellum nullum. Elytra basi singulatim nonnihil rotundato-producta, thoracis basi haud latiora, sed triplo longiora, linearia, mox ante apicem citius angustata, apice ipso singulatim rotundata, supra modice convexa, subtiliter punctato-striata, interstitiis planis, subtilissime coriaceis, pone scutellum et supra humeros obsolete impressa; tota nigra, pube depressa cinerea, versus latera magis densa, adspersa. Corpus subtus nigrum, subtiliter punctulatum, sat dense cinereo-pubescens. Pedes validiusculi, nigri, mutici, cinereo-pubescentes; tarsis rufo-ferrugineis, subtus fulvo-spongiosis.—BHN.

* 112. L. VIRENS. *Bartels.*

Elongatus, niger, pubescens, flavescenti-pollinosus, fronte tenue canaliculata, rostro longitudine fere thoracis, crassiore, subtiliter punctulato, thorace sub-conico, subtiliter crebre ruguloso, dorso parce, lateribus dense flavescenti-pollinoso, elytris subtilissime punctato-striatis, supra humeros et pone scutellum obsolete impressis, apice obtuse rotundatis.

Habitat non procul a litore orientali maris Caspii. A Dom. BARTELS missus. Mus. SCHH.

Magnitudo *Lixi bardanæ.* Statura et summa similitudo *Lixi aberrati;* antennis tarsisque nigris, fronte tenue canaliculata, rostro crassiori, elytris subtilissime punctato-striatis, ab illo distinctus. Caput parvum, sub-rotundatum, nigrum, subtiliter crebre punctulatum, pube cinerea et polline flavescenti adspersum; fronte longitudinaliter tenue canaliculata; oculi oblongi, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum longitudine fere thoracis, teres, crassiusculum, apicem versus non incrassatum, parum arcuatum, nigrum, subtiliter punctatum, cinereo-pubescens. Antennæ in medio rostri sitæ, validiusculæ, nigræ, cinereo-pubescentes, clava oblonga, valde acuminata. Thorax sub-conicus, antice angustior, sub-truncatus, posterius sensim ampliatus, basi bi-sinuatus, supra modice convexus, undique subtiliter confertim rugulosus, pube tenui cinerea adspersus, dorso parce, lateribus dense flavo-pollinosus. Scutellum parvum, immersum. Elytra basi singulatim sub-truncata, thorace parum latiora et illo triplo longiora, cylindrica, linearia, humeris vix prominulis, rotundatis, ad apicem citius angustata, apice ipso singulatim rotundata, supra modice convexa, pone scutellum et supra humeros leviter impressa, subtilissime punctato-striata, interstitiis planis, subtiliter coriaceis; tota nigra, pube cinerea et polline flavescenti, sat dense obsita. Corpus subtus nigrum, subtiliter crebre punctulatum, dense cinereo-pubescens et flavescenti-pollinosum. Pedes validiusculi, nigri, mutici, cinereo-pubescentes; tibiis rectis, apice uncinatis; tarsis piceis, subtus cinereo-spongiosis.—BHN.

♂♀ 113. L. ZOUBKOFFI. *Schh.*

Elongatus, niger, tenue cinereo-pubescens, læte flavescenti-pollinosus, antennis tarsisque obscure ferrugineis, rostro parum arcuato, minus crasso, subtiliter punctulato, thorace sub-conico, confertim ruguloso-punctato, dorso sub-denudato, elytris subtiliter punctato-striatis, supra humeros leviter impressis, apicem versus perparum ampliatis, apice singulatim rotundatis.

Mas: minor, rostro breviori, subrecto, dense cinereo-pubescente.
Femina: rostro longiori, tenuiori, parum arcuato, denudato.

Lixus rubicundus (1). Dom. ZOUBKOFF *in Litteris.*

Habitat ad litus orientale maris Caspii. A Dom. BARTELS communicatus. Mus. SCHH.

(1) Hoc nomine jam usus est DEJEAN, *Catal. Col.* p. 97

Lixo aberrato magnitudine et statura simillimus; thorace evidenter ruguloso-punctato, ab illo mox distinctus. Caput parvum, sub-rotundatum, nigrum, subtiliter confertim ruguloso-punctatum, pube depressa cinerea et farina læte flavescenti obsitum; oculi laterales, ovati, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum in femina longitudine fere thoracis, in utroque sexu, minus crassum, teres, sub-arcuatum, nigrum, subtiliter punctulatum, in mare nonnihil brevius, dense pubescens. Antennæ validiusculæ, obscure ferrugineæ, pube cinereo-albida parce obsitæ, clava elongata, valde acuminata. Thorax sub-conicus, apice leviter emarginatus, anterius nonnihil angustatus, basi bi-sinuatus, supra modice convexus, niger, evidenter sat crebre ruguloso-punctatus, dorso antico obsoletissime carinatus; totus niger, dorso parce, lateribus dense flavescenti-pollinosus et cinereo-pubescens. Scutellum parvum, immersum. Elytra antice thoracis basi haud latiora, quam lata triplo longiora, cylindrica, humeris rotundatis, apicem versus perparum ampliata, apice ipso singulatim obtuse rotundata, supra modice convexa, subtiliter punctato-striata, interstitiis planis, subtilissime coriaceis, pube cinerea et polline læte flavescenti interdum rufescenti, sat dense obsita. Corpus subtus nigrum, subtiliter punctulatum, pube cinerea et polline læte flavescenti dense tectum. Pedes validiusculi, mutici, nigri, dense albido-pubescentes; tibiis teretibus, subrectis, apice uncinatis, interdum ferrugineis; tarsis modice dilatatis, obscure ferrugineis, subtus griseo-spongiosis.—Bhn.

♂♀ 114. L. Favens. *Schh.*

Elongatus, niger, dense albido-pubescens et tenue pollinosus, rostro tenuiore, apice non incrassato, evidenter punctato, thorace confertim subtiliter ruguloso, elytris angustioribus, subtiliter striato-punctatis, basi obsolete bi-impressis, apice singulatim rotundatis.

Patria: Persia. A Dom. Faldermann communicatus. Mus. Schh.

Lixo aberrato valde affinis, dimidio tamen minor, angustior, rostro apice non incrassato, pube densiori albida tectus. Caput minutum, rotundatum, nigrum, subtiliter confertim punctulatum, pube cinerea adspersum; frons deflexa, plana; oculi oblongo-ovati transversi, nigri, haud prominuli; rostrum in mare capite duplo longius, minus crassum, teres, lineare, nonnihil arcuatum, nigrum, subtiliter et evidenter punctulatum, cinereo-pubescens; in femina longius, nitidum, glabrum. Antennæ minus tenues, obscure ferrugineæ, clava oblonga, acuminata, fusca, cinereo-pubescente.

Thorax latitudine baseos vix longior, antice angustior, truncatus, posterius sensim ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra modice convexus, niger, undique subtiliter confertim rugulosus, sat dense albido-pubescens et pollinosus. Scutellum nullum. Elytra elongata, thoracis basi paulo latiora eoque triplo longiora, utrumque ad angulum scutellarem rotundata, linearia, apicem versus citius angustata, apice ipso singulatim rotundata, supra modice convexa, subtiliter striatim punctata, interstitiis planis, subtilissime coriaceis, pone scutellum et supra humeros leviter impressa, nigra, pube albida versus latera magis condensata et pulvere concolore, undique sat dense obsita. Corpus subtus nigrum, obsolete punctulatum, dense albido-pubescens et pollinosum. Pedes validiusculi, nigri, mutici, dense albido-pubescentes; tarsis subtus fulvo-spongiosis.

BHN.

* 115. L. CONSENESCENS. *Schh.*

Elongatus, niger, obscurus, parce cinereo-pubescens, antennis tarsisque rufo-ferrugineis, rostro longiore, tenuiore, crebre punctato, thorace confertim varioloso, basi leviter impresso, elytris subtiliter striato-punctatis, ferrugineo-marginatis.

Patria: Tauria. Dom. STEVEN. Mus. SCHH.

Magnitudo et summa similitudo *Lixi seniculi;* rostro longiore, tenuiore, elytris magis oblongis, etc., ab illo facile distinctus. Caput minutum, oblongum, nigrum, confertim striolato-rugosum, cinereo-pubescens; oculi oblongi, transversi, nigri, haud prominentes; rostrum longitudine thoracis, validum, subrectum, teres, nigrum, obscurum, sat crebre punctatum, cinereo-pubescens. Antennæ tenues, rufo-ferrugineæ, clava oblongo-ovata, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos longior, apice truncatus, anterius angustatus, lateribus parum rotundato-ampliatus, basi sat profunde bi-sinuatus, tenue marginatus, supra parum convexus, punctis minus profundis variolæ-formibus, sat crebre impressus, superficie interjacente subtiliter coriacea, ante scutellum leviter impressus, niger, obscurus, pube grisea undique tenue adspersus. Scutellum minutum, immersum. Elytra oblonga, basi singulatim perparum rotundato-producta, antice thoracis basi vix latiora, cylindrica, thorace triplo longiora, apicem versus angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra modice convexa, subtiliter striato-punctata, interstitiis planis, subtilissime coriaceis; tota nigra, margine laterali ferrugineo, pube cinerea

undique parce adspersa. Pectus et abdomen nigra, pube flavescenti dense obsita. Pedes breviusculi, mutici, nigri, pube cinerea vestiti; tarsis obscure ferrugineis, subtus fulvo-spongiosis.—BHN.

* 116. L. CINERASCENS. *Steven.*

Elongatus, niger, sub-nitidus, tenuissime cinereo-pubescens, antennis, geniculis, tibiis tarsisque ferrugineis, rostro breviusculo, crassiusculo, obsolete carinato, thorace minus confertim, parum profunde varioloso, utrinque obsolete cinereo lineato, basi subtiliter canaliculato, elytris elongatis, sat profunde striato-punctatis, ferrugineo-marginatis.

MÉNÉTRIÉS, *Catal. raisonné.* p. 221. n° 993.

Patria: Tauria. Dom. STEVEN; Odessa. Dom. LUNDSTEDT. Mus. SCHH.

Lixo seniculo paulo longior et angustior. Caput minutum, breve, nigrum, nitidum, confertim punctulatum; fronte foveola parva inter oculos impressa; oculi oblongi, transversi, nigri, haud prominuli; rostrum thorace brevius, crassiusculum, parum arcuatum, nigrum, nitidum, sat profunde sed minus confertim punctulatum, a basi ultra medium obsolete carinatum, lineola inter antennas longitudinali, abbreviata, parum profunda, notatum. Antennæ subtenues, rufo-ferrugineæ, cinereo-pubescentes. Thorax sub-cylindricus, latitudine baseos longior, apice truncatus, anterius nonnihil angustior, basi bi-sinuatus, supra modice convexus, punctis majusculis, parum profundis, variolæ-formibus, minus confertim impressus, superficie reliqua subtilissime coriacea; a basi ultra medium tenuissime canaliculatus, niger, sub-nitidus, pube tenui cinerea adspersus, versus latera utrinque in linea obsoleta condensata. Scutellum minutum, immersum. Elytra elongata, basi singulatim perparum rotundato-producta, antice thoracis basi vix latiora, sed illo triplo longiora, linearia, apicem versus nonnihil angustata, apice ipso obtuse rotundata, supra parum convexa, regulariter et sat profunde striatim punctata, interstitiis planis, subtilissime coriaceis; nigra, sub-nitida, margine ferrugineo, pube cinerea undique æqualiter parce adspersa. Corpus subtus nigrum, pectore fortius, ventre obsoletius punctulatis, cinereo-pubescentibus. Pedes validiusculi, mutici, cinereo-pubescentes; femoribus nigris, geniculis, tibiis tarsisque ferrugineis; tarsis subtus fulvo-spongiosis.—BHN.

* 117. L. INCANESCENS. *Schh.*

Elongatus, niger, sub-nitidus, tenue cinereo-pubescens, antennis, tibiis tarsisque obscure ferrugineis, rostro longiore, tenuiore, non carinato, thorace angustiore, minus crebre varioloso, subtus cinereo-pubescente, elytris elongatis, sat profunde striato-punctatis.

Habitat in Persia. A Dom. FALDERMANN missus. Mus. SCHH. In Caucaso. Mus. Dom. STEVEN.

Magnitudo et summa similitudo *Lixi cinerascentis*, nonnihil tamen angustior, rostro longiore, tenuiore, non carinato, elytrorum margine nigro, ab illo distinctus videtur. Caput parvum, breve, nigrum, confertim punctulatum, pube cinerea adspersum; frons deflexa; oculi laterales, oblongi, transversi, nigri, haud prominuli; rostrum longitudine thoracis, subtenue, teres, fere rectum, nigrum, nitidum, confertim punctatum, non carinatum, pube cinerea adspersum. Antennæ subtenues, obscure rufo-ferrugineæ, parce pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos longior, sub-conicus, anterius nonnihil angustatus, apice truncatus, postice bi-sinuatus, supra modice convexus, punctis majusculis, sat profundis, variolæ-formibus, confertim impressus, superficie interjacente subtilissime coriacea; niger, sub-nitidus, dorso parce, lateribus dense cinereo-pubescens et pollinosus. Scutellum minutum, triangulare, nigrum, immersum. Elytra elongata, antice thoracis basi vix latiora sed illo plus triplo longiora, cylindrica, sub-linearia, apice obtuse rotundata, nonnihil dehiscentia, supra modice convexa, regulariter sat profunde striato-punctata, interstitiis planis, subtilissime granulatis vel coriaceis; nigra, sub-nitida, pube cinerea undique tenue adspersa. Corpus subtus nigrum, minus crebre punctatum, pube depressa cinerea, dense obsitum. Pedes mediocres, mutici, pube cinerea vestiti; femoribus parum clavatis, nigris; tibiis tarsisque obscure rufo-ferrugineis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis.—BHN.

118. L. CONICOLLIS. *Schh.*

Elongatus, niger, tenue cinereo-pubescens, antennis fusco-ferrugineis, rostro crassiore, breviore, fronte profunde foveolata, thorace angustiore, subtiliter crebre varioloso, a basi ultra medium obsolete carinato, subtus cinereo-pubescente, elytris sat profunde striato-punctatis.

Patria: Constantinopolis. Dom. HEDENBORG. Mus. Reg. Acad. cient. Holm.

Magnitudo, statura et summa similitudo *Lixi incanescentis;* rostro breviore, crassiore, fronte foveolata, thorace confertim punctato, basi carinato, pedibus nigris, ab illo facile distinctus. Caput parvum, angustum, nigrum, confertim punctulatum; frons deflexa, foveola sat magna, insculpta; oculi laterales, oblongi, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum thorace brevius, minus tenue, teres, parum arcuatum, nigrum, sub-nitidum, sat crebre punctatum, non carinatum, pube cinerea adspersum. Antennæ subtenues, obscure ferrugineæ, parce pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax sub-conicus, latitudine baseos longior, anterius nonnihil angustatus, apice truncatus, postice leviter bi-sinuatus, supra modice convexus, crebre subtiliter rugoso-punctatus, a basi ultra medium obsolete carinatus, niger, sub-nitidus, dorso parce, lateribus dense cinereo-pubescens et pollinosus. Scutellum minutum, triangulare, nigrum, immersum. Elytra elongata, antice thoracis basi vix latiora, sed illo plus triplo longiora, cylindrica, linearia, apice ipso obtuse rotundata, supra modice convexa, regulariter sat profunde striato-punctata, interstitiis planis, subtilissime crebre coriaceis; nigra, sub-nitida, pube cinerea undique tenue versus latera antice magis condensata, adspersa. Corpus subtus nigrum, minus crebre punctatum, pube depressa, cinerea, dense tectum. Pedes mediocres, mutici, nigri, pube cinerea vestiti; femoribus parum clavatis; tibiis rectis, apice uncinatis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis.—Bhn.

* 119. L. Seniculus. *Schh.*

Oblongus, niger, obscurus, tenuissime griseo-pubescens, antennis tarsisque rufo-ferrugineis, rostro breviusculo, crassiusculo, thorace subtiliter confertim varioloso, utrinque obsolete griseo lineato, elytris oblongis, subtiliter striato-punctatis; pedibus breviusculis.

Lixus crassipes.! Meg. *in Litt.*

Habitat in Austria. Dom. Megerle; in Germania. Dom. Sturm; in Persia. Dom. Faldermann. Mus. Schh.

Lixo bardanæ dimidio minor. Caput minutum, breve, nigrum, vertice subtiliter confertim punctulatum; fronte striolato-rugosa; oculi oblongi, transversi, nigri; rostrum thorace nonnihil brevius, crassiusculum, parum arcuatum, nigrum, obscurum, striolato-rugosum, in medio obsolete carinatum. Antennæ validiusculæ, obscure rufo-ferrugineæ, pallido-pubescentes. Thorax latitudine baseos vix longior, apice truncatus, anterius angustior, lateribus

modice rotundato-ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra parum convexus, punctis minus profundis variolæ-formibus, sat confertim impressus, superficie interjacente subtiliter coriacea; niger, obscurus, pube tenuissima grisea adspersus, lateribus pulvere cinereo-albido tectis. Scutellum minutum, immersum. Elytra oblonga, basi singulatim perparum rotundato-producta, antice thoracis basi vix latiora, sed illo triplo longiora, pone basin ultra medium nonnihil ampliata, dein iterum angustata, apice ipso obtuse rotundata, supra modice convexa, subtiliter striato-punctata, interstitiis planis, subtilissime coriaceis; nigra, obscura, pube tenuissima grisea undique adspersa. Corpus subtus nigrum, obscurum, obsolete punctatum, pulvere silaceo pubeque grisea adspersum. Pedes breviusculi, validi, mutici; femoribus nigris; tibiis tarsisque obscure ferrugineis; tarsis subtus fulvo-spongiosis.—BHN.

* 120. L. RUFULUS. *Schh.*

Oblongus, ferrugineus, tenuissime griseo-pubescens, rostro breviusculo, crassiusculo, basi obsolete carinato, thorace subtiliter confertim varioloso, dorso obsoletissime canaliculato, lateribus parce fusco-pollinoso, elytris dilutioribus, evidenter striato-punctatis; pedibus breviusculis.

Patria: Græcia. A Dom. LEFEBVRE communicatus. Mus. SCHH.

Statura omnino *Lixi seniculi*, sed illo nonnihil minor, aliter coloratus, elytris profundius striato-punctatis. Caput minutum, breve, piceum; vertice subtiliter confertim punctulatum; fronte striolato-rugosa; oculi oblongo-ovati, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum capite dimidio longius, crassiusculum, parum arcuatum, piceum, a basi ad medium obsolete carinatum, striolato-rugosum, dein confertim punctulatum. Antennæ validiusculæ, dilute rufo-ferrugineæ, clava ovata, acuminata, dilutiori, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos brevior, apice truncatus, anterius angustatus, lateribus modice rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, supra parum convexus, punctis minus profundis, variolæ-formibus, crebre impressus, superficie reliqua subtiliter coriacea; obscure ferrugineus, pube tenuissima grisea adspersus, lateribus pulvere fusco densius obsitis. Scutellum minutum, immersum. Elytra oblonga, basi sub-truncata, antice thorace paulo latiora illoque triplo longiora, pone basin ultra medium perparum ampliata, dein apicem versus iterum angustata, apice ipso nonnihil dehiscentia, singulatim obtuse rotundata, supra modice convexa, evidenter

striato-punctata, interstitiis planis, subtiliter coriaceis; dilute ferruginea, pube tenuissima grisea adspersa. Corpus subtus ferrugineum, subtiliter punctulatum, pube cinerea adspersum. Pedes breviusculi, validi, crebre punctulati, obscure ferruginei; femoribus modice clavatis, muticis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis.—BHN.

Species mihi invisæ:

121. L. AMPHORA.

Cylindricus, griseo-villosus, rostro, pedibus abdomineque ferrugineis.

FABR. *Syst. El.* II. p. 502. n° 19.

Patria: Algier.

122. L. VOLVULUS.

Cylindricus, fuscus, elytris castaneis, griseo variis.

FABR. *Syst. El.* II. p. 502. n° 24.
Curculio id. FABR. *Ent. Syst.* Suppl. p. 108. n° 107-8.

Patria: India orientalis.

123. L. ALGIRUS.

Cylindricus, supra ferrugineus, subtus cinereus, abdomine nigro-punctato.

FABR. *Syst. El.* II. p. 503. n° 25.
Curculio id. GERM. *It. in Dalm. et Rag.* p. 230. n° 263.?

Patria: Algier.

124. L. ALBOSTRIATUS.

Ater, thoracis lateribus elytrorumque striis albis.

FABR. *Syst. El.* II. p. 503. n° 49.

Patria: Guinea.

125. L. CANUS.

Canescens, thorace vittis quatuor albis, elytris striato-punctatis, tuberculis quatuor planis oblongis, tribus in una serie.

WIEDEM. *Zool. Mag.* II. I. p. 128. n° 192.

Patria: Cap. Bonæ Spei.

126. L. Arundinis.

Pulverulento-flavus, pedibus cinereis, elytris striatis, obtusis.

Thunb. *in N. Acta Ups.* VII. p. 113.

Patria : . . . . . .

127. L. Musculus.

Say. *Descript. of Curcul. of N. Amer.* p. 14.

Patria : Louisiana.

Manipulus II. — Femora dentata.

* 128. L. Sturmii. *Hope.*

Oblongus, niger, rostro valido, subrecto, confertim ruguloso, inter antennas canaliculato, thorace inæquali, rugoso, dorso antico lævi, subtiliter punctulato, elytris punctis sparsis cinereo-albidis variegatis, confertim lateque sulcatis, sulcis in fundo scrobiculis parum profundis impressis, basi uni-tuberculatis; femoribus dentatis.

Patria : Mauritius. A Dom. Hope communicatus. Mus. Schh.

Inter majores. Statura fere *Lixi spectabilis*, paulo tamen minor. Caput breve, crassum, rotundatum, nigrum, opacum, subtilissime confertim punctulatum, vel coriaceum, pone oculos transversim striatum; vertice leviter impresso; fronte canalicula abbreviata insculpta; oculi elongati, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum longitudine thoracis, validum, cylindricum, fere rectum, nigrum, opacum, subtiliter confertim rugulosum, inter antennas canalicula sat profunda antice posticeque abbreviata, insculptum. Antennæ minus tenues, nigræ, parce griseo-pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax sub-conicus, latitudine baseos vix longior, apice truncatus, anterius sensim angustatus, basi leviter bi-sinuatus, supra modice convexus, rugulosus, dorso antico tamen lævi punctis parvis nonnullis majoribus interjectis crebre insculptus, longitudinaliter obsoletissime impressus; totus niger, squamulis griseis versus latera hinc inde condensatis obsitus. Scutellum immersum. Elytra basi singulatim nonnihil rotundato-producta, antice thoracis basi paulo latiora, cylindrica, humeris vix prominulis, rotundatis, thorace triplo longiora, apicem versus angustata, apice ipso nonnihil dehiscentia, obtuse rotundata, supra convexa, confertim lateque sulcata, sulcis in fundo scrobiculis sub-

ovatis, parum profundis insculptis, interstitiis angustis, elevatis; basi leviter impressa, singulo elytro in ipsa basi tuberculo parvo, modice elevato, instructo; tota nigra, sub-nitida, punctis numerosis sine ordine e pube cinereo-albida variegata. Corpus subtus nigrum, confertim subtiliter punctulatum, pube grisea parce adspersum. Pedes validi, nigri, punctulati, pube pallida obsiti; femoribus clavatis, subtus pone medium dente parvo armatis; tibiis apice intus unco horizontali instructis, anticis sinuatis; tarsis dilatatis, subtus griseo-spongiosis. — Bhn.

* 129. L. Spinimanus. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, pube cinerea adspersus, rostro crassiori, parum arcuato, thorace breviore, latiore, confertim ruguloso, antice constricto, utrinque cinereo vittato, elytris obsolete punctato-striatis, femoribus acute dentatis.

Habitat in Sierra Leona. Dom. Afzelius. Mus. Schh.

Statura fere *Cleoni*, et *Cleoni sulcirostri* magnitudine æqualis. Caput breve, crassum, nigrum, subtiliter confertim punctulatum, pube depressa grisea adspersum; fronte foveola parva, rotunda, insculpta; oculi oblongi, transversi, haud prominentes, nigri; rostrum thorace brevius, crassum, subrectum, nigrum, ruguloso-punctatum, griseo-pubescens. Antennæ minus tenues, rufo-piceæ, cinereo-pubescentes. Thorax latitudine media vix longior, apice truncatus, anterius angustior, pone apicem coarctatus, lateribus rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, supra modice convexus, confertim et sat distincte granulato-rugosus, in medio dorsi linea elevata, abbreviata, notatus; niger, pulvere flavescenti pubeque cinerea adspersus, utrinque ad latera vitta, medio valde ampliata, dense cinereo-pubescens. Scutellum minutum, immersum. Elytra basi singulatim nonnihil rotundato-producta, antice thoracis basi parum latiora, sed illo triplo longiora, lateribus inflexa, apice obtuse rotundata, supra convexa, obsolete punctato-striata, interstitiis subtilissime coriaceis et præterea rugulis transversis elevatis, præsertim in dorso antico, adspersis, in medio utriusque lateris macula e pube nivea notata; tota nigra, pube cinerea præsertim versus apicem adspersa; pone scutellum et supra humeros leviter impressa. Corpus subtus nigrum, obsolete punctulatum, minus dense griseo-pubescens. Pedes validi, nigri, griseo-pubescentes, femoribus anticis validis, subtus pone medium acute dentatis, reliquis angustis, dente minuto, obtuso, instructis; tarsis subtus fulvo-spongiosis. — Bhn.

* 130. L. Seriesignatus. *Schh.*

Oblongus, niger, rostro arcuato, thorace rude rugoso, dorso sulcato, lateribus longitudinaliter impresso, bi-tuberculato, cinereo tri-lineato, elytris profunde punctato-striatis, pone scutellum et supra humeros leviter impressis, linea suturali et alia laterali e maculis dense cinereo-pubescentibus ornatis; femoribus dentatis.

Patria : Java. A Dom. de Haan communicatus. Mus. Schh.

Magnitudo *Lixi myagri.* Caput rotundatum, nigrum, subtiliter crebre rugoso-punctatum, pube cinerea parce adspersum; fronte inter oculos foveola parva insculpta; oculi oblongi, ovati, transversi, depressi, nigri; rostrum longitudine fere thoracis, teres, validum, arcuatum, nigrum, confertim subtiliter rugoso-punctatum, pube cinerea parce adspersum, lineola inter antennas longitudinali, abbreviata, impressum. Antennæ minus tenues, nigræ, clava magna, oblongo-ovata, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax antice angustior, sub-truncatus, lobulo pone oculos producto; posterius sensim ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, convexus, niger, undique rude rugosus, dorso sulcatus, lateribus longitudinaliter impressus et in medio utrinque tuberculis duobus transversim positis instructus, impressionibus et sulco dorsali dense cinereo-pubescentibus, unde cinereo tri-lineatus. Scutellum nullum. Elytra antice thoracis basi paulo latiora eoque quadruplo longiora, cylindrica, humeris obliquis, prominulis, apicem versus angustata, apice ipso singulatim sub-rotundata, supra convexa, nigra, profunde crebre punctato-striata, interstitiis angustis, subtiliter coriaceis; fovea ad basin magna, parum profunda, communis, a fossula utrinque minori humerali, distincta; singulo elytro linea prope suturam et alia laterali e maculis cinereo-pubescentibus. Corpus subtus nigrum, subtiliter punctulatum, tenue griseo-pubescens. Pedes nigri, pube cinerea dense obsiti; femoribus modice clavatis, omnibus dente obtuso armatis; tibiis rectis, apice uncinatis, anticis basi parum arcuatis, medio incrassatis; tarsis subtus fulvo-spongiosis.—Bhn.

* 131. L. DISCOLOR. *Schh.*

Oblongus, niger, pube grisea adspersus, rostro crassiusculo, arcuato, sub-canaliculato, thorace ruguloso, obsolete carinato, apice profunde constricto, vitta utrinque laterali, medio introrsum ampliata, niveo-tomentosa ornato, elytris subtiliter striato-punctatis, basi transversim rugosis, lateribus et apice plagiatim albido-variegatis, pone scutellum et supra humeros leviter impressis, femoribus acute dentatis.

Lixus pollinosus. Dom. KLUG.; sec. Dom. SCHUPPEL *in Litteris.*

Patria : Caput Bonæ Spei. A Dom. SCHUPPEL communicatus. Caffraria. Dom. ECKLON et ZEYHER.

Statura fere *Cleoni* et *Cleono sulcirostri* magnitudine æqualis, variat tamen dimidio major. Caput breve, rotundatum, nigrum, subtiliter confertim punctulatum, pube grisea parce adspersum, inter oculos puncto parvo profundo impressum; oculi perpendiculares, oblongi, haud prominuli, nigri; rostrum in mare capite dimidio longius, in femina longitudine fere thoracis, crassiusculum, sub-cylindricum, arcuatum, confertim subtiliter punctulatum, nigrum, griseo-pubescens, supra inter antennas obsolete canaliculatum. Antennæ minus tenues, nigro-piceæ, cinereo-pubescentes, clava oblonga, valde acuta. Thorax latitudine baseos nonnihil brevior, anterius angustior, intra apicem profunde constrictus, antice late sinuato-emarginatus, lobis ocularibus vix productis; basi bi-sinuatus, supra modice convexus, inæqualis, subtiliter confertim rugulosus, in medio anguste carinatus; niger, sub-opacus, pube grisea parce adspersus, utrinque vitta laterali, medio introrsum rotundato-ampliata, dense niveo-tomentosa, ornatus. Scutellum demersum, vix observandum. Elytra oblonga, antice singulatim rotundata, thoracis basi arcte applicata, ibique illo nonnihil latiora, humeris rotundatis; lateribus parum ampliata, apice singulatim sub-rotundata, thorace triplo longiora, supra convexa, intra basin pone scutellum et supra humeros leviter impressa, versus apicem callo majusculo, parum producto, instructa; cæterum subtiliter striato-punctata, interstitiis planis, subtiliter coriaceis, versus basin transversim rugosis; nigra, sub-opaca, tomento griseo tecta, in limbo et apice pube albida maculatim condensata variegata. Corpus subtus nigrum, subtiliter confertim punctulatum, pube cinerea dense obsitum; abdomine quadrifariam nigro punctato. Pedes validi, nigri, griseo-tomentosi; femoribus clavatis, omnibus

dente minuto, acuto, armatis; tibiis anticis basi nonnihil arcuatis, apice uncinatis; tarsis modice dilatatis, subtus brunneo-spongiosis.

BHN.

* 132. L. CAFFER.

Oblongo-ovatus, niger, tomento flavescente variegatus, rostro crasso, arcuato, sub-canaliculato, thorace inæquali, rugoso, canaliculato, elytris punctato-striatis, interstitiis planis, confertim rugulosis, posterius callosis, femoribus obtusissime dentatis.

Curculio id. SPARRM. *in Acta Holm.* 1785. I. p. 42. n° 3. T. 2. f. 3.
HERBST. *Col.* VI. p. 58. n° 21. T. 62. f. 14.
LINN. *Syst. nat.* Ed. GMEL. I. IV. p. 1753, n° 163.
Curculio æthiopicus. OLIV. *Enc. méth.* V. p. 563. n° 11.
Cleonis rudis. Dom. KLUG. *in Litteris.*
Lixus coriaceus. Dom. KLUG. *in Litteris.*

Habitat ad Cap. Bonæ Spei. Mus. GHL. et SCHH.

Cleono sulcirostri sub-æqualis. Caput latum, confertim punctulatum, nigrum, flavescenti-tomentosum, posterius convexum; fronte plana, fovea oblonga, profunda impressa; oculi perpendiculares, elongati, nigro-brunnei, modice convexi; rostrum capite vix dimidio longius, crassum, sub-cylindricum, arcuatum, confertim punctulatum, nigrum, flavescenti-tomentosum, supra obsolete canaliculatum. Antennæ breves, crassæ, piceo-ferrugineæ, cinereo-pubescentes. Thorax latitudine baseos vix brevior, anterius multo angustior, longe intra apicem arcuatim constrictus, antice late emarginatus, lateribus ampliatus, basi bi-sinuatus, supra convexus, valde inæqualis, rugosus et confertim punctulatus, in medio antico anguste carinatus, posterius late et profunde canaliculatus; niger, opacus, tomento flavescente inæqualiter adspersus. Scutellum demersum, vix observandum. Elytra elongata, antice singulatim rotundata, thoracis basi arcte applicata, ibique illo nonnihil latiora, lateribus parum ampliata, apice singulatim sub-rotundata, thorace triplo longiora, supra convexa, inæqualia, intra basin abrupte impressa et versus apicem callo majusculo, rotundato, instructa; cæterum rude punctato-striata, punctis remotis, interstitiis planis, subtilissime rugulosis; nigra, opaca, tomento flavescente, in disco parciore, in limbo vero maculatim condensato, variegata. Corpus subtus nigrum, confertim punctulatum, dense flavescenti-tomentosum et pollinosum. Pedes validi, nigri, confertim punctulati, flavescenti-tomentosi; femoribus clavatis, subtus angulatis vel ob-

tusissime dentatis; tibiis arcuatis; tarsis dilatatis, subtus brunneo-spongiosis.

Observ. — Indumentum flavescenti-tomentosum facile deteritur, unde facies aliena; talem decripsit Dom. Sparrman, loc. cit.

Ghl.

* 133. L. Rugicollis. *Klug.*

Elongatus, niger, pube cinerea adspersus, pulvere flavescente variegatus, rostro crassiusculo, arcuato, sub-canaliculato, thorace sub-conico, apice obsolete constricto, inæquali, tenue carinato, rugu-loso, elytris punctato-striatis, interstitiis planis, transversim rugosis, pone scutellum et supra humeros distincte impressis, apice sub-acuminatis, femoribus obtusissime dentatis.

Patria: Caput Bonæ Spei. A Dom. Schuppel amice communicatus. Mus. Schh.

Lixo caffro affinis, sed dimidio fere longior et nonnihil angustior, thorace antice obsolete constricto, elytris apicem versus magis attenuatis ab illo præter staturam abunde distinctus. Caput latum, crassum, confertim subtiliter punctulatum, nigrum, parce flavescenti-pollinosum, posterius convexum; fronte plana, fovea parva oblonga, parum profunda impressa; oculi perpendiculares, elongati, nigri, modice convexi; rostrum capite dimidio longius, crassiusculum, sub-cylindricum, arcuatum, confertim subtiliter punctulatum, nigrum, sub-nitidum, parce griseo-pubescens, supra obsolete canaliculatum. Antennæ breves, sub-crassæ, nigræ, cinereo-pubescentes, clava oblonga, valde acuta. Thorax latitudine baseos vix brevior, anterius multo angustior, mox intra apicem leviter constrictus, antice sub-truncatus, lateribus nonnihil ampliatus, basi bi-sinuatus, supra convexus, inæqualis, confertim rugulosus, in medio canaliculatus et in canalicula anguste carinatus; niger, sub-opacus, pulvere flavescente inæqualiter adspersus. Scutellum demersum, vix observandum. Elytra elongata, antice singulatim rotundata, thoracis basi arcte applicata, ibique illo nonnihil latiora, humeris rotundatis, lateribus parum ampliata, apicem versus attenuata, apice conjunctim sub-acuminata, thorace triplo longiora, supra convexa, pone scutellum profunde lateque supra humeros foveola sat profunda impressa et versus apicem callo majusculo, rotundato, instructa; cæterum rude punctato-striata, punctis parum remotis, interstitiis planis, transversim rugulosis; nigra, sub-nitida, tomento cinereo et pulvere flavescente, in disco parciore

versus apicem densiore variegata. Corpus subtus nigrum, confertim subtiliter punctulatum, cinereo-tomentosum et sulphureo-pollinosum. Pedes validi, nigri, confertim punctulati, parce flavescenti-tomentosi; femoribus clavatis, subtus angulatis vel obtusissime dentatis; tibiis basi nonnihil arcuatis, apice uncinatis; tarsis dilatatis, subtus brunneo-spongiosis.—BHN.

* 134. L. TERETIUSCULUS. *Schh.*

Lineari-elongatus, niger, pube grisea et pulvere flavescenti parce adspersus, rostro crassiori, longitudine thoracis, confertim ruguloso-punctato, thorace angustiore, antice constricto, crebre rugoso, elytris evidenter striato-punctatis, supra humeros leviter pone scutellum sat profunde impressis, femoribus dentatis.

Habitat ad Cap. Bonæ Spei. Dom. KREBS. A Dom. Com. MANNERHEIM benevole donatus. Mus. SCHH.

Lixo cribricolli proximus, sed longior, gracilior; thorace angustiori, elytris pone scutellum sat profunde impressis ut et armatura pedum ab illo bene distinctus. Caput minutum, sub-rotundatum, nigrum, nitidum, confertim ruguloso-punctatum, supra oculos transversim striolatum, pulvere fulvescenti parce adspersum; oculi oblongi, transversi, nigri, parum prominuli; rostrum longitudine thoracis, teretiusculum, sub-arcuatum, crassiusculum, confertim ruguloso-punctatum, nigrum. Antennæ minus tenues, nigro-piceæ, clava cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos parum longior, sub-conicus, anterius angustior, leviter constrictus, apice sinuato-emarginatus, lobis ocularibus sub-productis, lateribus obliquis, vix rotundatis, basi bi-sinuatus, marginatus, supra parum convexus, confertim sed minus rude rugosus, lateribus pulvere flavescente sat dense adspersus. Scutellum minutum, immersum. Elytra elongata, antice singulatim rotundata, ibique thoracis basi vix latiora, sub-linearia, apice conjunctim obtuse rotundata, thorace quadruplo longiora, supra convexa, regulariter striato-punctata, interstitiis transversim rugulosis; utrinque supra humeros leviter pone scutellum autem late et sat profunde impressa; nigra, sub-nitida, pube cinerea et pulvere fulvescente parce adspersum. Corpus subtus nigrum, subtiliter punctulatum, densius cinereo-tomentosum et flavescenti-pollinosum. Pedes nigri, dense cinereo-pubescentes; femoribus modice clavatis, anticis subtus dente valido, posticis parvo, obsoleto armatis; tibiis rectis; tarsis elongatis, subtus brunneo-spongiosis.— BHN.

GENUS 184. PACHOLENUS. *Nobis* (1).

Character generis: — Antennæ breviusculæ, tenues; funiculo 7—articulato; articulis duobus basalibus longiusculis, ob-conicis, reliquis brevissime sub-obconicis, æqualibus, sub-coarctatis; clava ovalis, acuminata, articulis ægre discernendis.

Rostrum elongatum, validum, teres, sub-arcuatum.

Oculi magni, oblongi, sub-depressi, infra caput fere connexi.

Thorax oblongus, basi leviter bi-sinuatus, anterius sub-angustior, antice in medio valde productus, pone oculos lobatus.

Scutellum minutum, ægre observandum.

Elytra elongata, cylindrica, basi singulatim rotundato-producta.

Femora antica intus in medio angulo magno, valido, producto-armata.

Observ. — Corpus elongatum, cylindricum, squamosum et setosum, alatum; mediæ magnitudinis.

Patria: Brasilia.

* 1. P. PELLICEUS *Schh.*

Elongatus, rufo-piceus, vellere cervino tectus, thorace antice in medio modice producto, umbrino tri-lineato, elytris apice rotundatis, obsolete striato-punctatis, basi suturæ et vitta longitudinali obscurioribus, notatis, femoribus anticis valde incrassatis, dentatis.

Habitat in Brasilia. Dom. FREYREISS. Mus. SCHH.

Lixo bardanæ statura fere similis, sed paulo major. Caput breve, latum, crassum, supra planum, nigrum, subtiliter rugoso-punctatum, vellere denso cervino, obductum; oculi laterales, magni, sub-ovati, depressi, sub capite fere connexi, obscure brunnei; rostrum longitudine fere thoracis, capite multo angustius, deflexum, lineare, arcuatum, sub-teres, nigrum, vellere cervino, tectum. Antennæ paulo pone medium rostri insertæ, longitudine capitis cum rostro, tenues, rufo-ferrugineæ, pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine multo longior, anterius sub-angustior, antice in medio rotundato-productus, lateribus vix rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, supra modice convexus, pulvere cervino tectus, setulisque brevibus, albidis,

(1) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 216. n° 121

antrorsum declinatis, adspersus; lineis tribus umbrinis, notatus, quarum dorsalis latior, recta, laterales angustiores, sub-obliquæ. Scutellum minutissimum, vix conspicuum. Elytra cylindrica, antice thoracis basi haud latiora, sed quadruplo longiora, antice singulatim sub-rotundato-producta, humeris obtuse angulatis, lateribus inflexa, apice obtuse rotundata, supra convexa, picea, obsolete striatim punctata, vellere cervino tecta, setulisque albidis, declinatis, præsertim versus latera, adspersa, basi suturæ et vitta longitudinali in singulo elytro obscurioribus, sub-umbrinis. Corpus subtus dilute ferrugineum, farina flavescenti, pilisque albidis, obsitum. Pedes rufo-picei, flavo-pollinosi, pilosi; femoribus anticis intus in medio ungulo magno, valido, compresso, armatis; tibiis anticis compressis, latiusculis, curvatis, apice intus acute uncinatis; pedes posteriores tenues; femoribus vix incrassatis, muticis; tibiis rectis, his omnibus unco deflexo, valido, ad apicem extus armatis. Tarsi subtus fulvo-spongiosi.—Bhn.

* 2. P. Penicillus. *Schh.*

Elongatus, nigro-æneus, vellere sordide cervino adspersus, thorace antice in medio longe producto, dorso umbrino, elytris confertim striato-punctatis, apicem versus attenuatis, apice ipso recurvato, setoso; femoribus anticis valde incrassatis, dentatis.

Habitat in Brasilia. Dom. Freyreiss. Mus. Schh.

Præcedenti longior sed angustior. Caput breve, latum, crassum, supra planum, nigrum, rugoso-punctatum, vellere cervino, adspersum; fronte inter oculos impressa, obsolete canaliculata; oculi laterales, magni, sub-ovati, depressi, sub capite fere connexi, nigro-brunnei; rostrum capiti contiguum, illoque duplo longius sed angustius, sub-porrectum, lineare, arcuatum, sub-teres, nigrum, vellere sordide cervino adspersum, apice denudatum. Antennæ pone medium rostri insertæ, capite cum rostro parum longiores, tenues, rufo-ferrugineæ, parce pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine longior, anterius sub-angustior, antice in medio in lobum elongatum, elevatum, sub-acutum, productus, lateribus vix rotundato-ampliatus, basi sub-bi-sinuatus, supra modice convexus, niger, rugoso-punctatus, dorso vellere obscure umbrino, lateribus vellere cervino obductus, setulisque brevibus, albidis, antrorsum declinatis, præsertim versus latera adspersus. Scutellum vix conspicuum. Elytra sub-cylindrica, antice thoracis basi fere angustiora, basi sub-truncata, humeris obtuse rotundatis, thorace quadruplo longiora, lateribus inflexa,

apicem versus attenuata, apice ipso singulatim acuminata, recurvata, et fasciculo magno e setis longis fulvescentibus aucta; supra convexa, nigro-ænea, obsolete at confertim striatim punctata, interstitiis angustis, convexis, coriaceis, pulvere sordide cervino, setulisque albidis, declinatis, adspersis. Corpus subtus nigro-æneum, obsolete punctulatum, pilisque depressis, griseis, obsitum, segmento ultimo valde elongato, ferrugineo. Pedes rufo-picei; antici robusti; femoribus valde incrassatis, intus in medio dente validiusculo, armatis, punctatis, fulvescenti-pilosis; tibiis compressis latiusculis, curvatis, apice intus uncinatis, tenue fulvescenti et fusco-pilosis; pedes posteriores tenues, griseo-pubescentes; femoribus vix incrassatis, muticis; tibiis rectis; his omnibus unco deflexo, valido, ad apicem extus armatis. Tarsi subtus fulvo-spongiosi.

Bhn.

Genus 185. — BRACHYPUS. *Nobis* (1).

Character generis. — Antennæ mediocres, subtenues; funiculo 7—articulato: articulo primo longiusculo, obconico, crassiusculo, 2° brevissime obconico, reliquis brevioribus, lenticularibus, gradatim paulo latioribus; clava oblongo-ovata, acuminata.

Rostrum elongatum, subtenue, teres, parum arcuatum.

Oculi sub-ovati, sub-depressi.

Thorax oblongus, basi apiceque truncatus, lateribus modice rotundatus, anterius paulo angustior, juxta apicem transversim constrictus.

Scutellum minutum, triangulare.

Elytra elongata, linearia, basi truncata, versus apicem attenuata, apice ipso singulatim acuminata, dehiscentia.

Unguli tarsorum brevissimi.

Observ. — Corpus elongatum, cylindricum, squamosum; minusculæ magnitudinis.

1. B. Lixoides. *Schh.*

Lineari-elongatus, brunneus, squamulis densis argillaceo-albidis undique tectus antennis pedibusque testaceis, thorace sub-quadrangulo, antice constricto, elytris linearibus punctato-striatis, apice singulatim acuminatis, dehiscentibus.

---

(1) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 217. n° 122.

Habitat.... Mus. Reg. Acad. Scient. Holm. E Mus. Dom. PAYK.

Parum angustus, statura *Lypri cylindri*, et illo parum major. Caput brevissimum, parum convexum, punctulatum, brunneum, squamulis albidis tectum; oculi laterales, sub-ovati, depressi, brunnei; rostrum longitudine capitis cum thorace, porrectum, sub-arcuatum, fere cylindricum, minus tenue, subtiliter granulato-punctatum, brunneum, albido-squamosum. Antennæ vix medium thoracis superant, subtenues, testaceæ, albido-pubescentes. Thorax latitudine longior, basi apiceque truncatus, intra apicem transversim constrictus, lateribus vix ampliatus, supra minus convexus, confertim punctulatus, brunneus, squamulis densis albidis tectus, relicta plaga magna dorsali nuda, forte casu detrita. Scutellum minutum, punctiforme, squamosum. Elytra lineari-elongata, antice truncata, ibique thoracis basi latiora, humeris elevatis, sub-rectangulis, lateribus inflexa, apice singulatim longe acuminata, dehiscentia, thorace quadruplo longiora, supra modice convexa, evidenter punctato-striata, punctis remotiusculis; brunnea, squamulis densis albidis tecta. Corpus subtus anterius brunneum, confertim punctatum, albido-squamosum, ventre dilutiore, parcius squamoso. Pedes breviusculi, validi, dilutius testacei, albido-squamulosi; femoribus muticis; tibiis rectis; tarsis dilatatis, subtus albido-spongiosis.—GHL.

GENUS 186. — LARINUS.

Larinus SCHUPP., GERM., LATR., STURM, SCHH. (1). — *Rhinobatus* GERM. olim (2), DEJEAN, STEVEN, BILLB. — *Lixus* OLIV. — *Rhynchænus* FABR. — *Curculio* auctorum reliquorum.

Character generis. — Antennæ breves, validæ; funiculo 7—articulato; articulis duobus basalibus breviusculis, sub-obconicis, 3—7 brevioribus, transversis, apice truncatis, coarctatis, exterioribus gradatim latioribus, ultimo clavæ arcte adnexo; clava oblongo-ovata, acuminata.

Rostrum longitudine varians, teres, crassiusculum, plus minusve arcuatum; scrobs linearis, curvata, in basi rostri subtus cum opposito connexa.

---

(1) Germ. Ins. Spec. I. p. 379. — Latr. Règne anim. p. 394. — Schh. Curc. Disp. Meth. p. 219. n° 123.

(2) Germ. in N. Wetter. Annal. I. I. p. 136. n° 19.

Oculi perpendiculares, valde elongati, sub-depressi.

Thorax latitudine baseos brevior, basi profunde bi-sinuatus, lateribus obliquis, antice dimidio angustior, apice sub-sinuato-emarginatus, longe intra apicem obsolete constrictus.

Scutellum minutum, triangulare.

Elytra sub-ovata, thoracis postice parum latiora, basi singulatim rotundato-producta, humeris obtuse-angulatis; supra convexa, dorso antice sæpius sub-plana, posterius sub-callosa, apice conjunctim rotundata.

Femora clavata, mutica.

Observ. — Corpus sub-ovatum, alatum, sæpius tomentosum, plerumque pollinosum, aut majusculæ, aut mediocris magnitudinis.

Patria: Europa meridionalis, Persia, Oriens, Africa septentrionalis et australis.

♂♀ 1. L. CYNARÆ.

Oblongo-ovatus, niger, fasciculatim cinereo et virescenti-tomentosus; rostro basi tri-carinato; thorace rugoso, carinato; elytris punctato-striatis, ad humeros minus ampliatis, interstitiis discoidalibus planis, non antice elevatioribus.—GHL.

GERM. *Ins. Spec.* I. p. 382. n° 525.

Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 441. n° 14.

Curculio id. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 401. n° 28. — *Mant.* I. p. 98. n° 19.

OLIV. *Enc. méth.* V. p. 477. n° 27.

WALCKEN. *Faun. Par.* I. p. 244. n° 24.

LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1747. n° 121.

Obs.—Simillimus *Larino cardui*, sed paulo longior et convexior; rostrum basi tri-carinatum; elytrorum humeri minus ampliati, et interstitia illorum discoidalia antice reliquis non elevatiora; indumentum tomentosum semper cinereum vel sub-virescens, nunquam flavo-pollinosum.

Patria: Gallia merid., Sardinia, Sicilia, Hispania.

♂♀ 2. L. COSTIROSTRIS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, subtus et lateribus dense, supra maculatim cinereo-tomentosus, flavescenti-pollinosus, rostro sub-tricostato, thorace distincte carinato, elytris remote punctato-striatis, interstitiis discoidalibus anterius elevatioribus.

Patria: Odessa. A Dom. LUNDSTEDT amice communicatus. Etiam e Sicilia a Dom. LEFEBVRE missus. Mus. SCHH.

Medius quasi inter *Larinos cynaræ* et *cardui*, cum priore rostro subtricarinato conveniens est, cum posteriore thoracis lateribus densius tomentosis et statura paulo breviore. Caput rotundatum, postice convexum, subtiliter, confertim punctulatum; fronte impressa, profundius rugoso-punctata; anterius et circum oculos flavescenti-tomentosum; oculi perpendiculares, valde elongati, brunnei, depressi; rostrum capite angustius et duplo longius, validum, subarcuatum, supra convexum, ruguloso-punctatum, carinulis tribus, antice abbreviatis instructum, media altiore; nigrum, versus basin flavescenti-tomentosum. Antennæ breves, nigræ, cinereo-pubescentes. Thorax transversus, antice dimidio angustior, apice truncatus et intra apicem constrictus, fere tubulatus; lateribus obliquis, parum ampliatis; basi profunde bi-sinuatus, lobo scutellari rotundato; supra transversim convexus, pulvinatus, in medio carina distincta, angusta, instructus, in disco utrinque foveola obsoletiore et in medio baseos tertia profundiore impressus; cæterum confertim ruguloso-punctatus, niger, subtus et lateribus dense, supra parce flavo-tomentosus. Scutellum triangulare, nigrum, flavo-pollinosum. Elytra magna, sub-elliptica, antice singulatim rotundata, margine elevato; thoracis basi latiora, lateribus ampliata, apice conjunctim rotundata, cum callo elevato, tomentoso in singuli apice; thorace quadruplo longiora, supra convexa, sub-remote punctato-striata, interstitiis inæqualibus, tertio, quarto et humerali antice elevatioribus, omnibus subtiliter strigosis et granulatis; nigra, maculis plurimis cinereo-tomentosis, flavo-pollinosis, adspersa. Corpus subtus confertim punctatum, tomentosum et flavescenti-pollinosum. Pedes longiusculi, validi, nigri, dense flavo-tomentosi. — GHL.

♂♀ 3. L. CARDUI.

Oblongo-ovatus, niger, subtus thoracisque lateribus dense, elytris fasciculatim cinereo-tomentosis, flavescenti-pollinosis; rostro, capite thoraceque uni-carinatis, elytris punctato-striatis, pone humeros ampliatis, interstitiis discoidalibus anterius elevatioribus. GHL.

GERM. *Ins. Spec.* I. p. 382. n° 526.

MÉNÉTRIÉS. *Catal. raisonné.* p. 223. n° 999.

Curculio id. ROSSI. *Faun. Etr.* I. p. 111. n° 284. T. 5. f. 11. Ed. HELLW. p. 117. n° 284. T. 5. 5. f. 11.

Lixus cynaræ. OLIV. *Ent.* V. 83. p. 273. n° 290. T. 21. f. 272. T. 9. f. 101. a. (b.?)

Curculio cynaræ. HERBST. *Col.* VI. p. 120. n° 31. T. 68. f. 1.
PANZ. *in Naturf.* XXIV. p. 18. n° 25. T. 1. f. 25.
GERM. *It. in Dalm. et Rag.* p. 231. n° 268.
Curculio latus. HERBST. *Arch.* IV. p. 71. n° 21. T. 24. f. 9.
OLIV. *Enc. méth.* V. p. 497. n° 119.
LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1754. n° 166.
Curculio triangularis. PETAGNA. *Ins. Cal.* p. 14. n° 71.
OLIV. *Enc. méth.* V. p. 573. n° 68.
VILLERS. *Ent.* IV. p. 295.
LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1806. n° 551.
Rhinobatus subcostatus. DEJ. *Cat. Col.* p. 97.

♂♀ VAR. β. Occurrunt specimina rostro magis tereti, obsoletius uni-carinato; in cæteris omnimodo convenientia, ut specie distingui non merentur.—GHL.

Larinus teretirostris. SCHH. *in Litteris*, olim.

Patria: Dalmatia, Italia, Illyria, Hungaria, Caucasus, Persia, Smyrna, Sibiria.

♂ 4. L. CIRSII.

Oblongo-ovatus, niger, subtus dense supra maculatim cinereo-tomentosus aut flavescenti-pollinosus, rostro rugoso, carina latiore instructo, thorace carinato, elytris punctato-striatis, interstitiis transversim rugosis, pone humeros ampliatis.

Rhinobatus id. STEVEN. *Mus. Mosqu.* II. p. 97.

Patria: Caucasus et Persia. A Dom. STEVEN, sub allato nomine amice communicatus. Mus. SCHH.

Præcedentibus iterum statura, magnitudine et facie simillimus; differre tamen videtur, rostro magis rugoso, carina unica latiore instructo, elytrorum interstitiis, magis rugosis, etc. Caput rotundatum, convexum, posterius confertissime punctulatum, fronte sub-impressa, fortius rugoso-punctata; nigrum, parce cinereo-tomentosum; oculi perpendiculares, valde elongati, brunnei, subdepressi; rostrum capite multo angustius, sed duplo longius, validum, teres, parum arcuatum, supra rugosum et punctatum, carina latiore, obtusa, a basi ultra medium extensa instructum: nigrum, parum pubescens. Antennæ breves, validæ, nigræ, cinereo-pubescentes. Thorax transversus, antice dimidio angustior, subtubulatus, apice leviter emarginatus, lateribus obliquis, fere rectis: basi modice bi-sinuatus, lobo medio truncato; supra transversim convexus, pulvinatus, in medio anguste carinatus, in disco utrinque

foveola valde obsoleta, et tertia in medio baseos profunda impressus; cæterum confertim ruguloso-punctatus, niger, subtus et lateribus dense, in dorso parce cinereo-tomentosus. Scutellum triangulare, nigrum, tomentosum. Elytra ob-ovata, antice singulatim, rotundata, margine elevato; thoracis basi multo latiora, humeris rotundatis ampliatis; lateribus posterius angustiora, apice conjunctim rotundata, obtusa, absque callo apicali; thorace quadruplo longiora, supra convexa, rude, sub-remote punctato-striata, interstitiis inæqualibus, plerisque antice latioribus, magis elevatis, transversim rugosis et subtiliter alutaceis; nigra, maculis parvis, sub-seriatis, cinereo-tomentosis, interdum flavo-pollinosis, adspersa. Corpus subtus confertim punctulatum, nigrum, dense cinereo-tomentosum. Pedes longiusculi, validi, cinereo-tomentosi.

GHL.

♀ 5. L. TERETIROSTRIS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, subtus dense, supra maculatim cinereo-tomentosus, rostro tereti, subrecto, profundius rugoso-punctato, vertice canaliculato, elytris punctato-striatis, pone humeros ampliatis, interstitiis planis, æqualibus, transversim rugulosis.

Patria: Europa meridionalis, (Sicilia?) A Dom. LEFEBVRE amice donatus. Mus. SCHH.

Magnitudo, statura et summa affinitas *Larinorum cirsii* et *cardui*, sed rostrum nullo modo carinatum, vertex distincte canaliculatus, elytrorum interstitia plana, æqualia, etc. Caput rotundatum, inæquale, obsolete punctulatum, nigrum, vertice canalicula sat profunda, determinata, antrosum attenuata insculpto; oculi perpendiculares, valde elongati, nigri, parum convexi; rostrum capite plus duplo longius, validum, teres, nigrum, sat profunde rugoso-punctatum, absque rudimento carinulæ elevatæ. Antennæ breves, validæ, nigræ, cinereo-pilosæ et pubescentes. Thorax latitudine baseos multo brevior, antice duplo angustior quam basi, apice leviter emarginatus, intra apicem constrictus, lateribus obliquis, fere rectis; basi profunde bi-sinuatus, lobo scutellari obtuso, impresso; supra modice convexus, sub-pulvinatus, antice in medio carina brevi instructus, undique confertim rugoso-punctatus, niger, utrinque vitta laterali, sat determinata, obliqua, pallido-tomentosa notatus. Scutellum oblongo-triangulare, nigrum. Elytra ob-ovata, antice singulatim rotundata, elevato-marginata, thoracis basi latiora, humeris rotundatis; pone humeros ampliata, in medio laterum impressa, apice conjunctim rotundata, thorace plus triplo longiora,

supra convexa, distincte punctato-striata, interstitiis latis, planis, transversim rugulosis, nigra, maculis parvis cinereo-tomentosis, præsertim versus latera et apicem adspersa. Corpus subtus obsoletius punctulatum, nigrum, tomento sat denso cinereo tectum. Pedes longiusculi, validi, nigri, dense cinereo-tomentosi; tarsis subtus fulvo-spongiosis.—GHL.

♂♀ 6. L. GLABRIROSTRIS. *Schh.*

Oblongo-ellipticus, niger, subtus thoracisque lateribus dense, elytris maculatim cinereo-tomentosis, flavescenti-pollinosis, rostro carina unica anterius latiore, glabra instructo, elytris punctato-striatis, ad humeros parum ampliatis, interstitiis planis, subtiliter alutaceis.

Patria: Sicilia. A Dom. LEFEBVRE benevole communicatus. Mus. SCHH.

Præcedentibus, præsertim *Larino cirsii* similis, sed angustior; carina rostri anterius latior, glabra; elytra pone humeros parum ampliata et illorum interstitia plana, subtiliter alutacea. Caput rotundatum, posterius convexum, punctis majoribus et minoribus mixtis adspersum, nigrum; fronte plana, fortius rugulosa; oculi perpendiculares, valde elongati, brunnei, depressi; rostrum capite paulo angustius et vix duplo longius, validum, sub-arcuatum, inæqualiter punctatum, supra carina, basi attenuata, distincte elevata, extrorsum dilatata et explanata instructum, nigrum, nitidum, glabrum. Antennæ breves, validæ, nigræ, cinereo-pubescentes. Thorax latitudine baseos brevior, antice dimidio angustior, apice sinuato-emarginatus, longe intra apicem obsolete constrictus, lateribus obliquis, fere rectis; basi profunde bi-sinuatus, lobo medio rotundato, depresso; supra modice convexus, confertim inæqualiter rugulosus et punctatus, in medio anterius carinatus, niger, opacus, subtus et lateribus dense, in dorso parce cinereo et flavescenti-tomentosus. Scutellum triangulare, acutum, nigrum. Elytra antice singulatim obtuse rotundata, thoracis basi parum latiora, pone basin nonnihil ampliata, dein posterius angustiora, apice conjunctim rotundata, thorace fere quadruplo longiora, supra modice convexa, in dorso antico fere plana, distincte, sub-remote punctato-striata, interstitiis planis, subtiliter alutaceis; nigra, parum nitida, fasciculis parvis cinereo et flavescenti-tomentosis confertim adspersa. Corpus subtus subtilissime punctulatum, nigrum, tomento denso cinereo vestitum. Pedes longiusculi, nigri, dense cinereo-tomentosi.—GHL.

♂ 7. L. BUCCINATOR.

Oblongo-ovatus, niger, inæqualiter cinereo-albido-tomentosus, rostro basi carinato, thorace lateribus tuberculato ibique et in linea dorsali albidius tomentoso, antice sub-tubulato; elytris sub-punctato-striatis, interstitiis planis, confertim alutaceis.—GHL.

Lixus id. OLIV. *Ent.* V. 83. p. 274. n° 291. T. 21. f. 273.
Rhinobatus id. DEJ. *Cat. Col.* p. 98.

Patria: Barbaria, Hispania.

♂ 8. L. INQUINATUS.

Oblongo-ovatus, niger, tomento cinereo et sub-ferrugineo-variegatus, rostro obsolete canaliculato, thorace inæquali, rugoso, canaliculato cum carinula, elytris punctato-striatis, maculis tribus obliquis denudatis, basi punctis pallido-tomentosis.—GHL.

Lixus id. OLIV. *Ent.* V. 83. p. 266. n° 279. T. 6. f. 67.
Curculio major. HERBST. *Col.* VI. p. 88. n° 48. T. 65. f. 4.—*Arch.* p. 81. n° 69. T. 24. f. 29.
OLIV. *Enc. méth.* V. p. 552. n° 369.?
LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1799. n° 476.?

Patria: Barbaria.

♂ 9. L. AFER. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, lateribus et subtus dense albo-tomentosus, rostro longiore, basi carinato, thorace in medio remote punctato, lateribus sub-rugoso, elytris punctato-striatis, interstitiis planis, sub-lævibus.

Habitat ad Marocco. Dom. SCHOUSBOE. Mus. SCHH.

Statura et fere magnitudo *Larini cardui*. Caput breve, parum convexum, remote punctatum, fronte inter oculos foveolis tribus, tranversim positis, impressa; nigrum, parce cinereo-tomentosum: oculi perpendiculares, oblongi, brunnei, parum prominuli; rostrum capite cum thorace paulo brevius, minus crassum, valde arcuatum, subtiliter punctulatum, a basi ad medium leviter carinatum, nigrum, parce cinereo-tomentosum. Antennæ vix medium thoracis attingunt, nigro-piceæ, albido-pilosæ et pubescentes, clava annulo nudo nigro cincta. Thorax latitudine baseos brevior, anterius multo angustior, apice late sed parum profunde emarginatus, lateribus obliquis, parum ampliatis, basi profunde bi-sinuatus, an-

gulis lateralibus acuminatis, supra parum convexus, in medio profunde sed remote punctatus, antice et ad latera confertim rugoso-tuberculatus, niger, subtus et in linea lata laterali dense albo-tomentosus. Scutellum triangulare, nigrum, punctatum, valde demersum. Elytra ovata, antice singulatim rotundata, ibique thoracis basi non latiora, illique arcte applicata, lateribus parum ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace triplo longiora, supra minus convexa, regulariter punctato-striato, interstitiis latis, planis, fere lævibus; nigra, vitta marginali lata, inæquali, dense albo-tomentosa. Corpus subtus nigrum, confertim rugoso-punctatum, pectore dense, ventre parcius albo-tomentosis. Pedes elongati, validi, nigri, albido-tomentosi; femoribus modice clavatis, muticis; tibiis subrectis; tarsis dilatatis, subtus flavescenti-spongiosis.—GHL.

10. L. GRAVIDUS (1).

Fuscus, thoracis lateribus albis, elytris striatis, albo-pulverulentus. — OLIVIER.

Lixus id. OLIV. *Ent.* V. 83. p. 275. n° 293. T. 30. f. 450.

Patria : America septentrionalis.

♂♀ 11. L. ONOPORDINIS.

Breviter ovatus, niger, supra inæqualiter cinereo-pallescenti-tomentosus, rostro basi supra sulcis duobus brevibus impresso, thorace ruguloso-punctato, lateribus dense tomentoso, elytris anguste punctato-striatis, inæqualiter tomentosis.—GHL.

MÉNÉTRIÉS, *Catal. raisonné.* p. 222. n° 997.
Rhynchænus id. Fabr. *Syst. El.* II. p. 440. n° 8.
Curculio id. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 399. n° 22. — *Mant.* I. p. 98. n° 15.
HERBST. *Col.* VI. p. 125. n° 85. T. 68. f. 4.
OLIV. *Enc. méth.* V. p. 477. n° 23.
LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1746. n° 117.
Lixus onopordi. OLIV. *Ent.* V. 83. p. 272. n° 289. T. 21. f. 275.

Patria : Barbaria, Syria, Persia, Caucasus, Lusitania.

---

(1) Mihi invisus.

♂♀ 12. L. MACULATUS. *Faldermann.*

Breviter ovatus, niger, subtus dense flavescenti-tomentosus, rostro basi bi-foveolato, thorace canaliculato, vitta lata laterali, elytris maculis inæqualibus flavo-tomentosis duplici serie ornatis.

Patria: Persia. A Dom. FALDERMANN, sub hoc nomine benevole communicatus. Mus. SCHH.

Brevis, latus, *Larino onopordinis* similis et affinis; mas ejusdem magnitudinis, femina duplo major. Caput breve, latum, anguste canaliculatum, disperse punctatum, nigrum, tomento albido et flavescente vestitum; oculi perpendiculares, valde elongati, angusti, brunnei, depressi; rostrum capite multo angustius et duplo longius, crassum, fere rectum, supra ad basin foveis duabus magnis, ovatis insculptum, antrosum rugulosum, nigrum, flavescenti-tomentosum. Antennæ breves, crassæ, nigræ, dense cinereo-pubescentes. Thorax latitudine baseos paulo brevior, anterius dimidio angustior, apice leviter emarginatus, sub-tubulatus; lateribus obliquis, fere rectis; basi profunde bi-sinuatus, lobo medio rotundato; supra transversim modice convexus, in medio anguste canaliculatus, confertim rugoso-punctatus, niger, utrinque vitta laterali lata inæquali et in medio linea angusta, dense flavescenti-tomentosis, ornatus. Scutellum triangulare, nigrum, flavescenti-tomentosum. Elytra antice singulatim rotundata, pone basin oblique ampliata, humeris sub-elevatis; apice conjunctim rotundata, cum acumine parvo in singulo; thorace vix triplo longiora, supra convexa, anguste striata vel sub-sulcata, sulcis anterius distincte, posterius obsolete punctatis, interstitiis planis, ruguloso-alutaceis; nigra, parce cinereo-tomentosa; in singulo elytro series duæ e maculis valde inæqualibus, flavo-tomentosis, una marginalis, altera versus suturam. Corpus subtus confertim punctulatum, nigrum, dense flavescenti-tomentosum. Pedes longiusculi, nigri, dense pallido-tomentosi.

GHL.

♂♀ 13. L. MACULOSUS. *Besser.*

Ovatus, niger, tomento flavescente variegatus, rostro crasso, basi bi-sulcato, carina media, antrorsum bifida instructo, thorace rugoso, medio leviter carinato, elytris subtiliter rugulosis, punctato-striatis.

MÉNÉTRIÉS. *Catal. raisonné.* p. 222. n° 998.

Habitat in Gallia meridionali. Dom. V. WINTHEM; in Podolia

australi. Dom. BESSER; et in Caucaso. Dom. STEVEN et MÉNÉTRIÉS. Mus. SCHH.

Statura brevis, lata, *Larino onopordinis,* sed dimidio minor. Caput breve, latum, convexum, confertissime punctatum, nigrum, lateribus et postice flavescenti-tomentosum; fronte fovea oblonga impressa; oculi perpendiculares, valde elongati, brunnei, parum prominuli; rostrum thorace brevius, crassum, rectum, lineare, rugoso-punctatum, nigrum, flavescenti-tomentosum, supra versus basin bi-sulcatum, carina interjacente antrorsum bifida, sulculum tertium includente. Antennæ breves, crassæ, nigro-piceæ, cinereo-pubescentes. Thorax latitudine baseos brevior, anterius multo angustior, apice sinuato-emarginatus, lateribus parum ampliatus, basi profunde bi-sinuatus, supra modice convexus, inæqualis, confertim rugosus, rugulis subtiliter punctatis, in medio dorsi leviter carinatus, intra basin et apicem sub-canaliculatus; niger, lineis quinque flavo-tomentosis, lateralibus latis, interioribus angustis, sæpe detritis. Scutellum parvum, triangulare, nigrum, demersum. Elytra ampla, ovata, antice singulatim rotundata, thoracis basi arcte applicata ibique illo parum latiora, sed mox pone basin ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace vix triplo longiora, supra convexa, regulariter et sub-remote punctato-striata, interstitiis latis, planis, subtilissime transversim rugulosis; nigra, tomento flavescente variegata, vittam valde flexuosam in singulo elytro formante. Corpus subtus nigrum, confertim granulatum et punctatum, anterius flavescenti-posterius cinereo-tomentosum. Pedes longiusculi, validi, nigri, dense cinereo-tomentosi; femoribus modice clavatis, muticis; tibiis crassis, arcuatis; tarsis dilatatis, subtus brunneo-spongiosis.—GHL.

14. L. OCHREATUS (1).

Supra ferrugineo-tomentosus, thoracis lateribus margineque elytrorum baseos flavis, rostro nigro, bi-sulcato.—OLIV.

Lixus id. OLIV. *Ent.* V. 83. p. 276. n° 294. T. 21. f. 278.

Patria : Gallia meridionalis.

♂♀ 15. L. SCOLYMI.

Niger, olivaceo-tomentosus, rostro carinato, breviusculo, thorace conico, lateribus obliquis, vix rotundatis, elytris distincte punctato-striatis, griseo-tessulatis.

---

(1) Mihi invisus.

GERM. *Ins. Spec.* I. p. 383. n° 527.

Lixus id. OLIV. *Ent.* V. 83. p. 275. n° 292. T. 21. f. 274.

Patria : Gallia, Hispania, Lusitania, Sicilia, Smyrna.

16. L. CARTHAMI (1).

Ovatus, niger, cinereo-pubescens, rostro nigro, carinato.—OLIV.

Lixus id. OLIV. *Ent.* V. 83. p. 278. n° 297. T. 21. f. 277.

Patria : Ægyptus.

♂ 17. L. BARDUS. *Schh.*

Ovatus, niger, subtus et lateribus dense cinereo-albido-tomentosus, rostro crasso, recto, supra obsolete rugoso, thorace transverso, pulvinato, antice subito angustiore, tubulato, lateribus rotundato, elytris punctato-striatis, obsolete cinereo-tessellatis.

Patria : Persia. A Dom. FALDERMANN et MÉNÉTRIÉS, ad describendum, amice communicatus.

Larino scolymi similis, sed paulo minor; rostrum non carinatum et thoracis structura alia. Caput rotundatum, convexum, subtilissime, obsolete punctulatum, interjectis punctis majoribus sparsis, nigrum, parce cinereo-pubescens, fronte foveola impressa; oculi oblongo-ovati, brunnei, sub-depressi; rostrum capite paulo angustius et duplo fere longius, crassum, subrectum, supra punctatum et rugulis duabus obliquis anterius notatum, nigrum, dense cinereo-tomentosum. Antennæ crassæ, nigræ, cinereo-pubescentes. Thorax transversus, antice subito dimidio angustior, apice leviter emarginatus et longe intra apicem constrictus, sub-tubulatus; lateribus pone stricturam subito rotundato-ampliatus, basi profunde bi-sinuatus, lobo scutellari rotundato, profunde impresso; supra transversim convexus, pulvinatus, punctis majusculis, at obsoletis, sat crebre impressus, superficie interjacente subtilissime punctulata; niger, lateribus dense, in disco parce cinereo-albido-tomentosus. Scutellum parvum, triangulare, nigrum, demersum. Elytra antice singulatim rotundata, thoracis basi parum latiora, lateribus vix ampliata, apice conjunctim obtuse rotundata, thorace plus triplo longiora, supra convexa, regulariter punctato-striata, interstitiis latis, planis, subtilissime alutaceis; nigra, tomento subtili cinereo, maculatim condensato, obsolete tessellata. Corpus subtus punctulatum, nigrum, dense cinereo-albido-tomentosum. Pedes lon-

(1) Mihi invisus.

giusculi, validi, nigri, dense albido-tomentosi; tarsis dilatatis, pallido-spongiosis.—Ghl.

18. L. Timidus.

Oblongo-ovatus, niger, subtus et lateribus albido-tomentosus, rostro crasso, sub-arcuato, basi supra distincte carinato, apice glabro, thorace transverso, antice subito angustiore, sub-tubulato, supra ruguloso-punctato, elytris sub-remote punctato-striatis, obsolete pallido-tessellatis.

Patria: Rossia meridionalis. Ex Musæo Dom. Faldermann descriptus.

Larino scolymi paulo longior, sed non latior; rostro basi tantum carinato, apice glabro, thoraceque breviore, antice subito angustato, distinctus; *Larino bardo* etiam similis, sed longior; rostrum aliter constructum, etc. — Caput transversum, parum convexum, punctatum, nigrum, fronte rugulosa; oculi ovati, nigri, sub-depressi; rostrum vix capite duplo longius, valde crassum, modice arcuatum, supra fornicatum, a basi paulo ultra medium carinatum, posterius rugulosum et cinereo-tomentosum, apice punctatum, nudum, nitidum. Antennæ validæ, nigræ, basi piceæ. Thorax latitudine baseos brevior, antice subito fere duplo angustior quam basi; apice sub-emarginatus, longe intra apicem leviter constrictus, sub-tubulatus; lateribus, pone stricturam subito ampliatis, dein obliquis; basi bi-sinuatus, angulis lateralibus acutis, lobo medio obtuse rotundato, profunde impresso; supra in disco transversim convexus, pulvinatus, in medio antico carinula brevi instructus, undique confertim rugulosus et punctatus, niger, opacus, subtus et lateribus dense albido-tomentosus. Scutellum sub-triangulare, depressum, nigrum. Elytra antice singulatim rotundata, pone basin oblique ampliata, callo humerali elevato; posterius angustiora, apice conjunctim rotundata, thorace plus triplo longiora, supra modice convexa, anguste et obsolete striata, striis sub-remote punctatis, interstitiis planis, subtiliter alutaceis; nigra, lateribus tomento albido, in dorso pallescenti, obsolete variegata et sub-tessellata. Corpus subtus punctatum, nigrum, dense albido-tomentosum. Pedes longiusculi, nigri, albido-tomentosi; femoribus sub-clavatis, muticis.—Ghl.

♂ 19. L. SULPHURATUS. *Schh.*

Ovatus, niger, subtus dense cinereo-tomentosus, rostro obsolete tri-carinato, thorace longiore, disperse punctato, alutaceo, vitta laterali flava ornato, elytris remote punctato-striatis, fasciculatim flavo tomentosis, interstitiis subtiliter alutaceis.

Patria : Persia. A Dom. FALDERMANN amice communicatus Mus. SCHH.

Facies et magnitudo *Larini sturni,* sed rostri, thoracis elytrorumque sculptura diversa, thorax longior, etc. Caput mediocre, postice convexum, disperse punctatum, subtiliter alutaceum, nigrum, flavo-tomentosum, fronte sub-depressa, fortius rugosa; oculi perpendiculares, elongati, nigro-brunnei, parum prominuli; rostrum capite angustius, sed dimidio longius, crassum, subrectum, supra rugoso-punctatum, carinula media angusta, apicem attingente et una laterali, obliqua, obsoleta, instructum; nigrum, parce cinereo-tomentosum. Antennæ crassiusculæ, nigræ, clava cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos paulo brevior, anterius dimidio angustior, apice leviter emarginatus, intra apicem depressus, subtubulatus; lateribus obliquis, fere rectis; basi profunde bi-sinuatus, lobo scutellari acuminato; supra parum convexus, disperse punctatus, superficie interjacente subtilissime alutacea; niger, vitta laterali lata, dense flavo-tomentosa ornatus, disco parcius flavo-fasciculato. Scutellum vix observandum. Elytra basi singulatim rotundata, thoracis basi parum latiora, pone basin subito ampliata, callo humerali oblongo, elevato, instructa; apice singulatim rotundata, thorace triplo longiora, supra modice convexa, anguste striata et in striis sub-remote punctata, interstitiis planis, subtiliter alutaceis; nigra, fasciculis numerosis flavo-tomentosis adspersa. Corpus subtus confertim, subtiliter alutaceum, nigrum, dense cinereo-tomentosum. Pedes longiusculi, validi, nigri, dense cinereo-tomentosi.—GHL.

♂♀ 20. L. FLAVESCENS. *Dejean.*

Niger, flavo-pollinosus, rostro brevi, carinato, thorace punctatissimo, apice subito angustato, elytris punctulatis, punctato-striatis, griseo-tessulatis.

GERM. *Ins. Spec.* I. p. 386. n° 530.

Rhinobatus id. DEJ. *Cat. Col.* p. 97.

Curculio planus. HERBST. *Col.* VI. p. 123. n° 83. (Descriptio saltem, non figura.)

Patria : Gallia meridionalis, Dalmatia, Hungaria, Germania.

21. L. VITELLINUS. *Schh.*

Brevior, ovatus, niger, subtus dense pallido-tomentosus, antennarum clava ferruginea, rostro basi leviter carinato, thorace transverso, pulvinato, subtiliter granulato, dense flavo-tomentoso, elytris remote punctato-striatis, tomento flavo fasciculatim condensato, vestitis, apice obtusissime rotundatis.

Patria: Persia. Ex Musæo Dom. FALDERMANN, ad describendum, amice communicatus.

Larino flavescenti fere latior, sed tertia parte brevior. Caput breve, latum, planum, granulatum, nigrum, tomento denso læte flavo tectum; oculi perpendiculares, oblongo-ovati, brunnei, parum prominuli; rostrum capite paulo angustius, sed dimidio longius, crassum, angulatum, subrectum, supra planum, rugosum, versus basin leviter carinatum, nigrum, basi dense flavo-tomentosum, extrorsum sub-nudum. Antennæ crassæ, nigræ, flavo-pubescentes, clava ferruginea. Thorax brevis, transversus, antice dimidio angustior, apice leviter emarginatus, sub-tubulatus; lateribus obliquis, nonnihil ampliatis; basi profunde bi-sinuatus, lobo scutellari acuminato; supra transversim convexus, pulvinatus, æqualis, confertim granulato-punctatus, niger, totus tomento denso læte flavo vestitus. Scutellum vix observandum. Elytra antice singulatim rotundata, thoracis basi vix latiora, lateribus parum ampliata, apice obtusissime singulatim rotundata, thorace fere triplo longiora, supra in dorso sub-plana, remote punctato-striata, interstitiis subtiliter alutaceis; nigra, tomento læte flavo, maculatim magis condensato vestita. Corpus subtus punctatum, nigrum, tomento denso albido, flavo-pollinoso, tectum. Pedes mediocres, nigri, tomento albido, flavescenti-pollinoso, dense vestiti.—GHL.

22. L. NUBECULOSUS. *Schh.*

Oblongus, niger, subtus dense cinereo-tomentosus, rostro leviter carinato, thorace depresso, confertim granulato-rugoso, lateribus vitta flava ornato, elytris sub-remote punctato-striatis, flavescenti-fasciculatis, apice obtusissime rotundatis.

Patria: Persia. Ex Musæo Dom. FALDERMANN, ad describendum, amice communicatus.

Larino flavescenti similis, sed paulo minor; thorax magis depressus, elytra postice valde obtusa, etc. Caput depressum, granulatum, nigrum, flavescenti-tomentosum; oculi majusculi, ovati, nigro-

brunnei, parum convexi; rostrum capite paulo angustius, sed duplo longius, crassum, angulatum, supra fere planum, granulatum, nigrum, tomentosum, carina media percurrente, parum elevata instructum. Antennæ nigræ, cinereo-pubescentes. Thorax latitudine baseos multo brevior, anterius dimidio angustior, apice leviter emarginatus, sub-tubulatus, lateribus obliquis, fere rectis; basi profunde bi-sinuatus, lobo scutellari rotundato; supra sub-depressus, confertissime granulatus, niger, in disco parce flavescenti-tomentosus, vitta laterali dense flavo-tomentosa utrinque ornatus; in disco posteriore utrinque fovea transversa impressa et in lobo scutellari tertia, major, profundior, rotundata. Scutellum angustum, acuminatum, pallido-tomentosum. Elytra antice singulatim rotundata, thoracis basi parum latiora, pone basin nonnihil ampliata, callo humerali oblongo, elevato, instructa; dein lateribus fere linearia, apice singulatim obtusissime rotundata, thorace triplo longiora, supra in dorso fere plana, sub-remote punctato-striata, interstitiis planis, subtilissime confertim alutaceis; nigra, maculis plurimis parvis flavescenti-tomentosis adspersa. Corpus subtus punctulatum, nigrum, dense cinereo-albido-tomentosum. Pedes elongati, nigri, cinereo-tomentosi.—GHL.

♂♀ 23. L. STURNUS.

Niger, rostro thorace longiori, punctulato, basi carinato, thorace punctato-rugoso, rugis punctulatis, elytris subtiliter transversim rugulosis, punctato-striatis, griseo-tessulatis.

GERM. *Ins. Spec.* I. p. 384. n° 528.
MÉNÉTRIÉS. *Catal. raisonné.* p. 222. n° 996.
Curculio id. SCHALL. *in Acta Hal.* I. p. 280.
HERBST. *Col.* VI. p. 126. n° 86. T. 68. f. 5. ♀.
LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1753. n° 159.
Curculio jaceæ. HERBST. *Col.* VI. p. 122. n° 82. T. 62. f. 2. ♂.
Rhynchænus fringilla. GYLLENH. *Ins. Suec.* IV. p. 570. n° 26-27.
Rhinobatus id. DEJ. *Catal. Col.* p. 98.
Larinus Hercyniæ. STURM. *Ins. Cat.* 1826. p. 160.
GEOFF. *Ins.* I. p. 281. *Curculio.* n° 8. ♀.

Patria: Germania, Gallia, Finlandia, Dalmatia, Podolia, Caucasus, Livonia, Sicilia, Sibiria.

* 24. L. Pollinis.

Niger, flavo-pollinosus, rostro thoraci sub-æquali, rugoso, basi carinato, thorace punctato-rugoso, elytris coriaceis, punctato-striatis, macula scutellari grisea.

Germ. *Ins. Spec.* I. p. 388. n° 533.
Curculio id. Laich. *Tyr. Ins.* I. p. 229. n° 21. α.

Patria : Illyria, Dalmatia.

♂ 25. L. Maurus.

Ovatus, niger, subtus dense cinereo-albido tomentosus, rostro recto, carinato, thorace confertim ruguloso-punctato, lateribus vitta albo-flavescente ornato, elytris sub-remote punctato-striatis, fasciculis nonnullis parvis albo-tomentosis adspersis.—Ghl.

Mas : rostro breviore, sub-bi-sulcato, carina media marginibusque elevatis.

Femina : rostro longiore, carinato, vix bi-sulcato.

Lixus id. Oliv. *Ent.* V. 83. p. 281. n° 302. T. 21. f. 283.

Patria : Sicilia, Barbaria.

26. L. Modestus. *Schh.*

Ovatus, niger, subtus dense albo-tomentosus, rostro longo, arcuato, sub-lineari, thorace vitta lata nivea utrinque ornato, dorso griseo-tomentoso, elytris punctato-striatis, maculis niveo-griseo et fusco-tomentosis, inæqualiter variegatis.

Patria : Persia. Ex Musæo Dom. Faldermann, ad describendum, amice communicatus.

Larino mauro quodammodo similis, sed plus duplo major, longior; rostrum arcuatum, non carinatum, etc. — Caput breve, postice convexum, subtilissime confertim punctulatum, nigrum, fronte impressa, dense albo-tomentosa; oculi perpendiculares, oblongi, brunnei, parum prominuli; rostrum longitudine fere capitis cum thorace, crassum, arcuatum, supra fornicatum, punctulatum, nigrum, dense albo-tomentosum. Antennæ breviusculæ, nigræ, cinereo-pubescentes. Thorax transversus, antice dimidio angustior, apice leviter emarginatus, sub-tubulatus, lateribus obliquis, nonnihil ampliatis; basi profunde bi-sinuatus, lobo scutellari acuminato; supra parum convexus, sub-disperse varioloso-punctatus, interstitiis subtilissime confertim punctulatis; niger, vitta marginali lata, in-

æquali, dense niveo-tomentosa utrinque ornatus, plaga dorsali dense griseo-tomentosa. Scutellum minutum, demersum, triangulare, nigrum. Elytra antice singulatim rotundata, thoracis basi parum latiora, pone basin oblique ampliata, apice etiam singulatim obtuse rotundata, thorace plus triplo longiora, supra parum convexa, sub-remote punctato-striata, interstitiis planis, subtilissime alutaceis; nigra, vitta humerali niveo-squamosa notata et in superficie reliqua, præsertim posterius, maculis tomentosis albis, griseis et fuscis mixtis variegata. Corpus subtus confertim alutaceum, nigrum, dense albido-tomentosum. Pedes mediocres, nigri, dense albo-tomentosi.—GHL.

* 27. L. STELLARIS. *Steven.*

Ovatus, niger, supra parce griseo-tessulatus, rostro thoraci sub-æquali, distincte carinato, thorace punctato, sub-rugoso, elytris sub-remote punctato-striatis, interstitiis planis, confertim subtiliter rugulosis.

Patria: Elisabethgrad, Gubern. Chers. Ex Musæo Dom. STEVEN, sub hoc nomine amice communicatus.

Larino jaceæ simillimus, paulo major, rostro distincte carinato præcipue distinctus. Caput sub-globosum, confertim punctulatum, nigrum; oculi ovati, depressi, nigro-brunnei; rostrum longitudine capitis cum thorace, deflexum, validum, parum arcuatum, confertim punctulatum, nigrum, a basi ultra medium distincte carinatum. Antennæ breviusculæ, nigræ, scapo rufo-piceo. Thorax latitudine baseos brevior, antice dimidio angustior, apice leviter emarginatus, intra apicem constrictus, lateribus pone stricturam rotundato-ampliatus, basi profunde sinuatus, lobo medio longius producto, triangulari, profunde impresso; supra parum convexus, inæqualis, sat confertim punctatus et sub-rugosus, niger, parce inæqualiter griseo-tomentosus. Scutellum demersum ægre observandum. Elytra antice singulatim rotundata, pone basin oblique ampliata, apice obtuse rotundata, thorace plus triplo longiora, supra parum convexa, sub-remote punctato-striata, interstitiis sub-planis, confertim subtiliter transversim rugulosis; nigra, fasciculis griseo-tomentosis parce adspersa. Corpus subtus confertim punctulatum, nigrum, parce griseo-tomentosum. Pedes mediocres, griseo-pubescentes; femoribus sub-clavatis, muticis.—GHL.

28 L. CARINIROSTRIS. *Schh.*

Ovatus, niger, sub-nitidus, tomento longiore albido inæqualiter adspersus, rostro thorace breviore, distincte carinato, thorace canaliculato, inæqualiter punctato, elytris obsolete punctato-striatis, interstitiis confertissime rugulosis.

Patria : Græcia. Ex Musæo Dom. BARTELS descriptus.

Larino stellari magnitudine æqualis et similis, rostro breviore, distincte carinato, thorace canaliculato, elytris obsoletius punctato-striatis et indumento longiore, magis albido, distinctus. Caput rotundatum, punctatum, nigrum, albido-tomentosum, fronte sub-impressa; oculi perpendiculares, oblongi, depressi, nigri; rostrum thorace brevius, validum, fere rectum, punctatum, supra distincte carinatum, nigrum, albido-tomentosum. Antennæ breviusculæ, nigræ, scapo rufo-piceo. Thorax latitudine baseos paulo brevior, antice duplo angustior quam basi, apice emarginatus, intra apicem obsolete constrictus, lateribus obliquis, vix ampliatis; basi profunde bi-sinuatus, supra convexus, pulvinatus, in medio anguste canaliculatus, punctis majoribus et minoribus mixtis inæqualiter adspersus, niger, sub-nitidus, tomento albido, in canalicula dorsali et lateribus densiore vestitus. Scutellum vix observandum. Elytra antice singulatim rotundata, elevato-marginata, pone basin oblique ampliata, apice conjunctim obtuse rotundata, thorace plus duplo longiora, supra convexa, obsolete punctato-striata, interstitiis planis, confertissime, subtiliter rugulosis; nigra, sub-nitida, tomento albido inæqualiter adspersa. Corpus subtus confertim punctulatum, nigrum, densius albo-tomentosum. Pedes mediocres, nigri, albido-tomentosi; femoribus modice clavatis; tibiis compressis, arcuatis; tarsis dilatatis, cinereo-spongiosis.—GHL.

29. L. LINEATOCOLLIS. *Schh.*

Ovatus, niger, sub-opacus, inæqualiter cinereo-albido-tomentosus, rostro thorace breviore, basi tantum carinato, thorace confertim granulato et ruguloso, vittis sub-quinis albido-tomentosis notato, elytris sub-remote punctato-striatis, albido-tessellatis, interstitiis confertim alutaceis.

Patria : Rossia meridionalis. Ex Musæo Dom. FALDERMANN descriptus.

Larino jaceæ paulo longior, sed non latior; *Larino carinirostri* propinquus, sed differt rostro breviter tantum carinato, thorace granula-

to elytrisque distinctius punctato-striatis. Caput rotundatum, parum convexum, punctatum, nigrum, opacum, cinereo-tomentosum; oculi ovati, nigri, sub-depressi; rostrum thorace brevius, fere rectum, validum, extrorsum paulo crassius; basi supra carinula brevi instructum, undique confertim punctatum, nigrum, cinereo-tomentosum. Antennæ breviusculæ, nigræ, clava cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos parum brevior, antice duplo angustior quam basi, apice leviter bi-sinuatus, longe intra apicem obsolete constrictus, sub-tubulatus; lateribus pone stricturam rotundato-ampliatus, basi profunde bi-sinuatus, supra parum convexus, in medio leviter canaliculatus, undique confertim granulatus et rugulosus, niger, lateribus vittisque tribus dorsalibus densius albido-tomentosis notatus. Scutellum parvum, demersum, tuberculiforme, nigrum. Elytra antice singulatim rotundata, interne elevato-marginata, pone basin oblique ampliata, posterius attenuata, apice etiam singulatim rotundata, thorace triplo longiora, supra modice convexa, obsolete striata et in striis sat distincte, sub-remote punctata, interstitiis planis, confertim, subtiliter alutaceis; nigra, opaca, tomento cinereo inæqualiter adspersa et sub-tessellata. Corpus subtus obsolete punctatum, nigrum, sub-opacum, cinereo-tomentosum. Pedes validi, nigri, cinereo-tomentosi; femoribus clavatis, muticis. — GHL.

♂♀ 30. L. JACEÆ.

Niger, griseo-tessulatus, rostro thoraci sub-æquali, parum arcuato, punctulato, thorace punctato-rugoso, elytris coriaceis, punctato-striatis, macula scutellari grisea.

GERM. *Ins. Spec.* I. p. 388. n° 532.

Lixus id. OLIV. *Ent.* V. 83. p. 279. n° 300. T. 21. f. 288.

Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 441. n° 10.

WALCKEN. *Faun. Par.* I. p. 293. n° 1.

Curculio id. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 400. n° 24. — *Mant.* I. p. 98. n° 17. — *Spec. Ins.* I. p. 164. n° 15. — *Syst. Ent.* p. 129. n° 11.

PANZ. *Faun. Germ.* XVIII. 2. — *Ent. Germ.* p. 299. n° 2.

ROSSI. *Faun. Etr. Mant.* II. App. p. 92. n° 43. — Ed. HELLW. p. 118. not.

OLIV. *Enc. méth.* V. p. 477. n° 25.

VILLERS. *Ent.* I. p. 186. n° 36, et IV. p. 266. n° 36.

LINN. *Syst. nat.* Ed. GMEL. I. IV. p. 1747. n° 119.

SCHRANK. *Faun. Boica.* I. p. 500. n° 560.

Curculio cardui. FOURCR. *Ent. Par.* I. p. 118. n° 8.

VILLERS. *Ent.* I. p. 190. n° 63, et IV. p. 270. n° 63.

Curculio caurductus. LINN. *Syst. nat.* Ed. GMEL. I. IV. p. 1758. n° 216.

Curculio pollinis. Var. b. LAICH. *Tyr. Ins.* I. p. 229. n° 21.

Curculio planus. HERBST. *Col.* VI. T. 68. f. 3. (Exclusa descriptione.)

GEOFFR. *Ins.* I. p. 281. *Curculio.* n° 8. ♂.

♂♀ VAR. β. Duplo minor.

Patria : Europa intermedia et meridionalis, Sibiria.

♂ 31. L. RUSTICANUS. *Schh.*

Oblongus, niger, opacus, subtus dense, supra maculatim cinereo-tomentosus, flavescenti-pollinosus, rostro thoraci sub-æquali, basi breviter carinato, thorace sub-pulvinato, inæqualiter punctato, elytris remote punctato-striatis, interstitiis confertim subtiliter alutaceis.

Patria : Græcia. A Dom. LEFEBVRE amice communicatus. Mus. SCHH. et Dom. BARTELS.

Larino jaceæ in multis similis, sed longior, rostrum basi carinatum, etc. Caput parum convexum, punctis majoribus et minoribus mixtis confertim adspersum, nigrum; oculi perpendiculares, oblongi, nigri, parum prominuli; rostrum fere longitudine capitis cum thorace, validum, parum arcuatum, cylindricum, confertim punctulatum, nigrum, cinereo-tomentosum, basi carinula brevi instructum. Antennæ breviusculæ, nigræ, cinereo-pubescentes. Thorax latitudine baseos brevior, antice duplo angustior quam basi, apice sub-emarginatus, intra apicem obsoletissime constrictus, lateribus obliquis, nonnihil ampliatis; basi modice bi-sinuatus, supra convexus, pulvinatus, punctis majoribus et minoribus mixtis confertim adspersus; niger, opacus, tomento cinereo, versus latera condensato vestitus. Scutellum demersum, angustum, triangulare, nigrum. Elytra antice singulatim rotundata, thoracis basi parum latiora, pone basin nonnihil ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace quadruplo longiora, supra convexa, æqualia, remote punctato-striata, interstitiis planis, confertissime alutaceis; nigra, tomento cinereo, versus latera et apicem densiore vestita et obsolete variegata. Corpus subtus confertim punctulatum, nigrum, dense æqualiter cinereo-tomentosum. Pedes mediocres, nigri, sat dense cinereo-tomentosi. — GHL.

32. L. IMMITIS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, parce cinereo-tomentosus, rostro longitudine thoracis, cylindrico, sub-arcuato, thorace subtiliter ruguloso-punctato, rugulis impunctatis, elytris confertim rugulosis, punctato-striatis, cinereo-tessulatis.

Habitat in Isthmo Thracico. Dom. HEDENBORG. Mus. Reg. Acad. Scient. Holm.

Larino jaceæ subsimilis, sed minor, magis oblongus et textura thoracis alia. Caput latum, convexum, confertim punctatum, nigrum, fronte foveola rotunda impressa; oculi perpendiculares, oblongo-ovati, brunnei, parum prominuli; rostrum longitudine fere thoracis, cylindricum, sub-arcuatum, confertim punctatum, nigrum, glabrum, versus apicem leviter canaliculatum, in medio foveola rotunda impressum. Antennæ validiusculæ, basi ferrugineæ, extrorsum piceæ, clava albo-pubescente. Thorax latitudine baseos brevior, anterius multo angustior, obsolete constrictus, apice sinuato-emarginatus, lateribus obliquis, nonnihil ampliatis, basi profunde bi-sinuatus, supra convexus, confertissime punctato-rugulosus, rugulis elevatis angustis, non punctatis; niger, parce cinereo-tomentosus. Scutellum parvum, triangulare, nigrum, demersum. Elytra oblongo-ovata, antice singulatim rotundata, thoracis basi arcte applicata ibique illo non latiora, lateribus parum ampliata, sub-linearia, apice conjunctim rotundata, supra convexa, regulariter, sub-remote punctato-striata, interstitiis latis, planis, confertim subtiliter transversim rugulosis; nigra, tomento cinereo, maculatim condensato, tessellata. Corpus subtus nigrum, confertim granulatum et punctatum, parce pubescens. Pedes longiusculi, validi, nigri, punctato-scabri, cinereo-pubescentes; femoribus modice clavatis, muticis; tibiis sub-arcuatis, intus denticulatis; tarsis dilatatis, fusco-ferrugineis, subtus brunneo-spongiosis.

GHL.

♀ 33. L. LONGIROSTRIS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, subtus dense cinereo-tomentosus, supra variegatus, rostro longitudine thoracis, valde arcuato, extrorsum tenuiore, lævi, nitido, thorace confertim ruguloso-punctato, rugulis punctulatis, elytris sub-remote punctato-striatis, interstitiis planis, alutaceis.

Patria: Europa meridionalis. A Dom. LEFEBVRE amice communicatus. Mus. SCHH.

E minoribus, *Larino jaceæ* plus duplo minor, angustior; *Larino immiti* æqualis et similis, rostri stuctura præcipue ab illo distinctus. Caput rotundatum, posterius convexum, confertissime punctulatum, nigrum, fronte inter oculos foveola rotunda impressa; oculi perpendiculares, ob-ovati, brunnei, parum prominuli; rostrum capite cum thorace fere longius, valde arcuatum, basi crassius, subtiliter punctulatum, extrorsum sensim attenuatum, læve, nigrum, nitidum. Antennæ mediocres, basi ferrugineæ, extrorsum nigræ, cinereo-pubescentes. Thorax transversus, antice duplo angustior quam basi, apice sub-emarginatus, longe intra apicem obsolete transversim impressus, sub-tubulatus, lateribus obliquis, parum ampliatis; basi sat profunde bi-sinuatus, lobo medio et lateralibus acuminatis, supra transversim convexus, pulvinatus, confertim ruguloso-punctatus, rugulis obsolete punctulatis; niger, lateribus vittaque interiore arcuata utrinque cinereo-tomentosis notatus. Scutellum demersum, angustum, nigrum. Elytra antice singulatim rotundata, elevato-marginata, thoracis basi parum latiora, pone basin nonnihil ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace plus triplo longiora, supra convexa, sub-remote punctato-striata, interstitiis planis, confertim subtiliter alutaceis; nigra, tomento cinereo, versus latera et apicem densiore vestita. Corpus subtus confertim punctulatum, nigrum, densius æqualiter cinereo-tomentosum. Pedes longiusculi, validi, nigri, cinereo-tomentosi; femoribus crassis, clavatis, muticis; tibiis sub-arcuatis, ciliatis; tarsis dilatatis, articulo unguiculari longo, rufo-piceo.—Ghl.

♂♀ 34. L. Turbinatus.

Ovatus, niger, griseo-tomentosus, rostro crasso, recto, antrorsum attenuato, thorace confertim ruguloso, rugulis punctulatis, elytris rugulosis, punctato-striatis, griseo-tessulatis.

Rhinobatus id. Dej. *Cat. Col.* p. 98.

Habitat in Hispania, Galliæ Alpibus, Caucaso, Volhynia, Isthmo Thracico. Mus. Schh.

Larino jaceæ magnitudine, statura et colore simillimus, rostri forma tamen bene distinctus. Caput breve, latum, convexum, confertissime punctulatum, nigrum, parce tomentosum, fronte foveola parva, rotunda impressa; oculi perpendiculares, oblongo-ovati, brunnei, modice prominuli; rostrum thorace paulo brevius, rectum, basi valde crassum, apicem versus sensim angustatum, supra punctatum et longitudinaliter sub-rugosum, sæpe in medio leviter carinatum;

nigrum, parce cinereo-tomentosum. Antennæ breves, piceæ, clava albido pubescente. Thorax latitudine baseos brevior, anterius multo angustior ibique obsolete constrictus, apice sinuato-emarginatus, lateribus obliquis, vix ampliatis, basi profunde bi-sinuatus, supra modice convexus, confertissime punctatus et rugulosus, rugulis subtiliter punctulatis; niger, plus minusve cinereo-tomentosus, præsertim versus latera. Scutellum mediocre, triangulare, nigrum, magis evidens quam in plerisque hujus generis. Elytra ovata, antice singulatim rotundata, thoracis basi arcte applicata, ibique illo parum latiora, sed mox pone basin ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace triplo longiora, supra convexa, regulariter et subremote punctato-striata, interstitiis planis, confertim subtiliter transversim rugulosis; nigra, tomento cinereo, interdum flavescente, maculatim condensato, tessellata. Corpus subtus nigrum, confertim subtiliter granulatum et punctatum, griseo-pubescens. Pedes longiusculi, nigri, punctato-scabri, griseo-pubescentes; femoribus modice clavatis, muticis; tibiis arcuatis, intus denticulatis; tarsis dilatatis, subtus brunneo-spongiosis. — Ghl.

* 35. L. Canescens.

Ovatus, niger, griseo-tomentosus, rostro brevi, lineari, leviter carinato, thorace transverso, lateribus ampliato, elytris punctato-striatis, griseo-nebulosis.

Sturm. *Ins. Cat.* 1826. p. 160.

* Var. β. Dimidio major, densius griseo-tomentosus et flavo-pollinosus.

Patria: Hungaria. Dom. Sturm; Caucasus. Dom. Steven. Var. β, Podolia. Dom. Besser; Persia. Dom. Faldermann; et ab illis benevole communicatus. Mus. Schh.

Larino turbinato æqualis et similis, sed rostrum lineare et thoracis latera minus ampliata; a *Larino flavescenti* differt rostro breviore et a *Larino plano* statura latiore, breviore. Caput breve, latum, confertim, inæqualiter punctatum, nigrum, griseo-tomentosum, fronte plana; oculi ovati, nigro-brunnei, parum prominuli; rostrum capite parum longius, crassum, lineare, sub-arcuatum, supra rugulosum, leviter carinatum, nigrum. Antennæ piceæ, griseo-pubescentes. Thorax transversus, antice duplo angustior, tubulatus, apice emarginatus, lateribus rotundato-ampliatus, basi profunde bi-sinuatus, supra parum convexus, ante scutellum impressus, undique confertim rugulosus et punctatus, niger, lateribus dense, in dorso parcius

griseo-tomentosus. Scutellum triangulare, concolor. Elytra antice singulatim rotundata, margine elevato; thoracis basi paulo latiora, lateribus non ampliata, apice conjunctim obtuse rotundata, thorace vix triplo longiora, supra minus convexa, regulariter punctato-striata, interstitiis planis, subtilissime alutaceis; nigra, tomento cinereo, sæpe flavo-pollinoso, maculatim tessellata. Corpus subtus nigrum, confertim punctulatum, cinereo-tomentosum. Pedes mediocres, nigri, punctulati, cinereo-tomentosi; femoribus clavatis, muticis; tibiis arcuatis, intus denticulatis; tarsis dilatatis, subtus brunneo-spongiosis.

Var. β. Dimidio major, corpore undique densius tomentoso, tomento flavescenti-pollinoso, cæterum simillima. — Ghl.

* 36. L. Planus.

Niger, griseo-nebulosus, rostro brevi, basi carinato, thorace conico, rugoso, coleopteris sub-cylindricis, punctato-striatis, subtiliter coriaceis.

Germ. *Ins. Spec.* I. p. 389. n° 534.
Rhynchænus id. Fabr. *Syst. El.* II. p. 441. n° 11.
Curculio id. Fabr. *Ent. Syst.* I. II. p. 400. n° 25.
Panz. *Ent. Germ.* p. 300. n° 3.
Curculio teres. Herbst. *Col.* VI. p. 128. n° 88. T. 68. f. 7.

Patria : Germania, Lusitania.

37. L. Scrobicollis. *Schh.*

Ovatus, niger, cinereo-tomentosus, rostro thorace breviore, subrecto, supra leviter carinato, thorace inæqualiter, rude varioloso-punctato, elytris sub-remote punctato-striatis, cinereo-tessellatis, interstitiis latis, planis, subtiliter alutaceis.

Patria: Sibiria orientalis, ad Nertschinsk. Ex Musæo Alexandrino Helsingfonsiæ descriptus.

Magnitudo et facies *Larinorum plani* et *turbinati*, punctura thoracis tamen abunde distinctus. Caput breve, latum, supra planum, punctatum, nigrum, cinereo-tomentosum; oculi perpendiculares, oblongo-ovati, nigro-brunnei, modice convexi; rostrum thorace brevius, fere rectum, validum, supra fornicatum, punctatum, in medio leviter carinatum, nigrum, cinereo-tomentosum. Antennæ breves, crassæ, nigræ, clava cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos paulo brevior, antice fere duplo angustior quam basi, apice

sub-emarginatus, lateribus obliquis, parum ampliatis; basi profunde bi-sinuatus, supra modice convexus, punctis magnis, parum profundis, variolæ-formibus, inæqualiter impressus, niger, parce cinereo-tomentosus. Scutellum vix observandum. Elytra antice singulatim rotundato-producta, elevato-marginata, thoracis basi paulo latiora, pone basin nonnihil ampliata, dein fere linearia, apice etiam singulatim rotundata, thorace quadruplo longiora, supra convexa, intra basin transversim impressa, distincte, sub-remote punctato-striata, interstitiis latis, planis, confertim subtiliter alutaceis; nigra, tomento cinereo maculatim tessellata. Corpus subtus confertim punctulatum, nigrum, magis nitidum, parce cinereo-pubescens. Pedes mediocres, nigri, cinereo-pubescentes; femoribus sub-clavatis, muticis; tarsis longiusculis, parum dilatatis.

GHL.

♂♀ 38. L. OBTUSUS.

Breviter ovatus, niger, tomento fusco-flavescente variegatus, rostro brevi, crasso, incurvo, supra leviter carinato, sub-angulato, thorace brevi, punctato, elytris punctato-striatis, interstitiis planis, subtiliter granulatis.

Larinus id. STURM. *Ins. Cat.* 1826. p. 160.
Rhinobatus maculosus. Dom. MEGERLE a MUHLFELD *in Litteris.*
Larinus sturnus. STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 159. nº 1.?

Habitat in Austria, Bannatu, Caucaso, Tauria, Volhynia. Mus. SCHH. et GHL.

Larino plano Germ. multo brevior, sed non angustior, rostri forma longe alia, etc. Caput latum, sub-depressum, confertissime punctatum, nigrum, opacum, tomento cinereo adspersum; oculi perpendiculares, ovati, brunnei, parum prominuli; rostrum capite parum longius, valde crassum, deflexum, incurvum, sub-angulatum, confertim punctatum, supra carinula abbreviata instructum, nigrum, opacum, cinereo-tomentosum. Antennæ breves, crassæ, subrectæ, piceæ, cinereo-pubescentes. Thorax brevis, transversus, antice multo angustior, apice leviter emarginatus, lateribus oblique ampliatus, basi profunde bi-sinuatus, angulis lateralibus acutis; supra convexus, sub-pulvinatus, confertim ruguloso-punctatus, niger, opacus, tomento obscure flavescente, versus latera densiore, adspersus. Scutellum oblongo-triangulare, nigrum, punctatum. Elytra breviter ovata, antice singulatim rotundata, thoracis basi arcte applicata ibique illo paulo latiora, lateribus ampliata, apice conjunc-

tim obtuse rotundata, supra convexa, regulariter punctato-striata, punctis remotiusculis, interstitiis latis, planis, subtilissime granulato-punctatis; nigra, opaca, tomento fusco-flavescente fasciculatim tessellata. Corpus subtus nigrum, opacum, confertim punctatum, dense cinereo-pubescens. Pedes mediocres, nigri, punctati, dense cinereo-pubescentes; femoribus parum clavatis, muticis; tarsis dilatatis, piceis, subtus fusco-spongiosis. — Ghl.

39. L. Brevis. *Schh.*

Breviter ovatus, niger, tomento cinereo subtus dense tectus, supra parcius inæqualiter vestitus; rostro crasso, subrecto, vix carinato, thorace brevi, subtilius punctato, elytris obsolete punctato-striatis, interstitiis planis, subtiliter alutaceis.

Patria: Persia. Ex Musæo Dom. Faldermann, ad describendum, amice communicatus.

Magnitudo, statura et summa affinitas *Larini obtusi;* differre tamen videtur rostro subrecto, vix carinato; thorace subtilius punctato, etc. Caput rotundatum, parum convexum, punctulatum, nigrum, dense cinereo-tomentosum; oculi ovati, nigro-brunnei, parum convexi; rostrum capite paulo angustius et longius, fere rectum, crassum, angulatum, supra rugulosum, antice obsolete carinatum, nigrum, tomentosum. Antennæ breves, crassæ, nigræ, cinereo-pubescentes, vix geniculatæ. Thorax latitudine baseos brevior, anterius dimidio angustior, apice leviter emarginatus, intra apicem constrictus; lateribus obliquis, modice ampliatis; basi profunde bisinuatus, lobo scutellari acuminato; supra valde convexus, pulvinatus, subtilius punctatus, niger, tomento longo, decumbente, cinereo, vestitus. Scutellum parvum, triangulare, nigrum, acutum. Elytra quoad formam et texturam omnino ut ad *Larinum obtusum* descripta; nigra, tomento longiore cinereo sub-fasciatim variegata. Corpus subtus punctulatum, nigrum, dense cinereo-albido-tomentosum. Pedes ut in *Larino obtuso* omnino. — Ghl.

* 40. L. Minutus. *Steven.*

Breviter ovatus, niger, tomento griseo-albido subtus dense, supra parcius vestitus; rostro brevi, crasso, supra carinato, fronte impressa, thorace brevi, convexo, punctato, elytris sub-remote punctato-striatis, interstitiis planis, subtiliter alutaceis.

Patria: Caucasus. Ex Musæo Dom. Steven, ad describendum, amice missus.

Larino obtuso proximus, sed plus triplo minor, frons profundius impressa, puncta striarum in elytris magis remota, etc. Caput rotundatum, confertissime punctulatum, nigrum, dense griseo-albido tomentosum, fronte profunde impressa; oculi ovati, nigro-brunnei, parum convexi; rostrum vix capite longius, valde crassum, deflexum, arcuatum, confertim punctulatum, a basi ad medium carinatum, nigrum, dense albido-tomentosum. Antennæ breves, crassæ, basi rufo-piceæ, extrorsum nigræ, clava dense albido-pubescente. Thorax brevis, transversus, antice angustior, apice emarginatus, lateribus rotundato-ampliatus, basi profunde bi-sinuatus, angulis lateralibus acuminatis; supra modice convexus, pulvinatus, confertim punctatus, niger, tomento sat denso griseo vestitus. Scutellum parvum, angustum, nigrum. Elytra antice singulatim rotundata, pone basin oblique ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace triplo longiora, supra modice convexa, sub-remote punctato-striata, interstitiis planis, confertim subtiliter punctulatis; nigra, tomento sat denso griseo vestita. Corpus subtus confertissime punctulatum, nigrum, tomento griseo-albido dense tectum. Pedes mediocres, albido-pubescentes; femoribus parum crassis, muticis, nigris; tibiis tarsisque obscure piceis. — GHL.

* 41. L. FOVEICOLLIS. *Schh.*

Breviter ovatus, niger, parce cinereo-tomentosus, rostro mediocri, subarcuato, thorace punctato, foveis tribus magnis impresso, elytris punctato-striatis, interstitiis planis, subtiliter granulato-punctatis, cinereo-tessellatis.

Habitat in Sibiria. Dom. GEBLER. Mus. SCHH.

Larino jaceæ duplo minor, brevior; *Larino obtuso* æqualis et similis, sed rostrum longius, tenuius, aliter constructum, etc. Caput breve, latum, convexum, confertim punctulatum, nigrum, parce cinereo-tomentosum, fronte fovea rotunda impressa; oculi perpendiculares, oblongo-ovati, brunnei, parum prominuli; rostrum thorace paulo brevius, crassum, sub-arcuatum, nigrum, confertim rugoso-punctatum, supra inter antennas puncto profundo insculptum, et in apice carinula brevi notatum. Antennæ breves, validæ, piceo-ferrugineæ, clava cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos multo brevior, antice subito angustior, constrictus, apice late sed parum profunde emarginatus, lateribus paulo pone apicem rotundato-ampliatus, basi profunde bi-sinuatus, supra valde inæqualis, foveis nempe tribus magnis, rotundatis, impressus, duabus intra apicem,

paribus, profundioribus, tertia in medio baseos, minus profunda; superficies tota præterea punctato-sub-rugosa; niger, tenue cinereo-tomentosus. Scutellum parvum, triangulare, nigrum. Elytra breviter ovata, antice singulatim rotundata, thoracis basi arcte applicata ibique illo parum latiora, lateribus nonnihil ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace vix triplo longiora, supra intra basin transversim impressa, cæterum convexa, regulariter punctato-striata, interstitiis latis, planis, confertim subtiliter granulatis; nigra, maculis cinereo-tomentosis sub-tessellata. Corpus subtus nigrum, sub-nitidum, confertissime granulatum et punctatum, parce pubescens. Pedes longiusculi, validi, nigri, punctato-scabri, pubescentes; femoribus clavatis, muticis; tibiis anterioribus arcuatis; tarsis dilatatis, piceis, subtus pallido-spongiosis. — GHL.

* 42. L. SIBIRICUS. *Schh.*

Ovatus, niger, subtus et lateribus dense, supra parcius cinereo-tomentosus; rostro mediocri punctulato, thorace brevi, sub-carinato, inæqualiter punctato, elytris punctato-striatis, interstitiis planis, confertissime subtiliter alutaceis.

Patria: Sibiria. Ex Musæo Dom. STEVEN, ad describendum, amice missus.

Larino foveicolli magnitudine æqualis et valde affinis, sed thorax carinatus, absque foveis impressis, unde distinctus videtur. Caput sub-globosum, confertim punctulatum, nigrum, cinereo-tomentosum; oculi perpendiculares, oblongi, nigro-brunnei, sub-depressi; rostrum capite fere duplo longius, crassum, sub-cylindricum, parum arcuatum, confertim punctulatum, nigrum, parce cinereo-tomentosum. Antennæ crassiusculæ, nigræ, cinereo-pubescentes. Thorax latitudine baseos brevior, antice fere duplo angustior, apice leviter emarginatus, lateribus obliquis, parum ampliatis; basi profunde bi-sinuatus, angulis lateralibus acuminatis; supra modice convexus, in medio leviter carinatus, punctis majoribus et minoribus mixtis confertim impressus, niger, subtus et lateribus dense, in dorso parcius cinereo-tomentosus. Scutellum parvum, tuberculiforme, nigrum, nitidum. Elytra antice singulatim rotundata, margine elevato; thoracis basi parum latiora, lateribus vix ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace triplo longiora, supra convexa, subtilius punctato-striata, interstitiis latis, planis, confertissime subtiliter alutaceis; nigra, margine laterali dense, disco parcius cinereo-tomentosis. Corpus subtus punctulatum, nigrum,

dense cinereo-albido-tomentosum. Pedes mediocres, dense cinereo-albido-tomentosi; femoribus sub-clavatis, nigris, muticis; tibiis tarsisque piceis. — Ghl.

43. L. Ferrugatus. *Schh.*

Breviter ovatus, parum convexus, niger, supra dense ferrugineo-tomentosus, rostro plano, carinato, thorace brevi, punctulato, elytris obsolete punctato-striatis, interstitiis subtiliter granulatis.

Habitat ad Algier. Mus. Reg. Acad. Scient. Holm. E Mus. Dom. Paykull.

Reliquis brevior, statura fere *Byrrhi,* et *B. vario* parum major, sed minus convexus. Caput latum, supra planum, confertim punctulatum, parce ferrugineo-tomentosum; oculi perpendiculares, ovati, brunnei, parum prominuli; rostrum capite longius, crassum, angulatum, confertim punctulatum, nigrum, supra planum, evidenter carinatum. Antennæ breves, crassæ, nigro-piceæ, clava cinereo-pubescente. Thorax brevis, antice angustior, constrictus, apice parum profunde emarginatus, lateribus mox pone apicem ampliatus, basi profunde bi-sinuatus, supra transversim modice convexus, sub-pulvinatus, confertissime subtiliter punctulatus, niger, tomento denso ferrugineo tectus. Scutellum minutum, demersum. Elytra lata, breviter ovata, antice singulatim rotundata, ibique thoracis basi parum latiora, lateribus vix ampliata, apice conjunctim obtusissime rotundata, fere truncata, thorace fere triplo longiora, supra parum convexa, intra apicem transversim impressa, obsolete punctato-striata, interstitiis sub-convexis, confertim subtiliter granulatis; nigra, tomento denso ferrugineo tecta. Corpus subtus nigrum, confertim granulatum et punctatum, cinereo-tomentosum. Pedes validiusculi, nigri, punctati, dense cinereo-tomentosi; femoribus parum clavatis, muticis; tibiis rectis; tarsis dilatatis, subtus brunneo-spongiosis. — Ghl.

* 44. L. Morio. *Schh.*

Ovatus, ater, parce cinereo-tomentosus, rostro crasso, recto, supra basi distincte carinato, thorace confertim rugoso, lobo scutellari acuminato, elytris remote punctato-striatis, interstitiis confertim alutaceis, tibiis arcuatis, interne crenulatis.

Patria: Gallia meridionalis. A Dom. Faldermann amice communicatus. Mus. Schh.

Larino turbinato similis, sed dimidio major; rostrum non atte-

nuatum, basi distincte carinatum, etc. Caput breve, convexum, confertissime punctulatum, atrum, fere glabrum, fronte anterius impressa; oculi oblongi, brunnei, sub-depressi; rostrum capite paulo angustius et duplo fere longius, crassum, angulatum, subrectum, apice ampliatum, supra punctatum, versus basin carina alte elevata, anterius abbreviata instructum, cui utrinque adjacet fovea oblonga, impressa; atrum, parce cinereo-tomentosum. Antennæ mediocres, nigræ, clava umbrino-pubescente. Thorax latitudine baseos brevior, anterius duplo angustior, apice leviter sinuato-emarginatus; lateribus obliquis, modice ampliatis; basi bi-sinuatus, lobo scutellari acuminato, depresso; supra convexus, confertissime reticulatim rugulosus, in medio anguste carinatus, ater, versus latera parce cinereo-tomentosus. Scutellum vix observandum. Elytra antice singulatim rotundata, margine elevato, et intra marginem transversim impressa, thoracis basi paulo latiora, lateribus non ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace vix triplo longiora, supra convexa, remote punctato-striata, punctis oblongis; interstitiis planis, confertissime alutaceis; atra, fere nuda. Corpus subtus confertissime punctulatum, atrum, parce, tenuiter cinereo-tomentosum. Pedes elongati, atri, parum cinereo-pubescentes; tibiis arcuatis, interne crenulatis.—Ghl.

♂♀ 45. L. Carlinæ.

Lineari-elongatus, niger, cinereo-tomentosus, rostro thorace breviore, cylindrico, arcuato, integro, thorace subtilissime ruguloso, elytris punctato-striatis, interstitiis latis, planis, subtiliter rugulosis, cinereo-sub-tessellatis.—Ghl.

Lixus id. Oliv. *Ent.* V. 83. p. 280. n° 301. T. 21. f. 282.
Larinus oblongus. Dom. Besser *in Litteris.*
Rhinobatus planus. Steph. *Brit. Ent.* IV. p. 160. n° 1.
Patria: Gallia, Lusitania, Podolia, Odessa.

Var. β. Rostro, capite thoraceque nigro-fuscis, elytris brunneis, corpore pedibusque dilutius ferrugineis.—Ghl.

Patria: Algier. Ex Mus. Reg. Acad. Scient. Holm.

* 46. L. Ungulatus. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, tomento cinereo-albido subtus dense tectus, supra fasciculatim variegatus; rostro longo, tenui arcuato, articulo unguiculari tarsorum anticorum crasso, tumido, ferrugineo.

Patria: Persia. Ex Musæo Dom. Faldermann, ad describendum, amice communicatus.

Magnitudo et fere statura *Larini flavescentis.* Caput parvum, rotundatum, confertim punctulatum, fronte impressa, dense albido-tomentosa; oculi ovati, brunnei, depressi; rostrum longitudine capitis cum thorace, arcuatum, extrorsum attenuatum, supra punctulatum, nigrum, basi dense albido-tomentosum, apice nudum, nitidum. Antennæ nigræ, cinereo-pubescentes. Thorax latitudine baseos multo brevior, antice dimidio angustior, apice leviter emarginatus, lateribus obliquis, nonnihil ampliatis; basi modice bi-sinuatus, lobo scutellari acuminato; supra minus convexus, confertissime subtiliter punctulatus, immixtis punctis majoribus sparsis; niger, vitta laterali lata, dense albido-tomentosa ornatus, disco parce tomentoso. Scutellum vix observandum. Elytra antice singulatim rotundata, thoracis basi parum latiora, lateribus vix ampliata, apice etiam singulatim acute rotundata vel sub-acuminata, thorace plus triplo longiora, supra convexa, sub-remote punctato-striata, interstitiis planis, subtiliter alutaceis; nigra, tomento albido fasciculatim variegata, præsertim posterius. Corpus subtus confertim alutaceum, nigrum, tomento denso cinereo-albido vestitum. Pedes longiusculi, validi, nigri, dense albido-pubescentes; articulus unguicularis tarsorum, presertim anticorum, solito crassior, tumidus, ferrugineus.—GHL.

Observ.—Specimen ex Elisabethgrad, Gub. Cherson, communicavit Dom. Steven, in cæteris simillimum, articulis unguicularibus tarsorum minus incrassatis solum distinctum, forte sexu diversum.?

47. L. GRISESCENS. *Schh.*

Ovatus, niger, tomento cinereo-albido subtus dense vestitus, supra fasciculatim variegatus, rostro longo, tenui, arcuato, tarsorum articulo unguiculari mediocri.

Patria: Persia. Ex Musæo Dom. FALDERMANN, ad describendum, amice communicatus.

Larino ungulato simillimus et nimis affinis; dimidio tamen minor, præsertim brevior; articulus unguicularis tarsorum solito non crassior. Caput parvum, rotundatum, confertim punctatum, nigrum, parce cinereo-tomentosum, fronte foveola impressa; oculi ovati, brunnei, sub-depressi; rostrum longitudine capitis cum thorace, cylindricum, subtenue, valde arcuatum, confertim punctulatum, nigrum, nitidum, basi parum albido-tomentosum. Antennæ nigræ, cinereo-pubescentes. Thorax brevis, transversus, antice plus

quam dimidio angustior, apice leviter emarginatus et intra apicem depressus, sub-tubulatus, lateribus valde obliquis, vix ampliatis; basi profunde bi-sinuatus, lobo scutellari acuminato; supra parum convexus, confertissime subtiliter punctulatus, interjectis punctis majoribus sparsis; niger, lateribus dense, in disco parcius cinereo-albidoto-mentosus. Scutellum parvum, triangulare, nigrum. Elytra antice singulatim rotundata, thoracis basi parum latiora, lateribus vix ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace plus duplo longiora, supra convexa, sub-remote punctato-striata, interstitiis planis, subtiliter alutaceis; nigra, tomento cinereo-albido parcius, inæqualiter adspersa. Corpus subtus confertim alutaceum, nigrum, dense albido-tomentosum. Pedes longiusculi, validi, nigri, albido-pubescentes, articulo unguiculari tarsorum elongato, non vero incrassato.—Ghl.

* 48. L. Acanthiæ.

Oblongo-sub-ellipticus, niger, cinereo-tomentosus, rostro longitudine thoracis, cylindrico, arcuato, basi supra carinato, thorace obsolete canaliculato, sub-disperse punctato, elytris distincte punctato-striatis, interstitiis planis, subtilissime strigosis, albido irroratis.

Lixus id. Dom. Com. Hoffmansegg *in Litteris.*

Patria: Lusitania. A Dom. Schuppel benevole communicatus. Mus. Schh.

Larino urso similis, sed dimidio major, rostrum magis tenue, arcuatum, uni-carinatum, etc. Caput brevissimum, sub-depressum, punctatum, nigrum, cinereo-tomentosum; oculi ovati, brunnei, parum prominuli; rostrum longitudine fere capitis cum thorace, cylindricum, arcuatum, supra punctatum, basi distincte uni-carinatum, nigrum, nitidum. Antennæ breviusculæ, nigræ, cinereo-pubescentes. Thorax transversus, antice dimidio angustior, apice leviter emarginatus, sub-tubulatus; lateribus obliquis, nonnihil ampliatis; basi bi-sinuatus, lobo scutellari rotundato, impresso; supra in disco disperse, versus latera crebrius et fortius punctatus, interstitiis vix alutaceis; in medio leviter canaliculatus, cum carinula obsoleta in fundo; niger, lateribus lineisque tribus dorsalibus cinereo-tomentosis, at obsoletis. Scutellum vix observandum. Elytra antice singulatim rotundata, thoracis basi parum latiora, pone basin nonnihil ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace quadruplo longiora, supra convexa, sat distincte punctato-

striata, interstitiis planis, subtiliter, disperse strigulosis; nigra, in disco punctis numerosis albido-tomentosis irrorata, margine densius tomentoso. Corpus subtus obsolete alutaceum, nigrum, dense cinereo-albido-tomentosum. Pedes mediocres, nigri, dense cinereo-albido tomentosi.—GHL.

♀ 49. L. URSUS.

Ovatus, niger, subtus dense, supra lineatim griseo-tomentosus, rostro carinato, basi bi-sulcato, thorace longiore, sub-conico, ruguloso, quinque-vittato, elytris punctato-striatis, interstitiis planis, subtiliter alutaceis, vittis duabus dorsalibus griseis notatis.—GHL.

Mas : rostro crassiore, thorace breviore.
Femina : rostro angustiore, longitudine thoracis.
GERM. *Ins. Spec.* I. p. 387. n° 531.
Curculio id. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 399. n° 23.
HERBST. *Col.* VI. p. 442. n° 437.
Lixus id. OLIV. *Ent.* V. 83. p. 296. n° 295. T. 21. f. 279.
Curculio vittatus. FABR. *Mant.* I. p. 98. n° 16.— *Spec. Ins.* p. 164. n° 14.
Curculio canaliculatus. OLIV. *Enc. méth.* V. p. 447. n° 24.
Curculio stolatus. LINN. *Syst. nat.* Ed. GMEL. I. IV. p. 1746. n° 118.
Rhinobatus trivius. DEJEAN. *Catal. Col.* p. 98.

Patria : Europa meridionalis, Barbaria.

♂♀ 50. L. SENILIS.

Ovatus, niger, subtus dense, supra inæqualiter griseo-tomentosus, rostro carinato, basi bi-sulcato, thorace breviore, lateribus ampliato, supra ruguloso, griseo tri-vittato, elytris subtilius punctato-striatis, interstitiis rugulosis, griseo variegatis.—GHL.

Mas et *femina* ut apud præcedentem diversi.
GERM. *Ins. Spec.* I. p. 385. n° 529.
Curculio id. FABR. *Syst. El.* II. p. 515. n° 49.
Curculio brevis. HERBST. *Col.* VI. p. 127. n° 87. T. 68. f. 6.
Larinus brevis. Dom. GERM. *in Litteris*, olim.

Patria : Austria, Dalmatia, Ragusa.

* 51. L. SYRIACUS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, subtus dense, supra parcius cinereo-tomentosus, rostro brevi, crasso, interrupte carinato, thorace transverso, inæqualiter punctato, elytris subtilius punctato-sub-sulcatis, interstitiis planis, subtiliter alutaceis.

Patria: Syria. Dom. HEDENBORG. Ex Musæo Reg. Acad. Scient. Holm. descriptus.

Larino senili statura similis, sed duplo minor, rostrum brevius et crassius; *Larino immiti* etiam propinquus, sed brevior, rostrum aliter carinatum, rugosum. Caput posterius sub-convexum, confertim punctatum, nigrum, cinereo-tomentosum, fronte impressa; oculi perpendiculares, elongati, nigri, parum prominuli; rostrum capite duplo longius, crassum, sub-angulatum, supra rugosum et punctatum, carina parum elevata, in medio e foveola impressa interrupta, instructum, nigrum, cinereo-tomentosum. Antennæ breviusculæ, crassæ, nigræ, dense cinereo-pilosæ et pubescentes. Thorax latitudine baseos multo brevior, antice duplo angustior quam basi, apice leviter emarginatus, intra apicem obsolete constrictus, lateribus obliquis, vix ampliatis; basi profunde bi-sinuatus, lobo scutellari impresso; supra modice convexus, pulvinatus, punctis majoribus et minoribus mixtis confertim adspersus; niger, tomento cinereo, ad latera densiore vestitus. Scutellum oblongo-triangulare, elevatum, nigrum. Elytra antice singulatim rotundato-producta, thoracis basi parum latiora, humeris sub-elevatis, rotundatis; pone basin nonnihil ampliata, posterius angustiora, apice etiam singulatim rotundata, thorace triplo longiora, supra modice convexa, a latere inspecta anguste sulcata, sulcis regulariter concinne punctatis, interstitiis planis, subtiliter confertim alutaceis; nigra, sub-nitida, tomento tenui cinereo, versus latera densiore vestita. Corpus subtus confertim punctulatum, nigrum, dense cinereo-tomentosum. Pedes mediocres, nigri, dense cinereo-tomentosi; femoribus sub-clavatis, punctulatis, muticis; tibiis sub-rectis, scabris; tarsis dilatatis, subtus flavescenti-spongiosis.—GHL.

* 52. L. IDONEUS. *Schh.*

Lineari-elongatus, niger, cinereo-tomentosus, antennis pedibusque rufo-ferrugineis, rostro sub-carinato, thorace canaliculato, lateribus albido vittato, elytris remote punctato-striatis, interstitiis planis, subtilissime rugulosis.

Habitat in Iberia. Dom. STEVEN. Mus. SCHH.

Statura elongata, angusta *Larini carlinæ*, sed duplo fere major. Caput latum, parum convexum, subtilissime rugulosum, nigrum, griseo-tomentosum, fronte fovea rotunda, profunde impressa; oculi perpendiculares, oblongi, brunnei, parum prominuli; rostrum capite plus duplo longius, teretiusculum, sub-arcuatum, con-

fertim punctatum, nigrum, tomento fusco-ferrugineo tectum, supra versus basin obsolete carinatum. Antennæ breves, validæ, rufo-ferrugineæ, clava cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos brevior, anterius angustior, leviter constrictus, apice sinuato-emarginatus, lobis ocularibus sub-productis, lateribus obliquis, vix ampliatis, basi bi-sinuatus, supra modice convexus, sat profunde et sub-remote punctatus, superficie interjacente subtilissime confertim punctulata; in medio leviter canaliculatus, niger, parce cinereo-tomentosus: in utroque latere vitta lata, inæqualis, dense albido-tomentosa, punctis nonnullis nigris notata. Scutellum parvum, triangulare, nigrum, demersum. Elytra elongata, sub-linearia, antice singulatim rotundata, ibique thoracis basi non latiora, pone basin parum ampliata, dein fere linearia, apice conjunctim rotundata, thorace quadruplo longiora, supra convexa, regulariter remote punctato-striata, interstitiis latis, planis, subtilissime rugulosis; nigra, opaca, cinereo-tomentosa. Corpus subtus nigrum, subtiliter granulatum et punctatum, densius cinereo-tomentosum. Pedes longiusculi, validi, nigri, dense cinereo-tomentosi; femoribus modice clavatis, muticis; tibiis rectis; tarsis valde dilatatis, subtus brunneo-spongiosis.—GHL.

♂♀ 53. L. SQUALIDUS. *Schh.*

Ovatus, niger, dense cinereo-tomentosus, rostro longiori, cylindrico, vix carinato, thorace sub-conico, rugoso-punctato, vittis tribus albo-tomentosis, media angusta, abbreviata, elytris remote punctato-striatis.

Patria: Cap. Bonæ Spei. A Dom. Prof. GERMAR et Dom. Von WINTHEM benevole communicatus. Mus. SCHH.

Facies *Larini ursi,* sed fere dimidio minor, brevior. Caput brevissimum, rude punctatum, nigrum, dense cinereo-tomentosum, fronte impressa; oculi ovati, nigro-brunnei, parum prominuli; rostrum cylindricum, porrectum, vix arcuatum, punctatum, supra obsoletissime carinatum, nigrum, tomentosum; feminæ longitudine fere thoracis, maris paulo brevius et crassius. Antennæ nigræ, dense pubescentes. Thorax latitudine baseos parum brevior, anterius fere duplo angustior, sub-conicus, apice emarginatus, tubulatus, lateribus obliquis, vix ampliatis; basi profunde bi-sinuatus, supra minus convexus, sat profunde rugoso-punctatus, niger, cinereo-tomentosus; in utroque latere vitta lata, dense albido-tomentosa, et in medio antico tertia angusta, abbreviata. Scu-

tellum parvum, triangulare, concolor. Elytra antice singulatim rotundato-producta, thoracis basi multo latiora, lateribus non ampliata, apice conjunctim obtuse rotundata, thorace plus triplo longiora, supra modice convexa, sub-remote punctato-striata, interstitiis planis, subtiliter alutaceis; nigra, tomento cinereo vel pallescente, versus latera densiore et albidiore vestita. Corpus subtus punctulatum, nigrum, dense cinereo-tomentosum. Pedes mediocres, nigri, dense cinereo-tomentosi.—GHL.

54. L. CENTAURII (1).

Ovatus, niger, cinereo-pubescens, rostro tenui cylindrico.— OLIV.

Lixus id. OLIV. *Ent.* V. 83. p. 278. n° 298. T. 21. f. 276.

Patria : Persia.

55. L. BYRRHINUS.

Ovatus, ater, antennis testaceis, thorace confertissime granulato, vitta laterali, elytris sub-punctato-striatis, fascia arcuata baseos vittaque laterali inæquali pallide ferrugineo-tomentosis ornatis, pectore utrinque albo-tomentoso.

Curculio id. SPARRM. *Act. Holm.* 1785. I. p. 42. n° 4. T. 2. f. 4.
— OLIV. *Enc. méth.* V. p. 565. n° 25.
— LINN. *Syst. nat.* Ed. GMEL. I. IV. p. 1770. n° 267.

Patria: Cap. Bonæ Spei. Mus. Reg. Acad. Scient. Holm. Ex Musæo Dom. PAYKULL.

Parvus, *Sibyne viscariæ* vix major. Caput sub-globosum, confertissime granulatum, atrum; oculi ovati, depressi, nigri; rostrum capite duplo longius, validum, parum arcuatum, supra carinatum, subtiliter granulatum, atrum. Antennæ breves, totæ testaceæ. Thorax latitudine baseos vix brevior, antice duplo angustior, apice sub-emarginatus, lateribus obliquis, vix ampliatis; basi bi-sinuatus; supra parum convexus, confertissime granulatus, ater, vitta laterali utrinque dense ferrugineo-tomentosa cinctus. Scutellum parvum, demersum, atrum. Elytra antice singulatim rotundata, thoracis basi vix latiora, callo humerali elevato; lateribus nonnihil ampliata, apice obtuse rotundata, thorace duplo longiora, supra modice convexa, distincte striata, striis obsolete punctatis, interstitiis planis, confertissime alutaceis; atra, parum nitida; mox pone basin fascia communis arcuata et in utroque latere vitta lata,

(1) Mihi invisus.

inæqualis, nec marginem posterius, neque apicem attingens, e tomento denso pallide ferrugineo conspiciuntur. Corpus subtus confertim punctatum, atrum, magis nitidum, pectoris lateribus ventrisque basi albo-tomentosis. Pedes validi, atri; femoribus clavatis, dente obtuso armatis.—GHL.

56. L. GLAUCUS. *Schh.*

Breviter ovatus, niger, undique dense albido-tomentosus, rostro crasso, subrecto, supra obsolete canaliculato, thorace disperse punctato, vitta intra-marginali magis nuda utrinque notato, elytris remote punctato-striatis, humeris valde ampliatis.

Patria: Cap. Bonæ Spei. Ex Musæo Dom. HOPE, ad describendum, amice communicatus.

E minoribus, *Larino obtuso* sub-æqualis. Caput breve, depressum, obsolete punctatum, nigrum, dense albido-tomentosum, fronte canaliculata; oculi oblongo-ovati, nigro-brunnei, sub-depressi; rostrum capite parum angustius sed duplo longius, crassum, rectum, supra obsolete punctatum et canaliculatum, nigrum, dense albido-tomentosum. Antennæ crassiusculæ, nigræ, dense albido-pubescentes. Thorax latitudine baseos paulo brevior, antice duplo angustior, apice leviter emarginatus, lateribus obliquis, vix ampliatis; basi bi-sinuatus, lobo scutellari triangulari, parum depresso; supra convexus, disperse punctatus, in medio obsolete canaliculatus, in disco utrinque foveola transversa impressus, niger, dense albido-tomentosus, utrinque vitta lata intra-marginali nigriore, parcius tomentosa, notatus. Scutellum nullum. Elytra antice singulatim rotundata, margine elevato; pone basin oblique valde ampliata, dein posterius angustiora, apice etiam singulatim rotundata, thorace vix triplo longiora, supra minus convexa, remote punctato-sub-striata, interstitiis sub-convexis, alutaceis; nigra, tomento albido, ad latera et apicem densius, in disco parcius vestita. Corpus subtus punctatum, nigrum, dense albido-tomentosum. Pedes validi, nigri, dense albido-tomentosi.—GHL.

* 57. L. CRINIGER.

Lineari-elongatus, niger, tomento fasciculato pilisque longis, erectis, albidis, tectus, rostro sub-cylindrico, obsolete canaliculato, thorace elongato, canaliculato, elytris obsolete punctato-striatis, interstitiis rugulosis.

Lixus id. Dom. Illig. *in Litteris.*
Larinus comatus. Dom. Germ. *in Litteris.*

Habitat ad Cap. Bonæ Spei. Dom. Schuppel. Mus. Ghl. et Schh.

Statura elongata, angusta et magnitudo *Larini carlinæ*, tomento denso albido et lutescente tectus, et præterea pilis valde longis, rigidis, albidis, undique adspersus. Caput breve, latum, parum convexum, punctatum, nigrum, tomento denso flavescente tectum, pilisque longis albidis adspersum; oculi perpendiculares, oblongo-ovati, nigri, parum prominuli; rostrum capite duplo longius, sub-cylindricum, punctatum, nigrum, supra obsolete canaliculatum, indumento simili ut caput vestitum. Antennæ breves, crassæ, piceæ, cinereo-pubescentes. Thorax latitudine baseos parum brevior, antice paulo angustior, sub-constrictus, apice late sed parum profunde emarginatus, lateribus nonnihil ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra minus convexus, in medio late canaliculatus, confertim ruguloso-punctatus, tomento denso albido, anterius lutescente pilisque longis, erectis, albidis, vestitus. Scutellum parvum, triangulare, dense albido-tomentosum. Elytra lineari-elongata, antice singulatim rotundata, thoracis basi arcte applicata ibique illo vix latiora, lateribus vix ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace plus triplo longiora, supra convexa, obsolete punctato-striata, interstitiis confertim subtiliter rugulosis; nigra, opaca, lateribus et apice dense, in dorso anteriore maculatim albido-tomentosa, pilisque longis, erectis, albidis, undique adspersa. Corpus subtus nigrum, confertim rugulosum et punctatum, dense cinereo-pubescens. Pedes validi, nigri, punctati, dense cinereo-tomentosi et pilosi; femoribus parum clavatis, muticis; tibiis rectis; tarsis dilatatis piceis, subtus fusco-spongiosis. — Ghl.

* 58. L. Hirtus. *Schh.*

Elongato-ovatus, niger, cinereo-tomentosus, pilisque longis, erectis, albidis, adspersus, fronte impressa, rostro rugoso, thorace punctato, elytris rude punctato-striatis.

Habitat ad Cap. Bonæ Spei. Dom. Steven. Mus. Schh.

Præcedenti quoad staturam et indumentum similis, sed multoties minor, *sitonæ lineato* æqualis. Caput latum, profunde punctatum, nigrum, cinereo-tomentosum, posterius convexum, fronte late et profunde impressa; oculi perpendiculares, ovati, brunnei, parum prominuli; rostrum capite fere duplo longius, sub-cylindricum, rectum, longitudinaliter rugosum, nigrum, cinereo-tomentosum

et pilosum. Antennæ breves, crassiusculæ, fusco-ferrugineæ, cinereo-pubescentes. Thorax latitudine baseos parum brevior, anterius multo angustior, obsolete constrictus, apice parum emarginatus, lateribus obliquis, nonnihil ampliatis, basi evidenter bi-sinuatus, supra modice convexus, sub-remote punctatus, superficie interjacente subtilissime punctulata; niger, opacus, in dorso parce, versus latera et subtus dense cinereo-tomentosus, pilisque longis, erectis, albidis, adspersus. Scutellum parvum, triangulare, depressum, dense pallido-tomentosum. Elytra elongato-ovata, antice singulatim rotundata, thoracis basi arcte applicata, ibique illo non latiora, lateribus perparum ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace triplo longiora, supra convexa, rude punctato-striata, punctis profundis, sub-remotis, interstitiis subtilissime punctulatis; nigra, in dorso parcius, versus latera densius cinereo-tomentosa, pilisque longis, erectis, albidis, undique adspersa. Corpus subtus nigrum, confertim punctulatum, cinereo-pubescens. Pedes mediocres, nigri, punctati, dense cinereo-pubescentes et pilosi; femoribus parum clavatis muticis; tibiis rectis; tarsis dilatatis, subtus cinereo-spongiosis. — GHL.

59. L. PILOSUS. *Schh.*

Oblongus, niger, subtus dense, supra parcius albo-tomentosus, pilisque suberectis brevibus adspersus; antennis, tibiis tarsisque testaceis, rostro brevi, crasso, fronte impressa, thorace oblongo, sub-conico, punctato, elytris subtilius punctato-striatis.

Patria: Caffraria. Ex Musæo Dom. ECKLON et ZEYHER descriptus.

Parvus, *sitona lineato* minor; *Larino hirto* sub-æqualis et affinis, sed rostrum brevius, elytra subtilius punctato-striata, etc. Caput breve, planum, punctatum, nigrum, albo-tomentosum et pilosum, fronte impressa; oculi ovati, nigri, modice prominuli; rostrum capite parum longius, crassum, rectum, punctatum, nigrum, albo-tomentosum et pilosum. Antennæ breviusculæ, testaceæ, clava fusca, albo-pubescente. Thorax latitudine baseos vix brevior, anterius angustior, sub-conicus, apice leviter emarginatus, intra apicem non constrictus, lateribus obliquis, parum ampliatis; basi bi-sinuatus, supra convexus, sat confertim punctatus, niger, subtus et lateribus dense, supra parcius albo-tomentosus, pilisque suberectis, modice longis, ejusdem coloris, adspersus. Scutellum immersum, vix observandum. Elytra antice singulatim rotundata, thoracis basi latiora, lateribus vix ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace plus triplo longiora, supra convexa, parum profunde punctato-striata,

nigra, sub-nitida, indumento simili ac thorax vestita. Corpus subtus confertim subtiliter punctulatum, nigrum, dense albo-tomentosum. Pedes mediocres, dense albo-tomentosi et pilosi; femoribus parum crassis, muticis, nigris; tibiis tarsisque testaceis. — Ghl.

60. L. Lineatus. *Schh.*

Ellipticus, niger, pilis longissimis, erectis, albis parce adspersus, antennis, tibiis tarsisque testaceis, rostro longiore canaliculato, thorace elytrisque lineis niveo-tomentosis ornatis, illo antice profunde constricto, his sub-remote punctato-striatis.

Patria: Caffraria. Ex Musæo Dom. Ecklon et Zeyher descriptus.

Larino piloso dimidio major, in elytris latior et abunde distinctus. Caput breve, parum convexum, punctatum, nigrum, albo-tomentosum et pilosum, fronte impressa; oculi ovati, nigri, modice prominuli; rostrum capite duplo longius, validum, subrectum, versus apicem nonnihil angustatum, supra distincte canaliculatum, punctatum, nigrum, albo-tomentosum et pilosum. Antennæ breviusculæ, testaceæ, clava nigricante, albido-pubescente. Thorax latitudine postica brevior, antice paulo angustior, apice sub-emarginatus, intra apicem profunde constrictus, margine apicis elevato, calloso; lateribus pone stricturam nonnihil ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra transversim convexus, pulvinatus, confertim ruguloso-punctatus, niger, pilis longissimis, albidis, erectis, parce adspersus, lineolisque quatuor dense niveo-tomentosis ornatus, una nempe in quovis latere medio sub-interrupta, et duabus juxta medium baseos, antice abbreviatis. Scutellum vix observandum. Elytra antice sinuata thoracis basi parum latiora, lateribus nonnihil ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace triplo longiora, supra convexa, punctato-striata, punctis striarum inæqualibus, versus basin nempe majoribus, magis remotis; interstitiis planis, subtilissime alutaceis; nigra, pilis longissimis, erectis, albis, parce adspersa, lineisque angustis, dense niveo-tomentosis, decorata; in singulo elytro tribus, quarum suturæ proxima integra, duæ vero intra-marginales interruptæ et postice abbreviatæ. Corpus subtus confertim punctulatum, nigrum, albo-tomentosum. Pedes mediocres, albo-tomentosi et pilosi; femoribus parum crassis, muticis, nigris; tibiis tarsisque testaceis. — Ghl.

* 61. L. CRINITUS.

Oblongo-ovatus, niger, villositate albida parce adspersus, antennis tarsisque ferrugineis, pedibus piceis, rostro confertim rugoso, transversim impresso, thorace profunde, remote punctato, elytris striato-punctatis, interstitiis antice sub-seriatim punctatis.

Lachnæus id. SCHH. *Curc. Disp. Meth.* p. 59. n° 20.

Habitat in Caucaso. Dom. STEVEN. Mus. SCHH.

Magnitudo *Phytonomi trifolii.* Caput parvum, rotundatum, supra fere planum, nigrum, confertim rugoso-punctatum, villositate longa, albida, parce adspersum. Oculi oblongi, perpendiculares, parum prominuli, nigri; rostrum longitudine fere thoracis, capite dimidio angustius, deflexum, crassiusculum, sub-arcuatum, colore, punctura et indumento capitis, medio transversim impressum. Antennæ in medio rostri insertæ, thoracis medium attingentes, validiusculæ, ferrugineæ, albido-pubescentes, clava ovata, accuminata. Thorax latitudine baseos multo brevior, apice late sed non profunde emarginatus, anterius multo angustior, lateribus modice rotundato-ampliatus, basi profunde bi-sinuatus, supra modice convexus, niger, profunde sed minus confertim punctatus, villositate longa, erecta, albida, parce adspersus. Scutellum minutum, triangulare, nigrum. Elytra oblongo-ovata, basi singulatim rotundato-producta, antice thoracis basi paulo latiora, et illo triplo longiora, humeris rotundatis; lateribus inflexa, pone medium sensim angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra modice convexa, apicem versus gibbere obsoleto, notata; nigra, sat profunde striatim punctata, interstitiis latis, planis, a basi ultra medium punctis majusculis, remotis, seriatim impressis, notatis; villositate longa, erecta, albida, parce adspersa. Corpus subtus nigrum, obsoleto-punctatum, albido-pubescens. Pedes mediocres, validi, mutici, nigro-picei, albido-pubescentes; femoribus incrassatis; tibiis rectis, apice uncinatis. Tarsi elongati, ferruginei, subtus fulvo-spongiosi. — BHN.

62. L. VULPES (1).

Ovatus, niger cinereo-pubescens, elytris fascia undata nigra. — OLIV.

Lixus id. OLIV. *Ent.* V. 83. p. 277. n° 296. T. 21. f. 281.

Patria: Barbaria.

---

(1) Mihi invisus.

63. L. CUNICULUS (1).

Albo-pubescens, elytris striatis, fusco alboque variis, thorace scabro. — OLIV.

Lixus id. OLIV. *Ent.* V. 83. p. 282. n° 303. T. 30. f. 458.

Patria : Arabia.

GENUS 187. — ILEOMUS. *Nobis* (2).

Larinus GERM., STURM. — *Lixus* FABR., OLIV., ILLIG. — *Rhinobatus* DEJ., STEVEN. — *Curculio* DE GEER.

Character generis.—Antennæ mediocres, validiusculæ; funiculo 7-articulato : articulo secundo primo duplo longiori, obconico, reliquis brevissime sub-obconicis, successive paulo latioribus, ultimo clavæ adnexo; clava oblongo-ovata, acuminata.

Rostrum elongatum, teres, crassiusculum, arcuatum, læve; scrobs linearis, curvata, in basi rostri subtus cum opposita conjuncta.

Oculi laterales, perpendiculares, valde elongati, sub-depressi.

Thorax longitudine fere latior, basi profunde bi-sinuatus, anterius angustior, juxta apicem valde coarctatus, apice sinuato-emarginatus, pone oculos lobis minutis instructus; supra in medio baseos impressus.

Scutellum parvum, triangulare.

Elytra oblongo-ovata, basi singulatim rotundato-producta, humeris obtuse angulatis; dorso antico impressa, versus apicem eximie callosa, apice ipso conjunctim rotundata.

Pedes antici paulo longiores; femora subtus dentata.

Observ. — Corpus oblongum, convexum, robustum, alatum, parce tomentosum, polline sæpius tectum; aut majoris aut mediæ magnitudinis.—Quoad staturam et faciem simile *Larino* generi, sed differt articulo 3° antennarum dimidio longiore 2°, elytris dorso antico impressis femoribusque subtus dentatis.

Patria : Brasilia, Caucasus.

---

(1) Mihi invisus.

(2) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 220. *Larinus*, subgenus *Ileomus*.

♂♀ 1. I. Roreus.

Femoribus dentatis, niger, sulphureo-marmoratus, thoracis disco rhombice elevato, coleopteris pone scutellum quadratim impressis. —Germ.

Larinus id. Germ. *Ins. Spec.* I. p. 381. n° 524.
Lixus id. Fabr. *Syst. El.* II. p. 505. n° 35.
Curculio id. Fabr. *Ent. Syst.* I. II. p. 427. n° 142.
Curculio adspersus. Fabr. *Mant. Ins.* I. p. 106. n° 105.
Linn. *Syst. nat.* Gmel. I. IV. p. 1766. n° 245.
Lixus pulverulentus. Oliv. *Ent.* V. 83. p. 255. n° 262. T. 8. f. 98.
Curculio id. De Geer. *Ins.* V. p. 268. n° 3. T. 15. f. 24.
Herbst. *Col.* VI. p. 308. n° 281. T. 84. f. 5.
Oliv. *Enc. méth.* V. p. 505. n° 158.
Linn. *Syst. nat.* Gmel. I. IV. 1772. n° 297.
Curculio sulphuratus. Voet. *Col.* ed. Panz. IV. p. 65. n° 36. T. 38. f. 36.

Patria: Surinam, Cayenna, Brasilia.

2. I. Pacatus. *Schh.*

Lineari-elongatus, niger, tenue cinereo-tomentosus, antennis ferrugineis, rostro cylindrico, arcuato, punctato, thorace inæquali, carinato, vitta laterali flavescente, elytris rude punctato-striatis, transversim rugosis, posterius callosis.

Patria: Caucasus. Dom. Ménétriés. Mus. Reg. Acad. Scient. Holm. E Mus. Dom. Paykull.

Larino sturno parum longior, sed multo angustior, sub-linearis. Caput breve, latum, depressum, subtiliter punctulatum, nigrum, parce cinereo-tomentosum, fronte foveola profunda impressa; oculi perpendiculares, oblongo-ovati, brunnei, modice prominuli; rostrum capite fere triplo longius, crassum, cylindricum, arcuatum, confertim punctulatum, nigrum, sub-nitidum, basi pubescens. Antennæ breves, ferrugineæ, parce pilosæ et pubescentes. Thorax latitudine baseos brevior, anterius multo angustior, apice sat profunde emarginatus, lobis ocularibus productis, lateribus obliquis, posterius ampliatis, basi bi-sinuatus, supra parum convexus, inæqualis, rugoso-punctatus, in medio anteriori leviter carinatus, postice ante scutellum impressus; niger, parce cinereo-tomentosus, vitta laterali obliqua, inæquali, flavescenti-tomentosa, utrinque ornatus. Scutellum demersum, vix observandum.

Elytra valde elongata, sub-linearia, antice singulatim rotundata, thoracis basi arcte applicata ibique illo non latiora, sed pone basin oblique ampliata, humeris elevatis; dein ultra medium fere linearia, apicem versus subito angustiora, apice singulatim sub-rotundata, thorace plus quam quadruplo longiora, supra convexa, inæqualia, intra basin transversim impressa, et longe intra apicem callo majusculo, sub-conico, instructa; cæterum profunde puncto-striata, punctis magnis, sub-remotis, interstitiis angustis, convexis, transversim rugosis, subtiliter confertim punctulatis; nigra, opaca, parce cinereo-tomentosa. Corpus subtus nigrum, magis nitidum, subtilissime punctulatum, tenue pubescens. Pedes validi, nigri, confertim punctati, parum pubescentes; femoribus clavatis, subtus obtuse dentatis; tibiis arcuatis; tarsis dilatatis, piceis, subtus brunneo-spongiosis. — GHL.

GENUS 188. RHINOCYLLUS.

Rhinocyllus GERM., BILLB., SCHH. (1). — *Rhinobatus* DEJ., MEG., STEV. — *Larinus* STURM. — *Lixus* ILLIG., LATR., OLIV. — *Curculio* HERBST, ROSSI.

Character generis. — Antennæ brevissimæ, crassæ, sub-infractæ; scapo breviusculo, extrorsum valde incrassato; funiculo 7-articulato: articulis duobus basalibus brevissime obconicis, 3-7 transversis sub-perfoliatis, sub-coarctatis, exterioribus gradatim latioribus; clava sub-ovata.

Rostrum capite fere brevius, crassum, angulatum, supra planum; scrobs curvata, subito subtus flexa et ibi conjuncta cum opposita.

Oculi perpendiculares, oblongi, inferne angustati, sub-depressi.

Thorax transversus, basi profunde bi-sinuatus, anterius multo angustior, intra apicem sub-constrictus, infra pone gulam late emarginatus.

Scutellum minutissimum, vix conspicuum.

Elytra oblonga, sub-linearia, convexa, basi singulatim rotundato-producta, humeris obtuse angulatis; versus apicem vix callosa, apice ipso conjunctim rotundata.

Observ. — Corpus oblongum, sub-cylindricum, tomentoso-variegatum, alatum; minoris magnitudinis.

Patria: Europa meridionalis.

---

(1) Schh. l. c. p. 58. n° 19. — Germ. in N. Wetter. Annal. I. I. p. 137.

* 1. R. ANTIODONTALGICUS.

Oblongo-ovatus, niger, obscurus, confertissime alutaceus, tomento flavescente variegatus, antennis tarsisque fusco-ferrugineis, rostro sub-impresso, vix carinato.—GHL.

Curculio id. GERBI. *storia naturale d'un nuovo Insetto.* 1794.
HERBST. *Col.* VII. p. 18. n° 578. T. 96. f. 11.
GERM. *It. in Dalm. et Rag.* p. 231. n° 266.
Lixus id. ILLIG. *Mag.* VI. p. 328.
Curculio thaumaturgus. ROSSI. *Mant.* II. App. p. 94. n° 48.

Patria : Italia.

* 2. R. LATIROSTRIS.

Oblongo-ovatus, niger, obscurus, confertissime alutaceus, tomento flavescente variegatus, antennis tarsisque piceis, rostro profundius impresso, evidentius interrupte carinato.—GHL.

Lixus id. LATR. *Hist. nat. des Cr. et des Ins.* XI. p. 125.—GEN. *Cr. et Ins.* II. p. 259. n° 1.
Lixus morosus. OLIV. *Ent.* V. 83. p. 283. n° 305. T. 30. f. 457.
Rhinocyllus thaumaturgus. ? STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 161. n° 1.
Rhinobatus odontalgicus. DEJEAN. *Catal. Col.* p. 98.
Rhinobatus sulcifrons. DEJEAN. *Catal. Col.* p. 98 (1).
Curculio conicus. FROEHL. *in Naturf.* XXVI.

Patria : Austria, Italia, Gallia, Dalmatia, Caucasus, Dauria.

* 3. R. OLIVIERI.

Oblongo-ovatus, niger, obscurus, confertissime alutaceus, tomento pallescente variegatus, antennis pedibusque nigris, tarsis piceis, rostro angustiore, parum impresso, vix carinato.

Rhinobatus id. Dom. MEGERLE *in Litteris.*
Lixus odontalgicus. OLIV. *Ent.* V. 83. p. 282. n° 304. T. 30. f. 456. Exclusis synonymis.
Curculio undulatus. Dom. SCHNEIDER *in Litteris.*

Habitat in Austria, Lusitania. Mus. SCHH.

Rhinocyllo latirostri proximus, plerumque paulo minor, rostro angustiore, minus profunde impresso et in impressione vix carinato, præcipue distinctus. Caput breve, latum, sub-convexum, confertim punctatum, nigrum, pallido-tomentosum, fronte inter ocu-

(1) In nonnullis individuis rostrum paulo brevius, profundius impressum, quod forte sexus, vix vero speciei differentiam indicare videtur.

ios foveola parva et posterius linea obsoleta impressa; oculi perpendiculares, oblongi, brunnei, modice prominuli; rostrum capite vix brevius, sed multo angustius, confertim punctatum, nigrum, tomentosum supra impressum et in impressione rudimento obsoleto lineolæ elevatæ notatum. Antennæ crassæ, nigræ, cinereo-pubescentes. Thorax brevissimus, anterius angustior, apice sub-truncatus et intra apicem obsolete constrictus, lateribus nonnihil ampliatus, basi profunde bi-sinuatus, supra in medio convexus, subpulvinatus, undique confertissime evidenter ruguloso-punctatus, niger, tomento pallescente, ad latera et in vitta arcuata intra-marginali utrinque magis condensato, adspersus. Scutellum rotundatum, pubescens. Elytra antice singulatim rotundata, thoracis basi non latiora, lateribus parum ampliata, apice conjunctim obtuse rotundata, thorace plus quam quadruplo longiora, supra modice convexa, anguste striata et in striis sub-remote punctata, interstitiis confertim rugulosis; nigra, tomento pallescente inæqualiter variegata. Corpus subtus nigrum, punctulatum, pallido-pubescens. Pedes breviusculi, nigri, cinereo-pubescentes; tarsis piceis. — GHL.

* 4. R. PLANIFRONS.

Oblongo-ovatus, niger, tomento cinereo-pallescente variegatus, rostro angustiore, plano, vix carinato, thorace longiore, antice constricto, obsoletius rugoso-punctato, tarsis ferrugineis.

Rhinobatus id. DEJEAN. *Catal. Col.* p. 98.

Habitat in Dalmatia. Dom. Com. DEJEAN; in Persia. Dom. FALDERMANN. Mus. SCHH.

Magnitudo et statura *Rhinocylli latirostris*, sed rostri forma alia, thorax longior, etc. Caput breve, latum, supra planum, confertim punctatum, nigrum, tomento cinereo adspersum; oculi perpendiculares, oblongi, brunnei, parum prominuli; rostrum capite fere brevius et multo angustius, apice emarginatum, supra planum, punctatum, nigrum, cinereo-tomentosum, in medio carinula valde tenui, parum elevata, notatum. Antennæ piceæ, cinereo-pubescentes. Thorax latitudine baseos parum brevior, anterius multo angustior, apice late, sed parum profunde emarginatus, intra apicem evidenter constrictus, margine elevato; lateribus nonnihil ampliatus, basi profunde bi-sinuatus, supra modice convexus, confertim sed obsoletius inæqualiter ruguloso-punctatus, niger, tomento pallescente, ad latera et in vitta arcuata intra-marginali utrinque magis condensato, adspersus. Scutellum minutum, demersum. Elytra antice singulatim rotundata, ibique thoracis basi vix latiora,

sed pone humeros elevatos, rotundatos et dein ultra medium nonnihil ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace triplo longiora, supra modice convexa, evidenter punctato-striata, punctis remotis; interstitiis subtiliter rugulosis; nigra, tomento cinereo vel pallescente inæqualiter variegata. Corpus subtus nigrum, confertìm punctulatum, dense pallido-tomentosum. Pedes breviusculi, validi, nigri, dense cinereo-pubescentes; tarsis dilatatis ferrugineis, subtus albido-spongiosis. — GHL.

* 5. R. INQUILINUS.

Oblongus, niger, villositate flavescente cinereaque, in elytris fasciatim condensata, tectus; antennarum scapo brevissimo, rostro brevi, arcuato, perspicue carinato.—GHL.

Curculio id. GYLLENH. *Ins. Suec.* IV. p. 608. n° 5-6.

Patria: Finlandia.

* 6. R. BREVIS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, tomento cinereo variegatus, antennis basi ferrugineis, rostro capite longiore et angustiore, thorace remotius punctato, elytris punctato-striatis, interstitiis alutaceis.

Habitat in Podolia Australi. Dom. BESSER. Mus. SCHH.

Rhinocyllo latirostri minor, brevior; *Larino obtuso* Schh. similis, sed minor, præsertim angustior. Caput parum convexum, obsolete punctatum, nigrum; oculi perpendiculares, ovati, nigri, modice prominuli; rostrum capite paulo longius et angustius, crassum, angulatum, supra fere æquale, confertim punctulatum, nigrum, parce tomentosum. Antennæ breves, crassæ, basi ferrugineæ, clava oblonga, acuminata, nigra, cinereo-pubescente. Thorax brevis, transversus, antice multo angustior, sub-truncatus, lateribus oblique ampliatus, basi profunde bi-sinuatus, angulis lateralibus acutis, lobo medio depresso, rotundato; supra convexus, obsoletius inæqualiter punctatus, niger, tomento cinereo parcius adspersus. Scutellum elongato-triangulare, angustum, concolor. Elytra ovata, antice singulatim rotundato-producta, thoracis basi arcte applicata illoque paulo latiora, lateribus nonnihil ampliata, apice conjunctim obtuse rotundata, thorace fere triplo longiora, supra modice convexa, punctato-striata, punctis sub-remotis, interstitiis subtiliter alutaceis; nigra, tomento cinereo inæqualiter variegata. Corpus subtus nigrum, confertim punctulatum, tenuiter pubescens. Pedes mediocres, punctati, nigri, pubescentes; tarsis dilatatis piceis, subtus brunneo-spongiosis.—GHL.

GENUS 188 *bis.* HOPLOPAROXUS. *Nobis.*

Character generis.—Antennæ breviusculæ, minus tenues; funiculo 7-articulato : articulis duobus basalibus longiusculis, sub-turbinatis, reliquis brevibus, sub-perfoliatis, exterioribus successive latioribus ; clava ovata.

Rostrum longiusculum, teres, validum, modice arcuatum.

Oculi laterales, ovati, sub-depressi.

Thorax basi bi-sinuatus, apice truncatus, antiorsum sensim attenuatus.

Scutellum mediocre, obtuse trigonum.

Elytra elongata, sub-linearia, convexa, apice conjunctim rotundata.

Femora antica pone medium multi-dentata ; tibiæ anticæ arcuatæ.

Descriptio.—*Corpus* oblongum, sub-cylindricum, squamosum, alatum ; minusculæ magnitudinis.—*Antennæ* thoracis medium non attingentes, pone medium rostri insertæ, minus tenues, fractæ, 12-articulatæ : articulo 1° oculum haud tangente, clavato; 2° et 3° longiusculis, sub-turbinatis, 4-8 brevibus, sub-perfoliatis, exterioribus gradatim valde latioribus, ultimo clavæ adpresso; clava ovata, 4-articulata, articulis arcte connexis.—*Rostrum* capite duplo longius, validum, teres, modice arcuatum, deflexum; scrobe versus apicem rostri incipiente, lineari, subtus flexa et in medio rostri connivente.—*Oculi* laterales, perpendiculares, ovati, sub-depressi.—*Thorax* latitudine postica nonnihil longior, basi leviter bi-sinuatus, lateribus perparum rotundatus, antrorsum multo angustior, ante apicem sub-coarctatus, apice truncatus, infra pone gulam leviter emarginatus, supra modice convexus. — *Scutellum* mediocre, apice rotundatum.—*Elytra* antice thoracis basi paulo latiora et illo triplo longiora, sub-linearia, supra modice convexa, basi sub-truncata, humeris obtuse angulatis ; apice conjunctim rotundata, anum obtegentia.—*Pedes* mediocres, validi, antici paulo longiores et crassiores, basi approximati ; femoribus in medio valde incrassatis, subtus pone medium dente valido armatis, et pone dentem multi-spinosis, posterioribus muticis; tibiis sub-teretibus, anticis intus curvatis, apice unco minutissimo instructis, posterioribus rectis, apice muticis; tarsis subtus vix spongiosis, articulo penultimo latiore, bi-lobo, apicali bi-unguiculato.

TYPUS. — *Hoploparoxus pardalis.*

Α ὁπλοπάροχος armiger.

Observ. — Generi *Rhinocyllo* quoad habitum subsimile est hoc genus, rostri vero, femorum anteriorum aliarumque partium structura abunde distinctum.

Patria : Caffraria.

1. H. PARDALIS. *Schh.*

Oblongus, sub-cylindricus, niger, squamositate albida supra maculatim variegatus, subtus dense tectus, antennis, tibiis tarsisque obscure testaceis, thorace sub-conico, confertissime punctulato, elytris anguste striatis, interstitiis planis, alutaceis.

Patria : Caffraria. A Dom. ECKLON et ZEYHER detectus, et ad describendum communicatus.

Parvus; *Heterocero marginato* non latior, sed paulo longior. Caput breve, parum convexum, punctatum, nigrum, cinereo-squamulosum; oculi perpendiculares, ovati, nigri, parum convexi; rostrum capite duplo longius, crassum, sub-deflexum, modice arcuatum, supra punctulatum et rugulosum, totum nigrum. Antennæ breviusculæ, validæ, obscure testaceæ, clava infuscata. Thorax latitudine baseos fere longior, antice dimidio angustior quam basi, apice sub-truncatus, lateribus obliquis, parum ampliatis; basi leviter bi-sinuatus, angulis lateralibus sub-productis; supra modice convexus, confertissime punctulatus, niger, squamositate albida, versus latera maculatim condensata, adspersus. Scutellum obtuse triangulum, nigrum. Elytra antice singulatim rotundata, thoracis basi paulo latiora, lateribus non ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace triplo longiora, supra convexa, anguste striata, striis obsolete punctulatis, interstitiis planis, confertissime alutaceis; nigra, maculis plurimis albo-squamosis adspersa, immixtis squamulis cinereis et sub-ochraceis. Corpus subtus confertim punctulatum, nigrum, squamositate densa albida æqualiter vestitum. Pedes albo-squamulosi, antici reliquis longiores et crassiores; femoribus nigris, subtus pone medium dente longo valido, et pone illum 5 vel 6 sensim minoribus armatis; tibiis ejusdem paris valde arcuatis tarsisque testaceis; pedes posteriores tenuiores; femoribus sub-clavatis, muticis, nigris; tibiis rectis tarsisque testaceis. — GHL.

GENUS 189. NERTHOPS. *Nobis* (1).

Lixus OLIV. — *Rhinobatus* DEJEAN. — *Rhynchites* WIEDEM.

Character generis. — Antennæ brevissimæ, crassiusculæ, sub-infractæ; scapo brevissimo, sub-clavato; funiculo 7-articulato; articulis duobus basalibus brevibus, sub-turbinatis, 3-7 transversis, valde coarctatis, successive latioribus, ultimo clavæ arcte adnexo; clava ovata, acuminata.

Rostrum longitudine capitis, crassiusculum, teres, paulo arcuatum; scrobs curvata, linearis, sensim subtus flexa.

Oculi laterales, maximi, rotundati, infra caput fere connexi, nonnihil prominentes.

Thorax transversus, basi leviter bi-sinuatus, lateribus valde ampliato-rotundatus, juxta apicem subito angustatus, antice truncatus, supra perparum convexus.

Scutellum sat magnum, triangulare.

Elytra oblongo-subquadrata, basi singulatim rotundata, humeris obtuse angulatis; supra modice convexa, apice obtuse rotundata, anum haud occultantia.

Observ.—Corpus ovato-sub-quadratum, parum convexum, squamulosum; minoris magnitudinis.

* 1. N. GUTTATUS.

Niger, antennis tarsisque piceis, thorace amplo, granulato-punctato, sub-carinato, elytris punctato-striatis, maculis sparsis albo-squamosis.—BHN.

Lixus id. OLIV. *Ent.* 83. p. 279. n° 299. T. 35. f. 539.

Nerthops multiguttatus. BOHEM. *in Acta Mosqu.* VI. p. 26. n° 26.

Rhynchites id. Dom. WIEDEM. *in Litteris.*

Bruchus punctatus. FABR. *Syst. El.* II. p. 397. n° 7.? —*Ent. Syst.* Suppl. p. 158. n° 6-7.?

Patria : Cap. Bonæ Spei.

2. N. CALCARATUS. *Chevrolat.*

Ovatus, niger, pilis cervinis vestitus, thorace sub-rotundato, subtiliter confertim punctulato, elytris subtiliter punctato-striatis, interstitiis planis, alternis cervino-pubescentibus, alternis denudatis, maculis remotis cervinis, variegatis.

---

(1) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 60. n° 21.

Rhinobatus curtus. Dom. Com. DEJEAN. Secundum Dom. CHEVROLAT *in Litteris.*

Habitat in Brasilia. Mus. Dom. CHEVROLAT.

Magnitudo et fere statura *Nerthopis multiguttati.* Caput mediocre, globosum, nigrum, punctulatum, pube umbrina et cervina obsitum; oculi magni, infra caput connexi, glauci; rostrum capite vix longius, sed illo multo angustius, crassiusculum, sub-teres, rectum, supra obsolete uni-carinatum, nigrum, rugoso-punctulatum, pube fusca adspersum. Antennæ pone medium rostri insertæ, capite cum rostro vix longiores, crassiusculæ, nigræ, parce pilosæ, clava ovata, acuminata, fusco-pubescente. Thorax latitudine media vix brevior, apice truncatus, anterius angustior, lateribus et postice rotundatus, basi tenue marginatus, supra fere planus, subtiliter confertim punctatus, niger, pube cervina, sat dense obsitus. Scutellum mediocre, triangulare, apice acuminatum, nigrum. Elytra ampla, sub-quadrata, antice thoracis basi dimidio latiora, humeris rotundatis, pone humeros lateribus fere recta, vel apicem versus perparum angustata, thorace duplo longiora, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra plana, nigra, subtiliter punctato-striata, interstitiis planis, alternis pube densa cervina tectis, alternis fere denudatis, atris, maculis plurimis, remotis, cervino-pubescentibus, variegatis. Corpus subtus nigrum, sub-nitidum, punctulatum, pube depressa, cinerea adspersum. Pedes breviusculi, robusti, nigri, pube cinerea parce obsiti; femoribus incrassatis, præsertim anticis, omnibus subtus dentatis, posticis dente obsoleto, anticis dente valido, extus multi-crenulato armatis; tibiis apicem versus dilatatis, anticis valde arcuatis, apice uncinatis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

GENUS 190. HEILIPUS.

Heilipus GERM., LATR., STURM, SCHH. (1). — *Pissodes* GERM., DEJ., STURM, STEVEN. — *Rhynchænus* FABR., OLIV.

Character generis. — Antennæ mediocres, validiusculæ; funiculo 7-articulato; articulis duobus basalibus longiusculis obconicis, aut æqualibus, aut secundo primo duplo longiori, reliquis brevioribus, lenticularibus; clava oblonga, ovalis, spongiosa, articulis arcte connexis.

---

(1) Germ. Ins. Spec. I. p. 399. — Latr. Règne anim. p. 394. — Schh. Curc. Disp. Meth. p. 221. n° 124.

Rostrum longitudine variat, in plerisque validum, in paucis sub-filiforme, teres, modice arcuatum.

Oculi laterales, ovati, depressi.

Thorax latitudine fere longior, basi leviter bi-sinuatus, lateribus modice rotundato-ampliatus, anterius angustior, juxta apicem nonnihil coarctatus, pone oculos lobatus.

Scutellum aut oblongo-ovatum, aut triangulare, distinctum.

Elytra aut oblonga, aut oblongo-ovata, basi singulatim sub-rotundata, humeris obtuse angulatis, sub-elevatis; supra modice convexa, versus apicem callosa.

Pedes validi; femora semper dentata; tibiæ intus in medio dilatatæ, apice intus unco valido armatæ.

Observ. — Corpus oblongum, robustum, durum, in plerisque squamosum, alatum; aut majusculæ aut mediocris magnitudinis.

Patria: America meridionalis.

STIRPS. 1. Funiculi duo articuli basales ob-conici, sub-æquales.

♀ 1. H. LACTARIUS.

Ater, tibiis tarsisque rufis, thorace oblongo, cylindrico, bi-vittato, elytris vitta lata, inæqualiter dentata, albo-squamosa.

GERM. *Ins. Spec.* I. p. 401. n° 545. T. 2. f. 1.

Patria: Brasilia.

♂♀ 2. H. CATAGRAPHUS.

Oblongus, niger, sub-opacus, antennis tibiis tarsisque ferrugineis, thorace angustiore, antice subito angustato, supra obsolete remote punctulato, vitta utrinque laterali sordide albo-squamosa ornato, elytris subtiliter striato-punctatis, punctis striarum valde remotis, interstitiis lævibus; singulo elytro vitta lata inæqualiter dentata ad apicem extensa, albo-squamosa.—BHN.

GERM. *Ins. Spec.* I. p. 400. n° 544.

Patria: Brasilia.

♀ 2 *bis.* H. RUGICOLLIS. *Bhn.*

Oblongus, niger, sub-opacus, antennis tarsisque ferrugineis, thorace angustiore, antice subito angustato, minus crebre transversim ruguloso, utrinque silaceo vittato, elytris subtiliter striato-punctatis, punctis striarum sub-remotis, interstitiis basi transversim obsolete rugulosis, singulo elytro vitta angustiori inæqualiter dentata, pone medium sub-interrupta, ad apicem extensa, silaceo-squamosa.

Patria: Brasilia. Dom. FREYREISS. Mus. SCHH.

Statura et summa similitudo *Heilipi catagraphi*, nonnihil tamen minor, antennis tarsisque tantum ferrugineis, thorace transversim rugoso, elytrorum punctis magis confertim impressis, interstitiis basi transversim etsi obsolete rugulosis, vitta angustiore pone medium sub-interrupta ab illo distinctus. Caput mediocre, rotundatum, nigrum, subtiliter minus crebre punctulatum, inter oculos foveola parva, profunda, impressum; oculi laterales, ovati, nigro-brunnei, parum prominuli; rostrum longitudine capitis cum thorace, deflexum, teres, crassiusculum, arcuatum, in ipsa basi obsolete carinatum, nigro-piceum, basi evidenter, apicem versus vix punctulatum. Antennæ in medio rostri insertæ, subtenues, ferrugineæ, clava oblongo-ovata, acuminata, dense cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos vix longior, anterius angustior, leviter coarctatus, apice sinuato-emarginatus, lateribus modice ampliatus, basi profunde bi-sinuatus, supra parum convexus, niger, sub-opacus, basi evidenter, apicem versus obsoletius minus crebre transversim rugulosus; vitta utrinque laterali, antrorsum angustata, silaceo-squamosa, ornatus. Scutellum parvum, sub-rotundatum, nigro-piceum. Elytra basi perparum rotundato-producta, thorace arcte applicata, ibique illo dimidio latiora, humeris parum prominulis, rotundatis, lateribus vix ampliata, apicem versus angustata, apice ipso conjunctim rotundata, thorace quadruplo longiora, supra modice convexa, versus apicem callo majusculo, rotundato, instructa; obsolete striato-punctata, punctis parum remotis, interstitiis planis, basi transversim obsolete rugulosis; nigra, sub-opaca, vitta utrinque angustiore, irregulariter excisa et dentata, pone medium sub-interrupta, usque ad apicem extensa, silaceo-squamosa, ornata. Corpus subtus nigrum, nitidum, vix punctulatum, pube cinerea tenuissime adspersum. Pedes longiusculi, validi, nigri; femoribus valde clavatis, subtus pone medium dente valido armatis; tibiis arcuatis, intus in medio nonnihil ampliatis, apice uncinatis; tarsis elongatis, dilute ferrugineis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

3. H. VELAMEN. *Schh.*

Oblongus, ater, rostro breviori, crasso, basi gibboso, tibiis tarsisque ferrugineis, thorace angustiore, remote parum profunde rugoso-punctato, vitta utrinque lata niveo-squamosa, ornato, elytris subtiliter striato-punctatis, vitta lata disci, infra pone medium excisa nivea, apice ipso cervino-squamosis.

♂ VAR. β. Vitta utrinque thoracis, dilute cervino-squamosa, niveo-marginata, elytrorum vittis cervino-variegatis; tibiis tarsisque aurantiacis.

Habitat in America meridionali. Mus. Imp. Ross. Var. β, in Brasilia. Dom. WESTIN. Mus. SCHH.

Statura et summa similitudo *Heilipi catagraphi;* rostro breviori, multo crassiori et thorace remote evidenter rugoso-punctato. Caput crassum, rotundatum, atrum, obscurum, vix punctatum, squamulis piliformibus silaceis adspersum, inter oculos puncto sat profundo impressum; oculi laterales, elongati, transversi; haud prominuli, obscure brunnei. Rostrum thorace dimidio brevius, deflexum, crassum, basi gibbum, apicem versus tenuiori, arcuatum, supra longitudinaliter obsolete carinatum, subtiliter remote punctulatum, atrum, sub-nitidum, squamulis piliformibus silaceis, præsertim ad basin adspersum. Antennæ longe pone medium rostri insertæ, crassiusculæ, ferrugineæ, parce albido-pilosæ, clava oblonga, acuminata, fusco-pubescente. Thorax latitudine baseos multo longior, apice late sed parum profunde emarginatus, anterius angustior, sub-coarctatus, lateribus modice rotundato-ampliatus, basi sat profunde bi-sinuatus, supra parum convexus, antice nonnihil elevatus, ater, remote parum profunde ruguloso-punctatus, utrinque vitta lata laterali, infra dentata, antrorsum nonnihil angustata, niveo-squamosa, lateribus et subtus squamulis dilute cervinis, parce obsitus. Scutellum parvum, oblongo-ovatum, apice rotundatum, atrum. Elytra elongato-ovata, sub-cylindrica, basi ante scutellum conjunctim rotundato-emarginata, thoracis basi vix dimidio latiora, quam lata fere quadruplo longiora, humeris sub-prominulis, obtuse rotundatis, apicem versus parum angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra modice convexa, ante apicem callo vel gibbere obtuso notata; atra, subtiliter remote striato-punctata, interstitiis latis, planis, sub-lævibus, in disco singuli elytri vitta lata a basi ad apicem fere continuata, infra pone medium excisa, niveo-squamosa, lateribus apiceque squamulis dilute cervinis, sat dense adspersis. Corpus subtus nigrum, sub-nitidum, latera pectoris cervino-squamosa; ventris medio basi longitudinaliter impresso. Pedes longiusculi; femoribus valde incrassatis, nigris, setulis cervinis adspersis, subtus pone medium dente valido, acuto, armatis; tibiis ferrugineis, arcuatis, intus in medio nonnihil ampliatis, apice acute uncinatis; tarsis modice dilatatis, dilutius ferrugineis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

♂ 4. H. PEPLUS. *Schh.*

Oblongus, ater, rostro longiori, tenuiori, tibiis tarsisque ferrugineis, thorace angustiore, vix punctato, vitta lata laterali isabellino-squamosa utrinque, elytris subtiliter striato-punctatis, vitta lata disci, subtus pone medium emarginata, isabellino-squamosa, ornatis.

GUÉRIN, *Iconogr. du Règne animal,* p. 38. n° 5.

Habitat in Brasilia. A Dom. de WINTHEM communicatus. Mus. SCHH.

Statura fere *Heilipi catagraphi,* sed nonnihil angustior. Caput mediocre, crassum, convexum, nigrum, obscurum, subtilissime obsolete punctulatum; fronte sub-carinata, inter oculos foveola parva, rotunda, impressa; oculi laterales, sub-ovati, depressi, nigri; rostrum longitudine thoracis, deflexum, teres, crassiusculum, arcuatum, supra longitudinaliter carinatum et utrinque obsolete sulcatum, remote rugoso-punctatum; totum atrum. Antennæ longe pone medium rostri insertæ, ultra thoracis medium pertingentes, crassiusculæ, nigro-piceæ, albido-pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, fusco-holosericea. Thorax latitudine baseos multo longior; anterius angustior, sub-coarctatus, apice late sed minus profunde emarginatus, lateribus nonnihil rotundato-ampliatus, basi sat profunde bi-sinuatus, supra parum convexus, ater, dorso antice obsoletissime carinatus, vix visibiliter punctulatus, utrinque vitta lata laterali, antrorsum nonnihi angustata, isabellino-squamosa, decoratus. Scutellum oblongo-ovatum, apice rotundatum, nigrum. Elytra elongato-ovata, sub-cylindrica, basi ante scutellum conjunctim rotundato-emarginata, antice thoracis basi dimidio latiora, humeris sub-prominulis, obtuse rotundatis, lateribus inflexa, thorace fere quadruplo longiora, ante apicem callo vel gibbere obtuso notata, apicem versus parum angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra modice convexa, atra, subtiliter remote striato-punctata, interstitiis latis, planis, subtilissime coriaceis, in disco cujusvis elytri vitta lata a basi ad apicem usque continuata, infra pone medium excisa, squamulis dilute isabellinis, ornata. Corpus subtus atrum, vix punctulatum, pilis fulvescentibus adspersum; ventris medio ad basin longitudinaliter impresso. Pedes longiusculi, robusti; femoribus incrassatis, nigris, subtus pone medium dente valido, acuto, armatis; tibiis ferrugineis, omnibus arcuatis, intus in medio nonnihil ampliatis, apice uncinatis; tarsis elongatis, dilute ferrugineis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

5. H. STRATIOTICUS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, piceus, capite confertim punctato, rostro basi bi-sulcato, thorace latiore, dorso sat profunde rugoso-punctato, lateribus tuberculato, vitta laterali albido-squamosa utrinque, elytris profunde striato-punctatis, vitta lata disci, infra in medio excisa, postice dilatata, confluente, albido-squamosa, tibiis tarsisque rufo-testaceis.

Habitat in Brasilia. Mus. Reg. Acad. Scient. Holm.

Heilipo catagrapho dimidio brevior, sed vix angustior. Caput mediocre, crassum, convexum, nigro-piceum, confertim sed minus profunde punctatum; vertice impresso; fronte inter oculos sulcata; oculi ovati, depressi, nigri; rostrum thorace sub-longius, crassiusculum, teres, arcuatum, rufo-piceum, supra in dorso carinatum et utrinque sulcatum, sat profunde rugoso-punctatum, setulis brevissimis pallidis adspersum. Antennæ pone medium rostriinsertæ, rostro capiteque paulo longiores, crassiusculæ, piceæ, albido-pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, fusco-holosericea. Thorax latitudine media brevior, anterius angustior, sub-coarctatus, apice late sed non profunde emarginatus, lateribus modice rotundato-ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra parum convexus, piceus, obscurus, dorso minus crebre sat profunde rugoso-punctatus, versus latera utrinque vitta sat lata, antrorsum angustata, albido-squamosa, sub-lævi; latera sub vitta evidenter tuberculata. Scutellum sub-cordatum, apice rotundatum, nigro-piceum, tenue albido-squamosum. Elytra oblongo-ovata, basi singulatim nonnihil rotundato-producta, antice thoracis basi parum latiora, humeris prominulis, obtuse rotundatis, lateribus inflexa, thorace quadruplo longiora, ante apicem callo notata, pone medium sensim angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra modice convexa, dorso sub-plana, picea, profunde striato-punctata, interstitiis planis, subtiliter rugulosis; in disco cujusvis elytri vitta lata, infra pone medium excisa, apicem versus dilatata, communis, e squamulis sordide albidis, apice ipso umbrino-squamoso. Corpus subtus, nigro-piceum, obsolete punctatum, setulis depressis fulvescentibus adspersum. Pedes longiusculi, robusti, punctati, setulis pallidis adspersi; femoribus nigro-piceis, basi ferrugineis, incrassatis, subtus pone medium dente valido, acuto, armatis; tibiis rufo-testaceis, intus in medio dilatatis, apice uncinatis; tarsis elongatis, dilutius rufo-testaceis, subtus fulvo-spongiosis.—BHN.

♂ 6. H. SCHOENHERRI. *Dupont.*

Oblongus, obscure ferrugineus, thorace angustiore, antice subito angustato, supra parum profunde sat crebre punctato, vitta utrinque laterali, sordide albo-squamosa, ornato, elytris subtiliter striato-punctatis, punctis striarum sub-remotis, interstitiis basi transversim rugulosis; singulo elytro vitta inæqualiter dentata pone medium interrupta, ante apicem desinente, albo-squamosa.

Patria : Mexico. A Dom. DUPONT, qui nomen imposuit, benevole communicatus. Mus. SCHH.

Habitus et summa similitudo *Heilipi catagraphi,* sed nonnihil minor, magis ovalis et convexus, thorace evidenter crebrius punctato, elytrorum punctis minus remotis, vitta pone medium interrupta, apice non attingente ab illo distinctus. Caput mediocre, globosum, ferrugineum, confertim subtiliter punctulatum, inter oculos foveola parva profunda insculptum; oculi perpendiculares, ovati, haud prominuli, nigro-brunnei; rostrum longitudine fere capitis cum thorace, minus crassum, teres, apicem versus arcuatum, a basi ultra medium rude crebre, dein apicem versus subtiliter punctatum; totum obscure ferrugineum, glabrum, sub-nitidum. Antennæ non procul ab apice rostri insertæ, subtenues, piceæ, parce pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, dense fusco-pubescente. Thorax latitudine baseos vix longior, anterius angustior, ibique vix coarctatus, apice late sed parum profunde emarginatus, lateribus modice ampliatus, basi sat profunde bi-sinuatus, supra parum convexus, punctis parum profundis, minus remotis, impressus; totus obscure ferrugineus, sub-nitidus, utrinque vitta laterali, antrorsum angustata, sordide albido-squamosa ornatus. Scutellum parvum, sub-rotundatum, obscure ferrugineum. Elytra basi perparum rotundato-producta, antice thoracis basi paulo latiora, humeris modice prominulis, rotundatis; thorace fere quadruplo longiora, apicem versus nonnihil angustata, apice ipso conjunctim rotundata, supra convexa, ante apicem callo obtuso notata, picea vel obscure ferruginea, subtiliter striato-punctata, interstitiis planis, anterius transversim rugulosis; in singulo elytro vitta lata irregulariter excisa et dentata, pone medium interrupta, ante apicem desinente punctisque nonnullis sparsis in apice sordide albido-squamosis ornata. Corpus subtus piceum, sub-nitidum, obsolete punctulatum, setulis nonnullis silaceis adspersum. Pedes longiusculi, validi, remote punctulati, obscure ferruginei, setulis pallidis parce adspersi; femoribus valde incrassatis; subtus dente va-

lido, acuto armatis; tibiis arcuatis, intus in medio nonnihil ampliatis, apice uncinatis; tarsis elongatis subtus brunneo-spongiosis.

Bhn.

♂ 7. H. Squamosus. *Dejean.*

Oblongus, niger, capite obsolete punctato, rostro valde arcuato, carinato, thorace convexo, dorso profunde rugoso, lateribus tuberculato, vitta laterali albido-squamosa utrinque, elytris striato-punctatis, transversim valde rugosis, singulo vitta lata inæqualiter dentata, albo-squamosa.

Habitat in America boreali. Dom. Com. Dej. Mus. Ghl. et Schh.

Statura fere et affinitas *Heilipi catagraphi*, sed dimidio fere minor; thorace latiori, supra profunde rugoso, elytris transversim rugulosis et signaturis aliis diversus. Caput mediocre, breve, convexum, nigro-piceum, subtiliter punctulatum, fronte inter oculos foveola parva, rotunda, impressa; oculi sub-ovati, depressi, nigri; rostrum longitudine thoracis, deflexum, teres, crassiusculum, valde arcuatum, supra longitudinaliter carinatum, basi sat profunde rugoso-punctatum, apicem versus subtiliter tantum punctulatum; totum piceum. Antennæ pone medium rostri insertæ, rostro cum capite parum longiores, crassiusculæ, piceæ, fusco-pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, fusco-holosericea. Thorax latitudine media parum longior, anterius angustior, sub-coarctatus, apice late emarginatus, lateribus rotundato-ampliatus, basi sat profunde bi-sinuatus, supra modice convexus, niger, dorso præsertim postice rugoso-punctatus, antice sub-carinatus versus latera utrinque vitta minus lata, antrorsum angustata, albo-squamosa, sub-lævis; latera sub vitta evidenter tuberculata. Scutellum oblongo-ovatum, apice rotundatum, nigrum, nitidum. Elytra oblongo-ovata, basi singulatim rotundato-producta, antice thoracis basi dimidio fere latiora, humeris prominulis, obtuse angulatis, lateribus inflexa, thorace quadruplo longiora, ante apicem callo vel gibbere obsoleto notata, pone medium sensim angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra convexa, nigra, sub-seriatim striato-punctata, interstitiis angustis, transversim valde rugosis; in disco singuli elytri, vitta latior, inæqualis, irregulariter excisa et dentata, quasi e maculis tribus conflata, e squamulis albidis, ornata. Corpus subtus nigrum nitidum, obsolete remote punctulatum, setulis brevissimis, pallidis, adspersum, abdomine utrinque serie e maculis piloso-flavescentibus decorato. Pedes longiusculi, validi, setulis pallidis adspersi; femoribus nigris, rude punctatis, valde

incrassatis, subtus pone medium dente valido, acuto, armatis; tibiis nigro-piceis, punctatis, intus in medio dilatatis, arcuatis, apice uncinatis; tarsis elongatis, ferrugineis, subtus fulvo-spongiosis.—BHN.

♂♀ 8. H. UNDABUNDUS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, nigro-piceus, nitidus, antennis, rostro pedibusque rufo-ferrugineis, rostro valde arcuato, profunde rude punctato, thorace valde rugoso-tuberculato, medio carinato, utrinque vitta angusta dentata silaceo-squamosa, ornato, elytris minus regulariter striato-punctatis, maculis punctisque silaceis adspersis.

Pissodes id. STURM. *Ins. Catal.* 1826. p. 97.

Habitat in Brasilia. Dom. STEVEN et FALDERMANN. Mus. SCHH.

Magnitudo et fere statura *Hylobii arctici*, sed variat etiam dimidio minor. Caput mediocre, breve, convexum, piceum, subtiliter sed minus confertim punctulatum; fronte inter oculos foveola parva, rotunda, insculpta; oculi oblongi, transversi, nigri, depressi; rostrum longitudine thoracis, deflexum, teres, crassiusculum, valde arcuatum, supra longitudinaliter obsolete carinatum, basi profunde et rude apicem versus subtiliter punctulatum; totum rufo-ferrugineum. Antennæ pone medium rostri insertæ, crassiusculæ, rufo-ferrugineæ, griseo-pilosæ, clava oblongo-ovata, fusco-holosericea. Thorax latitudine media parum longior, apice late sed parum profunde emarginatus, anterius angustior; subcoarctatus, lateribus ante medium rotundato-ampliatus, basi bisinuatus, supra modice convexus, nigro-piceus, sub-nitidus, dorso profunde rugoso, cum carina media elevata, antice posticeque abbreviata, puncto impresso notata, utrinque versus latera vitta minus lata, dentata, sub-lævis, silaceo-squamosa, anterius sub illa macula parva lineaque infra-laterali medio abrupta, concoloribus. Scutellum sub-triangulare, nigrum, nitidum. Elytra oblongo-ovata, basi singulatim nonnihil rotundato-producta, antice thoracis basi fere dimidio latiora, humeris prominulis, obtuse angulatis, lateribus inflexa, thorace quadruplo longiora, pone medium sensim angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra convexa, ante apicem callo vel gibbere notata, nigro-picea, nitida, sub-seriatim striato-punctata, interstitiis ad basin rugosis; in singulo elytro, macula minor basalis excisa et dentata, alia ante medium, margine laterali non vero suturam attingens, dentata et quasi e maculis duabus constituta, fascia postica ante callo undulata punctisque numerosis e squamulis silaceis. Corpus subtus ni-

gro-piceum, obsolete remote punctulatum, abdomine utrinque serie e maculis piloso-flavescentibus, decorato. Pedes longiusculi, validi, remote punctati, rufo-ferruginei, femoribus valde incrassatis, subtus pone medium dente valido, acuto, armatis; tibiis intus in medio ampliatis, arcuatis, apice uncinatis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis.—BHN.

♂ 9. H. APIATUS.

Niger, thorace elytrisque punctis distinctis albicantibus irroratis. OLIV.

Rhynchænus id. OLIV. *Ent.* V. 83. p. 171. n° 144. T. 28. f. 424.
Pissodes id. DEJ. *Catal. Col.* p. 87.
STURM. *Ins. Catal.* 1826. p. 97.
Curculio farinosus. VOET. *Col.* ed. PANZ. IV. p. 49. n° 1. T. 35. f. 1. forte.

Patria : Cayenna, Florida.

♂ 10. H. LEOPARDUS. *Dalman.*

Elongatus, niger nitidus, rostro, antennis pedibusque piceis, thorace oblongo, sat profunde remote punctato, utrinque silaceo vittato, elytris minus profunde striato-punctatis, singulo maculis quatuor silaceis, albido marginatis.

Habitat in Remediis Columbiæ. Mus. Reg. Acad. Scient. Holm.

Heilipo catagrapho nonnihil longior et angustior. Caput mediocre, convexum, rufo-piceum, subtiliter sat crebre rugoso-punctatum; fronte inter oculos angusta, foveolata; oculi sat magni, ovati, depressi, nigri, sub capite conniventes; rostrum longitudine fere thoracis, crassiusculum, teres, modice arcuatum, ferrugineum, sub-carinatum, basi profunde rugoso-punctatum, apicem versus subtilissime punctulatum. Antennæ longe pone medium rostri insertæ, rostro capiteque paulo longiores, crassiusculæ, rufo-piceæ, pallido pilosæ; clava oblongo-ovata, acuminata, fusco-holosericea. Thorax latitudine baseos multo longior, anterius angustior, subcoarctatus, apice late sed non profunde emarginatus, lateribus modice rotundato-ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra modice convexus, niger, dorso postice sat crebre, apicem versus remote obsoletius rugoso-punctatus, versus latera utrinque vitta sat lata, antrorsum vix angustata, silaceo-squamosa, albido marginata, sub-lævis; latera sub vitta rude punctata. Scutellum ovatum, apice rotundatum, nigrum, nitidum. Elytra elongata, basi singulatim rotundato-producta, antice thoracis basi fere dimidio latiora, hu-

meris prominulis, obtuse angulatis, lateribus inflexa, thorace quadruplo longiora, ante apicem callo vel gibbere notata, pone medium sensim angustata, apice conjunctim obtuse rotundata, supra modice convexa, nigra, in dorso subtilius, versus latera profundius striatim punctata, interstitiis planis, subtilissime transversim rugulosis; in singulo elytro maculæ quatuor sat magnæ silaceo-squamosæ, albido marginatæ, in serie recta, longitudinali, collocatæ, quarum tertia major, apice emarginata. Corpus subtus nigrum nitidum, obsoletissime remote punctulatum. Pedes longiusculi, robusti, punctati, setulis pallidis adspersi, picei; femoribus valde incrassatis, subtus pone medium dente valido, acuto, armatis; tibiis intus in medio dilatatis, apice valide uncinatis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

♀ 11. H. FOHRÆI. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, antennis tibiisque piceis, capite confertim punctulato, thorace latiori, crebre subtiliter punctato, sub-carinato, plaga utrinque laterali, sat magna silaceo-squamosa, scutello niveo, elytris profunde striato-punctatis, singulo maculis duabus silaceo-squamosis.

Habitat in Brasilia. Dom. FREYREISS. Mus. SCHH.

Heilipo Leopardo triplo minor; *Cleono albino* longitudine æqualis, sed latior. Caput mediocre, convexum, nigrum, crebre subtiliter punctulatum: fronte foveola parva exsculpta; oculi ovati, depressi, nigri; rostrum thorace sub-longius, deflexum, crassiusculum, teres, modice arcuatum, nigro-piceum, ad basin profunde, apicem versus subtiliter punctatum. Antennæ pone medium rostri insertæ, rostro capiteque paulo longiores, crassiusculæ, piceæ, albido-pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, fusco-holosericea. Thorax latitudine baseos parum longior, anterius multo angustior, constrictus, apice late sed non profunde emarginatus, lateribus valde rotundato-ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra modice convexus, niger, crebre obsolete rugoso-punctatus, in medio dorsi utrinque foveola parva impressus, longitudinaliter obsolete carinatus, plaga magna, laterali, versus basin attenuata, silaceo-squamosa, albido marginata, decoratus. Scutellum parvum, sub-triangulare, nigrum, niveo-squamosum. Elytra oblongo-ovata, basi singulatim in medio nonnihil rotundato-producta, antice thoracis basi paulo latiora, humeris antrorsum prominulis, obtuse angulatis, lateribus inflexa, thorace vix quadruplo longiora, ante apicem callo obsoleto notata, apicem versus attenuata, apice ipso si-

multaneæ acuminata, supra modice convexa, nigra, sat profunde regulariter striatim punctata, interstitiis planis, subtiliter rugulosis; in singulo elytro maculæ duæ, magnæ, quarum una pone humeros, inæqualis, libera, altera versus apicem, ad suturam usque dilatata, fere communis, in margine inferiori nonnihil emarginata, silaceo-squamosæ, albido marginatæ. Corpus subtus nigrum nitidum, obsolete punctulatum, setulis brevissimis, depressis, pallidis, parce adspersum. Pedes longiusculi, robusti; femoribus nigris, incrassatis, subtus valide dentatis; tibiis piceis, arcuatis, in medio intus ampliatis, apice uncinatis. Tarsi ferruginei, subtus fulvo-spongiosi.—Bhn.

Dom. O. J. Fohræus, Præfectus Distr. Vectigalium, Eques de stella Reg. Pol. — Nomine hujus Insecti memoriam gnavissimi Entomologi nec non amici exoptatissimi servare studuerim.— Schh.

♀ 12. H. Stellimicans. *Schh.*

Oblongo-ovatus, piceus, rostro longiori, tenuiori, parum arcuato, ferrugineo, thorace remote obsolete punctulato, helvolo quadri-vittato, elytris striato-punctatis, maculis magnis punctisque helvolis variegatis, ante medium macula parva, oblonga, laterali, nivea, ornatis.

Habitat in Brasilia. Dom. Freyreiss. Mus. Schh.

Heilipo ornato paulo major, a reliquis facile distinctus rostro longiori, tenuiori ut et signaturis elytrorum, etc. Caput mediocre, convexum, ferrugineum, crebre obsolete punctulatum; oculi ovati, depressi, nigri; rostrum thorace capiteque longius, subtenue, teres, modice arcuatum, rufo-ferrugineum, obsolete punctulatum. Antennæ mox pone medium rostri insertæ, rostro parum longiores, crassiusculæ, ferrugineæ, pallido-pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, basi obscuriore, fusco-holosericea. Thorax latitudine media vix longior, anterius angustior, sub-coarctatus, apice late sed non profunde emarginatus, lateribus modice rotundato-ampliatus, basi marginatus, leviter bi-sinuatus, supra modice convexus, piceus, squamulis umbrinis adspersus, punctis remotis, parvis impressus, utrinque vitta laterali ad basin ampliata, apicem versus angustata, et alia infra-laterali æque lata, recta, e squamulis densis helvolis, ornatus. Scutellum parvum, triangulare, helvolo-squamosum. Elytra oblongo-ovata, basi sub-truncata, antice thoracis basi dimidio fere latiora, humeris prominulis, obtuse rotundatis, lateribus inflexa, thorace quadruplo longiora,

ante apicem gibbere notata, pone medium angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra convexa, in dorso sub-plana, nigro-picea, regulariter sed parum profunde striatim punctata, interstitiis planis, squamulis umbrinis adspersis; pone humeros plaga magna, valde irregularis, versus suturam non dilatata, et alia in dorso postico communis, e squamulis densis helvolis et albidis, maculatim mixtis, ornata, punctisque sparsis helvolis irrorata; præterea macula parva, laterali, oblongo-ovata, nivea, ante-medium notata. Corpus subtus piceum, vix punctulatum, setulis depressis, pallidis, adspersum. Pedes longiusculi, valde robusti; femoribus piceis, clavatis, dente valido, acuto, armatis; tibiis ferrugineis, arcuatis, intus in medio nonnihil ampliatis, apice uncinatis; tarsis modice dilatatis, dilutius ferrugineis, subtus fulvo-spongiosis.—BHN.

♀ 13. H. STELLIFER. *Schh.*

Oblongo-ovatus, nigro-piceus, squamulis umbrinis adspersus, capite rostroque ferrugineis, obsolete minus crebre punctulatis, thorace remote punctulato, antice carinato, ad basin utrinque macula cuneiformi, ornato, elytris minus profunde striato-punctatis, singulo puncto basali maculisque duabus stellatis, niveis.

Habitat in Brasilia. Dom. FREYREISS. Mus. SCHH.

Hylobio arctico dimidio longior, sed parum latior. Caput mediocre, convexum, ferrugineum, minus crebre, subtiliter punctulatum; fronte inter oculos leviter impressa; oculi ovati, depressi, nigri; rostrum longitudine thoracis, deflexum, crassiusculum, teres, arcuatum, ferrugineum, parum profunde, remote punctulatum. Antennæ longe pone medium rostri insertæ, capite cum rostro nonnihil longiores, crassiusculæ, piceæ, pallido-pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, fusco-holosericea. Thorax latitudine baseos paulo longior, anterius angustior, coarctatus, apice late sed minus profunde emarginatus, lateribus rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, supra parum convexus, piceus, dorso antico carinato; remote, parum profunde punctatus, squamulis umbrinis, præsertim versus latera adspersus, utrinque ad basin macula cuneiformi, nivea et alia oblonga, infra-laterali, versus apicem, dilute silaceis, ornatus. Scutellum sub-triangulare, nigro-piceum, punctulatum. Elytra oblongo-ovata, basi singulatim parum rotundato-producta, antice thoracis basi paulo latiora, humeris antrorsum nonnihil prominulis, sub-elevatis, obtuse rotundatis, lateribus inflexa, thorace quadruplo longiora, ante apicem callo vel gibbere notata, pone medium

sensim angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra modice convexa, nigro-picea, regulariter sed minus profunde striato-punctata, interstitiis planis, subtilissime coriaceis; squamulis umbrinis adspersa; singulo macula majore, laterali, ante medium, et alia minore prope suturam, in dorso postico locata, stellatis, niveo-squamosis, punctoque basali concolore, decorato. Corpus subtus nigro-piceum, setulis pallidis adspersum. Pedes longiusculi, robusti, ferruginei; femoribus valde clavatis, subtus in medio dente valido, acuto, armatis; tibiis arcuatis, intus in medio ampliatis, apice uncinatis. Tarsi dilatati, dilutius ferruginei, subtus fulvo-spongiosi.—BHN.

14. H. DIMIDIATUS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, ater obscurus, antennis piceis, capite subtiliter confertim punctato, rostro rugoso, thorace latiori, carinato, subtilissime antice vero profunde punctato, lateribus punctisque tribus baseos silaceo-squamosis, elytris profunde striato-punctatis, apice late silaceo-squamosis.

Habitat in Brasilia. Dom. WESTIN. Mus. Reg. Acad. Scient. Holm.

Hylobio arctico dimidio longior et paulo latior; punctura et colore a congeneribus facile distinctus. Caput mediocre, convexum, atrum, subtiliter confertim punctulatum; vertice leviter impresso; oculi ovati, depressi, nigri; rostrum longitudine thoracis, deflexum, crassum, arcuatum, atrum, rugulis et carinulis longitudinalibus præditum, apice sub-læve, punctulatum, canaliculatum. Antennæ versus apicem rostri insertæ, ultra medium thoracis pertingentes, validiusculæ, piceæ, pallido-pilosæ, clava oblonga, acuminata, fusco-holosericea. Thorax latitudine media multo brevior, antice late, sed minus profunde emarginatus, anterius multo angustior, ibique coarctatus et transversim impressus, lateribus valde rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, supra modice convexus, ater obscurus, in dorso carinula parum elevata basin non attingente, notatus; crebre subtiliter, intra apicem vero remote profunde punctatus, lateribus maculisque tribus parvis ad basin silaceo-squamosis. Scutellum sub-quadratum, apice rotundatum, atrum, subtiliter punctulatum, squamulis albidis adspersum. Elytra oblongo-ovata, basi singulatim parum rotundato-producta, thorace nonnihil latiora, humeris prominulis, elevatis, obtuse rotundatis, lateribus inflexa, thorace quadruplo longiora, ante apicem callo vel gibbere notata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra convexa, punctis sat magnis oblongis seriatim impressa, interstitiis

latis, planis, ad basin obsolete remote tuberculatis, dein subtilissime rugulosis; a basi longe ultra medium atra obscura, denudata, apice toto late silaceo-squamoso. Corpus subtus nigro-piceum, obsolete punctulatum, abdomine utrinque serie e maculis piloso-flavescentibus decorato; pectus et thorax dense silaceo-squamosa. Pedes longiusculi, robusti, nigro-picei, punctati; femoribus valde incrassatis, subtus in medio dente valido, acuto, armatis; tibiis arcuatis, intus in medio ampliatis apice uncinatis. Tarsi dilatati, supra dense pallido-setulosi, subtus fulvo-spongiosi.—BHN.

♂♀ 15. H. MOESTIFICUS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, antennis piceis, capite subtiliter crebre punctulato, rostro minus crasso, arcuato, thorace latiore, carinato, subtilissime antice profundius punctato, lateribus albo-squamoso, tuberculato, elytris confertim profunde punctato-striatis, plaga humerali apiceque niveo-squamosis.

Mas : rostro longiore, a basi ultra medium carinato, basi profunde punctato, obscuro.

Femina : fronte sulculis duobus brevibus, postice connexis impressa, rostro breviore, glabro, nitido, subtiliter punctulato.

Patria : Brasilia. A Dom. WESTERMANN benevole communicatus. Mus. SCHH.

Magnitudo et statura *Heilipi dimidiati*, rostro tenuiore, elytris confertim punctato-striatis interstitiis convexis, etc., ab illo facile distinctus. Caput mediocre, convexum, nigrum, subtiliter sat crebre punctulatum; oculi magni, ovati, nigri, in fronte sub-approximati; rostrum longitudine thoracis, deflexum, crassiusculum, arcuatum, ad basin profundius, apicem versus subtilius punctatum; totum nigrum. Antennæ versus apicem rostri insertæ, crassiusculæ, nigro-piceæ, pallido-pilosæ, clava elongata, acuminata, fusco-holosericea. Thorax latitudine media brevior, apice late sed parum profunde emarginatus, anterius multo angustior, coarctatus et transversim impressus, lateribus valde rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, supra parum convexus, niger, in dorso obsolete carinatus, crebre subtiliter intra apicem vero remote profunde punctatus; lateribus obsolete tuberculatus, albido-squamosus. Scutellum sub-quadratum, apice rotundatum, nigrum, niveo-squamosum. Elytra oblongo-ovata, basi singulatim parum rotundato-producta, antice thorace paulo latiora, et illo triplo longiora, humeris obtuse angulatis; supra modice convexa, ante apicem callo vel gib-

bere obtuso notata, apice ipso conjunctim rotundata, confertim profunde punctato-striata, interstitiis angustis, elevatis; convexis, tuberculatis et rugulosis; nigra, pone humeros plaga quasi e maculis plurimis, parvis, niveis, composita, apiceque late niveo-squamosa, ibique maculis denudatis variegata. Corpus subtus nigrum, dense albido-squamosum, ventre medio longitudinaliter magis denudato. Pedes longiusculi, robusti, nigro-picei, setulis brevissimis albidis adspersi; femoribus valde incrassatis, subtus valide dentatis; tibiis arcuatis, intus in medio ampliatis; tarsis dilatatis, supra pallido-setulosis, subtus fulvo-spongiosis.—Bhn.

♂♀ 16. H. Multiguttatus.

Oblongo-ovatus, niger, squamulis griseis adspersus, antennis, rostro pedibusque ferrugineis, rostro tenuiori, subrecto, carinato, thorace rugoso-punctato, albo maculato, elytris obsolete punctato-striatis, transversim rugosis, singulo maculis parvis quinque punctisque plurimis albidis, ornato.—Bhn.

Rhynchænus id. Fabr. *Syst. El.* II. p. 465. n° 136.
Oliv. *Ent.* V. 83. p. 182. n° 160. T. 13. f. 163.
Curculio id. Fabr. *Ent. Syst.* I. II. p. 428. n° 146.
Herbst. *Col.* VI. p. 322. n° 296. T. 85. f. 8.
Oliv. *Enc. méth.* V. p. 508. n° 169.
Pissodes id. Dej. *Catal. Col.* p. 87.

Patria: Cayenna.

♂♀ 17. H. Bonelli. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, squamulis umbrinis adspersus, antennis, rostro pedibusque piceis, rostro crassiori, parum arcuato, carinato, thorace rugoso-punctato, utrinque vitta punctoque dilute umbrino-squamosis, dorso albo-maculato, elytris punctato-striatis, transversim rugosis, singulo maculis quinque cervino-squamosis niveo marginatis, punctisque numerosis albidis.

Habitat in Brasilia. Dom. Germar et de Winthem. Mus. Schh.

Magnitudo et summa similitudo *Heilipi multiguttati*, sed magis convexus, rostrum crassius et aliter coloratus. Caput mediocre, convexum, nigrum, crebre subtiliter punctulatum, parce griseo-squamosum; oculi magni, ovati, approximati, in fronte fere conniventes, nigri; orbita albo-squamosa cincti; rostrum deflexum, longitudine thoracis, crassiusculum, teres, parum arcuatum, supra a basi ad antennarum insertionem tri-carinatum; carinulae latera-

les in medio fere abruptæ; nigro-piceum, sat crebre punctulatum, basi squamulis dilute umbrinis adspersum, apice glabrum. Antennæ paulo pone medium rostri insertæ, capite cum rostro parum longiores, crassiusculæ, piceæ, albido-pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, fusco-holosericea. Thorax latitudine media vix vel parum longior, apice late emarginatus, anterius angustior, coarctatus, lateribus valde rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, supra convexus, niger, rugoso-punctatus, squamulis umbrinis adspersus, utrinque vitta laterali æque lata nec basin nec apicem attingente et supra illam versus apicem macula rotunda, dilute umbrino-squamosis, angustissime albo marginatis; præterea in medio dorsi puncto utrinque cervino et pone illud linea parva arcuata, niveo-squamosa, decoratus. Scutellum mediocre, oblongo-quadratum, apice rotundatum, nigrum. Elytra basi singulatim nonnihil rotundato-producta, antice thoracis basi paulo latiora, et illo quadruplo fere longiora, humeris elevatis, obtuse rotundatis, lateribus inflexa, ante apicem callo notata, apice conjunctim obtuse rotundata, supra valde convexa, nigra, obsolete punctato-striata, interstitiis transversim rugosis; squamulis umbrinis adspersa; singulo in ipsa basi maculis parvis, duabus, oblongis, quarum una prope scutellum, altera in humero ante medium in dorso, tertia nonnihil major, quarta ei opposita prope marginem lateralem, minor, quinta ante callum prope suturam major, rotunda, dein sexta intra apicem, omnes cervino-squamosæ, albido marginatæ; præterea punctis parvis, niveis, sine ordine, præsertim versus margines, adspersa. Corpus subtus nigrum, obsolete punctatum, abdomine utrinque serie e maculis piloso-flavescentibus decorato; pectus macula magna, cervino-squamosa, ornatum. Pedes longiusculi, validi, picei, pube pallida adspersi; femoribus incrassatis, subtus acute dentatis; tibiis intus in medio nonnihil ampliatis, apice uncinatis; tarsis ferrugineis, subtus fulvo-spongiosis.—BHN.

Dom. F. A. BONELLI, Director Musæi Augustæ Taurinorum. Multa nova genera construxit et magnam lucem in familiam Carabici fudit.—SCHH.

♂♀ 18. H. ONYCHINUS.

Niger, opacus, supra granulatus, thorace elytrisque maculis rotundatis eburneis, umbra brunnea nigraque cinctis variegatis.—GERM.

Pissodes id. GERM. *Ins. Spec.* I. p. 320. nº 459.

Patria : Brasilia.

♂ 19. H. PUNCTATUS. *Klug.*

Oblongo-ovatus, niger, squamulis piliformibus silaceis dense vestitus, rostro tenuiori, modice arcuato, a basi ad medium carinato, thorace longitudine latiori, lateribus et antice magis crebre postice remote nigro-granulato, elytris punctis remotis, sub-elevatis, atris, nitidis, denudatis, adspersis.

Habitat ad Rio de la Plata Brasiliæ. Mus. Dom. Com. MANNERHEIM et SCHH.

Heilipo onychino vix latior, sed nonnihil longior. Caput crassum, rotundatum, nigrum, squamulis piliformibus silaceis dense tectum, inter oculos obsolete impressum; oculi ovati, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum longitudine capitis cum thorace, minus crassum, teres, modice arcuatum, nigro-piceum, a basi ad medium tenue carinatum, crebre punctatum, squamulis silaceis adspersum, tum denudatum, obsolete punctulatum. Antennæ fere in medio rostri insertæ, ad dimidium thoracis fere pertingentes, minus tenues, piceæ, parce pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, fusco-pubescente. Thorax latitudine media nonnihil brevior, apice truncatus, mox pone apicem coarctatus, anterius angustior, lateribus modice rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, supra convexus, niger, densissime silaceo-squamosus, tuberculis parvis, atris, denudatis, versus latera et antice dense in dorso postico remote obsitus. Scutellum parvum, apice rotundatum, nigrum, silaceo-squamosum. Elytra oblonga, basi singulatim nonnihil rotundato-producta, thoracis basi vix dimidio latiora, humeris obtuse rotundatis, apicem versus nonnihil angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra convexa, ante apicem callo vel gibbere obtuso notata, squamulis piliformibus silaceis densissime vestita, punctis numerosis, parum elevatis, atris, denudatis, undique irrorata. Corpus subtus nigrum, dense silaceo-squamosum. Pedes longiusculi, robusti, nigri, squamulis silaceis vestiti; femoribus clavatis, subtus pone medium dente acuto instructis; tibiis subrectis, intus in medio nonnihil ampliatis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis.—BHN.

20. H. PICTUS. *Klug.*

Oblongo-ovatus, ater nitidus, rostro breviori, arcuato, basi confertim punctato, thorace subtiliter remote punctulato, maculis sex dilute silaceis ornato, elytris subtiliter striato-punctatis, interstitiis lævibus, linea marginali, macula in dorso antico vittaque suturali a medio apicem versus cum linea marginali conjuncta, silaceo-pubescentibus, ornatis.

Habitat ad Rio de la Plata. Mus. Dom. Com. MANNERHEIM et SCHH.

Magnitudo *Heilipi apiati.* Caput mediocre, globosum, atrum, nitidum, subtiliter sat crebre punctulatum; fronte inter oculos foveola profunda impressa; oculi ovati, nigri; rostrum thorace parum brevius, teres, minus crassum, modice arcuatum, a basi ad medium sat profunde crebre tum apicem versus subtiliter remote punctatum. Antennæ mox pone medium rostri insertæ, ad dimidium thoracis vix pertingentes, crassiusculæ, ferrugineæ, parce pilosæ, clava oblongo-ovata, sub-acuminata, fusco-pubescente. Thorax latitudine media longior, apice late sed parum profunde emarginatus, mox pone apicem coarctatus, fere tubulatus, anterius angustatus, lateribus modice rotundato-ampliatus, postice leviter bi-sinuatus, tenue elevato-marginatus, supra parum convexus, ater, nitidus, subtiliter remote punctulatus, dorso antico obsolete longitudinaliter impressus, utrinque maculis duabus, una basali, altera apicali, quadratim locatis, et præterea macula laterali in medio posita e pube dilute silacea, ornatus. Scutellum parvum, sub-triangulare, atrum nitidum. Elytra oblongo-ovata, antice thoracis basi nonnihil latiora, humeris prominulis sub-elevatis, obtuse rotundatis, lateribus inflexa, thorace plus triplo longiora, apicem versus angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra convexa, ante apicem callo obsoleto instructa, atra nitida, subtiliter striato-punctata, interstitiis planis, lævibus, linea marginali, apice, vitta suturali ab apice ad medium fere extensa, ramulum versus latera emittente, punctis nonnullis anterius prope suturam maculaque in dorso antico oblonga, obliqua, dense dilute silaceo-pubescentibus, intra apicem macula parva, sub-triangulari, denudata, atra, nitida. Corpus subtus atrum, nitidum, subtiliter remote punctulatum. Pedes longiusculi, validi, remote punctati, pube albida parce obsiti; femoribus clavatis, nigris, subtus pone medium dente valido, acuto, armatis; tibiis obscure ferrugineis, intus in medio ampliatis; tarsis dilatatis, ferrugineis, supra pallido-pubescentibus, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

♂♀ 21. H. Nisseri. *Schh.*

Oblongus, ater, nitidus, thorace læte cœruleo-argenteo septem lineato, ante scutellum impresso, undique subtilissime coriaceo, remote punctato, elytris subtiliter punctato-striatis, singulo lineis quinque annuloque oblongo in callo postico e squamulis læte cœruleo-argenteis.

Mas: minor, rostro breviori, minus arcuato.

Femina: rostro longitudine thoracis, magis arcuato.

Patria: Antioquia Columbiæ. Dom. Nisser. Mus. Schh.

Longitudo *Cleoni nebulosi.* Caput globosum, atrum, nitidum, subtiliter sat crebre punctulatum, supra oculos squamulis læte cœruleo-argenteis obsitum; fronte foveola parva sat profunda, insculpta; oculi laterales, magni, oblongi, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum in femina longitudine thoracis, in mare brevius, teres, modice arcuatum, atrum, nitidum, subtiliter punctulatum, lateribus ad basin parce dilute cœruleo-squamosum. Antennæ longe pone medium rostri insertæ, ad dimidium thoracis vix pertingentes, tenues, nigræ, parce albido-pilosæ, clava crassa, oblongo-ovata, acuminata, atro-holosericea. Thorax latitudine baseos vix longior, apice late sed parum profunde emarginatus, anterius angustior, lateribus ante medium nonnihil rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, supra modice convexus, ante scutellum impressum, undique remote parum profunde punctatus, superficie reliqua subtilissime crebre punctulata, vel coriacea; totus ater, sub-nitidus, lineis septem e squamulis læte cœruleo-argenteis, ornatus. Scutellum parvum, elongatum, sub-triangulare, nigrum, dense cœruleo-argenteo-squamosum. Elytra oblonga, basi singulatim perparum rotundato-producta, antice thoracis basi nonnihil latiora, quam lata triplo longiora, humeris vix prominulis, rotundatis, pone humeros vix ampliata, apicem versus angustata, apice ipso conjunctim rotundata, supra parum convexa, subtiliter punctato-striata, interstitiis planis, subtilissime coriaceis, lineis impressis e squamulis dilute cœruleo-argenteis ornata, nempe prima prope suturam a basi ad apicem continuata, secunda in medio dorsi longe pone medium introrsum arcuata, et in ipso apice cum linea suturali connexa; tertia versus latera pone medium retrorsum arcuata et in ipso apice cum linea suturali connexa; præterea ad latera lineolæ duæ abbreviatæ, una basalis, altera in medio, in callo postico annulo oblongo e squamulis concoloribus. Corpus subtus atrum, nitidum, vix punctatum, pectore lineis duabus utrinque, abdomine

maculis plurimis e squamulis læte cœruleo-argenteis. Pedes elongati, validi, nigri, parce argenteo-squamulosi; femoribus clavatis, subtus dente valido, acuto, armatis; tarsis dilatatis subtus fulvo-spongiosis.—BHN.

Specimen in honorem Domini Nisser, qui mihi plurima Insecta nondum descripta e Provincia Antioquia Columbiæ benevole communicavit, nominavit SCHH.

* 22. H. ILLIGERI. *Schh.*

Oblongo-ovatus convexus, ater, rostro crassiori, arcuato, thorace ampliato, tuberculis poriferis sat confertim obsito, dorso antico sub-lævi, utrinque in medio puncto vittaque laterali, niveo-squamosis, elytris tuberculis rugulisque crebris, munitis, fasciis maculisque niveo-squamosis, ornatis.

Habitat in Brasilia. A Dom. Com. MANNERHEIM amicissime donatus. Mus. SCHH.

Magnitudo et fere statura *Hylobii arctici.* Caput mediocre, crassum, convexum, nigrum, sat confertim sed parum profunde punctulatum, fronte inter oculos foveola parva, sat profunda, exsculpta; oculi ovati, depressi, nigri; rostrum longitudine thoracis cum capite, deflexum, crassum, teres, valde arcuatum, nigrum, remote sat profunde punctatum, in medio obsolete carinatum, versus apicem impressum. Antennæ pone medium rostri insertæ, nigræ. Thorax latitudine media multo brevior, apice late sed parum profunde emarginatus, anterius angustior, coarctatus, lateribus valde rotundato-ampliatus, basi sat profunde bi-sinuatus, marginatus, supra convexus, ater, sat confertim tuberculatus, tuberculis majoribus, supra poriferis; dorso antico sub-lævi, remote punctato; longitudinaliter obsolete carinatus, in medio dorsi utrinque puncto et in utroque latere vitta, ramulum antrorsum flexum, abbreviatum, emittente, niveo-squamosis, ornatus. Scutellum sub-triangulare, nigrum, rugoso-punctatum, squamulis niveis, adspersum. Elytra basi singulatim perparum rotundato-producta, antice thoracis basi paulo latiora, humeris prominulis, elevatis, sub-rectangulis, lateribus inflexa, thorace quadruplo longiora, ante apicem callo vel gibbere notata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra valde convexa; tota atra opaca, tuberculis rugulisque poriferis sat crebre obsita, fundo inter tubercula subtilissime coriaceo; signaturæ variæ, niveo-squamosæ, sub-læves, elytra ornant, nempe: in singulo elytro ante medium, fascia transversa, ramulum antrorsum, ad basin usque productum, emittens, in medio

dorsi macula parva, elongata, prope suturam, pone medium fascia angusta, sinuato-flexuosa, margine laterali, non vero suturæ connexa et intra apicem fascia semi-circularis, e callo versus marginem lateralem et suturam, excurrens. Corpus subtus nigrum opacum, remote et obsolete punctulatum. Pedes longiusculi, validi, atri; femoribus remote subtiliter punctulatis, valde incrassatis, subtus pone medium dente magno, valido, acuto, armatis; tibiis intus in medio ampliatis crebre et profunde punctatis. Tarsi omnium dilatati, subtus fulvo-spongiosi. —Bhn.

Dom. C. Illiger, Professor. Unus ex clarissimis Entomologis Germaniæ, cujus præmaturum obitum Scientia Naturalis multum luget.—Schh.

23. H. Menetriesi. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, squamulis atris obsitus, rostro tenuiori, modice arcuato, thorace ampliato, tuberculis poriferis sat confertim obsito, dorso antico carinato, utrinque linea longitudinali, alia fere in medio transversa, punctoque infra-laterali silaceis, ornato, elytris striato-punctatis, basi tuberculato-rugosis, signaturis confluentibus silaceis ornatis, pectore helvolo-squamoso.

Habitat in America meridionali. Dom. Ménétriés. Mus. Imp. Russ.

Statura omnino *Heilipi Illigeri,* sed dimidio minor; rostro tenuiori, thorace carinato, elytris basi tantum remote tuberculato-rugosis ut et signaturis ab illo abunde distinctus. Caput breve, crassum, rotundatum, nigrum, confertim sed parum profunde punctulatum, squamulis albidis parce adspersum, inter oculos vix foveolatum; oculi oblongi, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum longitudine thoracis cum capite, deflexum, teres, minus crassum, modice arcuatum, nigrum, a basi ad medium obsolete carinatum, crebre punctulatum, tum nitidum, subtiliter remote punctulatum. Antennæ pone medium rostri insertæ, crassiusculæ, nigro-piceæ, parce albido-pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, atro-holosericea. Thorax latitudine media multo brevior, apice subtruncatus, mox pone apicem coarctatus, anterius angustior, lateribus valde rotundato-ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, tenue marginatus, supra convexus, niger, tuberculis majoribus, supra poriferis, sat crebre obsitus, dorso antico carinatus, apice transversim sub-lævi, remote punctatus, squamulis atris adspersus, linea utrinque dorsali, longitudinali, anterius introrsum nonnihil flexa, alia fere in medio dorsi transversim locata, connexis, punc-

toque infra-laterali versus apicem, dilute silaceo-squamosis, ornatus. Scutellum parvum, nigrum. Elytra basi sub-truncata, antice thoracis basi nonnihil latiora, humeris prominulis, sub-elevatis, obtuse angulatis, thorace vix quadruplo longiora, apicem versus modice angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra valde convexa, ante apicem callo obtuso notata, subtiliter striato-punctata, interstitiis a basi ad medium remote tuberculato-rugosis, tum sub-lævibus; tota nigra, squamulis atris adspersa, lineis e squamulis dilute silaceis, arcuatis, vario modo confluentibus, variegata. Corpus subtus atrum, squamulis pallidis adspersum, ante insertionem pedum anticorum linea transversa, latera pectoris dense helvolo-squamosa. Pedes atri, subtiliter punctulati; femoribus valde clavatis, subtus dente valido, acuto, instructis; tibiis intus in medio ampliatis, apice uncinatis; tarsis dilatatis, albido-pubescentibus, subtus fulvo-spongiosis.—BHN.

Dom. E. MÉNÉTRIÉS, Director Musæi II. Petropolitani; rerum naturalium investigator laudandus atque itineribus per Caucasum et Brasiliam institutis clarus. Multis novis speciebus hoc opus auxit.
SCHH.

♂ 24. H. ERYTHRORHYNCHUS.

Niger, opacus, granulatus, rostro tibiisque rufis, elytris fascia abbreviata sulphurea. — GERM.

Pissodes id. GERM. *Ins. Spec.* I. p. 323. n° 463.

Patria: Brasilia.

♂♀ 25. H. CLAVIPES.

Oblongus, niger, nitidus, rostro tenuiori, parum arcuato, thorace latiore, tuberculato, antice in dorso subtiliter punctato et rugoso, squamulis fulvescentibus adsperso, elytris sat profunde striato-punctatis, basi transversim rugosis, maculis sparsis, fulvescenti-pilosis, ornatis.

Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 460. n° 113.

Habitat in America meridionali. Dom. T. LUND. Mus. SCHH.

Longitudo *Cleoni sulcirostris,* sed nonnihil latior. Caput mediocre, convexum, nigrum nitidum, minus crebre, parum profunde punctatum; oculi magni, ovati, depressi, in fronte approximati, nigri; rostrum longitudine thoracis, deflexum, parum incrassatum, teres, nonnihil arcuatum, nigrum nitidum, versus basin confertim profunde, apicem versus subtiliter remote punctulatum. Antennæ pone

medium rostri insertæ, rostro capiteque vix longiores, crassiusculæ, nigro-piceæ, pallido-pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, fusco-holosericea. Thorax latitudine media vix brevior, anterius angustior, coarctatus, apice leviter emarginatus, lateribus valde rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, marginatus, supra parum convexus; niger, tuberculis vel rugulis parum elevatis, munitus; in dorso antico sub-lævis, subtiliter tantum punctulatus et rugosus, versus latera et basin maculis e squamulis fulvescentibus adspersus. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum, fulvescenti-pilosum. Elytra antice thoracis medio nonnihil latiora et illo quadruplo longiora, basi singulatim rotundato-producta, humeris prominulis, sub-rectangulis, lateribus inflexa, ante apicem callo vel gibbere notata, apice obtuse rotundata, supra modice convexa, versus basin sat profunde, apicem versus subtiliter striato-punctata, interstitiis planis, antice transversim rugosis; tota nigra nitida, maculis et fasciis plurimis e pilis rigidis, depressis, sordide fulvescentibus, parce adspersa, supra callum magis condensatis. Corpus subtus nigrum nitidum, parce subtiliter punctulatum, setulis pallidis adspersum. Pedes longiusculi, validi, nigri, parce pallido-pubescentes; femoribus clavatis, subtus pone medium valide dentatis; tibiis intus in medio nonnihil ampliatis, apice uncinatis. Tarsi parum dilatati, subtus fulvo-spongiosi.—Bhn.

♂ 26. H. Celsus. *Schh.*

Oblongo-ovatus, ferrugineus, pube depressa grisea tectus, rostro recto, obsolete punctato, thorace antice coarctato, remote tuberculato, carinato, elytris obsolete punctato-striatis, interstitiis tuberculatis, singulo in medio dorsi macula atra ornato, apice emarginatis.

Habitat in Cayenna. A Dom. De Haan communicatus. Mus. Schh.

Maximus hujus generis. Habitus et statura *Heilipi bellicosi.* Caput crassum, rotundatum, piceum, obsolete rugoso-punctatum, pube depressa grisea adspersum; fronte leviter impressa; oculi magni, ovati, transversi, nigri, haud prominentes; rostrum longitudine thoracis, crassiusculum, teres, fere rectum, obscure ferrugineum, subtiliter punctulatum. Antennæ pone medium rostri insertæ, longitudine thoracis, crassiusculæ, nigro-piceæ, parce pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, atro-holosericea. Thorax latitudine media vix longior, apice late sed parum profunde emarginatus, antice angustior, coarctatus, capite parum latior, lateribus rotundato-ampliatus, postice bi-sinuatus, angulis baseos prominulis, supra

parum convexus, piceus, remote tuberculatus, dorso longitudinaliter carinatus, pube depressa grisea tectus. Scutellum sub-rotundatum, piceum. Elytra basi singulatim rotundato-producta, antice thoracis basi multo latiora, humeris prominulis, rotundatis, thorace quadruplo longiora, pone humeros apicem versus sensim angustata, apice ipso emarginata, singulatim acuminata, supra modice convexa, dorso fere plana, obsolete punctato-striata, interstitiis minus crebre tuberculatis, tuberculis modice elevatis, sine ordine adspersis, ante apicem callo sat magno obtuso instructa; tota ferruginea, pube depressa grisea tecta, tuberculis tamen denudatis; in medio disci cujusvis elytri macula elongata, atro-holosericea. Corpus subtus nigro-piceum, pube pallida adspersum; pectore profunde, ventre obsolete remote punctatis. Pedes elongati, robusti, pube grisea obsiti, femoribus nigro-piceis, incrassatis, subtus pone medium dente valido, armatis; tibiis obscure ferrugineis, intus in medio ampliatis; tarsis dilatatis, subtus fulvo-spongiosis.—BHN.

♀ 27. H. BELLICOSUS.

Oblongo-ovatus, niger, squamulis dilute silaceis tectus, rostro crasso, parum arcuato, thorace latiori, remote granulato, lateribus atro-holosericeis, elytris obsolete punctato-striatis, sat confertim granulatis, in medio plaga magna, laterali, sub-triangulari, atro-holosericea et intra apicem tuberculo acuto instructis.—BHN.

Curculio id. HERBST. *Col.* VII. p. 48. n° 607. T. 98. f. 6.

Patria : Brasilia.

Obs. — *Heilipo trachyptero* (*Pissodes* Germ.) primo intuitu similis, sed duplo major, tubercula thoracis et elytrorum longe minora, at numerosissima, in elytris absque ordine sparsa et plaga nigra illorum lateralis brevior, nec ad basin extensa, etc.

♂♀ 28. H. TRACHYPTERUS.

Niger, opacus, thorace granulato, albido-squamoso, lateribus atro-holosericeis, elytris multi-spinosis, albido-squamosis, vitta laterali infra medium intus extensa, atro-holoserisea.—GERM.

Pissodes id. GERM. *Ins. Spec.* I. p. 324. n° 465.

Pissodes spinosus. DEJ. *Catal. Col.* p. 87.

Patria : Brasilia.

29. H. MARKLINI. *Schh.*

Oblongus, niger opacus, rostro breviori, subrecto, thorace remote tuberculato, basi utrinque cervino maculato, elytris multi-spinosis, plaga suturali a basi ad medium extensa brunneo-squamosa, fascia obliqua ab humeris introrsum ducta apiceque niveo-squamosis, vitta laterali infra medium intus extensa atro-holosericea.

Habitat in Brasilia. Mus. Imp. Russ.

Statura omnino *Heilipi trachypteri*, sed plus duplo minor; rostro multo breviore, sub-recto, ut et signaturis aliis, ab illo bene distinctus. Caput breve crassum, rotundatum, nigrum, opacum, obsolete remote punctatum; oculi laterales, ovati, haud prominuli, nigri; rostrum thorace nonnihil brevius, parum arcuatum, crassiusculum, atrum, opacum, obsolete punctulatum, basi setulis brevissimis pallidis adspersum. Antennæ pone medium rostri insertæ, ultra dimidium thoracis pertingentes, minus tenues, piceæ, clava oblongo-ovata, acuminata, atro-holosericea. Thorax latitudine media parum brevior, apice truncatus, mox pone apicem coarctatus, lateribus rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, elevato-marginatus, supra convexus, tuberculis minus crebris, globosis, obsitus, dorso obsolete carinatus, niger opacus, macula utrinque basali lateribusque dilute cervino-squamosis. Scutellum parvum, apice rotundatum, cervino-squamosum. Elytra antice thoracis basi dimidio latiora et latitudine plus duplo longiora, sub-cylindrica, humeris reclinatis, acutis, tuberculis acutis utrinque duplici serie, suturæ proxima infra medium spinis terminata, margini propinqua ante apicem loco calli ordinarii, dentibus tribus acutis, approximatis, designata; sutura granis distantibus notata, apice et disco elytrorum multi-dentatis; tota atra, punctato-striata, plaga magna basali ad suturam ultra medium extensa, apicem versus angustata, brunneo-squamosa; vitta obliqua ab humeris versus suturam ducta apiceque niveo-squamosis; vitta magna laterali, infra medium, triangulariter intus extensa, atro-holosericea. Corpus subtus nigrum, opacum, obsolete punctulatum. Pedes longiusculi, robusti, nigri; femoribus clavatis, subtus pone medium dente valido, armatis; tibiis subrectis, intus pone medium nonnihil ampliatis; tarsis modice dilatatis, subtus fulvo-spongiosis.—BHN.

Dom. G. MARKLIN, Adjunctus ad Sociét. Scient. Upsaliæ, acer in naturalibus rebus indagandis, candidus et spectatissimus Amicus, Editor Terminologiæ Dom. Illigeri in versione Suecana. Ut

Historiæ Naturali inserviret, longa itinera fecit in Lapponia, Norvegia et Germania.—SCHH.

30. H. JOCOSUS. *Schh.*

Oblongus, piceus, squamulis canis adspersus, antennis pedibusque ferrugineis, rostro crassiori, breviori, subrecto, basi obsolete carinato, thorace oblongo, tuberculato, elytris parum profunde punctato-striatis, interstitiis transversim rugosis et tuberculatis, in medio plaga sub-transversa, fusco-squamosa, ornatis.

Habitat in Brasilia. Mus. Reg. Acad. Scient. Holm.

Longitudo *H. Okeni* sed nonnihil angustior. Caput mediocre, convexum, piceum, obsolete punctulatum, squamulis silaceis dense adspersum; oculi ovati, depressi, nigri; rostrum thorace brevius, deflexum, crassum, subteres, parum arcuatum, obscure piceum, basi obsolete carinatum, subtiliter punctulatum, squamulis pallidis adspersum. Antennæ longe pone medium rostri insertæ, capite cum rostro vix longiores, crassiusculæ, ferrugineæ, albido-pilosæ, clava elongata, acuminata, fusco-holsericea. Thorax oblongus, latitudine media multo longior, apice late sed minus profunde emarginatus, anterius nonnihil angustior, coarctatus, lateribus parum rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, marginatus, supra modice convexus, piceus, undique tuberculis sat crebris, elevatis granulatus, squamulisque canis vel cinereo-albidis dense adspersus, ad basin obscurioribus. Scutellum parvum, oblongo-ovatum, apice rotundatum, niveo-squamosum. Elytra elongato-ovata, basi singulatim rotundato-producta, antice thoracis basi paulo latiora, humeris elevatis, obtuse rotundatis, lateribus inflexa, thorace vix quadruplo longiora, ante apicem callo vel gibbere notata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra modice convexa, nigra, sat confertim sed minus profunde punctato-striata, interstitiis transversim rugosis et tuberculis parvis munitis, squamulis canis adspersa; in medio cujusvis elytri, plaga sat magna, sub-transversa, margine laterali connexa, fusco-squamosa. Corpus subtus nigrum, punctatum, squamulis cinereis sat dense adspersum, in medio baseos abdominis macula parva e squamulis condensatis, silaceis. Pedes longiusculi, validi, ferruginei, pallido-pubescentes; femoribus clavatis, subtus pone medium dente valido, acuto, armatis; tibiis intus in medio nonnihil ampliatis, apice uncinatis; tarsis parum dilatatis, subtus fulvo-spongiosis.—BHN.

♀ 31. H. Okeni. *Schh.*

Oblongus, niger, dilute silaceo-squamosus, antennis, rostro pedibusque piceis, rostro longiori, tenuiori, parum arcuato, thorace antice late constricto, dorso sub-gibbo, remote granulato, elytris obsolete striato-punctatis, granulatis, in medio plaga sub-oblonga, libera atro holosericea, decoratis.

Habitat in Brasilia. Dom. Freyreiss. Mus. Schh.

Facies *Heilipi trachypteri*, sed dimidio minor; elytris non spinosis, rostro subrecto ut et colore, facile distinctus. Caput mediocre, convexum, rufo-piceum, obsolete punctulatum, squamulis dilute silaceis adspersum; oculi ovati, depressi, nigri; rostrum longitudine capitis cum thorace, deflexum, parum incrassatum, nonnihil arcuatum, teres, rufo-piceum, minus profunde, remote punctulatum, squamulis nonnullis silaceis ad basin adspersum. Antennæ pone medium rostri insertæ, rostro parum longiores, crassiusculæ, rufo-piceæ, pallido-pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, fusco-holosericea. Thorax longitudine latior, anterius multo angustior, coarctatus, et transversim late impressus, lateribus rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, supra in medio valde convexus, sub-gibbus, ibique granulis modice elevatis, sat crebris, nigris, denudatis, munitus, antice et intra basin etiam tuberculis aliquot notatus; totus niger, squamulis dilute silaceis dense obductus. Scutellum oblongo-ovatum, apice rotundatum, nigrum, dense silaceo-squamosum. Elytra antice thoracis basi fere dimidio latiora, basi singulatim nonnihil rotundato-producta, humeris prominulis, sub-rectangulis, lateribus inflexa, thorace quadruplo longiora, in dorso antico prope basin gibbere sat magno e tuberculis plurimis, ante apicem callo notata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, convexa, nigra, obsolete striato-punctata, interstitiis præsertim antice tuberculis remotis nigris nitidis, adspersis, squamulis dilute silaceis obtecta; in medio cujusvis elytri, plaga sat magna, transversa, sub-oblonga, libera, atro-holosericea; in apice irregulariter nigro maculata. Corpus subtus nigrum, squamulis brunneis dense adspersum. Pedes longiusculi, validi, picei, pallido-pubescentes; femoribus clavatis, subtus pone medium dente valido, acuto, armatis; tibiis intus in medio nonnihil ampliatis, apice uncinatis; tarsis parum dilatatis, subtus fulvo-spongiosis.—Bhn.

Dom. Lud. Oken, Professor ad Acad. Thuric., plurium ad scientias naturales pertinentium operum et dissertationum auctor lauda-

tissimus. In significationem singularis reverentiæ nomine Celeb. viri hocce Insectum nominavi.—SCHH.

♂ 32. H. LATERALIS.

Oblongo-ovatus, niger, squamulis griseis adspersus, rostro tenuiori, longiori, subrecto, thorace latiori, rugoso, elytris subtiliter punctato-striatis, interstitiis transversim rugulosis, in medio plaga laterali, sub-triangularis infra medium intus extensa, atro-squamosa.

Rhynchænus id. OLIV. *Ent.* 83. p. 182. n° 161. T. 5. f. 49.
Curculio lateralis. OLIV. *Enc. méth.* V. p. 508. n° 168.
HERBST. *Col.* VI. p. 181. n° 143. T. 72. f. 10.
Heilipus marginalis. Dom. Com. DEJEAN *in Litteris.*

Habitat in Brasilia. Dom. FREYREISS. Mus. SCHH.

Heilipo jocoso affinis, sed dimidio latior et magis depressus; rostro longiori, thorace latiori, rugoso, ut et colore, etc., abunde distinctus. Caput mediocre, convexum, nigrum, minus crebre punctulatum; fronte foveola, parva, impressa; oculi ovati, depressi, nigri; rostrum thorace nonnihil longius, minus crassum, deflexum, subteres, parum arcuatum, nigrum, remote, ad basin profundius apicem versus subtilius punctulatum. Antennæ pone medium rostri insertæ, vix longitudine capitis cum rostro, crassiusculæ, nigræ, pallido-pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, fusco-holosericea. Thorax latitudine media parum brevior, apice late sed minus profunde emarginatus, anterius angustior, coarctatus, lateribus valde rotundato-ampliatus, basi sat profunde bi-sinuatus, supra modice convexus, niger, rugosus, versus latera tuberculis parvis, crebris, obsitus, utrinque linea sat lata, obsoleta griseo-squamosa, ornatus. Scutellum parvum, oblongum, apice rotundatum, griseo-squamosum. Elytra oblongo-ovata, basi singulatim rotundato-producta, antice thoracis basi dimidio fere latiora, humeris prominulis, obtuse angulatis, lateribus inflexa, thorace quadruplo longiora, ante apicem callo notata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra in dorso sub-plana, nigra, subtiliter punctato-striata, interstitiis præsertim antice, transversim rugulosis; squamulis griseis versus latera fulvescentibus dense adspersa, plaga laterali, infra medium triangulariter intus extensa, atro-squamosa, notata. Corpus subtus nigrum, obsolete punctulatum; pectus utrinque macula fulvescenti-pilosa, ornatum. Pedes longiusculi, robusti, nigri, squamulis fulvescentibus adspersi; femoribus clavatis, subtus pone medium va-

lide dentatis; tibiis intus in medio nonnihil ampliatis, apice uncinatis; tarsis subtus fulvo-spongiosis.—Bhn.

33. H. Friesii. *Schh.*

Oblongo-ovatus, obscure ferrugineus, squamulis silaceis adspersus, rostro parum arcuato, striolato-rugoso, thorace tuberculato, linea angusta dorsali, vitta utrinque cuneata, silaceo-squamosis, ornato, elytris punctato-striatis interstitiis granulatis, dorso silaceo-squamosis, maculis quatuor difformibus atris, decoratis.

Patria: Brasilia. Mus. Reg. Acad. Scient. Holm.

Magnitudo *Heilipi polymiti.* Caput rotundatum, convexum, obscure ferrugineum, squamulis silaceis sat dense adspersum; vertice obsolete fronte sat rude punctatis; fronte foveola parum profunda, insculpta; oculi ovati, transversi, parum prominuli, nigri; rostrum longitudine thoracis, crassiusculum, parum arcuatum, subteres, obscure ferrugineum, longitudinaliter striolato-rugosum, apice punctatum, squamulis silaceis adspersum. Antennæ non procul ab apice rostri insertæ, ad dimidium thoracis vix pertingentes, subtenues, rufo-ferrugineæ, parce pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, atra, pubescente. Thorax latitudine baseos brevior, apice late sed parum profunde emarginatus, mox intra apicem coarctatus, lateribus valde rotundato-ampliatus, postice leviter bisinuatus, tenue reflexo-marginatus, supra parum convexus, obscure ferrugineus, minus crebre tuberculatus, squamulis silaceis adspersus, linea angusta dorsali vittaque utrinque laterali, antice angustata, dense silaceo-squamosis, ornatus. Scutellum parvum, rotundatum, ferrugineum, silaceo-squamosum. Elytra basi truncata, antice thorace nonnihil latiora, et illo plus triplo longiora, humeris parum prominulis, obtuse rotundatis, pone humeros apicem versus, fere linearia, tum citius angustata, apice ipso singulatim acuminata, supra modice convexa, subtiliter punctato-striata, interstitiis præsertim antice granulatis; tota obscure ferruginea, squamulis pallide silaceis dorso dense, lateribus parce obsita, in medio maculis duabus, apicem versus itidem binis, difformibus, quadratim positis, atro-squamosis, decorata. Corpus subtus ferrugineum, sub-nitidum, squamulis silaceis sat dense adspersum. Pedes longiusculi, validi, obscure ferruginei, squamulis silaceis parce obsiti; femoribus apicem versus valde incrassatis, subtus dente valido, acuto, armatis; tibiis teretibus, intus ante medium nonnihil ampliatis, apice uncinatis; tarsis dilatatis, subtus fulvo-spongiosis.—Bhn.

Dom. B. F. FRIES, medicinæ Doctor et Director Musæi Reg. Acad. Scient. Holmiensis, rerum naturalium indagator præclarus. Mihi liceat, hujus Insecti appellatione, nominis ejus memoriam grate conservare.—SCHH.

♀ 34. H. TUBERCULATUS. *Dejean.*

Oblongo-ovatus, niger, squamulis fulvescentibus adspersus, rostro longiori, tenuiori, modice arcuato, thorace carinato, undique tuberculato, elytro singulo seriebus tribus e tuberculis elevatis notato, interstitiis striato-punctatis, subtiliter tuberculatis et transversim rugosis.

Habitat in Brasilia. Dom. Com. DEJEAN. Mus. SCHH.

Heilipo Okeni vix longior, sed dimidio fere latior. Caput mediocre, convexum, nigrum, rugoso-punctatum, squamulis albidis parce adspersum; oculi ovati, depressi, nigri; rostrum thorace capiteque longius, deflexum, subtenue, modice arcuatum, piceum, versus basin profundius, apicem versus subtilius punctulatum. Antennæ pone medium rostri insertæ, rostro cum capite vix longiores, minus crassæ, piceæ, pallido-pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, fusco-pubescente. Thorax latitudine media parum longior, apice late sed minus profunde emarginatus, anterius angustior, coarctatus, lateribus rotundato-ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra convexus, niger, undique tuberculis elevatis, rotundatis, minus crebre obsitus, interstitiis squamulis fulvescentibus, argenteis immixtis, adspersis; in medio dorsi linea elevata, sat distincta. Scutellum parvum, oblongo-ovatum, apice rotundatum, argenteo-squamosum. Elytra basi subtruncata vel singulatim parum rotundato-producta, antice thoracis basi fere dimidio latiora, et illo quintuplo longiora, humeris prominulis, sub-rectangulis, lateribus inflexa, ante apicem loco calli, tuberculo sat magno instructa, apice conjunctim obtuse rotundata, supra convexa, nigra; in singulo elytro series tres regulares e tuberculis magnis elevatis, interstitiis per paria minus profunde punctato-striatis, subtiliter tuberculatis et transversim rugosis, undique squamulis fulvescentibus parce adspersa. Corpus subtus nigrum, obsoletissime punctulatum, setulis depressis, pallidis, adspersum, abdomine utrinque serie e maculis piloso-flavescentibus decorato. Pedes longiusculi, robusti, nigri, pube albida adspersi; femoribus clavatis, subtus pone medium valide dentatis; tibiis intus in medio nonnihil ampliatis, apice uncinatis; tarsis ferrugineis, parum dilatatis, subtus fulvo-spongiosis.—BHN.

♂♀ 35. H. MURICATUS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, squamulis fulvescentibus adspersus, pedibusque obscure ferrugineis, rostro crassiore, modice arcuato, thorace non carinato, undique tuberculato, elytris subtiliter punctato-striatis, singulo seriebus plurimis e tuberculis elevatis, notato, plaga magna, sub-triangulari, obscuriori, ornato, apice fasciculato.

Mas : rostro longitudine thoracis, crassiori, subrecto.

Femina: rostro longitudine capitis cum thorace, modice arcuato.

Habitat in Provincia Antioquia Columbiæ. Dom. NISSER. Mus. SCHH.

Heilipo trachyptero magnitudine æqualis. Affinis certe *Heilipo tuberculato,* sed dimidio major; rostro crassiori, thorace non carinato, elytris apice fasciculatis, aliter coloratis, ab illo mox distinctus. Caput mediocre, rotundatum, convexum, nigrum, obsolete minus crebre punctulatum, squamulis piliformibus silaceis parce adspersum; fronte obsolete foveolata; oculi magni, ovati, transversi, in fronte sub-approximati, haud prominuli, nigri; rostrum crassiusculum, deflexum, teres, in mare subrectum, in femina modice arcuatum, nigrum, subtiliter minus crebre punctulatum. Antennæ minus crassæ, piceæ, parce pilosæ, clava ovata, acuminata, atro-holosericea. Thorax latitudine media brevior, apice late sed parum profunde emarginatus, anterius angustior, coarctatus, lateribus modice rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, supra modice convexus; niger, undique tuberculis elevatis, rotundatis, minus crebre obsitus, non carinatus, superficie reliqua squamulis fulvescentibus vel silaceis tectus. Scutellum parvum, oblongum, nigrum, silaceo-squamosum. Elytra basi sub-truncata, antice thoracis basi fere dimidio latiora, humeris prominulis, obtuse angulatis, lateribus inflexa, apicem versus angustata, apice ipso sub-emarginata, utrinque tuberculo parvo instructa, thorace quadruplo longiora, supra convexa, subtiliter punctato-striata, seriebus plurimis e tuberculis majoribus et minoribus instructa, margine apicali crenulata; tota nigra, squamulis fulvescentibus tecta, in medio singuli macula magna, sub-triangulari, nigro-fusca. Corpus subtus nigrum, obsolete punctulatum, pube silacea parce adspersum. Pedes elongati, robusti, obscure ferruginei, parce silaceo-pubescentes; femoribus medio valde clavatis, subtus dente valido, acuto, armatis; tibiis intus ante medium nonnihil ampliatis, apice uncinatis; tarsis dilatatis, subtus fulvo-spongiosis.—BHN.

36. H. Echinatus. *Dejean.*

Oblongo-ovatus, niger, squamulis griseis adspersus, rostro breviori, crassiori modice arcuato, thorace non carinato, remote tuberculato, dorso antico tuberculo validiori notato, elytris parum profunde punctato-striatis, tuberculis majoribus et minoribus sine ordine obsitis.

Habitat in Cayenna. A Dom. Dupont communicatus. Mus. Schh.

Heilipo tuberculato valde affinis, sed dimidio minor, præsertim brevior; rostro multo breviori, crassiori, thorace non carinato ut et armatura elytrorum, bene ab illo distinctus. Caput mediocre, convexum, nigrum, subtiliter punctatum, squamulis pallidis parce adspersum; fronte inter oculos impressa; oculi ovati, transversi, depressi, nigri; rostrum thorace parum longius, deflexum, crassiusculum, teres, modice arcuatum, nigrum, sat rude rugoso-punctatum. Antennæ pone medium rostri insertæ, capite cum thorace nonnihil longiores, minus crassæ, nigro-piceæ, pallide pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, atro-holosericea. Thorax latitudine media vix longior, apice late sed minus profunde emarginatus, anterius angustatus, coarctatus, lateribus rotundato-ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra modice convexus, niger, undique tuberculis elevatis majoribus et minoribus minus crebre obsitus, in dorso antico tuberculo validiori instructus, fundo squamulis griseis adsperso. Scutellum parvum, oblongum, apice rotundatum, argenteo-squamosum. Elytra basi sub-truncata, antice thoracis basi dimidio latiora, humeris prominulis, obtuse angulatis, thorace vix triplo longiora, lateribus inflexa, pone humeros apicem versus sensim perparum angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra convexa, parum profunde punctato-striata, tuberculis majoribus minoribus interjectis, sine ordine obsita; tota nigra, squamulis griseis adspersa. Corpus subtus nigrum, obsolete punctulatum, setulis depressis, pallidis, adspersum. Pedes longiusculi, robusti, nigri, pube albida parce obsiti; femoribus clavatis, subtus pone medium dente valido, acuto, armatis; tibiis intus in medio nonnihil ampliatis; tarsis dilatatis, ferrugineis, subtus fulvo-spongiosis.—Bhn.

♂♀ 37. H. Coronatus. *Dejean.*

Oblongo-ovatus, niger, supra squamulis cinereo-albidis, atris et brunneis variegatus, rostro pedibusque ferrugineis, rostro crassiori, parum arcuato, thorace utrinque valde rotundato-ampliato, remote granulato, elytris obsolete punctato-striatis, interstitiis granulatis.

Pissodes id. Dejean. *Catal. Col.* p. 87.

Habitat in Cayenna. A Dom. Chevrolat benevole communicatus. Mus. Schh.

Affinis certe *Heilipo Okeni*, sed rostro multo crassiori, breviori, lateribus thoracis magis rotundato-ampliatis, elytris latioribus, pone medium, magis angustatis ut et colore, ab illo facile distinctus. Caput mediocre, convexum, inter oculos impressum, nigro-piceum, subtiliter rugoso-punctatum, squamulis cinereo-albidis et brunneis adspersum; oculi ovati, transversi, sub-depressi, nigri; rostrum longitudine thoracis, crassiusculum, teres, parum arcuatum, ferrugineum, subtiliter striolato-rugosum, squamulis pallidis adspersum, apice glabro, nonnihil infuscato. Antennæ pone medium rostri insertæ, thorace cum capite parum longiores, crassiusculæ, piceæ, pallide pilosæ, clava sat magna, oblongo-ovata, acuminata, fusco-holosericea. Thorax latitudine media brevior, apice late, sed parum profunde emarginatus, anterius multo angustior, coarctatus, lateribus valde rotundato-ampliatus, basi bisinuatus, supra modice convexus, niger, tuberculis parum elevatis, remotis, nitidis, adspersus, squamulis cinereo-albidis et brunneis variegatus, ante scutellum plaga sat magna, atro-holosericea, notatus. Scutellum parvum, apice rotundatum, nigrum, tenue cinereo-squamosum. Elytra basi singulatim rotundato-producta, antice thoracis basi parum latiora, humeris prominulis, obtuse rotundatis, lateribus inflexa, thorace fere triplo longiora, ad medium usque linearia, tum versus apicem sensim angustata, ante apicem callo sat valido notata, apice ipso conjunctim, obtuse rotundata, supra convexa, subtiliter punctato-striata, interstitiis tuberculis parvis, remotis, nitidis, adspersis; tota nigra, cinereo-albido-squamosa, versus latera et apicem maculis brunneis, dorso atris, variegata. Corpus subtus nigro-piceum, sub-nitidum, pectore profunde remote, ventre obsolete punctulatis, squamulis silaceis parce adspersum. Pedes longiusculi, validi, ferruginei, pube pallida adspersi; femoribus clavatis, subtus pone medium dente valido, acuto, armatis; tibiis intus in medio nonnihil ampliatis, apice uncinatis; tarsis subtus fulvo-spongiosis.—Bhn.

♀ 38. H. NÆVULUS. *Schh.*

Oblongus, niger, brunneo griseoque varius, supra granulis nigris undique adspersus, subtus punctatus, elytris utrinque pone medium macula atra notatis.

Habitat ad Serra da Lapa in Provincia Minas Geraes Brasiliæ. Dom. MÉNÉTRIÉS. Mus. MANNERHEIM et SCHH.

Hylobio pinastri haud latior, sed paulo longior. Caput convexum, nigrum, denudatum, subtiliter punctulatum, inter oculos fovea parva profunde impressa; oculi magni nigri; rostrum capite una cum thorace longius, subteres, nonnihil arcuatum, nigrum, glabrum, punctulatum, versus apicem lævius. Antennæ ad thoracis basin pertingentes, nigræ, parum pubescentes. Thorax niger, squamulis brunneis, griseis nigrisque variegatus, medio obsolete carinatus, granis elevatis nigris nitidis adspersus. Scutellum minutum, albo-squamosum. Elytra thoracis basi sesqui-latiora, latitudine plusquam duplo longiora, sub-linearia, ad apicem ipsum attenuata, supra sub-depressa, versus apicem utrinque evidenter callosa, punctato-striata, striis ad latera fortius punctatis; nigra, squamulis brunneis griseis nigrisque variegata, in interstitiis tuberculis rotundatis nigris nitidis seriatim instructa, utrinque paulo pone medium macula e squamulis atris holosericeis condensatis notata. Corpus subtus nigrum punctatum, squamulis griseis parcius adspersum. Pedes nigri, nonnihil griseo-pilosi. — MANNERHEIM.

♀ 39. H. PUSIO. *Schh.*

Oblongus, niger, supra silaceo-subtus argenteo-squamosus, antennis, rostro pedibusque ferrugineis, rostro tenui, valde arcuato, thorace in dorso utrinque vitta cuneiformi, obscure umbrina, notato, elytris subtilissime punctato-striatis, singulo macula umbrina ornato.

Habitat in Brasilia. Dom. FREYREISS. Mus. SCHH.

Inter minimos hujus generis. Magnitudo *Pissodis notati*. Caput mediocre, convexum, nigrum, squamulis silaceis, dense tectum; oculi ovati, depressi, nigri; rostrum thorace nonnihil longius, deflexum, tenue, teres, valde arcuatum, ferrugineum, squamulis silaceis, parce adspersum. Antennæ ante medium rostri insertæ, ad thoracis medium pertingentes, subtenues, ferrugineæ, pallide pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, obscuriore, fusco-pubescente. Thorax latitudine media longior, apice late sed non profunde emarginatus, anterius multo angustior, coarctatus, lateri-

bus rotundato-ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra convexus, niger, subtus et lateribus squamulis densis, dilute silaceis, tectus, dorso magis denudato, utrinque vitta antice angustata, umbrino-squamosa, cum linea media silacea, obsoletiori. Scutellum parvum, oblongo-ovatum, apice rotundatum, piceum, obsolete punctulatum. Elytra basi singulatim perparum rotundato-producta, antice thoracis basi parum latiora, humeris prominulis, obtuse rotundatis, lateribus inflexa, thorace triplo longiora, ante apicem callo obsoleto notata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra in dorso parum convexa, nigra, subtilissime punctato-striata, interstitiis planis, squamulis dilute silaceis tecta; in medio dorsi cujusvis elytri, macula sat magna, irregularis, obscure umbrino-squamosa. Corpus subtus nigrum, dense argenteo-squamosum, ventris medio macula nigra, denudata. Pedes longiusculi, robusti, ferruginei; femoribus clavatis, subtus pone medium dentatis, squamulis densis argenteis, adspersis; tibiis intus in medio nonnihil ampliatis, apice uncinatis, setulis albidis pubescentibus. Tarsi parum dilatati, subtus fulvo-spongiosi.—BHN.

40. H. SCROBICOLLIS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, ater, sub-opacus, antennis tarsisque obscure ferrugineis, rostro crassiusculo, parum arcuato, subtiliter punctulato, thorace latitudine brevior, punctis profundis hinc inde confluentibus, dorso remote lateribus crebre impresso, elytris basi subtiliter apicem versus obsolete striato-punctatis, interstitiis planis, tuberculis remotis, nitidis, poriferis, obsitis.

Patria: America meridionalis forte. Ex Musæo Acad. Imper. Alexandrin. a Dom. SAHLBERG ad describendum communicatus.

Magnitudo *Hylobii abietis.* Caput mediocre, crassum, nigrum, parum nitidum, subtiliter minus crebre punctulatum, posterius convexum, inter oculos longitudinaliter obsolete impressum et foveola rotunda, parva insculptum; oculi ovati, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum longitudine thoracis, crassiusculum, sub-cylindricum, parum arcuatum, atrum, subtiliter sub-remote punctulatum. Antennæ subtenues, obscure ferrugineæ, parce pilosæ, clava oblonga, dense fusco-pubescente. Thorax latitudine baseos nonnihil brevior, apice late sed parum profunde emarginatus, anterius angustior, mox intra apicem leviter constrictus, lateribus modice rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, tenue elevato-marginatus, supra convexus, ater, sub-opacus, punctis profundis oblongis, hinc inde confluentibus, dorso remote late-

ribus dense insculptus. Scutellum parvum, apice rotundatum, nigrum, sub-nitidum. Elytra basi singulatim nonnihil rotundato-producta, antice thoracis basi multo latiora, humeris prominulis, rotundatis, apicem versus sensim angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, thorace triplo longiora, supra convexa, ante apicem callo obsoleto notata, a basi ultra medium subtiliter dein obsolete striato-punctata, interstitiis planis, tuberculis valde remotis, nitidis, poriferis, sine ordine obsitis; tota atra sub-opaca, setulis nonnullis depressis pallidis adspersa. Corpus subtus nigrum, obsolete remote punctulatum; segmento anali profunde punctato. Pedes longiusculi, validi, nigri, punctulati; femoribus incrassatis, subtus pone medium dente valido, acuto armatis; tibiis parum arcuatis, intus in medio nonnihil ampliatis, apice uncinatis; tarsis dilatatis, ferrugineis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

♀ 41. H. RUFESCENS. *Dejean.*

Oblongo-ovatus, ferrugineus, squamulis flavescentibus parce adspersus, rostro mediocri, parum arcuato, punctulato, thorace obsolete granulato, cervino tri-lineato, elytris subtiliter punctato-striatis, interstitiis remote granulatis, apice dense cervino-squamosis.

Habitat in Brasilia. A Dom. CHEVROLAT missus. Mus. SCHH.

Longitudo *Hylobii abietis*, sed fere dimidio latior. Caput mediocre, convexum, ferrugineum, confertim subtiliter rugoso-punctatum, squamulis silaceis adspersum; fronte sat profunde impressa; oculi laterales, ovati, depressi, nigri; rostrum longitudine fere thoracis cum capite, deflexum, teres, crassiusculum, parum arcuatum, ferrugineum, subtiliter minus confertim punctulatum. Antennæ pone medium rostri insertæ, ad dimidium thoracis pertingentes, minus crassæ, rufo-ferrugineæ, albido-pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, fusco-holosericea. Thorax latitudine media multo brevior; apice late sed parum profunde emarginatus, anterius nonnihil angustior, leviter constrictus, lateribus rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, marginatus, supra modice convexus, ferrugineus, undique granulis parum elevatis, remotis, obsitus, squamulis flavescentibus in dorso et versus latera fere in lineis condensatis, adspersus. Scutellum parvum, oblongum, apice rotundatum, dense silaceo-squamosum. Elytra basi sub-truncata, antice thoracis basi manifeste latiora, et illo quadruplo longiora, humeris prominulis, obtuse angulatis, lateribus inflexa, ultra medium linearia, tum apicem versus citius angustata, apice ipso conjunctim sub-rotundata, supra modice convexa, ante apicem callo

obtuso notata, subtiliter punctato-striata, interstitiis valde remote granulatis; picea, a basi ultra medium tenue flavescenti-squamosa, tum squamulis ejusdem coloris dense tecta, singulo mox pone medium macula denudata, obsoleta, fusca, notato. Corpus subtus piceum, obsolete punctulatum, squamulis pallidis adspersum. Pedes longiusculi, validi, ferruginei, pube pallida parce adspersi; femoribus clavatis, subtus pone medium dente valido, acuto, armatis; tibiis intus in medio perparum dilatatis, apice uncinatis; tarsis subtus fulvo-spongiosis.—BHN.

♂♀ 42. H. RUFIPES. *Dejean.*

Oblongus, piceus, squamulis cervinis adspersus, capite, rostro, antennarum clava pedibusque dilute ferrugineis, rostro arcuato, thorace remote transversim rugoso, elytris dorso obsolete lateribus distincte punctato-striatis, remote transversim rugosis, punctis fulvescentibus adspersis, macula dorsali pone medium e squamulis condensatis cervinis.

* VAR. β. Paulo minor, testaceus, squamulis pallidis adspersus, thorace lineis quatuor obsoletis, nigris, decorato; forte nuper exclusus.

Patria: Cayenna. A Dom. Com. DEJEAN communicatus. Var. β. Cap. Bonæ Spei. An recte? Dom. HOPE. Mus. SCHH.

Longitudo *Cleoni sulcirostris* et illo vix latior. Caput sat magnum, crassum, globosum, rufo-ferrugineum, sat crebre subtiliter punctulatum; fronte inter oculos leviter impressa; oculi ovati, transversi, depressi, nigri; rostrum longitudine capitis cum thorace, deflexum, crassiusculum, teres, arcuatum, rufo-ferrugineum, glabrum; in mare sat profunde rugoso-punctatum, in femina minus crebre punctatum, apice nonnihil infuscatum. Antennæ mox pone medium rostri insertæ, crassiusculæ, rufo-piceæ, pilosæ, clava valde elongata, sub-fusiformi, dilutius ferruginea, cinereo-pubescente. Thorax latitudine media brevior, anterius angustatus, coarctatus, apice late sed parum profunde emarginatus, lateribus rotundato-ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra parum convexus, nigro-piceus, rugulis remotis oblongis, transversim positis, obsitus, squamulis piliformibus cervinis præsertim versus latera adspersus. Scutellum sub-triangulare, dense pallido-pubescens. Elytra oblongo-ovata, basi singulatim nonnihil rotundato-producta, antice thoracis medio vix latiora, humeris rotundatis; thorace plus triplo longiora, pone medium apicem versus sensim

angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra convexa, ante apicem callo obtuso notata; nigro-picea, dorso obsoletissime lateribus autem profunde punctato-striata, interstitiis transversim remote rugulosis, squamulis cervinis longe pone medium dorsi in macula oblongo-ovata condensatis, adspersa, præterea hinc inde punctis e pube pallida variegata. Corpus subtus nigro-piceum, pube pallida adspersum, pectore profunde ventre obsolete punctatis. Pedes longiusculi, validi, dilute rufo-ferruginei; femoribus valde incrassatis, subtus in medio dente valido, acuto armatis; tibiis arcuatis, intus in medio ampliatis, apice uncinatis; tarsis dilatatis, subtus fulvo-spongiosis.—BHN.

43. H. LATRO. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, squamulis cinereis variegatus, antennis tibiis tarsisque piceis, rostro carinato, rugoso-punctato, thorace confertim tuberculato, elytris sulcato-punctatis, transversim rugulosis.

Habitat in Insula Guadeloupe, Indiæ occidentalis. Dom. FORSSTROEM. Mus. Dom. BILLBERG.

Heilipo multiguttato paulo minor, minus convexus. Caput breve, latum, supra planum, confertim rugoso-punctatum, nigrum, fronte et ambitu oculorum dense cinereo-squamosis; in medio frontis inter oculos foveola oblonga impressa; oculi laterales, magni, ovati, parum convexi, nigri; rostrum longitudine fere capitis cum thorace, crassiusculum, cylindricum, parum arcuatum, confertim rugoso-punctatum, carinula media et aliis lateralibus parum elevatis. Antennæ apicem rostri propius insertæ, medium thoracis superant, validiusculæ, piceæ, sub-pilosæ, clava oblonga pubescente. Thorax latitudine baseos brevior, anterius angustior, apice sinuato-emarginatus et intra apicem constrictus, lateribus rotundato-ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra minus convexus, in medio obsolete carinatus, tuberculis parvis, rotundatis, nitidis undique confertim obsitus, squamulisque cinereis inæqualiter adspersus. Scutellum transversum, rotundatum, nigrum, cinereo-squamosum. Elytra antice thoracis basi multo latiora, humeris elevatis, sub-angulatis, lateribus inflexa, ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace plus triplo longiora, supra modice convexa, sat profunde sulcata et in sulcis remote punctata, transversim ruguloso-punctata, præsertim anterius; nigra, non nitida, squamulis depressis cinereis, posterius magis condensatis, inæqualiter variegata. Corpus subtus nigrum, magis nitidum, remote punctatum, parce cinereo-squa-

mosum. Pedes crassiusculi, cinereo-squamosi; femoribus nigris, subtus dente valido armatis; tibiis tarsisque piceis.—GHL.

* 44. H. INTRICATUS. *Klug.*

Oblongus, ferrugineus, squamulis silaceis vestitus, rostro thorace breviori, crebre rugoso-punctato, apicem versus ampliato, obsolete carinato, thorace angustiore, confertim granulato, obsolete carinato, elytris sat profunde punctato-striatis, interstitiis transversim rugulosis.

Habitat ad Rio de la Plata. A Dom. Com. MANNERHEIM benevole communicatus.

Heilipo corruptori statura similis, nonnihil tamen minor, aliter coloratus, rostro breviori, tenuiori, confertim ruguloso-punctato, etc., ab illo mox distinctus. Caput mediocre, globosum, obscure ferrugineum, sat crebre punctatum, squamulis silaceis, sat dense vestitum, inter oculos obsolete impressum; oculi ovati, transversi, parum prominuli, nigri; rostrum thorace nonnihil brevius, basi tenuiori, teres, apicem versus ampliatum, parum arcuatum, nigropiceum, crebre rugoso-punctatum, supra apicem versus sub-planum, obsolete carinatum. Antennæ pone medium rostri sitæ, ad dimidium thoracis fere pertingentes, crassiusculæ, obscure ferrugineæ, parce pallido-pilosæ, clava oblonga, sub-obtusa, cinereopubescente. Thorax latitudine baseos nonnihil longior, apice late, sed parum profunde emarginatus, mox pone apicem coarctatus, lateribus modice rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, supra parum convexus, obscure ferrugineus, dorso carinula antice posticeque abbreviata, notatus, undique confertim granulatus, squamulis dilute cervinis, dense obsitus, basi utrinque lineola longitudinali e squamulis pallidioribus, decoratus. Scutellum parvum, oblongum, apice rotundatum, dense silaceo-squamosum. Elytra basi sub-truncata, antice thoracis basi latiora, humeris sub-prominulis, obtuse rotundatis, lateribus inflexa, thorace plus triplo longiora, pone medium apicem versus angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra parum convexa, ante apicem callo obtuso instructa, ferruginea, sat profunde regulariter punctato-striata, interstitiis sub-convexis, transversim rugulosis, præsertim antice, squamulis unicoloribus silaceis, sat dense obsita. Corpus subtus obscure ferrugineum, punctatum, squamulis dilute cervinis, adspersum. Pedes longiusculi, robusti, ferruginei, setulis depressis pallidis adspersi; femoribus clavatis, subtus pone medium dente

valido, armatis; tibiis subrectis, intus in medio nonnihil ampliatis, apice uncinatis; tarsis modice dilatatis, subtus fulvo-spongiosis.—BHN.

* 45. H. SUBMACULATUS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, testaceus, rostro tenui, arcuato, apice infuscato, thorace dorso lateribusque profunde rugoso-punctato, linea lata laterali subtilissime punctulata, lateribus maculaque utrinque dorsali, obsoleta, nigro-fuscis, notato, elytris punctato-striatis, maculis subelevatis, fuscis, obsitis, femoribus apicem versus piceo maculatis.

Habitat ad Demerari. A. Dom. BILLBERG communicatus. Mus. SCHH.

Hylobio pinastri magnitudine æqualis. Caput mediocre, globosum, testaceum, obsolete punctulatum, fronte foveola parva insculpta; oculi oblongi, transversi, parum prominuli, nigri; rostrum capite cum thorace longius, tenue, teres, arcuatum, basi striolato-rugosum, tum obsoletissime punctulatum; latum, testaceum, apice ipso tamen nigro-piceo. Antennæ pone medium rostri insertæ, thoracis basin fere pertingentes, subtenues, rufo-ferrugineæ, pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine media vix longior, apice late sed parum profunde emarginatus, antice angustior, coarctatus, lateribus ante medium rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, supra parum convexus, profunde rugoso-punctatus, linea utrinque laterali, lata, subtilissime punctulata, notatus, testaceus, lateribus maculisque duabus unciformibus, obsoletis, ferrugineis. Scutellum parvum, rotundatum, testaceum. Elytra oblongo-ovata, basi singulatim perparum rotundato-producta, antice thoracis basi nonnihil latiora, humeris sub-prominulis, rotundatis, lateribus inflexa, thorace quadruplo longiora, apicem versus subito angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra parum convexa, dorso fere plana, regulariter punctato-striata, interstitiis fere planis, subtilissime punctulatis, signaturis variis fusco-ferrugineis insignita, nempe: singulo elytro linea laterali inæquali, apice abbreviata, pone medium dilatata, maculisque sub-elevatis quatuor; prima ad suturam magna, dilatata, obsoleta; secunda pone medium non procul a sutura; tertia in ipso callo, rotunda, obscuriori; quartaque versus apicem, in ipsa sutura, communi. Corpus subtus rufo-testaceum, punctulatum. Pedes longiusculi, robusti, testacei, punctulati; femoribus valde incrassatis, subtus mox pone medium macula rufo-picea, et dente valido, acuto, instructis; tibiis intus

in medio nonnihil arcuatis, apice uncinatis; tarsis rufo-ferrugineis, subtus fulvo-spongiosis.—Bhn.

* 46. H. Troglodytes. *Schh.*

Oblongus, niger, squamulis fusco-brunneis tectus, rostro brevi, antennis pedibusque ferrugineis, thorace parum convexo, profunde rugoso-punctato, medio carinato, elytris confertim subtiliter punctato-striatis, interstitiis transversim rugosis, macula obsoleta laterali apiceque distincte niveo-squamosis.

Habitat in Brasilia. Dom Freyreiss. Mus. Schh.

Parvus. Magnitudo *Erirhini æthiopis.* Caput mediocre, crassum, convexum, nigrum, crebre subtiliter rugoso-punctatum, fronte depressa, squamulis obscure griseis, tecta; oculi ovati, depressi, nigri; rostrum thorace nonnihil brevius, deflexum, crassum, parum arcuatum, nigro-piceum, basi carinulis nonnullis obsoletis, præditum, apice subtilissime punctulatum. Antennæ mox pone medium rostri insertæ, rostro cum capite parum longiores, crassiusculæ, ferrugineæ, pallido-pilosæ, clava oblongo-ovata, obtuse acuminata, griseo-pubescente. Thorax latitudine media vix longior, apice late sed parum profunde emarginatus, anterius angustior, coarctatus, lateribus modice rotundato-ampliatus, basi leviter tantum bi-sinuatus, supra parum convexus, niger, sat profunde sed minus crebre rugoso-punctatus, in medio dorsi carinula obsoleta, antice posticeque abbreviata, notatus, margine antico rufo-ferrugineo. Scutellum oblongo-ovatum, apice rotundatum, albido-squamosum. Elytra basi singulatim nonnihil rotundato-producta, antice thoracis medio paulo latiora, humeris prominulis, obtuse angulatis, lateribus inflexa, ante apicem callo vel gibbere notata, thorace quadruplo longiora, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra parum convexa, dorso sub-plana, confertim parum profunde punctato-striata, interstitiis angustis, transversim rugulosis; tota nigra, squamulis fusco-brunneis tecta; ante medium plaga obsoleta, lateralis, intus extensa, dilute cinerea, apice late argenteo-squamoso. Corpus subtus nigrum, obscurum, obsolete punctulatum, setulis depressis, pallidis, parce adspersum. Pedes longiusculi, validi, ferruginei, parce pallido-pubescentes; femoribus clavatis, subtus pone medium dente acuto, instructis; tibiis intus in medio ampliatis, apice uncinatis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis.—Bhn.

47. H. DORSUALIS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, piceus, capite minus confertim punctato, fronte impressa, rostro subrecto, thorace latiori, antice coarctato, profunde rugoso-punctato, carinato, utrinque silaceo vittato, elytris profunde striato-punctatis, interstitiis remote granulatis, vitta lata disci, infra in medio excisa, postice dilatata, confluente, silaceo-squamosa, tibiis tarsisque obscure ferrugineis.

VAR. β. Vitta elytrorum albo-grisea.

Habitat in America meridionali. Mus. Reg. Acad. Scient. Holm. et Mus. Dom. BARTELS.

Heilipo stratiotico simillimus et valde affinis, dimidio fere major, rostro subrecto, thorace carinato, elytrorum interstitiis remote tuberculatis, etc., ab illo facile distinctus. Caput mediocre, rotundatum, piceum, sat profunde minus crebre rugoso-punctatum; fronte inter oculos sat profunde impressa; oculi ovati, transversi, nigri, haud prominuli; rostrum longitudine thoracis, crassiusculum, teres, subrectum, obscure ferrugineum, basi carinatum et utrinque impressum, sat profunde rugoso-punctatum, apicem versus tamen subtiliter punctulatum, setulis pallidis adspersum. Antennæ minus tenues, piceæ, parce albido-pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, atro-holosericea. Thorax latitudine media nonnihil brevior, apice late sed parum profunde emarginatus, antice angustior, coarctatus, lateribus rotundato-ampliatus, basi subtruncatus, vel obsoletissime bi-sinuatus, supra parum convexus, piceus, undique minus crebre sed profunde rugoso-punctatus, dorso carinatus, versus latera utrinque vitta lata, obliqua, silaceo-squamosa, sub-lævi, decoratus. Scutellum apice rotundatum, piceum, parce albido-squamosum. Elytra oblongo-ovata, basi subtruncata, antice thoracis basi nonnihil latiora, humeris prominulis, rotundatis, thorace quadruplo longiora, versus apicem citius angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra modice convexa, dorso sub-plana, ante apicem callo obtuso, notata, picea, sat profunde striato-punctata, interstitiis planis, subtiliter coriaceis, remote ad basin tamen magis confertim granulatis, squamulis pallidis parce adspersa; in singulo elytro vitta lata, infra pone medium excisa, apicem versus dilatata, communis, e squamulis silaceis, apice ipso umbrino-squamoso. Corpus subtus nigro-piceum, obsolete remote punctulatum, setulis depressis albidis adspersum. Pedes punctati, pube pallida adspersi; femoribus rufo-

piceis, clavatis, subtus dente valido armatis; tibiis obscure ferrugineis, intus in medio ampliatis, apice uncinatis; tarsis ferrugineis subtus dense fulvo-spongiosis.—BHN.

♂ 48. H. STRATOR. *Schh.*

Oblongo-ovatus, nigro-piceus, rostro parum arcuato, antennis tenuioribus, thorace dorso remote obsolete lateribus crebre evidenter tuberculato, utrinque silaceo vittato, elytris minus profunde striato-punctatis, vitta lata disci, infra in medio excisa, postice dilatata, silaceo-squamosa, ornatis, pedibus rufo-testaceis, femoribus apice nigris.

♂ VAR. β. Rufo-testaceus, vitta elytrorum ut in α, pedibus testaceis; forte nuper exclusus.

VAR. γ. Nigro-piceus, vitta elytrorum pone medium abrupta.

Habitat in Brasilia. A Dom. FALDERMANN et SCHNEIDER communicatus. Mus. SCHH.

Heilipo stratiotico affinis, semper vero minor et facile distinctus. Caput mediocre, convexum, piceum, sat confertim sed minus profunde rugoso-punctatum, squamulis silaceis adspersum, supra oculos et in fronte magis condensatis; fronte inter oculos sulco tenui exarata; oculi ovati, depressi, nigri; rostrum longitudine fere capitis cum thorace, minus crassum, teres, parum arcuatum, nigro-piceum, basi striolato-rugosum, obsolete tri-carinatum, tum subtiliter sat crebre punctatum, setulis brevissimis, pallidis, adspersum. Antennæ versus apicem rostri insertæ, ad thoracis medium fere pertingentes, subtenues, rufo-testaceæ, albido-pilosæ, clava elongato-ovata, acuminata, picea. Thorax latitudine media vix longior, anterius angustior, sub-coarctatus, apice late sed non profunde emarginatus, lateribus modice rotundato-ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra modice convexus, nigro-piceus, dorso remote obsolete lateribus crebre distincte tuberculatis, utrinque vitta lata laterali, antrorsum parum angustata, dilute silaceo-squamosa, ornatus. Scutellum ovatum, apice rotundatum, nigro-piceum, subtiliter rugoso-punctatum. Elytra oblongo-ovata, basi singulatim nonnihil rotundato-producta, antice thoracis basi parum latiora, humeris prominulis, obtuse angulatis, lateribus inflexa, thorace fere quintuplo longiora, pone medium vix angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra parum convexa, ante apicem callo vel gibbere notata, nigro-picea, sat profunde striato-punctata, interstitiis planis, transversim rugulosis, vitta

sat lata, in disco cujusvis elytri, infra pone medium profunde excisa, apicem versus dilatata, communis, e squamulis dilute silaceis. Corpus subtus nigro-piceum, obsolete punctatum, setulis brevissimis, pallidis adspersum. Pedes obsolete punctati, setulis pallidis adspersi; femoribus incrassatis, subtus pone medium, valide dentatis, a basi ultra medium rufo-ferrugineis, apice late infuscatis, tibiis rufo-testaceis, intus in medio ampliatis, parum arcuatis, apice unco valido, acuto, armatis; tarsis elongatis, rufo-testaceis, subtus fulvo-spongiosis.—BHN.

♂ 49. H. CARINIROSTRIS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, piceus, rostro crassiore, apicem versus arcuato, supra carinato striatuloque, antennis crassioribus, thorace latiore, undique sat crebre granulato, carinato, utrinque silaceo vittato, elytris minus profunde punctato-striatis, interstitiis sub-convexis, transversim rugulosis, vitta lata disci, infra in medio excisa, ante apicem desinente, silaceo-squamosa.

Patria: Surinam. A Dom. SCHUPPEL benevole communicatus. Mus. SCHH.

Magnitudo et summa similitudo *Heilipi stratoris* v. β; ab illo tamen abunde distinctus. Caput mediocre, globosum, rufo-ferrugineum, subtiliter crebre punctatum, squamulis nonnullis parvis silaceis inter oculos adspersum; oculi magni, sub-ovati, haud prominuli, nigri; rostrum longitudine fere thoracis, deflexum, crassiusculum, teres, apicem versus nonnihil arcuatum, dorso longitudinaliter carinatum, lateribus striolatum, rufo-piceum, indumento capitis. Antennæ longe pone medium rostri sitæ, minus tenues, piceæ, parce pilosæ, clava elongata, acuminata, atro-holosericea. Thorax latitudine baseos nonnihil brevior, apice late sed parum profunde emarginatus, anterius subito angustatus, mox pone apicem valde rotundato-ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, marginatus, supra parum convexus, undique sat crebre sed minus alte granulatus, carinula longitudinali postice abbreviata instructus; totus piceus, squamulis silaceis tenuissime adspersus, utrinque vitta lata, antrorsum acuminata, dense silaceo-squamosa, ornatus. Scutellum parvum, sub-rotundatum, piceum, obsolete remote punctulatum. Elytra basi sub-truncata, antice thorace parum latiora, illo vix triplo longiora, humeris parum prominulis, rotundatis, apicem versus sensim angustata, apice ipso conjunctim sub-rotundata, supra modice convexa, ante apicem callo obtuso notata, picea, subtiliter punctato-striata, interstitiis angustis, sub-convexis,

transversim rugulosis, in disco singuli elytri vitta a basi longe ultra medium continuata, postice communis, infra pone medium triangulariter excisa, dense silaceo-squamosa, plaga oblongo-ovata, dorsali, parce squamosa, includente. Corpus subtus nigro-piceum, sub-nitidum, squamulis silaceis parce adspersum, pectore remote, ventre obsoletius punctatis. Pedes longiusculi, rufo-picei, squamulis piliformibus silaceis parce adspersi; femoribus valde incrassatis, subtus pone medium dente valido, acuto, armatis; tibiis arcuatis, intus in medio nonnihil ampliatis, apice acute uncinatis; tarsis modice dilatatis; obscure ferrugineis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

STIRPS 2.—Articulus secundus funiculi basali fere duplo longior.

Manipulus I. — Elytra apice sub-rotundata.

♂ 50. H. GERMARI. *Schh.*

Oblongus, ater, rostro longo, arcuato, thorace supra sub-plano, obsoletissime punctulato, niveo quadri-maculato, elytris remote striato-punctatis, maculis fasciisque niveo-squamosis, ornatis.

Heilipus potentator. Dom. GERMAR *in Litteris.*
Heilipus leucomelas. Dom. KLUG. *in Litteris.* Teste Dom. SCHUPPEL.

Habitat ad Matto-Grosso in Brasilia, ad Monteviedo. Dom. SCHUPPEL. Mus. GHL. et SCHH.

Inter maximos hujus generis. *Heilipo bellicoso* magnitudine æqualis, sed variat etiam dimidio fere minor. Caput mediocre, convexum, atrum, obsoletissime remote punctulatum, fronte inter oculos foveola sat profunda, impressa; oculi ovati, depressi, nigri; rostrum capite thoraceque nonnihil longius, crassiusculum, teres, arcuatum; totum atrum, minus crebre, ad basin profundius punctulatum. Antennæ mox pone medium rostri insertæ, thoracis medium attingentes, crassiusculæ, nigræ, pallido-pilosæ, clava oblongo-ovata, obtuse acuminata, atro-holosericea. Thorax latitudine media nonnihil longior, apice late, sed parum profunde emarginatus, antice valde coarctatus, lateribus rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, supra fere planus, ater, obsolete remote, hinc inde crebre punctulatus, ante scutellum leviter impressus, maculis quatuor niveo-squamosis, ornatus, quarum duæ utrinque ad apicem et duæ ad basin, quadratim positæ; præterea in utroque latere, maculæ e squamulis albidis observantur. Scutellum sub-triangulare, atrum, crebre rugoso-puncta-

tum, squamulis niveis adspersum. Elytra oblongo-ovata, basi singulatim perparum rotundato-producta, antice thoracis basi paulo latiora, humeris elevatis, obtuse rotundatis, lateribus inflexa, thorace triplo longiora, ante apicem callo vel gibbere notata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra modice convexa, atra, remote striatim punctata, interstitiis latis, planis, subtilissime rugulosis, apicem versus obsolete tuberculatis; signaturis variis e squamulis piliformibus, niveis, insignita, nempe: fere in medio baseos, macula parva oblonga; ante medium fascia retrorsum arcuata, libera; sub illa in margine laterali, macula sat magna; mox pone medium fascia altera transversa, communis; margo lateralis et demum in apice plaga sat magna, communis, retrorsum prope suturam descendens. Corpus subtus nigrum nitidum, obsolete punctulatum, setulis depressis, albidis, parce adspersum. Pedes longiusculi, validi, nigri, nitidi, obsolete remote punctati; femoribus subtus pone medium dente acuto armatis; tibiis intus in medio nonnihil ampliatis, apice uncinatis; tarsis piceis, pallido-pubescentibus, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

Dom. E. F. GERMAR, Professor. Princeps Entomologorum qui nunc in Germania vivunt. Præcipuus pertractavit Familiam Curculionum. Benevole et amicissime me adhortatus est, ut huic operi insistere auderem. quare mente gratissima, celeberrimum Illius nomen huic Insecto reservare volui. — SCHH.

♂ 51. H. WIEDEMANNI. *Schh.*

Oblongus, nigro-piceus, sub-nitidus, rostro longo, arcuato, pedibus dilute ferrugineis, geniculis tibiarumque apice nigris, thorace remote obsolete punctulato, elytris parum profunde punctato-striatis, albido fasciculato-pilosis.

Heilipus erythropus. Dom. Com. DEJEAN. Teste Dom. SCHUPPEL.
♀ VAR. β. Tibiis nigro-piceis.

Habitat ad Matto-Grosso in Brasilia. Dom. DE WINTHEM. Mus. SCHH.

Statura omnino *Heilipi Germari*, sed paulo minor et facile distinctus. Caput mediocre, crassum, convexum, nigro-piceum, sat confertim at absolete punctulatum; fronte inter oculos foveola parum profunda, insculpta; oculi ovati, depressi, nigri; rostrum longitudine capitis cum thorace, deflexum, teres, crassiusculum, arcuatum, nigro-piceum, sat crebre punctulatum. Antennæ mo:

pone medium rostri insertæ, ad medium thoracis pertingentes, crassiusculæ, piceæ, griseo-pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, fusco-holosericea. Thorax latitudine media paulo longior, apice late sed parum profunde emarginatus, antice multo angustior, coarctatus, lateribus rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, marginatus, supra sub-planus, nigro-piceus, dorso obsolete, remote, versus latera vero profunde et crebre punctulatus, ante scutellum leviter impressus, maculis quatuor obsoletis e squamulis piliformibus albidis ornatus, duabus utrinque ad apicem, et duabus ad basin, quadratim positis. Scutellum parvum, oblongo-ovatum, apice rotundatum, nigro-piceum, punctulatum, squamulis albidis adspersum. Elytra oblongo-ovata, basi sub-truncata vel perparum rotundato-producta, antice thoracis basi dimidio fere latiora, humeris elevatis, obtuse rotundatis, lateribus inflexa, thorace triplo longiora, ante apicem callo vel gibbere obsoleto notata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra modice convexa, nigro-picea, in dorso obsoletius versus latera profunde, remote punctato-striata, interstitiis rugulosis, versus apicem obsolete tuberculatis; pilis rigidis, depressis, niveis, fasciculatim congestis, undique commaculata. Corpus subtus nigrum sub-nitidum, setulis pallidis, parce adspersum; pectore fortius, ventre tenue punctulatis. Pedes longiusculi robusti; femoribus dilute rufo-ferrugineis, basi apiceque nigris, subtus pone medium dente valido, acuto, armatis; tibiis intus in medio ampliatis, apice uncinatis, rufo-ferrugineis, basi apiceque nigris; tarsis piceis, pallido-pubescentibus, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

Dom. C. R. G. WIEDEMANN, Professor, Reg. Dan. a Consiliis Justitiæ, auctor plurium scriptorum in Historia Naturali: in libro « *Zoologische Magazin* » majorem numerum Curculionum descripsit. — SCHH.

Č 52. II. SCABRIPENNIS. *Dejean.*

Oblongo-ovatus, ater sub-nitidus, fronte profunde foveolata, rostro modice arcuato, basi obsolete carinato, thorace subtiliter remote punctulato, versus basin utrinque impresso, elytris punctato-striatis, transversim rugosis, apicem versus tuberculatis, squamulis niveis tenuissime adspersus.

Habitat in Brasilia meridionali. A Dom. SCHUPPEL communicatus. Mus. SCHH.

Magnitudo *Hylobii pineti.* Caput mediocre, rotundatum, atrum sub-nitidum, remote subtiliter punctatum: fronte inter oculos

foveola profunda insculpta; oculi ovati, transversi, nigri, haud prominuli; rostrum longitudine fere capitis cum thorace, crassiusculum, teres, modice arcuatum, atrum, sub-nitidum, basi profunde dein subtiliter sed undique remote punctatum, a basi ultra medium obsolete carinatum. Antennæ pone medium rostri insertæ, ad dimidium thoracis pertingentes, minus tenues, nigro-piceæ, parce pilosæ, clava oblonga, sub-acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine media vix longior, anterius angustatus, valde coarctatus, apice capite non latior, late sed parum profunde emarginatus, pone oculos lobo parum producto, mox pone apicem ampliatus, lateribus nonnihil rotundatus, basi leviter bi-sinuatus, tenue marginatus, supra parum convexus, ater sub-nitidus, subtiliter remote punctulatus, punctis nonnullis majoribus interjectis præsertim ad latera impressus, utrinque versus basin leviter foveolatus. Scutellum parvum, apice rotundatum, atrum, remote punctulatum. Elytra oblongo-ovata, basi sub-truncata, antice thorace fere dimidio latiora, et illo plus triplo longiora humeris prominulis, obtuse rotundatis, pone humeros ultra medium linearia, tum apicem versus sensim angustata, apice ipso obtuse rotundata, supra modice convexa, sat profunde punctato-striata, ultra medium transversim valde rugosa, dein tuberculata; tota atra sub-nitida, punctis hinc ille squamulis piliformibus niveis obsitis. Corpus subtus nigrum, nitidum, subtiliter remote punctulatum, segmento ultimo tamen abdominis sat profunde et crebre punctato. Pedes elongati, robusti, atri, subtiliter remote punctulati; femoribus clavatis, subtus dente sat valido armatis; tibiis intus in medio ampliatis; tarsis dilatatis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

53. H. POLYCOCCUS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, ater opacus, antennis ferrugineis, fronte foveolata, rostro parum arcuato, subtiliter punctulato, thorace remote scrobiculato, elytris basi evidenter dein subtiliter striato-punctatis, tuberculis numerosis sine ordine adspersis.

Habitat in Brasilia. Mus. Dom. FALDERMANN.

Hylobio abietis ♀ magnitudine æqualis. Caput mediocre, crassum, rotundatum, atrum opacum, subtiliter remote punctulatum; fronte inter oculos foveola profunda impressa; oculi ovati, transversi, nigri, haud prominentes; rostrum vix longitudine thoracis, crassiusculum, teres, parum arcuatum, atrum subnitidum, undique subtiliter remote punctulatum. Antennæ ad

dimidium thoracis pertingentes, crassiusculæ, obscure ferrugineæ, parce pilosæ, clava oblongo-ovata, obscuriori, cinereo-pubescente. Thorax longitudine nonnihil latior, anterius angustior, leviter constrictus, apice late sed parum profunde emarginatus, lateribus modice rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, supra convexus, ater opacus, scrobiculis profundis remotis, hinc inde confluentibus, impressus. Scutellum mediocre, apice sub-acuminatum, atrum, obsolete punctulatum. Elytra basi singulatim perparum rotundato-producta, antice thorace multo latiora, illoque plus triplo longiora, humeris prominulis, rotundatis, pone humeros apicem versus sensim nonnihil angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra convexa, atra opaca, a basi ultra medium evidenter dein subtilissime striato-punctata, punctis remotis, basi transversim valde rugosa, dein tuberculis numerosis, modice elevatis, atris, nitidis, adspersa. Corpus subtus atrum, sub-nitidum, pectore et segmento ultimo abdominis, punctis nonnullis satis profundis impressis. Pedes elongati, robusti, nigri; femoribus clavatis, subtus dente valido instructis; tibiis intus in medio nonnihil ampliatis; tarsis piceis, subtus fulvo-spongiosis.—Bhn.

♂ 54. H. Brunneus. *Schh.*

Oblongo-ovatus, ferrugineus, glaber, fronte foveolata, rostro rugoso-punctato, parum arcuato, thorace subtiliter remote punctulato, basi leviter bi-sinuato, elytris sulcatis, sulcis in fundo punctatis, interstitiis subtilissime coriaceis.

Habitat in Brasilia. Mus. Dom. Chevrolat.

Magnitudo fere et statura *Hylobii pineti.* Caput globosum, ferrugineum, glabrum, subtiliter minus crebre punctulatum; inter oculos foveola profunda insculptum; oculi oblongi, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum longitudine thoracis, crassiusculum, teres, parum arcuatum, ferrugineum, glabrum, sat profunde at minus crebre rugoso-punctatum. Antennæ pone medium rostri insertæ, ad dimidium thoracis pertingentes, subtenues, obscure ferrugineæ, parce pilosæ, clava oblongo-ovata, sub-acuminata, fusco-pubescente. Thorax latitudine baseos fere brevior, antice truncatus, mox pone apicem valde coarctatus, deinde rotundato-ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, angulis posticis prominulis, acutis, supra modice convexus, ferrugineus, glaber, undique subtiliter remote punctulatus. Scutellum parvum, subtriangulare, obscure ferrugineum. Elytra oblongo-ovata, basi sub-truncata, antice thorace nonnihil latiora et illo triplo longiora,

humeris prominulis, obtuse rotundatis, longe pone medium apicem versus angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra convexa, ferruginea, sat profunde striata, striis in fundo confertim punctatis, interstitiis planis, subtilissime coriaceis. Corpus subtus ferrugineum, sub-nitidum, subtiliter punctulatum. Pedes longiusculi, validi, dilutius ferruginei, subtiliter punctulati; femoribus incrassatis, subtus pone medium dente acuto armatis; tibiis omnibus intus in medio ampliatis, apice uncinatis; tarsis dilatatis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

♂ 55. H. AUDOUINI. *Schh.*

Oblongo-ovatus, ater, squamulis niveis variegatus, rostro modice arcuato, thorace antice valde constricto, basi profunde bi-sinuato, supra remote punctulato, elytris punctato-striatis, confertim niveo fasciatis et maculatis, femoribus tibiisque acute dentatis.

Habitat in Brasilia. Mus. Dom. CHEVROLAT.

Magnitudo et fere statura *H. Illigerii.* Caput globosum, atrum, evidenter sed minus crebre punctatum, squamulis niveis adspersum; oculi oblongi, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum longitudine fere thoracis, crassiusculum, teres, modice arcuatum, nigrum, basi sat profunde apicem versus subtiliter undique remote punctulatum, squamulis nonnullis niveis adspersum. Antennæ pone medium rostri insertæ, ad dimidium thoracis vix pertingentes, subtenues, nigro-piceæ, parce pilosæ, clava oblongo-ovata, sub-obtusa, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos nonnihil brevior, antice truncatus, mox pone apicem valde constrictus, capite vix latior, tum subito rotundato-ampliatus, postice profunde bi-sinuatus, angulis baseos productis, acutis, supra in dorso parum convexus, ater, sub-nitidus, dorso subtiliter valde remote punctulatus, versus latera rugulosus, squamulis niveis tectus, plaga dorsali lineaque lineari punctisque nonnullis tamen denudatus. Scutellum parvum, rotundatum, niveo-squamosum. Elytra oblongo-ovata, basi singulatim perparum rotundato-producta, antice thorace nonnihil latiora et illo triplo longiora, humeris prominulis, obtuse rotundatis, apicem versus angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra convexa, regulariter sat profunde striato-punctata, atra nitida, maculis fasciisque numerosis confluentibus e squamulis niveis variegata. Corpus subtus nigrum, obsolete punctulatum, squamulis cretaceis dense obsitum. Pedes longiusculi, robusti, nigri, squamulis niveis adspersi: femoribus valde incrassatis, subtus pone medium dente

valido, acuto, armatis; tibiis intus in medio acute dentatis, apice unco valido horizontali instructis; tarsis dilatatis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

Dom. VICTOR AUDOUIN, Medic. Doctor, Eques, etc., rerum naturalium scrutator eximius. In documentum singularis observantiæ nomine Celeb. viri hoc Insectum insignire volui. — SCHH.

♂ 56. H. DE GEERI. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger sub-nitidus, rostro pedibusque rufo-testaceis, geniculis tarsisque nigris, thorace lateribus valde rotundato-ampliato, tuberculis poriferis confertim obsito, elytris sat profunde seriatim punctatis, transversim valde rugosis, fasciis duabus transversis cretaceis, ornatis.

Habitat in Brasilia. A Dom. Com. MANNERHEIM amice donatus.

Longitudo *Heilipi tuberculati*, a congeneribus rostro rufo-testaceo et fasciis elytrorum mox distinctus. Caput breve, crassum, convexum, nigrum, remote obsolete punctulatum; fronte inter oculos foveola parva impressa; oculi ovati, depressi, nigri; rostrum longitudine thoracis, crassiusculum, teres, arcuatum, dilute rufo-testaceum, remote obsolete punctulatum, apice nigro. Antennæ mox pone medium rostri insertæ, thorace cum capite vix longiores, crassiusculæ, nigræ, fusco-pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, fusco-holosericea. Thorax latitudine media vix longior, apice late sed non profunde emarginatus, antice angustior, coarctatus, lateribus valde rotundato-ampliatus, basi sat profunde bi-sinuatus, marginatus, supra modice convexus, niger, sat confertim tuberculatus, tuberculis majoribus, obtusis, supra poriferis. Scutellum oblongo-ovatum, nigrum, punctulatum. Elytra basi singulatim nonnihil rotundato-producta, antice thoracis medio paulo latiora, humeris prominulis, fere rectangulis, lateribus inflexa, ante apicem callo vel gibbere notata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, thorace fere quadruplo longiora, nigra, punctis sat magnis, profundis, seriatim impressa, transversim valde rugosa; in singulo elytro ante medium, fascia latior, antrorsum versus suturam arcuatim adscendens, longe infra scutellum cum opposita alterius elytri conjuncta; pone medium fascia secunda, retrorsum arcuata, ad suturam cum opposita connexa, ambæ sub-læves, e squamulis fulvo-cretaceis. Corpus subtus nigrum, nitidum, remote punctatum. Pedes logiusculi, robusti; femoribus rufo-testaceis, basi apiceque nigro-annulatis, subtus pone medium dente valido, acuto, armatis; tibiis rufo-testaceis,

basi apiceque nigris, intus in medio nonnihil ampliatis, apice uncinatis. Tarsi dilatati, nigro-picei, subtus fulvo-spongiosi.—BHN.

Dom. C. DE GEER, Mareschallus Aul. Commendator, etc. Auctor sui temporis egregius. Primus Suecorum OEconomiam et Metamorphosin Insectorum observavit.—SCHH.

57. H. ROESELII. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, squamulis atris tectus, thoracis lateribus late, elytrorum macula basali et apicali fasciaque media dilute silaceo-squamosis, elytris subtilissime punctato-striatis, femoribus silaceo annulatis.

Habitat in Brasilia. Mus. CHEVROLAT.

Species pulchra. Magnitudo et fere statura *Erirhini equiseti.* Caput mediocre, convexum, nigrum, subtiliter punctulatum, squamulis atris in vertice silaceis immixtis tectum; oculi ovati, transversi, sub-depressi, nigri; rostrum longitudine thoracis, crassiusculum, teres, nonnihil arcuatum, nigrum, basi striolato-rugosum, apicem versus punctulatum. Antennæ pone medium rostri insertæ, longitudine capitis cum thorace, subtenues, nigræ, parum pubescentes, clava oblongo-ovata, acuminata, atro-holosericea. Thorax latitudine baseos brevior, apice late sed parum profunde emarginatus, anterius multo angustior, lateribus perparum rotundatus, basi bisinuatus, supra convexus, niger, lateribus squamulis dilute silaceis dense tectus, relicta plaga magna, longitudinali, dorsali, antice nonnihil angustata, atro-squamosa, brunneo-marginata, notatus. Scutellum parvum, apice rotundatum, atro-squamosum. Elytra basi singulatim nonnihil rotundato-producta, antice thoracis paulo latiora, humeris prominulis, obtuse angulatis, lateribus inflexa, thorace triplo longiora, ad medium usque linearia, tum apicem versus angustata, apice ipso rotundata, supra modice convexa, dorso antico fere plana, ante apicem gibbere obtuso notata, subtilissime punctato-striata, interstitiis planis, subtiliter punctulatis; tota nigra, squamulis atris tecta; in ipsa basi macula sat magna, transversim locata, margine laterali non vero suturam attingente, mox pone medium fascia transversa, undulata, obliqua, et in ipso apice macula sub-triangulari, silaceo-squamosis, brunneo marginatis; præterea punctis nonnullis dilute brunneis adspersa. Corpus subtus nigrum, sub-nitidum, confertim punctulatum, latera pectoris late dilute silaceo et brunneo-squamosa. Pedes elongati, nigri, punctulati, squamulis albidis parce obsiti; femoribus modice

clavatis, versus apicem obsolete silaceo annulatis, subtus pone medium dente parvo, acuto, instructis; tibiis basi nonnihil arcuatis; tarsis subtus fulvo-spongiosis.—BHN.

Dom. A. J. ROESEL, Auctor operis magno doctrinæ apparatu conscripti : *Insecten Belustigung;* quod continet Observationes magni momenti de Insectorum OEconomia et Metamorphosi.—SCHH.

♀ 58. H. MULTISIGNATUS.

Oblongus, niger, squamulis pallidis tenuissime adspersus, oculis in fronte fere connexis, rostro tenui, ferrugineo, thorace obsoletissime remote granulato, carinato, silaceo punctato, elytris subtiliter striato-punctatis, basi transversim rugosis, silaceo-punctatis, pedibus ferrugineis, tibiis arcuatis.

Pissodes id. DEJEAN. *Catal. Col.* p. 87.

Habitat in Cayenna. A Dom. CHEVROLAT missus. Mus. SCHH.

Maximis individuis *Hylobii abietis* longitudine æqualis, sed nonnihil angustior. Caput mediocre, globosum, ferrugineum, obsolete punctulatum; oculi magni, oblongi, transversi, approximati, in fronte conniventes, depressi, nigri; rostrum longitudine capitis cum thorace, tenue, teres, arcuatum, ferrugineum, obsoletissime punctulatum. Antennæ in medio rostri insertæ, ultra dimidium thoracis pertingentes, minus tenues, ferrugineæ, parum pubescentes, clava oblongo-ovata, acuminata, fusco-holosericea. Thorax latitudine baseos nonnihil longior, apice sub-truncatus, anterius subito angustatus, coarctatus et transversim impressus, mox pone apicem rotundato-ampliatus, versus basin iterum angustatus, basi leviter bi-sinuatus, supra modice convexus, niger, subtilissime remote granulatus, dorso obsolete carinatus, squamulis pallidis tenue adspersus; in dorso antico punctis quatuor, quadratim positis et in latere utrinque duabus obliquis e squamulis condensatis silaceis, notatus. Scutellum parvum, apice rotundatum, nigrum, silaceo-squamosum. Elytra basi sub-truncata, antice thorace nonnihil latiora, et illo triplo longiora, humeris prominulis, obtuse rotundatis, lateribus inflexa, ad medium apicem versus sensim perparum angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra convexa, ante apicem gibbere obtuso notata, subtiliter striatim punctata, basi transversim remote rugulosa; tota nigra, squamulis fusco-umbrinis adspersa, punctis plurimis e squamulis condensatis silaceis adspersa. Corpus subtus nigrum, sub-nitidum,

squamulis pallidis parce adspersum; pectore rude remote, ventre obsolete punctatis. Pedes elongati, robusti, ferruginei, pube pallida tenuissime obsiti; femoribus valde clavatis, subtus pone medium dente valido, acuto, armatis; tibiis nonnihil arcuatis, medio non ampliatis; tarsis subtus fulvo-spongiosis.—BHN.

59. H. PICTURATUS.

Niger, opacus, thorace granulato, carinato, albido variegato, elytris plaga acuta, obliqua, media, aliaque infra medium communi, atro-holosericeis; priori postice albo terminata. — GERM.

Pissodes id. GERM. *Ins. Spec.* I. p. 321. n° 461.

Patria : Brasilia.

♂♀ 60. H. POLYMITUS.

Niger, obscurus, sulphureo irroratus, scutello flavo, thorace vittis duabus atris, elytris vitta obliqua dentata atro-holosericea, postice puncto flavo terminata.—GERM.

Pissodes id. GERM. *Ins. Spec.* I. p. 322. n° 462.

Patria : Brasilia.

♂♀ 61. H. QUERULUS. *Schh.*

Oblongus, nigro-piceus, squamulis fulvescentibus adspersus, rostro basi carinato, thorace subtiliter crebre granulato, carinato, elytris punctato-striatis, interstitiis remote granulatis, singulo pone medium macula oblongo-quadrata atro-holosericea, macula niveo-squamosa connexa.

Pissodes variabilis. STURM. *Ins. Catal.* 1826. p. 184.

VAR. β. Rufo-testaceus, oculis nigris, rostro pedibusque ferrugineis.

Habitat in Brasilia. Dom. WESTERMANN et DE WINTHEM. Mus. SCHH.

H. spathulato magnitudine et statura non dissimilis, thorace carinato, elytris apice obtusis ut et colore, facile distinctus. Caput mediocre, convexum, nigro-piceum, crebre rugoso-punctatum, squamulis silaceis adspersum; fronte inter oculos impressa; oculi ovati, depressi, nigri; rostrum longitudine thoracis, deflexum, parum arcuatum, crassiusculum, teres, nigrum, basi obsolete carinatum, rugoso-punctatum, apicem versus subtiliter punctatum. Antennæ versus apicem rostri insertæ, thoracis medium attingen-

tes, minus crassæ, rufo-piceæ, pallido-pilosæ, clava elongata, acuminata, fusco-holosericea. Thorax latitudine media brevior, apice late sed parum profunde emarginatus, anterius angustior, coarctatus, lateribus rotundato-ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, marginatus, supra parum convexus, niger, undique crebre granulatus, dorso longitudinaliter distincte carinatus, squamulis fulvescentibus adspersus. Scutellum oblongum, apice rotundatum, nigrum, rugoso-punctatum, silaceo-squamosum. Elytra basi subtruncata, antice thoracis basi paulo latiora, et illo quadruplo longiora, humeris elevatis, obtuse rotundatis, lateribus inflexa, ante apicem callosa, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra parum convexa, in dorso sub-plana, nigra, sat profunde punctato-striata, interstitiis convexis, undique minus crebre granulatis; squamulis fulvescentibus adspersa; mox pone medium disci cujusvis elytri, macula longitudinali, oblongo-quadrata, atro-holosericea, pone illam macula niveo-squamosa, irregularis, connexa; præterea punctis sparsis nigris, præsertim postice versus suturam, notata. Corpus subtus nigrum nitidum, obsolete punctatum, squamulis fulvescentibus adspersum. Pedes longiusculi, robusti, setulis brevissimis, pallidis, adspersi; femoribus nigris, clavatis, subtus pone medium dente valido, acuto, instructis; tibiis ferrugineis, intus in medio nonnihil ampliatis, apice uncinatis; tarsis dilute ferrugineis, subtus fulvo-spongiosis.

Var. β. Pallidior, rostro pedibusque rufo-ferrugineis, oculis nigris; signaturæ præterea varietatis omnino ut in Specie maturata.

BHN.

♂♀ 62. H. RUSTICUS. *Dejean.*

Oblongo-ovatus, niger, squamulis umbrinis et cinereis variegatus, oculis magnis, in fronte sub-approximatis, rostro longitudine thoracis, thorace minus crebre granulato, medio carinula abbreviata, notato, elytris subtiliter punctato-striatis, transversim rugulosis, macula dorsali pone medium punctoque laterali ante medium, atro-holosericeis, notatis.

Mas: rostro crassiore, nonnihil breviore, basi carinato.

Femina: paulo major, rostro tenuiore, longiore, non carinato, subtiliter punctulato.

Habitat in Cuba. A Dom. GERMAR et SCHUPPEL; in Mexico. A Dom. LEFEBVRE missus. Mus. SCHH.

Hylobio abietis longitudine æqualis, sed multo latior et in elytris

magis convexus. Caput mediocre, globosum, nigrum, rugoso-punctatum, squamulis piliformibus dilute umbrinis tectum; fronte foveola parva insculpta; oculi magni, in fronte sub-approximati, depressi, nigri; rostrum longitudine thoracis, crassiusculum, modice arcuatum, sub-teres, nigrum, squamulis umbrinis, ad basin adspersum, dorso in mare tri-carinatum, carinulæ laterales medio interruptæ; in femina non carinatum, subtiliter punctulatum, magis denudatum. Antennæ pone medium rostri insertæ, subtenues, piceæ, pilosæ, clava oblongo-ovata, obtuse acuminata, fusco-holosericea Thorax latitudine baseos brevior, apice late sed parum profunde emarginatus, anterius angustatus, coarctatus, lateribus parum rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, supra modice convexus, niger, tuberculis parum elevatis, in dorso evidentioribus obsitus, carinula dorsali, longitudinali, antice posticeque valde abbreviata instructus, squamulis dilute umbrinis et cinereo-albidis variegatus. Scutellum parvum, apice rotundatum, nigrum, basi impressum, squamulis umbrinis adspersum. Elytra oblongo-ovata, antice thoracis basi paulo latiora, humeris prominulis, sub-elevatis, rotundatis, lateribus inflexa, thorace triplo longiora, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra valde convexa, ante apicem callo vel gibbere notata; tota nigra, subtiliter punctato-striata, interstitiis minus crebre transversim rugulosis et granulatis; tota squamulis dilute umbrinis et cinereo-albidis variegata, pone medium in dorso macula oblongo-ovata, interdum difformis quasi e maculis plurimis constructa ante medium versus latera puncto parvo, atro-holosericeis, notata. Corpus subtus nigro-piceum, punctulatum, dense cervino-squamosum. Pedes robusti, fusco-picei, pube pallida adspersi; femoribus clavatis, subtus dente valido, acuto, instructis; tibiis intus in medio nonnihil ampliatis, apice uncinatis; tarsis modice dilatatis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

♀ 63. H. FREYREISSI. *Schh.*

Oblongo-ovatus, ater, fere glaber, rostro longo, modice arcuato, thorace vix punctato, transversim in medio tuberculato, elytro singulo seriebus tribus e tuberculis magnis elevatis, interstitiis subtiliter punctato-striatis, striis per paria sub-approximatis.

Habitat in Brasilia. Dom. FREYREISS. Mus. SCHH.

Magnitudo, statura et summa similitudo *Heilipi tuberculati,* sed thorace non carinato, parce tuberculato ut et tuberculis elytrorum validioribus, etc., facile distinctus. Caput mediocre crassum, convexum, atrum, vix vel obsoletissime punctulatum; oculi ovati, depressi.

nigri; rostrum thorace capiteque fere longius, deflexum, modice crassum, teres, parum arcuatum, nigrum, subtiliter remote punctulatum. Antennæ mox pone medium rostri insertæ, thoracis medium attingentes, crassiusculæ, rufo-piceæ, griseo-pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, fusco-pubescente. Thorax latitudine media brevior, antice angustior, coarctatus, late sed parum profunde emarginatus, lateribus valde rotundato-ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra modice convexus, ater, obscurus, sub-lævis, tuberculis nitidis, remotis in medio ad latera transversim positis, obsitus, squamulis nonnullis cervinis adspersus. Scutellum subtriangulare, apice rotundatum, nigrum, dense dilute cervino-squamosum. Elytra basi singulatim perparum rotundato-producta, antice thoracis basi dimidio fere latiora, humeris oblique prominulis, obtuse angulatis, thorace fere quadruplo longiora, lateribus inflexa, versus apicem parum angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra modice convexa, atra obscura, squamulis nonnullis fulvescentibus, præsertim versus basin adspersa; in singulo elytro series tres sat regulares e tuberculis validis, elevatis, supra poriferis, fere in medio prope suturam tuberculo solitario valido, cum tuberculo tertio seriei primæ connexo, interstitiis per paria subtiliter punctato-striatis. Corpus subtus atrum, obscurum; pectus dense fulvescenti-squamosum, abdomine setulis depressis, pallidis, hinc inde adspersum. Pedes longiusculi, robusti, nigri, setulis albidis adspersi; femoribus clavatis, subtus pone medium dente valido, acuto, instructis; tibiis intus in medio nonnihil ampliatis, apice uncinatis. Tarsi picei, supra fulvescenti-pilosi, subtus fulvo-spongiosi. — Bhn.

Dom. G. W. Freyreiss, Leopoldinæ in Brasilia; ibi anno 1824 defunctus. — Multitudinem magnificarum specierum Insectorum collegit mihique transmisit. — Schh.

♀ 64. H. Inæqualis. *Schh.*

Oblongo-ovatus, ater, squamulis cervinis adspersus, rostro longo, modice arcuato, thorace vix punctato, lateribus remote tuberculato, obsoletissime carinato, elytris subtilissime striatis, basi sat crebre dein remote transversim rugulosis, dorso fasciculis nonnullis atris obsitis.

Habitat in Brasilia. A. Dom. de Winthem missus. Mus. Schh.

Magnitudo et statura omnino *Heilipi Freyreissi*, ab illo tamen elytris non tuberculatis, mox distinctus. Caput mediocre, crassum, con-

vexum, nigrum, obsolete remote punctulatum, squamulis cervinis parce adspersum; fronte foveola parva insculpta; oculi ovati, transversi, depressi, nigri; rostrum capite cum thorace longius, deflexum, modice crassum, teres, parum arcuatum, nigrum, basi sat profunde apicem versus subtiliter remote punctulatum. Antennæ pone medium rostri insertæ, ultra thoracis medium pertingentes, crassiusculæ, rufo-piceæ, pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, fusco-pubescente. Thorax latitudine media nonnihil brevior, antice angustior, valde coarctatus, apice late sed parum profunde emarginatus, lateribus valde rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, supra modice convexus, ater, sub-lævis, turberculis remotis, nitidis, ad latera et in medio dorsi positis, obsitus, squamulis cervinis parce adspersus, in dorso antico carinula obsoletissima notatus. Scutellum sub-triangulare, apice rotundatum, atrum, albido squamosum. Elytra basi singulatim perparum rotundato-producta, antice thoracis basi dimidio latiora, humeris prominulis, obtuse rotundatis, thorace fere quadruplo longiora, lateribus inflexa, apicem versus subito angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra modice convexa, ante apicem callo obtuso, instructa, atra obscura, obsoletissime punctato-striata, interstitiis ad basin sat crebre dein valde remote transversim rugosis, undique squamulis cervinis, maculatim fere condensatis, adspersa, prope suturam fasciculis nonnullis et fere in medio disci fasciculo elongato, atris, obsita. Corpus subtus atrum, obscurum, vix punctatum, pectore squamulis nonnullis umbrinis adspersum. Pedes longiusculi, robusti, nigri, setulis pallidis adspersi; femoribus clavatis, subtus pone medium dente valido, acuto, armatis; tibiis intus in medio nonnihil ampliatis, apice uncinatis; tarsis dilatatis, rufo-piceis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

* 65. H. PRODIGIALIS.

Niger, fusco-squamosus, tuberculatus, elytris bi-spinosis, macula holosericeo-atra.—GERM.

Pissodes id. GERM. *Ins. Spec.* I. p. 324. n° 464.

Patria : Brasilia.

* 66. H. OCELLATUS.

Oblongo-ovatus, niger, squamulis fusco-brunneis dense adspersus, rostro modice arcuato, thorace tuberculis oblongis, remotis, parum elevatis, undique obsito, scutello silaceo-squamoso, elytris regulariter striato-punctatis, transversim rugulosis, singulo macula sub-oblonga, atro-holosericea, silaceo marginata.

Rhynchænus id. FABR. *Sys. El.* II. p. 472. n° 168.
Curculio id. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 432. n° 158.

Habitat in America meridionali. E Mus. D. TOEND. LUND. Mus. SCHH.

Tanymeco palliato parum longior, sed multo latior. Caput mediocre, convexum, nigrum, crebre rugoso-punctatum; fronte inter oculos foveola parva impressa; oculi ovati, depressi, nigri, orbita silaceo-squamosa, cincti; rostrum thorace vix longius, deflexum, crassiusculum, teres, modice arcuatum, nigrum, sat crebre profunde punctatum. Antennæ mox pone medium rostri insertæ, ad thoracis medium pertingentes, crassiusculæ, rufo-piceæ, pallido-pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, fusco-holosericea. Thorax latitudine media paulo longior, anterius angustior, subcoarctatus, apice late sed parum profunde emarginatus, lateribus rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, marginatus, supra modice convexus, niger, tuberculis parvis, oblongis, remotis, parum elevatis, obtusis, notatus, squamulisque fusco-brunneis, dense adspersus. Scutellum sub-triangulare, nigrum, dilute silaceo-squamosum. Elytra basi singulatim in medio rotundato-producta, antice thorace nonnihil latiora, humeris oblique prominulis, angulum obtusum formantibus, thorace fere quadruplo longiora, lateribus inflexa, ante apicem callo vel gibbere notata, apice conjunctim obtuse rotundata; supra convexa, nigra regulariter sed minus profunde striatim punctata, interstitiis sub-planis, transversim rugosis; squamulis fusco-brunneis dense adspersa; in medio disci cujusvis elytri, macula sat magna, oblonga, antrorsum sub-emarginata, atro-holoserisea, anguste dilute silaceo marginata. Corpus subtus nigrum, obsolete remote punctulatum, pube fulvescenti parce adspersum. Pedes longiusculi, robusti, nigro-picei, pube fulvescenti adspersi; femoribus clavatis, subtus pone medium, dente valido, acuto, instructis; tibiis intus in medio nonnihil ampliatis, apice uncinatis. Tarsi parum dilatati, ferruginei, subtus fulvo-spongiosi. — BHN.

* 67. H. MYOPS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, squamulis fusco-umbrinis adspersus, rostro modice arcuato, thorace in medio tuberculis aliquot, parum elevatis obsito, scutello niveo-squamoso, elytris obsoletissime striato-punctatis, remote transversim rugosis, singulo macula rotunda, atro-holosericea, niveo marginata.

Rhynchœnus ocellatus. OLIV. *Ent.* V. 83. p. 183. n° 162. T. 3. f. 31.
Curculio ocellatus. HERBST. *Col.* VI. p. 112. n° 73. T. 67. f. 4.
VOET. *Col.* Ed. PANZ. IV. p. 63. n° 29. T. 38. f. 29.
OLIV. *Enc. méth.* V. p. 510. n° 181.

Habitat in Brasilia. Dom. FREYREISS. Mus. SCHH.

Facies et summa similitudo *Heilipi ocellati*, sed duplo fere major, thorace tantum in medio tuberculis nonnullis, notato, elytris obsoletissime striato-punctatis, etc., abunde distinctus. Caput mediocre, crassum, convexum, nigrum, obsolete rugoso-punctatum, squamulis silaceis adspersum; fronte inter oculos foveola parva, rotunda, insculpta; oculi ovati, depressi, nigri; rostrum longitudine thoracis, deflexum, crassiusculum, modice arcuatum, parum profunde punctatum; totum nigrum obscurum. Antennæ pone medium rostri insertæ, thoracis medium attingentes, crassiusculæ, rufo-ferrugineæ, pallido-pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, fusco-pubescente. Thorax latitudine media vix longior, apice late sed parum profunde emarginatus, anterius angustior, sub-coarctatus, lateribus valde rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, marginatus, supra modice convexus, niger, sub-lævis, versus latera in medio, tuberculis aliquot, parum elevatis, præditus, squamulis fusco-umbrinis, parce adspersus. Scutellum sub-triangulare, nigrum, in medio niveo-squamosum. Elytra basi singulatim perparum rotundato-producta, antice thoracis basi dimidio fere latiora et illo quadruplo longiora, humeris prominulis, obtuse angulatis, lateribus inflexa, ante apicem callo vel gibbere sat distincto notata, apice conjunctim obtuse rotundata, nigra, supra convexa, obsoletissime striatim punctata, interstitiis rugulis transversis remotis, versus basin elevatioribus, obsitis, tota squamulis minutissimis fusco umbrinis, adspersa; paulo pone medium disci cujusvis elytri, macula sat magna, rotunda, atro-holosericea, anguste niveo marginata. Corpus subtus nigrum, obscurum, obsoletissime punctulatum, squamulis nonnullis silaceis adspersum. Pedes longiusculi, robusti, nigro-picei, pube pallida adspersi; femoribus clavatis, subtus pone medium, dente valido, acuto, armatis; tibiis intus in medio nonnihil ampliatis, apice uncinatis; tarsis ferrugineis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

* 68. H. Faldermanni. *Schh.*

Oblongus, ater, squamulis obscure umbrinis parce adspersus, capite remote punctato, rostro crasso, valde arcuato, thorace in dorso sub-lævi, versus latera crebre tuberculato, basi silaceo tri-maculato, elytris subtiliter striato-punctatis, singulo macula magna, atro-holosericea, antrorsum attenuata, postice niveo marginata.

Habitat in Brasilia. Dom. Ménétriés. Mus. Mannerheim et Schh.

Præcedentibus iterum affinis, sed *Heilipo myope* dimidio major, oblongior, colore atro, rostro longiori, crassiori, magis arcuato, elytris transversim non rugulosis ut et signaturis, distinctus. Caput mediocre, crassum, convexum, atrum, obsolete remote punctulatum; fronte inter oculos longitudinaliter impressa, foveola parva, insculpta; oculi ovati, depressi, nigri; rostrum longitudine capitis cum thorace, deflexum, crassum, teres, valde arcuatum, nigrum nitidum, obsolete remote punctulatum. Antennæ pone medium rostri insertæ, thoracis medium attingentes, validiusculæ, nigræ, pallido-pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, fusco-pubescente. Thorax latitudine media vix longior, apice late sed parum profunde, emarginatus, anterius multo angustior, coarctatus, lateribus valde rotundato-ampliatus, basi sat profunde bi-sinuatus, marginatus, supra parum convexus, ater, obscurus, squamulis obscure umbrinis parce adspersus; dorso sub-lævis, versus latera crebre tuberculatus, basi utrinque et ante scutellum macula parva, e squamulis magis condensatis silaceis, ornatus. Scutellum sub-triangulare, atrum, parce silaceo-squamosum. Elytra elongato-ovata, antice thoracis basi paulo latiora et illo fere quadruplo longiora, basi singulatim rotundato-producta, humeris prominulis, obtuse angulatis, lateribus inflexa, ante apicem et ad basin gibbere notata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra parum convexa, in dorso sub-plana, atra opaca, squamulis sparsis umbrinis adspersa, subtiliter sat distincte striatim punctata, interstitiis latis, planis, ad basin obsolete transversim rugosis; paulo pone medium disci cujusvis elytri, macula magna, atro-holosericea, antrorsum attenuata, postice niveo marginata et ad basin supra humeros macula parva, e squamulis silaceis. Corpus subtus nigrum obscurum, obsoletissime punctulatum, segmento ultimo abdominis rude punctato. Pedes longiusculi, robusti, atri, parce pallido-pubescentes; femoribus validis, clavatis, subtus pone medium, dente magno acuto, armatis; tibiis intus in medio nonnihil ampliatis, apice un-

cinatis. Tarsi picei, supra dense fulvescenti-pilosi, subtus fulvo-spongiosi.—BHN.

Dom. F. FALDERMANN, Director Imper. horti Botanici Petropolit. Possessor majoris Collectionis Entomologicæ, ex quâ multas novas species mihi impertivit, quod grato animo testar.—SCHH.

69. H. COMMACULATUS. *Schh.*

Oblongus, nigro-piceus, squamulis cervinis obsitus, antennis pedibusque obscure ferrugineis, rostro recto, carinato, confertim rugoso-punctato, thorace latiori, crebre granulato, carinato, elytris profunde punctato-striatis, interstitiis obsolete granulatis, singulo pone medium macula sub-rotunda atro-holosericea, alia major albido-squamosa, adfixa.

Habitat in Brasilia. Mus. Imp. Russ.

Magnitudo, statura et summa similitudo *Heilipi maculosi;* thorace nonnihil latiore, elytris profundius punctato-striatis, interstitiis obsolete granulatis, apice non deplanatis, ut et signaturis, ab illo distinctus videtur. Caput mediocre, globosum, nigro-piceum, confertim rugoso-punctulatum, squamulis cervinis adspersum, inter oculos leviter impressum; oculi ovati, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum longitudine thoracis, deflexum, crassiusculum, subrectum, supra fere planum, nigro-piceum, marginibus sub-carinatis, medio longitudinaliter carinatum, undique profunde rugoso-punctatum, squamulis cervinis parce adspersum. Antennæ non procul ab apice rostri sitæ, ad thoracis medium fere pertingentes, minus crassæ ferrugineæ, parce pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, obscuriori. Thorax latitudine baseos multo brevior, apice late, sed parum profunde emarginatus, anterius subito angustatus, coarctatus, lateribus valde rotundato-ampliatus, postice leviter bi-sinuatus, supra parum convexus, nigro-piceus, undique confertim granulatus, dorso carinula parum elevata, ante basin abbreviata, notatus, squamulis cervinis sat dense obsitus, utrinque ad basin macula parva e squamulis pallidioribus, ornatus. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum, dense albido-squamosum. Elytra antice sub-truncata, basi thorace nonnihil latiora, et illo quadruplo longiora, humeris sub-prominulis, obtuse rotundatis, apicem versus angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra parum convexa, ante apicem callo obtuso instructa, apice non deplanata, picea, regulariter profunde punctato-striata, interstitiis sub-convexis, subtiliter obsolete granulatis,

squamulis cervinis versus latera et apicem albidis maculatim mixtis, tecta, mox pone medium disci cujusvis elytri, macula sub-rotunda, atro holosericea, alia major, irregularis, albido-squamosa, adfixa. Corpus subtus nigro-piceum, squamulis dilute cervinis, dense adspersum. Pedes longiusculi, robusti, obscure ferruginei, setulis albidis adspersi; femoribus clavatis, subtus pone medium dente valido, acuto, armatis; tibiis rectis, anticis intus in medio nonnihil ampliatis; tarsis modice dilatatis, subtus fulvo-spongiosis.—BHN.

* 70. H. MACULOSUS. *Schh.*

Oblongus, niger, squamulis fulvescentibus adspersus, antennis pedibusque ferrugineis, rostro carinato, apice arcuato, thorace latiori crebre subtiliter granulato, carinato, elytris punctato-striatis, interstitiis crebre granulatis, singulo pone medium macula irregulari, niveo-squamosa.

Habitat in Brasilia. A Dom. Com. MANNERHEIM amice donatus. Mus. SCHH.

Magnitudo et statura fere *Heilipi queruli*, sed rostro ad apicem usque carinato, signaturis aliis elytrorum, etc., diversus. Caput mediocre, convexum, nigro-piceum, crebre rugoso-punctatum, squamulis fulvescentibus, ad oculos et in fronte magis condensatis, adspersum; fronte leviter impressa; oculi ovati, depressi, nigri; rostrum thorace vix longius, deflexum, crassiusculum, apice nonnihil arcuatum, supra sub-planum, piceum, marginibus elevatis, carinatis, carinula media elevata, et duabus aliis utrinque, obsoletis, sub-interruptis, notatum. Antennæ ad apicem rostri insertæ, thoracis medium attingentes, minus crassæ, rufo-ferrugineæ, pallido-pilosæ, clava elongata, acuminata, fusco-pubescente. Thorax latitudine media brevior, apice late sed parum profunde emarginatus, anterius angustior, coarctatus, lateribus valde rotundato-ampliatus, basi sub-truncatus vel tantum leviter bi-sinuatus, supra modice convexus, niger, carinula longitudinali, elevata, ante basin desinente, notatus, granulis rotundatis, parum elevatis, undique confertim obsitus, squamulisque fulvescentibus hinc inde magis condensatis, adspersus. Scutellum parvum, oblongum apice rotundatum, nigrum, albido-squamosum. Elytra basi sub-truncata, antice thoracis basi paulo latiora, humeris sub-prominulis, obtuse rotundatis, lateribus inflexa, thorace quadruplo longiora, pone medium nonnihil ampliata, ante apicem

callo vel gibbere notata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra parum convexa, apice deplanata, nigra, distincte regulariter punctato-striata, interstitiis convexis, crebre granulatis, squamulis fulvescentibus adspersa; pone medium disci cujusvis elytri, macula irregularis, niveo-squamosa. Corpus subtus nigrum, subnitidum, squamulis dilute fulvescentibus adspersum, in pectore et ad latera abdominis, magis condensatis. Pedes longiusculi, robusti, rufo-ferruginei, setulis depressis, pallidis, adspersi; femoribus clavatis, subtus pone medium valide dentatis; tibiis nonnihil arcuatis, intus in medio ampliatis, apice uncinatis; tarsis dilutius ferrugineis, subtus fulvo-spongiosis.—BHN.

* 71. H. CESTATUS. *Schh.*

Oblongus, niger, squamulis cervinis adspersus, antennis pedibusque rufo-piceis, rostro tenuiori, basi obsolete tri-carinato, thorace remote tuberculato, carinato, elytris punctato-striatis, interstitiis alternis elevatis, costatis, crebre granulatis, pone medium fascia communi, retrorsum flexa, albido-squamosa.

Habitat in Brasilia. Dom. FREYREISS. Mus. SCHH.

Heilipo querulo magnitudine æqualis; a reliquis rostro tenuiori, elytris costatis, thorace remote tuberculato, mox distinctus. Caput mediocre, convexum, nigro-piceum, rugoso-punctatum, squamulis fulvescentibus adspersum, fronte inter oculos foveola parva, insculpta; oculi ovati, depressi, nigri; rostrum thorace cum capite fere longius, deflexum, subtenue, modice arcuatum, teres, nigro-piceum, ad basin rugoso-punctatum, obsolete tri-carinatum, squamulis fulvescentibus parce adspersum, apicem versus nitidum, subtilissime punctulatum. Antennæ mox pone medium rostri insertæ, thoracis basin fere pertingentes, minus crassæ, rufo-piceæ, pallido-pilosæ, clava elongato-ovata, acuminata, fusco-pubescente. Thorax latitudine postica vix brevior, apice late sed parum profunde emarginatus, anterius nonnihil angustior, coarctatus, lateribus modice rotundato-ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra parum convexus, niger, tuberculis parvis rotundatis, parum elevatis, remotis, præditus, carinula longitudinali notatus, squamulis fulvescentibus vel cervinis, adspersus. Scutellum oblongum, apice rotundatum, piceum, cervino-squamosum. Elytra basi conjunctim sub-truncata, antice thoracis basi nonnihil latiora, humeris obtuse rotundatis, lateribus inflexa, thorace fere quadruplo longiora, ante apicem callo obsoleto notata, apicem versus attenuata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra modice con-

vexa, nigro-picea, obsolete punctato-striata, interstitiis alternis 3, 5, 7 et 9 a sutura, antice præsertim, elevatis, costatis, crebre granulatis, alternis fere planis remote seriatim tuberculatis; tota squamulis dilute umbrinis tecta; pone medium fascia transversa, communis, retrorsum flexa, e squamulis albidis, ornata. Corpus subtus nigrum, nitidum, obsoletissime punctulatum, squamulis silaceis adspersum. Pedes longiusculi, robusti, nigro-picei, setulis pallidis adspersi; femoribus clavatis, subtus pone medium dente valido, acuto, armatis; tibiis intus in medio perparum ampliatis, apice uncinatis; tarsis subtus fulvo-spongiosis.—Bhn.

72. H. Ineptus. *Schh.*

Oblongus, piceus, squamulis silaceis adspersus, antennis pedibusque ferrugineis, rostro parum arcuato, rugoso-punctato, basi bi-sulcato, thorace angustiori, rugoso-punctato, antice carinato, utrinque silaceo lineato, elytris punctato-striatis, interstitiis obsolete transversim rugosis, lateribus apiceque dense silaceo-squamosis.

Patria : Brasilia. Mus. Imp. Russ.

Heilipo corruptori magnitudine et statura simillimus; rostro basi etsi obsolete bi-sulcato, thorace rugoso-punctato, interstitiis elytrorum obsolete transversim rugulosis, ut et colore, diversus. Caput mediocre, rotundatum, nigro-piceum, confertim subtiliter rugoso-punctatum, squamulis silaceis parce adspersum; fronte longitudinaliter leviter impressa; oculi ovati, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum longitudine fere thoracis cum capite, deflexum, crassiusculum, subteres, nonnihil arcuatum, nigro-piceum, sat crebre rugoso-punctatum, basi sulcis duobus, parum profundis, insculptum, squamulis silaceis adspersum. Antennæ non procul ab apice rostri sitæ, ad thoracis medium pertingentes, minus crassæ, obscure ferrugineæ, parce albido-pilosæ, clava oblonga, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos vix longior, apice late sed parum profunde emarginatus, anterius angustior, mox pone apicem coarctatus, lateribus modice rotundato-ampliatus, basi sub-truncatus, supra parum convexus, piceus, undique sat rude sed minus profunde rugoso-punctatus, in dorso carinula longitudinali, parum elevata, antice posticeque abbreviata, notatus, squamulis silaceis parce obsitus, utrinque versus latera densioribus in linea condensatis. Scutellum parvum, sub-triangulare, piceum, squamulis silaceis parce adspersum. Elytra basi sub-truncata, antice thorace nonnihil latiora et illo quadruplo longiora, humeris sub-prominulis, obtuse rotundatis, lateri-

bus inflexa, apicem versus angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra parum convexa, ante apicem callo vel gibbere obtuso notata, apice deplanata, picea, regulariter punctato-striata, interstitiis sub-convexis, remote obsolete transversim rugulosis, dorso fere denudato, lateribus apiceque dense silaceo-squamosis. Corpus subtus nigro-piceum, nitidum, squamulis albidis adspersum; pectore sat profunde, remote ventre obsolete, punctatis. Pedes longiusculi, robusti, obscure ferruginei, pube albida adspersi; femoribus clavatis, subtus pone medium dente valido, acuto, armatis; tibiis intus in medio ampliatis, apice uncinatis; tarsis subtus fulvo-spongiosis.—Bhn.

* 73. H. Corruptor. *Schh.*

Oblongus, nigro-piceus, squamulis fulvescentibus adspersus, antennis pedibusque ferrugineis, rostro profunde rugoso, apice subrecto, thorace angustiori, subtiliter confertim granulato, antice carinato, elytris punctato-striatis, interstitiis crebre granulatis, apice late silaceo-squamosis.

Habitat in Brasilia. A Dom. Com. Mannerheim amice donatus. Mus. Schh.

Magnitudo, statura et summa similitudo *Heilipi maculosi*, sed rostro non carinato, thorace angustiori, antice tantum carinato, ut et signaturis elytrorum, distinctus. Caput mediocre, convexum, rufo-piceum, crebre rugoso-punctatum, squamulis fulvescentibus, præsertim versus oculos, adspersum; fronte leviter impressa; oculi ovati, depressi, nigri; rostrum thorace longius, deflexum, crassiusculum, subteres, fere rectum, rufo-piceum, supra undique sat profunde rugosum, rudimento carinulæ obsoletæ notatum, ad basin squamulis fulvescentibus adspersum. Antennæ ad apicem rostri insertæ, thoracis medium attingentes, minus crassæ, rufo-ferrugineæ, albido-pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, fusco-holosericea, apice dilutius ferruginea. Thorax latitudine media fere longior, apice late sed parum profunde emarginatus, anterius angustior, coarctatus, lateribus modice rotundato-ampliatus, basi sub-truncatus, supra modice convexus, piceus, undique granulis parum elevatis, crebre obsitus, in dorso antico carinula longitudinali, notatus, squamulis fulvescentibus adspersus, utrinque ad latera in linea condensatis. Scutellum parvum, oblongum, apice rotundatum, albido-squamosum. Elytra basi conjunctim sub-truncata, antice thoracis basi paulo latiora et illo fere quadruplo longiora, humeris obtuse rotundatis, lateribus inflexa,

ante apicem callo vel gibbere notata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra parum convexa, apice deplanata, nigro-picea, regulariter distincte punctato-striata, interstitiis convexis, crebre granulatis; ultra medium squamulis fulvescentibus adspersa, apice late et sat dense silaceo-squamosa. Corpus subtus nigrum nitidum, obsolete punctulatum, squamulis pallidis adspersum. Pedes longiusculi, robusti, ferruginei, parce pallido-pubescentes; femoribus clavatis, subtus pone medium, dente valido, acuto, armatis; tibiis intus in medio perparum ampliatis, apice uncinatis; tarsis subtus fulvo-spongiosis.—Bhn.

* 74. H. Pissodeoides. *Schh.*

Oblongus, ferrugineus, squamulis fulvescentibus parce adspersus, rostro modice arcuato, thorace crebre granulato, non carinato, elytris striatis, interstitiis confertissime rugulosis, macula obsoleta supra callum et alia ad apicem e squamulis densis fulvescentibus.

Habitat in Brasilia. Dom. Freyreiss. Mus. Schh.

Magnitudo et fere statura *Hylobii pinastri.* Caput mediocre, convexum, ferrugineum, sat crebre sed parum profunde rugoso-punctatum, squamulis nonnullis fulvescentibus adspersum, fronte inter oculos depressa, dense fulvescenti-squamosa; oculi ovati, depressi, nigri; rostrum thorace nonnihil longius, deflexum, minus crassum, teres, modice arcuatum, ferrugineum, basi rugoso-punctatum, obsolete tri-carinatum, deinde obsolete subtiliter punctulatum. Antennæ versus apicem rostri insertæ, thoracis medium attingentes, subtenues, rufo-ferrugineæ, pallido-pilosæ, clava elongato-ovata, acuminata, dilute fusco-pubescente. Thorax latitudine media brevior, apice late sed minus profunde emarginatus, antice angustior, coarctatus, lateribus valde rotundato-ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra modice convexus, obscure ferrugineus, granulis crebris, parum elevatis, obsitus, squamulis fulvescentibus parce adspersus. Scutellum ovatum, apice rotundatum, dense albido-squamosum. Elytra basi singulatim perparum rotundato-producta, antice thoracis basi nonnihil latiora, et illo quadruplo longiora, humeris obtuse angulatis, lateribus inflexa, ante apicem callo obtuso notata, apice ipso conjunctim rotundata, supra modice convexa, crebre striata, interstitiis convexis, transversim confertim rugulosis et granulatis; tota ferruginea, squamulis fulvescentibus parce adspersa, supra humeros in macula parva, longe pone medium in fascia transversa, communi, et sub callo in macula sat magna, condensatis. Corpus subtus nigro-pi-

ceum, sub-nitidum, squamulis pallidis parce adspersum. Pedes longiusculi, robusti, rufo-ferruginei, setulis brevissimis, depressis, pallidis, adspersi; femoribus clavatis, subtus pone medium, dente valido, acuto, armatis; tibiis intus in medio nonnihil ampliatis, apice uncinatis; tarsis subtus fulvo-spongiosis.—BHN.

* 75. H. NUBILOSUS. *Schh.*

Oblongus, piceus, squamulis cinereo-albidis adspersus, rostro subrecto, obsolete tri-carinato, thorace latiori, antice carinato, confertim subtiliter granulato, elytris punctato-striatis, interstitiis transversim rugulosis, pone medium macula transversa, magna, obsoleta, indeterminata, niveo-squamosa, notatis.

Habitat in Brasilia. A Dom. Com. MANNERHEIM amice donatus. Mus. SCHH.

Præcedentibus iterum valde affinis, sed nonnihil latior; rostro tri-carinato, elytris transversim rugulosis, ut et colore, distinctus. Caput mediocre, convexum, ferrugineum, crebre rugoso-punctatum, squamulis pallidis adspersum; fronte impressa, leviter foveolata; oculi ovati, depressi, nigri; rostrum longitudine fere thoracis, deflexum, crassiusculum, subrectum, supra fere planum, ferrugineum, marginibus sub-elevatis, carinulis tribus, parum elevatis, ad apicem extensis, notatum, squamulis pallidis adspersum. Antennæ ad apicem rostri insertæ, thoracis medium attingentes, minus crassæ, ferrugineæ, pallido-pilosæ, clava elongata, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine media brevior, apice late sed parum profunde emarginatus, anterius angustior, coarctatus, lateribus valde rotundato-ampliatus, basi subtruncatus vel leviter bi-sinuatus, supra parum convexus, piceus, undique granulis parum elevatis, confertim præditus, carinula longitudinali elevata, postice abbreviata, notatus, squamulis cinereis adspersus. Scutellum oblongum, apice rotundatum, nigrum, albido-squamosum. Elytra antice sub-truncata, basi thorace paulo latiora, et illo quadruplo longiora, humeris obtuse rotundatis, lateribus inflexa, ante apicem callosa, apice ipso conjunctim rotundata, supra parum convexa, apice deplanata, nigro-picea, regulariter distincte punctato-striata, interstitiis parum convexis, a basi ultra medium transversim rugulosis, dein granulatis; squamulis cinereo-albidis adspersa; pone medium macula transversa, sat magna, obsoleta, indeterminata, e squamulis densioribus niveis, ornata. Corpus subtus nigrum, nitidum, obsolete punctu-

latum, squamulis pallidis parce adspersum. Pedes longiusculi, robusti, setulis brevissimis, pallidis, adspersi; femoribus piceis, clavatis, subtus pone medium valide dentatis; tibiis ferrugineis, sub-arcuatis, intus in medio perparum ampliatis, apice uncinatis; tarsis dilutius ferrugineis, subtus fulvo-spongiosis.—BHN.

* 76. H. COSTIROSTRIS. *Schh.*

Oblongus, rufo-piceus, squamulis cinereo-albidis adspersus, rostro subrecto, obsolete tri-carinato, thorace angustiori, carinato, confertim granulato, elytris profunde punctato-striatis, interstitiis transversim rugulosis, pone medium macula magna, obsoleta, indeterminata, niveo-squamosa, ornatis.

Habitat in Brasilia. A Dom. DE WINTHEM communicatus. Mus. SCHH.

Heilipo nubiloso simillimus et valde affinis, sed duplo minor, angustior, rostro tantum tri-carinato, thorace evidenter carinato, elytris magis profunde punctato-striatis, etc. Caput mediocre, globosum, piceum, crebre minus profunde rugoso-punctatum, squamulis pallidis adspersum, inter oculos leviter impressum et foveolatum; oculi ovati, transversi, depressi, nigri; rostrum longitudine thoracis, deflexum, crassiusculum, parum arcuatum, supra fere planum, rufo-piceum, marginibus elevatis, carinulis tribus dorsalibus, parum elevatis, notatum, ad basin præsertim squamulis albidis adspersum. Antennæ ad apicem rostri insertæ, thoracis medium attingentes, subtenues, rufo-ferrugineæ, parce pilosæ, clava elongato-ovata, acuminata, pubescente, apice dilutiori. Thorax latitudine media brevior, apice late sed parum profunde emarginatus, anterius angustatus, coarctatus, lateribus rotundato-ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra parum convexus, piceus, undique confertim granulatus, carinula longitudinali, postice vix abbreviata, notatus, squamulis cinereo-albidis, versus latera magis condensatis, adspersus. Scutellum parvum, rotundatum, albido-squamosum. Elytra basi sub-truncata, antice thoracis basi paulo latiora, humeris obtuse rotundatis, thorace quadruplo longiora, lateribus inflexa, apicem versus angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra parum convexa, apice deplanata, postice callo obtuso notata, sat profunde regulariter punctato-striata, interstitiis convexis, transversim rugulosis et granulatis; tota rufo-picea, squamulis cinereo-albidis adspersa, pone medium magis condensatis. Corpus subtus rufo-piceum, nitidum, punctulatum, squamulis albidis adspersum. Pedes lon-

giusculi, robusti, rufo-ferruginei, setulis pallidis adspersi; femoribus clavatis, apice infuscatis, subtus dente valido, acuto, armatis, tibiis, sub-arcuatis, intus in medio nonnihil ampliatis, apice uncinatis; tarsis modice dilatatis, subtus fulvo-spongiosis.

BHN.

77. 11. COSTALIS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, nigro-piceus, squamulis cervinis et albidis parce variegatus, rostro subrecto, confertim striolato-rugoso, thorace brevi, lato, carinato, evidenter granulato, elytris convexis, profunde punctato-striatis, interstitiis alternis elevatis, costatis, rugosis, pone medium plaga magna, obsoleta, albido-squamosa.

Patria: Brasilia. Ex Musæo Dom. FALDERMANN, ad describendum, benevole missus.

Magnitudo et similitudo *Heilipi costirostris*, magis convexus, thorace breviore, latiore, elytrorum interstitiis alternis elevatis, costatis, etc., ab illo bene distinctus. Caput mediocre, rotundatum, piceum, crebre evidenter rugoso-punctatum, squamulis nonnullis albidis in vertice et pone oculos adspersum; frons deflexa, leviter impressa; oculi sat magni, ovati transversi, haud prominuli, nigri; rostrum thorace nonnihil longius, deflexum, crassiusculum, subrectum, supra fere planum, undique confertim striolato-rugosum, nigro-piceum, glabrum, obscurum. Antennæ non procul ab apice rostri sitæ, subtenues, rufo-piceæ, clava parva, oblongo-ovata, acuminata. Thorax latitudine baseos multo brevior, apice subtruncatus, anterius subito angustatus, coarctatus et transversim impressus, lateribus rotundato-ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra parum convexus, undique sat crebre evidenter granulatus, carinula longitudinali postice vix abbreviata, notatus; nigro-piceus, squamulis albidis cervinis mixtis, hinc inde condensatis, variegatus. Scutellum parvum, rotundatum, nigro-piceum, parce squamosum. Elytra basi sub-truncata, antice thorace paulo latiora, et illo fere quadruplo longiora, humeris vix prominulis, obtuse rotundatis; apicem versus angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra convexa, apicem versus nonnihil deplanata, gibbere obtuse notata, sat profunde punctato-striata, interstitiis alternis, planis, granulis nonnullis obsitis, alternis elevatis, costatis, transversim rugosis; tota nigro-picea, squamulis læte cervinis et albidis parce obsita, apicem versus in plaga magna, obsoleta condensatis. Corpus subtus piceum, punctulatum, squamulis griseis parce adspersum. Pedes longiusculi, robusti, picei, punc-

tulati, pube grisea parce obsiti; femoribus clavatis, subtus dente valido, acuto, armatis; tibiis parum arcuatis, intus in medio nonnihil ampliatis, apice uncinatis; tarsis modice dilatatis, subtus griseo-spongiosis.—Bhn.

* 78. H. Egenus. *Schh.*

Oblongus, piceus, squamulis silaceis parce adspersus, antennis pedibusque ferrugineis, rostro subrecto, striolato-rugoso, thorace latiori, confertim granulato, carinato, elytris ferrugineis, minus profunde punctato-striatis, interstitiis transversim rugulosis, apice obtuse rotundatis.

Habitat in Brasilia. A Dom. Lejon communicatus. Mus. Schh. et Mus. Reg. Acad. Scient. Holm.

Magnitudo *Heilipi costirostris*, nonnihil tamen latior; colore, rostro striolato-rugoso, thorace latiori, elytris minus profunde punctato-striatis, ab illo distinctus. Caput mediocre, rotundatum, piceum, confertim punctulatum, inter oculos canalicula tenui, abbreviata, insculptum; oculi laterales, ovati, transversi, nigri, haud prominuli; rostrum longitudine thoracis, crassiusculum, deflexum, subrectum, supra fere planum, piceum, medio carinatum, lateribus striolato-rugosum, apice ipso confertim subtiliter punctulatum. Antennæ versus apicem rostri insertæ, thoracis medium vix attingentes, minus crassæ, obscure ferrugineæ, parce pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, atra, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos multo brevior, apice late sed parum profunde emarginatus, anterius valde angustatus, mox pone apicem coarctatus, basi leviter bi-sinuatus, supra parum convexus, piceus, undique confertim granulatus, carinula longitudinali instructus, squamulis minutissimis silaceis parce adspersus. Scutellum parvum, rotundatum, piceum, parce silaceo-squamosum. Elytra basi sub-truncata, antice thoracis basi parum latiora, sed illo plus triplo longiora, humeris vix prominulis, obtuse rotundatis, a basi ultra medium fere linearia, tum apicem versus, citius angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundato, supra parum convexa, postice callo obsoleto notata, minus profunde punctato-striata, interstitiis fere planis, transversim rugulosis; tota ferruginea, squamulis minutissimis silaceis parce adspersa. Corpus subtus ferrugineum, sub-nitidum, minus crebre punctulatum, squamulis silaceis parce obsitum. Pedes longiusculi, robusti, ferruginei; femoribus clavatis, subtus ante apicem dente valido, acuto, armatis; tibiis teretibus, sub-arcuatis, intus in medio nonnihil am-

pliatis, apice uncinatis; tarsis dilatatis, subtus fulvo-spongiosis.
BHN.

* 79. H. RUSTICANUS. *Schh.*

Oblongus, nigro-piceus, squamulis fulvescentibus adspersus, rostro subrecto, subtiliter rugoso-punctato, basi obsolete carinato, thorace confertim granulato, carinato, antice ad latera niveo vittato, elytris punctato-striatis, interstitiis remote granulatis, squamulis cinereis et fulvescentibus variegatis, atro maculatis.

Habitat in Brasilia. Dom. FREYREISS. Mus. SCHH.

Heilipo nubiloso affinis, sed paulo minor, angustior; rostro ad basin tantum carinato et signaturis aliis, diversus. Caput mediocre, convexum, ferrugineum, subtiliter rugoso-punctatum, squamulis fulvescentibus, dense adspersum; fronte impressa, foveolata; oculi ovati, depressi, nigri; rostrum longitudine thoracis, deflexum, crassiusculum, parum arcuatum, ferrugineum, supra subtiliter rugoso-punctatum, marginibus sub-elevatis, basi obsolete tri-carinatum, squamulis fulvescentibus adspersum. Antennæ versus apicem rostri insertæ, ultra thoracis medium pertingentes, minus crassæ, ferrugineæ, pallido-pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, fusco-holosericea. Thorax latitudine media brevior, apice late sed parum profunde emarginatus, antice angustior; coarctatus, lateribus valde rotundato-ampliatus, basi sub-truncatus, nigro-piceus, supra modice convexus, undique granulis, parum elevatis, confertim obsitus, carinula longitudinali, basi abbreviata, notatus, squamulis fulvescentibus adspersus, antice utrinque ad latera, vitta reflexa niveo-squamosa, ornatus. Scutellum parvum, oblongum, apice rotundatum, nigro-piceum, albido-squamosum. Elytra basi conjunctim sub-truncata, antice thoracis basi paulo latiora, humeris antrorsum sub-prominulis, obtuse rotundatis, lateribus inflexa, thorace quadruplo fere longiora, ante apicem callo vel gibbere notata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra parum convexa, apice deplanata, nigro-picea, regulariter punctato-striata, interstitiis sub-convexis, granulis minus crebris, parum elevatis, munitis, squamulis fulvescentibus adspersa; ante et pone medium fascia transversa, irregularis, obsoleta, cinereo-squamosa, et præterea in basi interiori singuli elytri, maculis duabus, parvis, oblongis, pone medium versus suturam et intra apicem, maculis nonnullis, atro-holosericeis, notata. Corpus subtus, ferrugineum, obsolete punctulatum, sat dense fulvescenti-squa-

mosum. Pedes longiusculi, robusti, ferruginei, squamulis pallidis, adspersi; femoribus subtus valide dentatis; tibiis intus in medio nonnihil ampliatis, apice uncinatis; tarsis sùbtus fulvo-spongiosis.

BHN.

* 80. H. CADIVUS.

Oblongus, nigro-piceus, squamulis fulvescentibus unicoloribus adspersus, rostro rugoso, carinato, subrecto, thorace obconico, rugoso-punctato, carinato, scutello silaceo-squamoso, elytris deplanatis, punctato-striatis, interstitiis subtiliter transversim rugulosis.

Heilipus id. GERM. *Ins. Spec.* I. p. 401. n° 546.

VAR. β. Dimidio major, latior, thorace vix carinato. Forte femina.

Habitat in Brasilia. Dom. GERMAR. Mus. SCHH.

Heilipo maculoso statura non dissimilis, sed dimidio fere minor, magis deplanatus, squamulis unicoloribus fulvescentibus, adspersus; elytrorum interstitiis subtiliter tantum rugulosis, facile distinctus. Caput mediocre, convexum, nigro-piceum, crebre punctulatum, fronte inter oculos foveola oblonga, exarata; oculi ovati, depressi, nigri; rostrum thorace nonnihil longius, deflexum, crassiusculum, parum arcuatum, piceum, rugoso-punctatum, marginibus elevatis, carinula media dorsali et ùtrinque duabus aliis obsoletis, sub-interruptis, notatum. Antennæ versus apicem rostri insertæ, ad thoracis medium pertingentes, minus crassæ, rufo-ferrugineæ, pallido-pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, fusco-holosericea. Thorax latitudine media multo brevior, apice late sed parum profunde emarginatus, anterius angustior, coarctatus, lateribus rotundato-ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, marginatus, piceus, supra parum convexus, confertim rugoso-punctatus, carinula longitudinali parum elevata, munitus, squamulis fulvescentibus, adspersus. Scutellum oblongum, apice rotundatum, dense silaceo-squamosum. Elytra basi sub-truncata, antice thorace vix latiora, et illo quadruplo longiora, humeris antrorsum prominulis, obtuse angulatis, lateribus inflexa, ante apicem callo obsoleto notata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra perparum convexa, fere deplanata, punctato-striata, interstitiis fere planis, subtiliter transversim rugulosis; tota squamulis piliformibus fulvescentibus, unicoloribus, adspersa. Corpus subtus, nigrum, obsolete punctulatum, squamulis cervinis, adspersum. Pedes longiusculi, robusti, picei, setulis de-

pressis, pallidis, adspersi; femoribus clavatis, subtus dentatis; tibiis intus in medio perparum ampliatis, apice uncinatis; tarsis subtus fulvo-spongiosis.—BHN.

VAR. β. Dimidio major, præsertim latior; carinula in dorso thoracis obsoletissima, in medio tantum conspicua; cætera conveniunt.

* 81. H. CHOICUS.

Piceo-niger, sulphureo irroratus, thorace granulato, maculis quatuor sulphureo-tomentosis.—GERM.

Pissodes id. GERM. *Ins. Spec.* I. p. 319. n° 458.
Heilipus adspersus. Dom. Com. DEJEAN, secundum Dom. SCHUPPEL *in Litteris.*

* 82. H. HUMMELI. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, squamulis cervinis variegatus, rostro valde arcuato, carinato, thorace confertim rugoso-punctato, carinato, elytris apice attenuatis, subtiliter punctato-striatis, dense cervino maculatis, interstitiis alternis elevatis, costatis, crebre granulatis.

Habitat in Brasilia. Dom. FREYREISS. Mus. SCHH.

Cryptorhyncho lapathi dimidio major; a reliquis elytris costatis ut et colore bene distinctus. Caput mediocre, crassum, convexum, nigrum, crebre rugoso-punctatum, squamulis cervinis dense adspersum; oculi ovati, depressi, nigri; rostrum thorace nonnihil longius, crassiusculum, teres, valde arcuatum, nigro-piceum, a basi ultra medium longitudinaliter carinatum, subtiliter punctulatum. Antennæ pone medium rostri insertæ, capitis thoracisque longitudine, modice crassæ, rufo-ferrugineæ, pallido-pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, fusco-holosericea. Thorax latitudine media vix longior, antice angustior, coarctatus, late sed parum profunde emarginatus, lateribus valde rotundato-ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra convexus, ater, sat crebre rugoso-punctatus, dorso antico obsolete carinatus, squamulis cervinis, hinc inde maculatim condensatis, adspersus, versus latera densioribus. Scutellum sub-ovatum, apice rotundatum, nigrum, dense cervino-squamosum. Elytra basi sub-truncata, antice thoracis basi parum latiora, humeris oblique prominulis, angulum obtusum formantibus; thorace quadruplo longiora, lateribus inflexa, versus apicem attenuata, postice gibbere obsoleto instructa, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra valde convexa, nigra, subtiliter punc-

tato-striata; striis versus latera profundioribus, interstitiis alternis 3, 5, 7 et 9 a sutura elevatis, costatis, crebre granulatis, nudis; superficies tota squamulis densis atro-holosericeis tecta, maculis parvis, crebris, cervino-squamosis, variegata. Corpus subtus nigrum, obsolete punctulatum; pectus dense, abdomen parce cervino-squamosum. Pedes longiusculi, validi, nigro-picei, squamulis cervinis dense adspersi; femoribus clavatis, subtus pone medium, dente valido, acuto, armatis; tibiis intus in medio nonnihil ampliatis, apice uncinatis; tarsis supra fulvescenti-pilosis, subtus fulvo-spongiosis.—BHN.

Dom. A. D. HUMMEL, Auctor gravis operis (Essais entomologiques) cujus septem particulæ vulgatæ sunt.

83. H. RETUSUS. *Schh.*

Oblongus, niger, squamulis griseis obsitus, antennis pedibusque ferrugineis, rostro longiori, parum arcuato, remote punctulato, thorace lateribus valde rotundato-ampliato, tuberculato, elytris punctato-striatis, interstitiis alternis tuberculatis, pone medium ampliatis, apice retusis.

Habitat in America meridionali. Mus. Imp. Russ.

Facies ab hoc genere aliena, elytris apice retusis. Magnitudo *Heilipi rufipedis*. Caput mediocre rotundatum, ferrugineum, obsolete punctulatum, inter oculos impressum; oculi ovati, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum longitudine capitis cum thorace, teres, minus crassum, parum arcuatum, ferrugineum, basi profundius, apicem versus subtiliter undique minus crebre punctulatum. Antennæ longe pone medium rostri sitæ, ad dimidium thoracis pertingentes, subtenues, ferrugineæ, parce albido pilosæ, clava oblongo-ovata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine media vix longior, apice late sed parum profunde emarginatus, antice posticeque angustatus, lateribus valde rotundato-ampliatus, basi truncatus, supra convexus, niger, tuberculis sat magnis poriferis, minus crebre obsitus, dorso obsoletissime carinatus, squamulis griseis inter tubercula obsitus, utrinque linea angusta e squamulis pallidioribus, ornatus. Scutellum parvum, triangulare, nigrum, griseo-squamosum. Elytra basi truncata, antice thoracis basi parum latiora, quam lata vix triplo longiora, humeris vix prominulis, rotundatis, pone humeros ultra medium sensim ampliata, tum apicem versus citius angustata, apice ipso conjunctim sub-acuminata, supra valde convexa, præsertim posterius, ubi

transversim elevata, postice declivia, retusa, punctato-striata, sutura postice et interstitiis alternis tuberculis sat elevatis, minus crebre obsitis, alternis convexis, sub-lævibus; tota nigra, squamulis griseis vestita. Corpus subtus nigro-piceum, vix punctatum, squamulis griseis parce adspersum. Pedes longiusculi, robusti, ferruginei, pube pallida parce obsiti; femoribus clavatis, subtus pone medium dente valido, acuto, armatis; tibiis fere rectis, intus in medio parum ampliatis; tarsis modice dilatatis, subtus fulvo-spongiosis.—BHN.

Manipulus 2. — Elytra apice deplanata, mucronata.

84. H. BARTELSI. *Schh.*

Oblongo-ovatus, ater, obscurus, squamulis pallide silaceis parce adspersus, capite rostroque basi confertim rugoso-punctatis, rostro subrecto, thorace transverso latiore, confertim granulato, obsolete carinato, elytris parum profunde striatis, evidenter sat crebre granulatis, apice mucronatis, dehiscentibus, singulo in dorso postico macula oblonga silaceo-squamosa.

Patria: forte America meridionalis. A Dom. BARTELS communicatus. Mus. SCHH.

Habitus et statura *Heilipi cymbæ*, nonnihil tamen major. Caput mediocre, crassum, globosum, atrum, obscurum, crebre sat profunde rugoso-punctatum, squamulis pallide silaceis parce supra oculos densius adspersum; fronte leviter impressa; oculi sat magni, ovati, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum longitudine thoracis cum capite, deflexum, minus crassum, teres, parum arcuatum, nigrum, sub-nitidum, a basi ultra medium rugoso-punctatum, dein apicem versus subtiliter punctulatum. Antennæ piceæ, parce pilosæ, clava elongata, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine media multo brevior, apice late sed parum profunde emarginatus, anterius subito angustatus, mox pone apicem valde rotundato-ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra parum convexus, ater, obscurus, granulis modice elevatis, nitidis, sat confertim obsitus, dorso longitudinaliter tenue carinatus, squamulis læte silaceis parce præsertim versus latera adspersus. Scutellum breve, apice rotundatum, nigrum, tenue silaceo-squamosum. Elytra basi singulatim perparum rotundato-producta, antice thoracis basi non dimidio latiora, quam lata duplo longiora, humeris modice prominulis, obtuse rotundatis, pone humeros nonnihil sinuata, apicem versus acuminata, apice ipso vero in

mucronem sub-acutum, extrorsum sursumque nonnihil arcuatum, producta, supra parum convexa, apice deplanata, postice callo obtuso notata, obsolete striata, interstitiis a basi ultra medium confertim evidenter inordinate granulatis, pone medium seriatim minus crebre granulatis; tota atra, obscura, squamulis silaceis parce apicem versus densius adspersa, singulo longe pone medium macula sat magna, oblonga, transversim oblique locata, e squamulis densis silaceis, decorato. Corpus subtus nigrum, nitidum, squamulis piliformibus cervinis tenue adspersum, pectore remote ruguloso, abdomen subtiliter minus crebre punctulatum. Pedes longiusculi, validi, nigri, subtiliter punctulati, squamulis silaceis obsiti; femoribus valde incrassatis, subtus dente valido, acuto, armatis; tibiis intus in medio nonnihil ampliatis, apice argute uncinatis; tarsis dilatatis, subtus fulvo-spongiosis.—BHN.

Hanc speciem denominavi in memoriam DOM. DOCT. CAROL. BARTELS, qui mihi plura specimina indescripta e Familia Curculionidum benevole communicavit.—SCHH.

* 85. H. SCAPHA. *Schh.*

Oblongus, niger, squamulis silaceis dense adspersus, rostro crasso, quinque-carinato, thorace amplo, dorso rugoso, versus latera granulato, antice obsolete carinato, scutello transverso, albido-squamoso, elytris sat profunde punctato-striatis, versus apicem attenuatis, apice ipso conjunctim mucronatis.

Habitat in Brasilia. Dom. FREYREISS. Mus. SCHH.

Inter maximos hujus generis. *Heilipo Germari* longitudine fere æqualis; a congeneribus rostro quinque-carinato, elytris versus apicem valde attenuatis, acute mucronatis, facile distinctus. Caput magnum, crassum, convexum, nigrum, obsolete minus crebre punctulatum, squamulis silaceis parce adspersum; vertice leviter canaliculato; fronte impressa dense silaceo-squamosa; oculi ovati, depressi, nigri; rostrum longitudine thoracis, deflexum, crassum, apice nonnihil arcuatum, supra fere planum, nigrum, marginibus sub-elevatis, in dorso carinulis tribus a basi ad apicem fere continuatis, et utrinque alia laterali, ante medium abbreviata, notatum; totum nigrum, subtiliter rugosum, ad basin squamulis, silaceis, adspersum. Antennæ nigro-piceæ, pallido-pilosæ, clava elongata, acuminata, fusco-holosericea. Thorax amplus, latitudine media brevior, apice late emarginatus, antice paulo angustior, coarctatus, lateribus rotundato-ampliatus, basi sub-truncatus,

vel leviter sub-bisinuatus, supra convexus, niger, in dorso rugosus, versus latera granulatus, antice carinula obsoleta munitus; undique squamulis minutis silaceis adspersus, in dorso rarioribus, versus latera magis condensatis. Scutellum brevissimum, transversum, apice ampliatum, dense dilute silaceo-squamosum. Elytra basi conjunctim sub-truncata, antice thoracis basi nonnihil latiora, humeris elevatis, obtuse rotundatis; lateribus inflexa, thorace quadruplo longiora, ante apicem callo obsoleto notata, pone humeros apicem versus sensim attenuata, apice ipso conjunctim acute mucronata, supra convexa, nigra, sat profunde punctato-striata, interstitiis parum convexis, ad basin subtiliter transversim rugosis; tota squamulis unicoloribus, silaceis, dense adspersa. Corpus subtus nigrum, obsolete punctulatum, undique squamulis silaceis, adspersum. Pedes longiusculi, robusti, nigri, setulis depressis, pallidis, adspersi; femoribus clavatis, subtus pone medium dente valido, acuto, armatis; tibiis intus in medio nonnihil ampliatis, apice arcuatis, uncinatis; tarsis dilatatis, subtus fulvo-spongiosis.

BHN.

♂♀ 86. H. CYMBA. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, squamulis cinereis dense adspersus, rostro rugoso, basi obsolete tri-carinato, thorace transverso, latiori, confertim granulato, scutello silaceo-squamoso, elytris parum profunde punctato-striatis, granulatis, pone medium ampliatis, apice acuminatis, fascia media umbrino-squamosa ornatis.

Habitat in Brasilia. Dom. FREYREISS. Mus. SCHH. et BARTELS.

Heilipo spathulato Germ. statura non dissimilis, sed plus duplo major. Caput medioce, crassum, convexum, nigro-piceum, crebre et sat rude rugoso-punctatum, squamulis silaceis parce adspersum, ad oculos magis condensatis; fronte impressa; oculi ovati, depressi, nigri; rostrum longitudine thoracis, deflexum, crassiusculum, subrectum, teres, nigrum, rugulosum, ad basin obsolete tri-carinatum. Antennæ nigro-piceæ, pallido-pilosæ, clava elongata, acuminata, fusco-pubescente. Thorax latitudine media multo brevior, apice late sed parum profunde emarginatus, anterius angustior, coarctatus, lateribus valde ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra parum convexus, niger, granulis parum elevatis, sat confertim obsitus, squamulis dilute cinereis adspersus. Scutellum oblongum, apice rotundatum, dilute silaceo-squamosum. Elytra basi conjunctim sub-truncata, antice thoracis basi nonnihil latiora, et illo quadruplo fere longiora, humeris obtuse rotundatis, late-

ribus inflexa, pone humeros perparum sinuata, infra medium ampliata, ante apicem callo obtuso notata, apicem versus angustata, apice ipso conjunctim acuminata, supra parum convexa, apice deplanata, nigra, regulariter sed parum profunde punctato-striata, interstitiis planis, granulatis, squamulis dilute cinereis dense adspersa, fascia media transversa, fere communi, apiceque umbrino-squamosis. Corpus subtus nigrum, squamulis dilute silaceis, adspersum. Pedes longiusculi, robusti, nigro-picei, squamulis silaceis parce adspersi; femoribus valde clavatis, præsertim anticis, omnibus subtus pone medium, dente valido, acuto, armatis; tibiis intus in medio nonnihil ampliatis, apice uncinatis, arcuatis; tarsis dilatatis, subtus fulvo-spongiosis.—Bhn.

♂♀ 87. H. Acatium. *Schh.*

Oblongo-ovatus, piceus, squamulis silaceis dense adspersus, rostro longiore, basi rugoso, obsolete carinato, thorace angustiore, rugoso-punctato, antice obsolete carinato, scutello niveo-squamoso, elytris subtiliter punctato-striatis, confertim granulatis, apice obtuse acuminatis.

Patria: Brasilia. A Dom. Com. Mannerheim amice donatus. Mus. Schh.

Præcedenti nonnihil longior et angustior, sed variat etiam dimidio minor; rostro longiori, thorace minus ampliato, antice carinato, elytris apice obtuse acuminatis. Caput mediocre, crassum, convexum, piceum, confertim rugoso-punctatum, squamulis læte silaceis parce adspersum, ad oculos et in fronte magis condensatis; fronte depressa; oculi sat magni, ovati, depressi, nigri; rostrum thorace nonnihil longius, deflexum, crassiusculum, teres, nonnihil arcuatum, basi profunde et rude rugosum et striolatum, obsolete carinatum, pone medium subtiliter punctulatum; totum nigro-piceum. Antennæ longe pone medium rostri insertæ, nigro-piceæ, pallido-pilosæ, clava elongata, acuminata, fusco-pubescente. Thorax latitudine media nonnihil brevior, apice late sed minus profunde emarginatus, antice angustior, coarctatus, lateribus rotundato-ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra modice convexus, piceus, undique confertim rugoso-punctatus vel rugulis transversalibus obsitus, carinula longitudinali, obsoleta, postice abbreviata, notatus, squamulis silaceis adspersus. Scutellum oblongo-ovatum, apice rotundatum, nigro-piceum, subtiliter rugoso-punctatum, dense niveo-squamosum. Elytra basi conjunctim sub-trun-

cata, antice thoracis basi nonnihil latiora, et illo plus triplo longiora, humeris prominulis, elevatis, obtuse rotundatis, ante apicem callo vel gibbere notata, apice ipso conjunctim sub-acuminata, supra modice convexa, apice deplanata, subtiliter punctato-striata, interstitiis planis, confertim granulatis, præsertim antice; tota picea, squamulis silaceis dense adspersa, versus latera et apicem magis condensatis, pone medium interdum pallidioribus, cinereis. Corpus subtus nigrum, obsolete punctulatum, squamulis dilute cervinis adspersum; ventre medio magis denudato. Pedes longiusculi, robusti, picei, squamulis silaceis adspersi; femoribus clavatis, subtus pone medium dente valido, acuto, instructis; tibiis intus in medio nonnihil ampliatis, apice uncinatis; tarsis modice dilatatis, supra pallido-pubescentibus, subtus fulvo-spongiosis.—BHN.

* 88. H. DAHLBOMI. *Schh.*

Oblongo-ovatus, ferrugineus, squamulis brunneis tectus, rostro parum arcuato, basi tri-carinato, thorace angustiore, sat crebre granulato, linea dorsali obscura vittaque utrinque silaceo-squamosa, decorato, elytris subtiliter punctato-striatis, interstitiis remote granulatis, signaturis variis atris et pallidis variegatis, apice acuminatis.

Patria: Brasilia. Dom. WESTIN. Mus. SCHH.

Statura fere *Heilipi spathulati*, sed nonnihil major. Caput mediocre, crassum, convexum, obscure ferrugineum, crebre rugoso-punctatum, squamulis piliformibus dilute brunneis ad oculos pallidioribus, dense vestitum; oculi sat magni, ovati, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum longitudine fere thoracis cum capite; minus crassum, teres, parum arcuatum, a basi ultra medium tri-carinatum, sat profunde punctatum, squamulis dilute brunneis tectum, dein glabrum, subtiliter punctulatum; totum ferrugineum. Antennæ ferrugineæ, parce pallido-pilosæ, clava oblonga, modice acuminata, fusco-holosericea. Thorax latitudine media nonnihil brevior, apice late sed parum profunde emarginatus, anterius angustior, sub-coarctatus, mox pone apicem rotundato-ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, tenue marginatus, supra parum convexus, ferrugineus, undique sat crebre granulatus, squamulis brunneis tectus, linea recta, dorsali nigro-fusca vittaque utrinque silaceo-squamosa, ornatus. Scutellum parvum, apice rotundatum, ferrugineum, cervino-squamosum. Elytra basi singulatim sub-truncata, antice thoracis basi dimidio fere latiora, quam lata duplo longiora, humeris parum prominulis, obtuse

rotundatis, pone medium apicem versus attenuata, apice ipso conjunctim acuminata, supra modice convexa, ante apicem callo obtuso notata, subtiliter evidenter punctato-striata, interstitiis remote granulatis; tota ferruginea, squamulis cervinis vel dilute brunneis tecta, maculis parvis, sparsis pallidioribus et atris variegata; in medio singuli elytri non procul a sutura macula sat magna, dentata, atro-holosericea. Corpus subtus rufo-testaceum, sub-nitidum, squamulis silaceis sat dense obsitum; pectore remote granulato; abdomen subtilissime minus crebre punctulatum. Pedes longiusculi, validi, rufo-testacei, punctati, squamulis silaceis adspersi; femoribus valde clavatis, subtus dente magno, acuto, armatis; tibiis intus in medio nonnihil ampliatis, apice acute uncinatis; tarsis dilatatis, subtus fulvo-spongiosis.—BHN.

Dom. A. G. DAHLBOM, Hist. Nat. Doct. ad Acad. Londini Gothor. Auctor plurium de Hymenopteris Dissertationum, quare hoc Insecto denominando illius nominis propagare volui.—SCHH.

* 89. H. SPATHULATUS.

Oblongus, niger, dense griseo-squamosus, capite evidenter confertim rugoso-punctato, thorace minus crebre granulato, non carinato, scutello silaceo-squamoso, elytris subtiliter punctato-striatis, interstitiis minus confertim granulatis, apice mucronatis, singulo fascia media indeterminata fusco-nigra.—BHN.

GERM. *Ins. Spec.* I. p. 402. n° 548.

Patria: Brasilia.

♀ 90. H. LEMBUNCULUS. *Schh.*

Oblongus piceus, squamulis fusco-griseis parce adspersus, capite confertim rugoso-punctato, thorace crebre subtiliter granulato, antice obsolete carinato, elytris subtiliter punctato-striatis, minus confertim granulatis, apice sub-acuminatis, singulo pone medium, macula libera, transversa, atro-holosericea.

♂ VAR. β. Dense fusco-squamosus, scutello silaceo-squamoso, macula elytrorum parva, obsoleta.

Habitat in Brasilia. Dom. FREYREISS. Mus. SCHH.

Magnitudo et summa similitudo *Heilipi spathulati*, thorace crebrius granulato, antice etsi obsolete carinato, elytris apice minus acuminatis, aliter coloratis. Caput convexum, crassum, nigro-

piceum, confertim sed parum profunde rugoso-punctatum, fronte leviter impressa; oculi ovati, depressi, nigri, orbita silaceo-squamosa cincti; rostrum thorace nonnihil longius, deflexum, crassiusculum, teres, parum arcuatum, piceum, basi rugosum, apicem versus subtiliter punctatum. Antennæ rufo-ferrugineæ, pallido-pilosæ. Thorax latitudine media brevior, apice late sed parum profunde emarginatus, antice angustior, coarctatus, lateribus modice rotundato-ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra parum convexus, nigro-piceus, granulis parvis, parum elevatis, confertim obsitus, carinula plus minusve obsoleta, in dorso antico notatus, squamulis fusco-griseis, præsertim versus latera adspersus. Scutellum breve, transversum, apice rotundatum, nigro-piceum, crebre subtiliter rugoso-punctatum. Elytra basi sub-truncata, antice thoracis basi nonnihil latiora, humeris prominulis, elevatis, obtuse rotundatis, lateribus inflexa, ante apicem callo vel gibbere notata, thorace triplo longiora, apice ipso conjunctim sub-acuminata, supra parum convexa, apice deplanata, obscure ferruginea, subtiliter punctato-striata, interstitiis minus crebre granulatis; squamulis fusco-griseis parce adspersa; pone medium disci cujusvis elytri, macula sat magna, libera, transversim posita, postice sub-truncata, antice rotundata, atro-holosericea. Corpus subtus nigrum, obsoletissime punctulatum, squamulis silaceis adspersum. Pedes longiusculi, robusti, squamulis pallidis adspersi; femoribus nigro-piceis, clavatis, subtus pone medium acute dentatis; tibiis ferrugineis, intus in medio nonnihil ampliatis, apice uncinatis; tarsis dilute ferrugineis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

♀ 91. H. STIGMA. *Schh.*

Oblongus, castaneus, squamulis brunneis tectus, fronte impressa, rostro modice arcuato, striolato-rugoso, thorace sat crebre granulato, antice carinato, scutello pallido-squamoso, elytris subtiliter punctato-striatis, interstitiis remote granulatis, apice acuminatis, singulo macula sat magna, sub-quadrata, atro-holosericea.

Habitat in Brasilia. A Dom. DE WINTHEM missus. Mus. SCHH.

Magnitudo et fere statura *Heilipi spathulati* Germ. nonnihil tamen angustior, colore, thorace carinato, ut et signaturis elytrorum, ab illo bene distinctus. Caput mediocre, convexum, castaneum, confertim rugoso-punctatum, squamulis dilute miniatis tectum, inter oculos impressum; oculi sat magni, ovati, transversi, depressi, nigri; rostrum capite cum thorace fere longius, cras-

siusculum, teres, piceum, striolato-rugosum, squamulis dilute miniatis, præsertim versus basin adspersum. Antennæ ferrugineæ, parce pilosæ, clava oblonga, fusco-holosericea. Thorax latitudine media nonnihil brevior, apice late, sed parum profunde emarginatus, antice angustatus, constrictus, mox pone apicem rotundato-ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra parum convexus, castaneus, undique sat crebre granulatus, dorso antico leviter carinatus, squamulis dilute brunneis dense adspersus. Scutellum parvum, apice rotundatum, silaceo-squamosum. Elytra oblonga, basi sub-truncata, antice thorace paulo latiora, et illo plus triplo longiora, humeris prominulis, obtuse rotundatis, lateribus inflexa, apicem versus attenuata, apice ipso singulatim acuminata, supra parum convexa, postice callo obtuso notata, regulariter sed minus profunde punctato-striata, interstitiis planis, remote granulatis; tota castanea, squamulis brunneis tecta, in medio singuli elytri non procul a sutura, macula sat magna, subquadrata, postice leviter emarginata, atro-holosericea. Corpus subtus nigro-piceum, nitidum, obsolete remote punctulatum, squamulis dilute miniatis adspersum, ventre medio late denudato. Pedes longiusculi, robusti, setulis miniatis adspersi; femoribus nigro-piceis, clavatis, subtus valide dentatis; tibiis ferrugineis, intus in medio ampliatis, apice uncinatis; tarsis dilatatis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

Ad hoc genus verisimile referendi sunt; species mihi invisæ :

92. H. ASCIUS.

Niger, supra brunneo, subtus griseo-squamosus, thorace transverso, vage granulato, coleopteris vage granulatis, punctato-striatis, basi depressiusculis.

GERM. *Ins. Spec.* I. p. 402. n° 547. T. 2. f. 2.

Patria : Brasilia.

93. H. FLAMMIGER.

Piceus, fulvo irroratus, scutello albo, elytris plaga acuta atra, postice punctis duobus albis terminata.—GERM.

Pissodes id. GERM. *Ins. Spec.* I. p. 321. n° 460.

Patria : Brasilia.

94. H. CONSPERSUS.

Fulvo irroratus, pedibus anticis elongatis.—OLIV.

Rhynchænus id. OLIV. *Ent.* V. 83. p. 170. n° 143. T. 14. f. 179.
Curculio id. OLIV. *Enc. méth.* V. p. 506. p. 159.
Curculio roreus. HERBST. *Col.* VI. p. 525. n° 299. T. 85. f. 11.

Patria : Cayenna, Surinam.

95. H. DESTRUCTOR.

Ater, elytris fulvo-pulverulentis, tuberculis sparsis minutis sub-spinosis.—OLIV.

Rhynchænus id. OLIV. *Ent.* V. 83. p. 185. n° 165. T. 34. f. 516.

Patria : Cayenna.

96. H. USTULATUS.

Obscurus, thorace tuberculato, elytris gibbis, scabris, macula magna laterali atra.—OLIV.

Rhynchænus id. OLIV. *Ent.* V. 83. p. 198. n° 182. T. 34. f. 517.
Patria : Porto-Ricco.

GENUS 191. — ACLEES. *Nobis.*

Character generis.—Antennæ mediocres, validæ; funiculo 7-articulato : articulis duobus basalibus breviusculis, sub-obconicis, 3-7 transversis, coarctatis; clava oblonga, ovalis, spongiosa, (ut videtur) bi-articulata.

Rostrum elongatum, teres, arcuatum, stria dimidiata impressa a medio oculorum exeunte, utrinque notatum.

Thorax longus, sub-conicus, basi bi-sinuatus, apice sub-truncatus.

Scutellum apice rotundatum, distinctum.

Elytra oblongo-subovata, supra modice convexa, versus apicem callosa; humeri obtuse angulati.

Pedes validi; femora dentata; tibiæ apice intus unguiculatæ.

Descriptio. — *Corpus* oblongum, validum, durum, alatum. — *Antennæ* thoracis medium non superantes, pone medium rostri insertæ, validæ, fractæ; articulis solummodo 10 distinctis : articulo 1° oculos sub-attingente, clavato; 2° et 3° breviusculis, sub-obconicis, 4-8 brevibus, transversis, sub-rotundatis, coarctatis, gradatim parum latioribus; clava oblonga, ovalis, utrinque attenuata, spongiosa, ut videtur tantum bi-articulata, articulis eviden-

ter distinctis. — *Rostrum* longitudine capitis una cum thorace, deflexum, validum, teres, arcuatum, canalicula dimidiata ab oculo ad medium rostri ducta, utrinque exaratum : scrobe lineari, curvata, pone inferum oculorum canthum desinente. — *Oculi* laterales, sub-ovati, depressi, magni. — *Thorax* latitudine postica longior, sub-conicus, basi bi-sinuatus, anterius angustior, juxta apicem sub-coarctatus, antice sub-truncatus, supra convexus. *Scutellum* apice rotundatum, distinctum. — *Elytra* oblonga, sub-ovata, thoracis basi paulo latiora, quo tamen plus triplo longiora, antice singulatim rotundata, lateribus subrecta, supra valde convexa, versus apicem callosa, pygidium tegentia; humeris obtuse angulatis. — *Pedes* longiusculi, validi, sub-æquales antici basi approximati; femoribus in medio valde incrassatis, subtus dentatis; tibiis sub-compressis, parum curvatis, omnibus extus versus apicem canaliculatis, ciliatis, unco valido, introrsum armatis; tarsis subtus spongiosis, articulo penultimo profunde bi-lobo, unguibus validis, bi-unguiculatis.

TYPUS. — *Aclees cribratus*.

Ab ἀκλεὴς inglorius, ignobilis.

Observ. Habitu et statura *Heilipo* generi appropinquat; rostri vero antennarumque diversa structura differentias essentiales præbet.

* 1. A. CRIBRATUS.

Oblongus, niger, parce cinereo-pubescens, antennis pedibusque piceis, thorace sub-conico, confertim rude rugoso-punctato, elytris texatis, profunde-punctatis.

Heilipus id. Dom. Com. DEJEAN *in Litteris.*

Habitat in Ins. Java et Borneo. Mus. SCHH.

Statura et fere magnitudo *Hylobii abietis* mediocris, paulo tamen angustior. Caput breve, convexum, confertim punctatum, nigrum, fronte inter oculos fovea profunda, oblonga, impressa; oculi magni, laterales, sub-ovati, depressi, nigri; rostrum longitudine capitis cum thorace, validum, arcuatum, confertim punctatum, nigrum, versus basin utrinque canaliculatum. Antennæ thoracis medium vix superant, piceæ, basi dilutiores, clava dense cinereo-pubescente, quasi spongiosa. Thorax latitudine baseos multo longior, anterius angustior, sub-conicus, apice truncatus et intra apicem leviter constrictus, lateribus parum ampliatus, basi profunde bi-sinuatus, supra minus convexus, inæqualis, antice subtilius, posterius profunde rugoso-punctatus, lateribus

tuberculatus, totus niger, parce cinereo-pubescens. Scutellum semi-ovatum, concolor. Elytra antice singulatim rotundata, callo humerali elevato, pone basin ampliata, dein lateribus fere recta, apice conjunctim rotundata, thorace fere triplo longiora, supra in dorso parum convexa, punctis magnis, profundis, seriatis, impressa, interstitiis omnibus, tam longitudinalibus quam transversalibus elevatis, unde quasi texata; intra apicem callo elevato instructa, tota nigra, parce cinereo-pubescentia. Corpus subtus nigrum, obsolete punctatum, paulo densius pubescens. Pedes longiusculi, validi, pubescentes; femoribus clavatis, nigris, subtus dente obtuso armatis; tibiis arcuatis tarsisque dilutius piceis, his dilatatis, subtus ferrugineo-spongiosis. — GHL.

GENUS 192. — EUDOCIMUS. *Nobis.*

Character generis. Antennæ mediocres, validiusculæ; funiculo 7-articulato; articulis duobus basalibus longiusculis, sub-obconicis, reliquis lenticularibus, gradatim crassioribus; clava oblongo-ovata.

Rostrum elongatum, validiusculum, supra fere planum, parum arcuatum.

Oculi laterales, sat magni, oblongi, haud prominuli.

Thorax latitudine postica paulo brevior, anterius angustior, apice late sed parum profunde emarginatus, basi sub-truncatus, lateribus modice rotundatus, supra parum convexus.

Scutellum sub-triangulare distinctum.

Elytra oblonga, basi introrsum conjunctim emarginata; humeris rotundatis, antrorsum vix prominulis; pone humeros versus apicem linearia, apice ipso sub-acuminata, supra in dorso antico plana.

Pedes validi; femoribus muticis; tibiis rectis, apice intus unco valido armatis.

Descriptio. — *Corpus* oblongum, parum convexum, alatum. — *Antennæ* non procul ab apice rostri insertæ, ad thoracis medium vix pertingentes, minus tenues, fractæ, setosæ, 12-articulatæ; articulo primo subrecto, apicem versus incrassato, clavato, 2, 3 longiusculis, sub-obconicis, 4-8 brevibus, sub-rotundatis, lenticularibus, gradatim crassioribus; clava oblongo-ovata, quadri-articulata, modice acuminata. — *Caput* magnum, latum, crassum, posterius convexum, fronte sub-plana. — *Rostrum* longitudine fere thoracis, validiusculum, basi apiceque crassius, medio sub-constrictum, supra fere planum, apice deplanatum, parum arcuatum; scrobe infra-oculari, obliqua, lineari, profunda — *Oculi* sat magni,

oblongi, haud prominuli. *Thorax* latitudine baseos nonnihil brevior, apice late sed parum profunde emarginatus, lobis ocularibus parum productis; mox intra apicem leviter constrictus, lateribus æqualiter modice rotundato-ampliatus, basi sub-truncatus vel obsoletissime bi-sinuatus, supra parum convexus, infra pone gulam leviter emarginatus. — *Scutellum* distinctum, sub-triangulare. — *Elytra* oblonga, antice thoracis basi paulo latiora, conjunctim introrsum emarginata, humeris vix prominulis, rotundatis, pone humeros apicem versus linearia, apice ipso singulatim sub-acuminata, supra in dorso antico plana. — *Pedes* validi, antici basi approximati, intermedii paulo breviores; femoribus clavatis, muticis; tibiis compressis, subrectis, apice intus unco valido armatis; tarsis elongatis, subtus spongiosis; articulo ultimo bi-ungulato.

TYPUS. — *Eudocimus Mannerheimii*. Ex America boreali.

A εὐδόκιμος insignis, præstans.

Observ. Corporis forma oblonga, supra fere deplanata, elytrorum basi introrsum conjunctim emarginata ut et femoribus muticis ab *Heilipo* genere præcipue differt. — BHN.

* 1. E. MANNERHEIMII. *Schh.*

Oblongus, niger, squamulis griseis et silaceis variegatus, thorace supra fere plano, lateribus æqualiter rotundato-ampliato, ruguloso, dorso carinato, scutello silaceo-squamoso, elytris sat profunde striato-punctatis, dorso punctis quatuor silaceis, nigro marginatis, macula parva supra-humerali et lineola abbreviata laterali, silaceis ornatis.

Patria. Savannah Americæ borealis. A Dom. Com. MANNERHEIM benevole missus. Mus. SCHH.

Longitudo *Cleoni sulcirostris*. Caput magnum, latum, crassum, posterius convexum, nigrum, subtiliter crebre ruguloso-punctatum, squamulis silaceis sat dense obsitum; fronte fere plana, foveola obsoleta impressa; oculi laterales, sat magni, oblongi, nigri, haud prominuli; rostrum longitudine fere thoracis, validiusculum, basi apiceque nonnihil ampliatum, medio sub-constrictum, apice deplanatum, supra fere planum, nigrum, basi obsolete quinque-carinulatum, profundius et crebrius punctatum, squamulis silaceis obsitum, apicem versus subtiliter punctulatum, denudatum, inter antennas canalicula abbreviata, tenui insculptum. Antennæ non procul ab apice rostri insertæ, validiusculæ, nigro-

piceæ, parce setosæ, clava oblongo-ovata, modice acuminata, atro-holosericea. Thorax latitudine baseos nonnihil brevior, apice late sed parum profunde emarginatus, lobis ocularibus nonnihil prominulis; mox intra apicem leviter constrictus, lateribus æqualiter modice rotundato-ampliatus, basi sub-truncatus, supra parum convexus, undique sat crebre rugulosus, carinula longitudinali, antice posticeque obsoleta instructus; totus niger, squamulis griseis obsitus, ante scutellum macula parva, sub-triangulari et versus latera lineis utrinque duabus quarum interior obsoleta e squamulis silaceis, ornatus. Scutellum sub-triangulare, dense silaceo-squamosum. Elytra oblonga, antice conjunctim rotundato-emarginata, thoracis medio paulo latiora, humeris vix prominulis, rotundatis, pone humeros apicem versus linearia, apice ipso singulatim sub-acuminata, thorace triplo longiora, supra parum convexa, in dorso antico fere plana, ante apicem vix callosa, sat profunde striato-punctata, interstitiis planis; squamulis griseis obsita, inter strias 2 et 3 a sutura lineis interruptis, atris, silaceo pupillatis, pupillo primo in ipsa basi, secundo ante et tertio pone medium positis; præterea macula parva supra-humerali, linea abreviata laterali, puncto sat magno in callo postico punctisque parvis, obsoletis, pallidis, silaceis, variegata. Corpus subtus nigrum, confertim obsolete ruguloso-punctatum; pectore lateribusque abdominis parce pallido-squamosis. Pedes validi, nigri, subtiliter punctulati, parce squamulosi; femoribus clavatis, muticis; tibiis compressis, rectis, apice uncinatis; tarsis elongatis, subtus griseo-spongiosis. — Bhn.

Genus 193. — STEREMNIUS. *Nobis.*

Character generis. — Antennæ mediocres, subtenues; funiculo 7-articulato; articulis duobus basalibus longiusculis, sub-obconicis, reliquis lenticularibus, sub-æqualibus; clava breviter ovata.

Rostrum elongatum, subtenue, teres, modice arcuatum.

Oculi laterales, parvi, oblongi, sub-depressi.

Thorax latitudine postica fere longior, apice truncatus, basi sub-rotundatus, lateribus ante medium valde rotundato-ampliatus, dein versus basin angustatus, supra fere planus.

Scutellum minutum, triangulare, distinctum.

Elytra oblongo-ovata, basi introrsum conjunctim emarginata, humeris obtuse angulatis, antrorsum prominulis; pone humeros apicem versus angustata, apice ipso acuminata, supra in dorso antico parum convexa.

Pedes validi; femoribus dentatis; tibiis basi arcuatis, intus in medio nonnihil ampliatis, apice intus unco valido armatis.

Descriptio. — *Corpus* oblongo-ovatum, inæquale, alatum. — *Antennæ* thoracis medium superantes, pone medium rostri insertæ, subtenues, setosæ, fractæ, 12-articulatæ : articulo 1° subflexo, clavato, 2, 3 longiusculis, sub-obconicis, 4-8 brevioribus, sub-rotundatis, lenticularibus, sub-æqualibus; clava breviter ovata, 4-articulata, articulo basali magno. *Caput* parvum, rotundatum, convexum. — *Rostrum* longitudine thoracis, teres, subtenue, versus apicem paulo incrassatum et ampliatum, modice arcuatum; scrobe infra-oculari, obliqua, lineari, profunda. — *Oculi* parvi, laterales, oblongi, sub-depressi. — *Thorax* latitudine baseos longior, postice sub-truncatus, in medio leviter rotundato-productus, angulis sub-obtusis; lateribus ante medium valde rotundato-ampliatus, dein versus basin angustatus, apice truncatus, infra pone gulam leviter emarginatus, supra fere planus. — *Scutellum* minutum, triangulare. — *Elytra* thoracis basi vix dimidio latiora, sed triplo longiora, oblongo-ovata, antice simultaneæ emarginata; humeris obtuse angulatis, antrorsum prominulis, sub-elevatis; lateribus pone humeros apicem versus sensim angustata, apice ipso singulatim acuminata, supra convexa, in dorso antico sub-plana. — *Pedes* validi, antici basi approximati, intermedii paulo breviores; femoribus clavatis, dentatis; tibiis compressis, omnibus intus bi-sinuatis, medio nonnihil ampliatis, apice unco valido, corneo, horizontali, armatis : tarsis longiusculis, subtus spongiosis; articulo ultimo bi-ungulato.

Typus. — *Steremnius tuberosus.* — E Nova Hollandia.

Ab στερέμνιος solidus, durus, firmus.

1. S. Tuberosus. *Schh.*

Oblongo-ellipticus, niger, opacus, inæqualiter brunneo-squamulosus, antennis basi ferrugineis; rostro confertim rugoso-punctato, thorace sub-depresso, inæquali, carinato, varioloso-punctato; elytris remote striato-punctatis, punctis ocellatis; interstitiis verrucis numerosis, oblongis, fasciculato-squamosis, tuberculisque parvis, nitidis adspersis; apice singulatim acuminatis.

Patria : Nova Hollandia. Ex Musæo Dom. Faldermann, ad describendum, amice communicatus.

Magnitudo fere *Hylobii abietis.* Caput breve, sub-depressum,

rugoso-punctatum, nigrum, postice carinula brevi instructum; oculi oblongi, sub-depressi, brunnei; rostrum longitudine fere capitis cum thorace, porrectum, parum arcuatum, apice nonnihil dilatatum, supra confertim rugoso-punctatum rugisque tribus undulatis longitudinalibus obsoletis notatum, nigrum, parce squamulosum. Antennæ nigræ, setosæ, scapo obscure ferrugineo. Thorax latitudine medii paulo longior, basi apiceque truncatus, lateribus æqualiter modice ampliatus, supra sub-depressus, in medio carinula, antice distinctiore instructus, cæterum lacunis variis punctisque variolosis, elevato-marginatis, insignitus; niger, obscurus, squamulis brunneis inæqualiter adspersus. Scutellum parvum, triangulare, nigrum, sub-nitidum. Elytra antice conjunctim emarginata, thoracis basi latiora, humeris antrorsum prominulis, elevatis, sub-rotundatis; lateribus parum ampliata, posterius attenuata, apice singulatim acuminata, thorace fere triplo longiora, supra anterius parum convexa, postice declivia; punctis remotis, ocellatis, sub-seriatim digestis impressa, sutura interstitiisque verrucis numerosis, magnis, oblongis, fasciculatim dense brunneo-squamosis notatis, tuberculisque parvis, nitidis inæqualiter adspersa; nigra, obscura. Corpus subtus confertim rugoso-punctulatum, præsertim anterius, ventre posterius obsoletius punctato, segmentis 3 et 4 brevibus, utrinque tuberculo conico, acuminato armatis; nigrum, parce squamulosum. Pedes longiusculi, validi, nigri, scabri; femoribus clavatis, subtus dente mediocri armatis; tibiis compressis, arcuatis, intus sinuatis; tarsis dilatatis, subtus fusco-spongiosis, articulo unguiculari obscure ferrugineo. — GHL.

GENUS 194. ORTHORHINUS. *Nobis* (1).

Rhynchænus FABR., OLIV.

Character generis. — Antennæ mediocres, subtenues; scapo longo, versus apicem perparum incrassato; funiculo 7-articulato, articulis, 1, 2 longiusculis, obconicis, reliquis brevioribus aut oblongis, sub-turbinatis, distantibus, aut transversis, lenticularibus, coarctatis, exterioribus successive crassioribus, ultimo clavæ arcte adpresso; clava oblongo-ovata, acuminata.

Rostrum elongatum, validum, perpendiculare, cylindricum, omnino rectum; scrobs profunda, linearis, obliqua.

Oculi parvi, sub-rotundati, parum convexi, in fronte sub-approximati.

(1) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 223. n° 125.

Thorax oblongus, basi sub-truncatus, lateribus rotundatus, juxta apicem coarctatus, antice in medio plus minusve productus, infra pone gulam profunde emarginatus.

Scutellum apice rotundatum, distinctum.

Elytra elongata, sub-cylindrica, linearia, basi truncata, humeris obtuse angulatis; apice conjunctim obtuse rotundata.

Pedes antici longiores; femora dentata; tibiæ compressæ, flexuosæ, intus bi-sinuatæ, apice unguiculatæ.

Observ. Corpus oblongum, rigidum, scabrosum, obscurum, alatum; majusculæ vel minoris magnitudinis.

Patria: Nova Hollandia.

♂♀ 1. O. CYLINDRIROSTRIS.

Oblongus, niger, cinereo fuscoque squamosus, thorace oblongo, tuberculato, antice bi-fasciculato, elytris punctato-striatis, interstitiis seriatim tuberculatis, tuberculisque nonnullis majoribus fasciculatis instructis.— BHN.

Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 463. n° 125.

OLIV. *Ent.* V. 83. p. 180. n° 158. T. 11. f. 128, ♀. T. 19. f. 128. b. ♂.

Curculio id. FABR. *Ent. Syst.* III. p. 426. n° 136. — *Mant.* I. p. 105. n° 99. — *Spec. Ins.* I. p. 174. n° 78. — *Syst. ent.* p. 137. n° 55.

HERBST. *Col.* VI. p. 309. n° 283. T. 84. f. 7. ?

OLIV. *Enc. méth.* V. p. 503. n° 150.

LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1765. n° 241.

Curculio inmubus. HERBST. *Col.* VI. p. 172. n° 133. T. 71. f. 15. ♂.

Orthorhinus affinis. Dom. HOPE *in Litteris.*

Observ. Mas differt rostro breviori, antennis versus apicem rostri insertis. Magnitudine variat: duplo minor et ultra.

* 2. O. SIMULANS. *Schh.*

Oblongus, niger, cinereo fuscoque squamosus, rostro breviori, rugoso-punctato, thorace oblongo, minus crebre tuberculato, elytris punctato-striatis, interstitiis alternis elevatis, crenulatis, tuberculisque nonnullis minus elevatis, fasciculatis instructis.

Habitat in Nova Hollandia. A Dom. HOOKER communicatus. Mus. SCHH.

Statura et summa similitudo *Orthorhini cylindrirostris*, sed minori

bus individuis dimidio minor et ut videtur distinctus. Caput breve, rotundatum, nigrum, obsolete rugoso-punctatum, squamulis fuscis vestitum; oculi ovati, parum prominuli, in fronte sub-approximati, obscure brunnei; rostrum longitudine thoracis, cylindricum, crassiusculum, rectum, rude rugoso-punctatum; nigrum, squamulis fuscis dense obsitum. Antennæ non procul ab apice rostri insertæ, ad dimidium thoracis pertingentes, subtenues, piceæ, scapo dilutiori, parce pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine longior, anterius angustior, basi apiceque truncatus, mox pone apicem coarctatus, lateribus perparum rotundatus, supra modice convexus, niger, tuberculis sat magnis, minus crebris obsitus, squamulis fuscis cinereis immixtis vestitus, tuberculis denudatis. Scutellum minutum, rotundatum, nigrum, albido-squamosum. Elytra basi truncata, antice thorace parum latiora et illo vix triplo longiora, humeris non prominulis, fere rectangulis, sub-linearia, apicem versus angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra convexa, regulariter punctato-striata, interstitiis alternis magis elevatis, crenulatis, postice callo elevato notata; tuberculo magno sat elevato, fasciculato, pone medium singuli elytri inter striam a sutura secundam tertiamque; tota nigra, squamulis fusco-brunneis cinereis immixtis tecta. Corpus subtus nigrum, pectore abdominisque basi remote punctulatis, squamulis fuscis parce adspersum. Pedes robusti, nigri, squamulis cinereis adspersi; antici longiusculi; femoribus magnis, validis, omnibus subtus dente valido, acuto, armatis; tibiis compressis, intus in medio ampliatis, apice uncinatis; tarsis parum dilatatis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

* 3. O. KLUGII. *Hope.*

Oblongus, niger, supra squamulis umbrinis subtus cervinis vestitus, rostro tenuiori, rugoso-punctato, thorace oblongo, remote obsolete tuberculato, antice bi-fasciculato, plaga ante-scutellari cervina notato, elytris subtiliter punctato-striatis, fascia transversa, communi, obliqua, cervino-squamosa, ornatis, interstitiis alternis modice elevatis, tuberculis quatuor majoribus fasciculatis, instructis.

Habitat in Nova Hollandia. A Dom. HOPE benevole communicatus. Mus. SCHH.

Statura præcedentis sed dimidio minor, aliter coloratus, thorace obsolete tuberculato, tuberculis elytrorum magis elevatis. Caput breve, rotundatum, nigrum, squamulis brunneis cervinis mixtis

vestitum; oculi ovati, parum prominuli, in fronte approximati, brunnei; rostrum vix longitudine thoracis, minus crassum, teres, rectum, obscure ferrugineum, sat crebre sed parum profunde rugoso-punctatum, squamulis dilute umbrinis parce adspersum. Antennæ longe pone medium rostri insertæ, ad dimidium thoracis vix pertingentes, subtenues, ferrugineæ, parce pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos parum longior, antice in medio nonnihil productus, mox intra apicem coarctatus, dein rotundato-ampliatus, basi truncatus, supra modice convexus, margine antico bi-fasciculatus; niger, tuberculis parvis valde remotis obsitus, squamulis umbrinis tectus, ante scutellum macula sat magna, oblongo-quadrata, cervino-squamosa, ornatus. Scutellum parvum, apice rotundatum, nigrum, cervino-squamosum. Elytra basi truncata, antice thorace nonnihil latiora et latitudine plus duplo longiora, humeris vix prominulis, fere rectangulis, linearia, apicem versus angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra convexa, subtiliter punctato-striata, interstitiis alternis modice elevatis, obsolete tuberculatis, inter striam a sutura secundam tertiamque in dorso antico tuberculis tribus sat magnis fasciculatis, quartoque majori propius ad apicem et marginem exteriorem sito instructa; tota nigra, umbrino-squamosa, fascia lata, transversa, obliqua, ab humeris in medio elytrorum ducta e squamulis cervinis decorata. Corpus subtus ferrugineum, remote punctulatum, dense cervino-squamosum, macula magna in apice abdominis, atra, notatum. Pedes robusti, nigri, squamulis cervinis vestiti; femoribus magnis, omnibus subtus dente valido, acuto, armatis; tibiis compressis, intus in medio ampliatis, apice uncinatis; tarsis modice dilatatis, subtus fulvo-spongiosis. — Bhn.

* 4. O. Spilotus. *Hope.*

Oblongus, niger, squamulis cinereis et cervinis adspersus, rostro tenuiori, remote punctato, thorace crebre granulato, elytris punctato-striatis, interstitiis convexis, subtiliter seriatim tuberculatis, femoribus posticis dente validissimo armatis.

Habitat in Nova Hollandia. A Dom. Hope missus. Mus. Schh.

Orthorhino Klugii nonnihil major, præsertim latior. Caput breve, rotundatum, nigrum, rugulosum, squamulis cervinis sat dense adspersum; fronte inter oculos profunde foveolata; oculi ovati, in fronte sub-approximati, vix prominuli, obscure brunnei; rostrum thorace nonnihil brevius, cylindricum, minus crassum,

rectum, obscure ferrugineum, basi profundius apicem versus subtiliter undique minus crebre punctatum, squamulis cervinis ad basin adspersum. Antennæ longe pone medium rostri insertæ, ad dimidium thoracis vix pertingentes, subtenues, nigræ, parce pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos nonnihil brevior, antice in medio parum productus, mox pone apicem coarctatus, tum rotundato-ampliatus, basi truncatus, supra modice convexus, niger, tuberculis parvis elevatis, crebre granulatus, squamulis cervinis adspersus. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum, dense dilute cervino-squamosum. Elytra basi truncata, antice thorace nonnihil latiora, quam lata plus duplo longiora, humeris fere rectangulis, linearia, apicem versus angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra convexa, nigra, sat profunde striata, striis in fundo punctatis, interstitiis angustis, convexis, seriatim tuberculato-rugosis, squamulis cervinis cinereis mixtis versus basin et apicem magis condensatis, dense adspersa. Corpus subtus nigrum, punctulatum, squamulis griseis dense obsitum. Pedes robusti, nigri, squamulis griseis adspersi; antici longiusculi; quatuor anteriores forma hujus generis ordinaria; femoribus modice clavatis, subtus dente parvo, acuto, armatis; tibiis compressis intus in medio ampliatis; posticis femoribus valde clavatis, subtus dente validissimo, acuto, instructis; tibiis arcuatis, apicem versus ampliatis; tarsis modice dilatatis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

* 5. O. RUGIROSTRIS. *Hope.*

Oblongus, niger, squamulis cervinis cinereisque adspersus, rostro tenuiori, confertim rugoso, thorace crebre granulato, elytris punctato-striatis, interstitiis convexis, subtiliter seriatim tuberculatis, femoribus posticis dente validissimo armatis.

Habitat in Nova Hollandia. Mus. Dom. HOPE et SCHH.

Habitus, statura et summa similitudo *Orthorhini spiloti*, parum tamen minor; differt tantum rostro confertim rugoso-punctato; cætera ut in præcedenti omnia, quare ulterior descriptio superflua.

BHN.

GENUS 195. — IPHIPUS. *Nobis.*

Character generis. — Antennæ breviusculæ, validæ; funiculo 7—articulato : articulis duobus basalibus ob-conicis, reliquis brevioribus, apice truncatis, ultimo majore; clava breviter ovata.

Rostrum elongatum, sub-teres, modice arcuatum.

Oculi remoti, depressi.

Thorax basi leviter bi-sinuatus, lateribus modice rotundatus, anterius subito angustior, supra planiusculus.

Scutellum rotundatum, distinctum.

Elytra oblongo-ovata, supra parum convexa, versus apicem vix callosa; humeris antrorsum prominulis.

Pedes breves, validi; tibiæ apice latiores, intus unco valido, sub-obtuso, deflexo, armatæ.

Descriptio. — *Corpus* supra depressiusculum, durum, alatum. — *Antennæ* thoracis medium non attingunt, mox pone medium laterale rostri insertæ, validæ, fractæ, 12—articulatæ: articulo 1° modice elongato, clavato, recto, oculos non attingente; 2° et 3° breviter ob-conicis; 4—7 brevibus, apice truncatis, sub-coarctatis, exterioribus sensim perparum crassioribus; 8° multo crassiore, clavam quasi incipiente; clava breviter ovata, acuminata, sericeo-pubescens, 4—articulata, articulis arctissime connexis. — *Rostrum* longitudine fere thoracis, validiusculum, teres, deflexum, modice arcuatum; scrobe profunda, angusta, lineari, in basi rostri subtus desinente. — *Oculi* distantes, inferi sub capite fere connexi, depressi, majusculi. — *Thorax* latitudine fere longior lateribus, modice rotundatus, juxta apicem cito angustatus, basi leviter bi-sinuatus, supra planiusculus, pone oculos leviter lobatus, subtus pone gulam concinne emarginatus. — *Scutellum* rotundatum, distinctum. — *Elytra* thoracis basi paulo latiora, illoque duplo longiora, sub-linearia, supra perparum convexa, versus apicem vix callosa, apice conjunctim rotundata, anum fere obtegentia; angulis humeralibus antrorsum prominulis. — *Pedes* breves, validi, longitudine sub-æquales, antici approximati; femoribus incrassatis, sub-compressis, subtus obtuse dentatis; tibiis flexuosis, sub-compressis, versus apicem latioribus, apice sub-truncatis, intus excavatis, unco valido obtusiusculo, deflexo, armatis; tarsis longiusculis, articulo basali elongato sub-clavato, 2° brevi, trigono, utroque subtus setoso; 3° latiore, bilobo, subtus spongioso, ultimo elongato, clavato, bi-unguiculato.

TYPUS. — *Iphipus rudis.* Nobis.

Ab ἶφις fortis, ποῦς pes.

Observ. — Respectu habitu fere cum *Baridio* genere convenit; quodam modo quoque cum genere *Rhynchophoro*.

* 1. I. RUDIS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, sub-depressus, squamulis angustis cinereis parce adspersus, thorace confertim profunde punctato, elytris sulcato-punctatis, interstitiis strigosis.

* VAR. β. Corpore toto rufo-piceo.

Habitat in Brasilia. Mus. Dom. Com. MANNERHEIM et SCHH.

Longitudo *Rhynchæni pini* auctorum, sed paulo latior. Caput breve, sub-orbiculatum, profunde sed minus confertim punctatum, nigrum, squamulis parvis, angustis, cinereis, parce adspersum; oculi versus latera inferiora capitis locati, ovati, nigri, parum prominuli, sub capite fere coeuntes; rostrum longitudine fere capitis cum thorace, validum, cylindricum, arcuatum, deflexum, sub-seriatim punctulatum, nigrum, sub-nitidum, glabrum. Antennæ vix thoracis medium attingunt, crassiusculæ, nigræ, flagello cinereo-piloso, clava crassa, sericeo-pubescente. Thorax latitudine fere longior, anterius angustior, apice sub-trisinuato emarginatus, lobis ocularibus productis, intra apicem leviter constrictus, lateribus modice ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, angulis sub-obtusis; supra perparum convexus, in dorso fere planus, versus latera confertim, in disco remotius profunde punctatus, relicta linea media angusta lævi, vix tamen elevata; totus niger, sub-nitidus, squamulis paucis, piliformibus, cinereis versus latera adpersus. Scutellum mediocre, sub-rotundatum, punctatum, nigrum. Elytra antice thoracis basi arcte applicata illoque parum latiora, humeris antrorsum nonnihil prominulis; pone humeros parum ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace plus duplo longiora, supra parum convexa, late sulcata, sulcis catenato-punctatis, interstitiis latis, planis, subtiliter transversim strigulosis; tota nigra, squamulis angustis, cinereis, præsertim versus latera et apicem adspersa. Pygidium brevissimum, transversum, latum, truncatum, fusco-testaceum, cinereo-squamulosum. Corpus subtus nigrum, confertim punctatum, parce cinereo-squamulosum. Pedes breviusculi, validi, nigri, punctati, squamulosi et pilosi; femoribus clavatis, subtus versus apicem dente obsoleto armatis; tibiis anterioribus piceis. — GHL.

Genus 196. — AMALACTUS. *Nobis.*

Rhynchænus Dejean.

Character generis. — Antennæ mediocres, validiusculæ, versus apicem rostri insertæ; funiculo 7-articulato: articulo basali brevi, ob-conico, 2° elongato, sub-clavato, reliquis brevioribus, apice truncatis, gradatim crassioribus; clava ovata, indistincte articulata.

Rostrum elongatum, validum, teres, versus apicem sensim perparum incrassatum, nonnihil curvatum.

Oculi oblongi, depressi.

Thorax sub-quadrangulus, antice truncatus, basi leviter bisinuatus, supra parum convexus.

Scutellum parvum, triangulare.

Elytra elongata, sub-linearia, versus apicem non callosa; humeris obtuse angulatis.

Descriptio. — *Corpus* valde elongatum, sub-lineare, durum, glabrum, alatum. — *Antennæ* capite cum rostro paulo longiores, versus apicem rostri insertæ, validiusculæ, fractæ, 12-articulatæ: articulo 1° clavato, oculos fere attingente; 2° brevissime obconico; 3° elongato, clavato; 4-8 brevibus, sub-turbinatis, apice truncatis, exterioribus gradatim parum latioribus; clava ovata, 4-articulata, articulis ægre discernendis. — *Rostrum* fere longitudine thoracis, validum, teres, sub-deflexum, sub-arcuatum, versus apicem aliquantisper incrassatum, apice supra sub-deplanatum; scrobes profundæ, latæ, paulatim subtus flexæ, in basin rostri subtus coeuntes.—*Caput* breve, convexum.—*Oculi* laterales, oblongi, depressi.—*Thorax* latitudine fere longior, sub-quadrangulus, basi leviter bi-sinuatus, lateribus sub-rotundatus, anterius paulo latior, juxta apicem profunde constrictus, apice supra et infra truncatus, supra parum convexus.—*Scutellum* parvum, triangulare.—*Elytra* thorace vix latiora, sed plus triplo longiora, linearia, humeris sub-angulatis; basi sub-truncata, apice conjunctim rotundata, supra modice convexa, versus apicem haud callosa; anum obtegentia.—*Pedes* mediocres, validi, antici basi approximati; femoribus clavatis, muticis; tibiis, sub-teretibus subrectis, intus in medio paulo crassioribus, apice unco horizontali acuto intus instructis; posterioribus apice extus ciliatis; tarsorum articulis duobus basalibus trigonis, penultimo latiore, bi-lobo; omnibus subtus spongiosis, ultimo angusto, bi-unguiculato, unguiculis brevibus.

Typus. — *Rhynchænus nigrita.* Dejean *Catal.*

Ab ἀμαλακτος qui emolliri nequit. — Ex a priv. et μαλακτός.

Observ. — Generis *Cossoni* speciebus quoad habitum et duritiem superficiei simile est hoc genus, sed antennarum et rostri forma ut et aliarum partium characteres, locum in divisione *Erirrhinidum* designant.

* 1. A. Nigritus.

Sub-lineari-elongatus, niger, glaber, thorace antice constricto, disco fere lævi, lateribus et postice punctato, elytris profunde striato-punctatis, interstitiis elevatis.

Rhynchænus nigrita. Dejean. *Catal. Col.* p. 87.

Habitat Cayennæ. A Dom. Com. Mannerheim amicissime donatus. Mus. Schh.

Quoad habitum, structuram et duritiem superficiei, Insectum hoc generis *Cossoni* speciebus valde simile, sed antennarum et rostri forma diversa; *Cossono lineari* triplo major. Caput breve, convexum, nigrum, nitidum, læve; oculi oblongi, perpendiculares, depressi, brunnei; rostrum longitudine fere thoracis, teretiusculum, validum, parum arcuatum, versus os nonnihil incrassatum, subtiliter punctulatum, nigrum, nitidum. Antennæ thoracis medium vix superant, versus apicem rostri insertæ, scapo longissimo, flagello sensim incrassato, clava ovata, articulis indistinctis; nigro-piceæ, non nitidæ. Thorax latitudine vix brevior, apice truncatus et profunde constrictus, lateribus pone apicem subito ampliatus, basi sub-bisinuatus, angulis deflexis, acuminatis; supra parum convexus, æqualis, in disco lævis vel obsoletissime punctulatus, intra basin vero anguste et ad latera latius, confertim et profundius punctatus; totus niger, nitidus. Scutellum parvum, triangulare, nigrum, læve. Elytra thoracis basi paulo latiora, et illo plus triplo longiora, sub-linearia, prope apicem attenuata, et ipso apice conjunctim rotundata, supra convexa, punctis majusculis, profundis, sat approximatis, regulariter striatim digestis, impressa, interstitiis angustis, elevatis, lævibus; tota nigra, nitida. Corpus subtus nigrum, thorace, pectore et primo ventris segmento confertim profunde punctatis, reliquis fere lævibus, nitidis, ultimo foveis duabus transversis impresso. Pedes mediocres; femoribus clavatis, muticis, nigris, tibiis tarsisque sub-piceis.

Ghl.

Genus 197. — AORUS. *Nobis.*

Character generis. — Antennæ mediocres, minus tenues; funiculo 7-articulato: articulo primo brevi, obconico, 2° elongato, sub-clavato; reliquis brevibus, apice truncatis, sub-coarctatis, exterioribus gradatim latioribus; clava ovata, indistincte articulata.

Rostrum longum, validiusculum, lineare, teres, arcuatum.

Oculi oblongi, depressi.

Thorax oblongus, basi apiceque truncatus, lateribus æqualiter rotundato-ampliatus, supra convexus.

Scutellum mediocre, triangulare.

Elytra elongata, cylindrica, basi conjunctim leviter emarginata, humeris obtuse sub-angulatis.

Tibiæ paulo flexuosæ, intus muricatæ, apice intus unco valido armatæ.

Descriptio. — Corpus elongatum, sub-lineare, validum, durum, alatum. — *Antennæ* thoracis medium attingentes, in medio rostri insertæ, minus tenues, fractæ, 12-articulatæ: articulo 1° oculos non attingente, clavato, recto; 2° brevissime ob-conico; 3° duplo longiore, sub-clavato: 4-8 brevibus, sub-turbinatis, sub-coarctatis, exterioribus sensim perparum crassioribus; clava ovata, sericeo-pubescens, 4-articulata, articulis arctissime connexis. — *Rostrum* longitudine fere capitis cum thorace, validiusculum, lineare, teres, arcuatum, deflexum; scrobes profundæ, subtus flexæ, in basi rostri subtus coeuntes. — *Caput* convexum. — *Oculi* distantes, ovati, depressi. — *Thorax* latitudine fere longior, basi sub-truncatus vel obsoletissime bi-sinuatus, lateribus æqualiter rotundato-ampliatus, apice coarctatus, truncatus, supra convexus. — *Scutellum* mediocre, triangulare. — *Elytra* thoracis basi vix latiora et illo triplo longiora, cylindrica, basi conjunctim perparum emarginata, humeris obtuse sub-angulatis, vix prominulis; supra convexa, haud callosa, apice singulatim rotundata. — *Pedes* mediocres, validi, antici basi approximati; femoribus clavatis, muticis, anticis paulo crassioribus; tibiis extus paulo flexuosis, intus muricatis, apice intus unco horizontali valido instructis; tarsis subtus spongiosis, articulo penultimo lato, bi-lobo, ultimo elongato, angusto, bi-unguiculato.

Typus. — *Aorus spadiceus.* Nobis.

Ab ἄωρος indecorus.

Observ. — Generi *Amalacto* simillimum, sed præcipue differt rostri structura et insertione antennarum aliena.

* 1. A. SPADICEUS. *Schh.*

Elongatus, cylindricus, nigro-castaneus, capite, rostro pedibusque rufo-testaceis; thorace amplo, profunde punctato, leviter carinato; elytris profunde punctato-striatis, interstitiis remote sub-seriatim punctulatis.

Patria: Asi ad Galam. Ex Musæo Dom. AUDOUIN, ad describendum, amice communicatus.

Statura elongata, angusta *Cossoni linearis*, sed dimidio major. Caput sub-globosum, rufo-testaceum, læve, antice ad basin rostri tantum sub-punctatum; oculi demissi, ovati, nigri, depressi; rostrum longitudine capitis cum thorace, validiusculum, valde arcuatum, parce punctulatum, rufo-testaceum, nitidum. Antennæ breviusculæ, rufo-piceæ. Thorax amplus, latitudine fere longior, antice subito multo angustior, apice truncatus, intra apicem obsolete constrictus, sub-tubulatus; lateribus rotundato-ampliatus, basi vix sinuatus, supra parum convexus, distincte, sat profunde punctatus, in medio dorsi leviter carinatus, nigro-castaneus, sub-nitidus. Scutellum triangulare, nigrum, punctatum. Elytra antice conjunctim sub-emarginata, thoracis basi latiora, humeris antrorsum sub-prominulis, obtuse angulatis; lateribus non ampliata, apice singulatim acute rotundata, thorace triplo longiora, supra convexa, distincte punctato-striata, striis versus apicem profundioribus, interstitiis sub-convexis, punctulis minutis, remotis, sub-seriatim digestis, adspersis; nigro-castanea, sub-nitida, glabra. Corpus subtus profunde, disperse punctatum, dilutius castaneum, nitidum. Pedes mediocres, validi, rufo-testacei; femoribus clavatis, muticis, nitidis; tibiis scabris, interne denticulatis et ciliatis.—GHL.

GENUS 198. — PARAMECOPS. *Nobis* (1).

Rhynchænus FABR.—*Curculio* WIEDEMANN.

Character generis. — Antennæ breviusculæ, validæ; funiculo 7-articulato: articulo basali longiusculo, obconico, reliquis brevibus, sub-perfoliatis, exterioribus gradatim paulo crassioribus, ultimo clavæ adpresso; clava oblongo-ovata, acuminata.

Rostrum elongatum, crassiusculum, teres, sub-lineare, parum curvatum.

---

(1) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 224. n° 126.

Oculi maximi, laterales, oblongi, perpendiculariter positi, modice prominuli.

Thorax oblongus, basi bi-sinuatus, anterius paulo angustior, longe intra apicem coarctatus, antice in medio paulo productus, infra pone gulam late et profunde emarginatus.

Scutellum mediocre, apice rotundatum.

Elytra oblongo-ovata, antice singulatim rotundata, humeris obtuse angulatis; supra convexa, versus apicem callosa, apice ipso singulatim acuminata.

Femora clavata, subtus dentata; tibiæ apice intus unco minuto armatæ.

Observ. — Corpus oblongo-ovatum, convexum, tomentosum, durum, alatum.

* 1. P. FARINOSUS.

Oblongus, niger, tomento cinereo vel brunneo vestitus, thorace oblongo, tuberculato-rugoso, elytris profunde, sub-remote punctato-striatis, pone medium fasciculatis, apice obsolete singulatim acuminatis.—GHL.

Curculio id. WIEDEM. *in Germ. Mag.* IV. p. 157. n° 66.

Rhynchænus Pacca. FABR. *Syst. El.* II. p. 473. n° 170. (Secundum specimen originale e Mus. D. TOEND. LUND., sed descriptioni Cel. Fabricii non exacte conveniens est.)

Patria: Bengalia.

GENUS 199. — PISSODES.

Pissodes GERM., SCHH., LATR., STEPH. (1), DEJEAN, STEV., STURM. — *Rhynchænus* FABR., GYLLENH., et auct. plur. — *Curculio* LINN.

Character generis.—Antennæ mediocres, validiusculæ, pone medium rostri insertæ; funiculo 7-articulato: articulis duobus basalibus ob-conicis, primo paulo longiore; reliquis brevioribus, sub-turbinatis, successive latioribus; clava ovata, acuminata.

Rostrum elongatum, subtenue, arcuatum, teres.

Oculi sub-ovati, parum prominuli.

Thorax basi bi-sinuatus, anterius multo angustior, apice truncatus.

Scutellum rotundatum, elevatum, distinctum.

---

(1) Germ. Ins. Spec. I. p. 316. T. 2. f. 7. a.-h. — Schh. Curc. Disp. Meth. p. 225. n° 127. — Latr. Règne Anim. p. 394. — Steph. Brit. Ent. IV. p. 87. n° 306.

Elytra oblonga, thoracis basi non latiora, antice sub-truncata, humeris fere rectangulis; posterius attenuata, apice aut conjunctim aut singulatim sub-rotundata, supra minus convexa, versus apicem callosa.

Femora clavata, mutica; tibiæ apice intus unco valido armatæ.

Observ. — Corpus oblongum, durum, obscurum, maculis squamosis variegatum, alatum; aut mediæ aut minoris magnitudinis. — Species hujus generis semper in truncis arborum resinosarum vitam degunt.

Patria : Europa, Sibiria, America septentrionalis.

* 1. P. PICEÆ. *Illiger.*

Oblongo-ovatus, convexior, piceus, pallido-squamosus, rostro elongato, brunneo, thorace postice leviter sinuato, angulis sub-prominulis, elytris pallido fasciatis, punctato-striatis, scrobiculisque paucis oblongo-ovatis in medio impressis.

DEJEAN, *Catal. Col.* p. 87.
Piniphilus id. Dom. MEGERLE *in Litteris.*
Curculio pini. PANZ. *Faun. Germ.* XLII. 1.

Habitat in Austria. Dom. MEGERLE. Mus. SCHH.

Pissodis pini similis, sed paulo major, in elytris convexior, thoracis angulis posticis magis productis et textura elytrorum præterea distinctus. Caput breve, convexum, obsolete punctulatum, piceum, squamulis parvis, pallidis adspersum, fronte inter oculos fovea magna, rotunda impressa; oculi ovati, brunnei, parum prominuli; rostrum longitudine fere capitis cum thorace, modice crassum, cylindricum, sub-arcuatum, confertim punctatum, brunneum, basi parce pallido-squamosum. Antennæ medium thoracis vix superant, crassiusculæ, rufo-piceæ, setosæ et pubescentes. Thorax latitudine baseos paulo brevior, anterius multo angustior, apice parum profunde sinuato-emarginatus, et intra apicem obsolete constrictus, lateribus mox pone stricturam ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, angulis lateralibus nonnihil prominulis; supra convexus, confertim rugoso-punctatus, nigro-piceus, squamulis depressis lutescentibus undique adspersus; in medio dorsi carinula valde tenuis, abbreviata, et foveolæ duæ, pares, squamulis pallidis repletæ; versus latera utrinque vitta nonnihil obliqua, in medio interrupta, pallido-squamosa, et extra illam punctum ejusmodi in medio lateris. Scutellum elevatum, semi-globosum, dense pallido-squamosum. Elytra elongata, antice sub-truncata, ibique

thoracis basi non latiora, lateribus vix ampliata, apice singulatim rotundata, thorace quadruplo longiora, supra convexa, punctato-striata, punctis valde inæqualibus, versus basin et apicem parvis, approximatis, in medio multo majoribus, profundis, ovatis, remotis; in striis tertia et quarta a sutura, paulo ante et pone medium, scrobiculæ nonnullæ reliquis adhuc majores, interjectis punctis minoribus sub-ocellatis; interstitia striarum confertim rugulosa, alterna, dorsalia latiora; nigro-picea, squamulis obscure lutescentibus adspersa, et præterea ante medium macula una alterave et pone medium fascia lata, utrinque abbreviata, inæqualis, e squamulis condensatis pallidius flavescentibus; intra apicem singuli elytri callus elevatus, rotundatus. Corpus subtus ruguloso-punctatum, nigro-piceum, squamulis majoribus et minoribus rotundatis flavescentibus dense adspersum. Pedes elongati, validi, dilutius rufo-picei, scabri, pallido-squamosi; femoribus clavatis, muticis; tibiis rectis; tarsis dilatatis, subtus cinereo-spongiosis.

GHL.

* 2. P. PINI.

Oblongo-ovatus, minus convexus, rufo-piceus, undique pallido-squamosus, rostro elongato, tenui, rufo-brunneo, thorace postice leviter sinuato, angulis vix prominulis, elytris punctato-striatis, punctis in medio omnibus majoribus, scrobiculatis; fasciis duabus macularibus pallido-squamosis ornatis.—GHL.

STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 87. n° 1.
DEJEAN. *Catal. Col.* p. 87.
STURM. *Ins. Cat.* 1828. p. 184.
STEV. *Mus. Mosqu.* II. p. 97.
Rhynchænus pini. FABR. *Syst. El.* II. p. 440. n° 7.
GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 66. n° 3.
ZETTERST. *Faun. Ins. Lapp.* I. p. 314. n° 23.
ILLIG. *Mag.* IV. p. 140. n° 7. et VI. p. 309. n° 7.
Curculio pini. LINN. *Faun. Suec.* n° 589 (1). *Ed.* 1ma. p. 155. n° 447. —*Syst. nat.* II. p. 608. n° 19. — Ed. GMEL. I. IV. p. 1746. n° 19.
FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 399. n° 21.—*Mant.* I. p. 98. n° 14.—*Sp. Ins.* I. p. 163. n° 13. —*Syst. Ent.* p. 129. n° 10.
HERBST. *Col.* VI. p. 147. n° 107. Tab. 70. fig. 2.
PAYK. *Faun. Suec.* III. p. 225. n° 43.— *Mon. Curc.* p. 36. n° 34.

---

(1) Descriptiones *Curculionum pini* et *abietis* in Cel. Linnei Fauna Suecica, errore quodam mutatæ, unde confusio orta.

DE GEER. *Ins.* V. p. 222. n° 15 (1).

ROSSI. *Faun. Etr.* I. p. 117. n° 299.— Ed. HELLW. I. p. 124. n° 299.

OLIV. *Enc. meth.* V. p. 476. n° 22.

PANZ. *Ent. Germ.* p. 299. n° 1.

BECHST et SCHARFENB. *Forstins.* I. p. 151. n° 3.

FISCH. *Naturg. v. Livl.* p. 134. n° 268.

CEDERH. *Faun. Ingr.* n° 322.

SCHRANK. *Enum. Ins.* p. 102. n° 195.

BRAHM. *Ins. Cal.* p. 30. n° 104.

ZINCKE. *Nadelh. Ins.* p. 35. n° 11. *Id. in Besorgt. Forstm.* p. 59. n° 11.

MULL. *Zool. Dan. Prodr.* p. 89. n° 990.

GOEZE. *Eur. Faun.* VIII. p. 459. n° 7.

VILL. *Ent.* LINN. I. p. 178. n° 15.

MULL. LINN. *Nat. Syst.* V. I. p. 220. n° 19.

STROEM. *Danske. Vid. Selsk. Skrift.* II. p. 57. n° 26.

Curculio abietis. SCHRANK. *Faun. Boica.* I. p. 480. n° 511.

LAICH. *Tyr. Ins.* I. p. 214. n° 10. var. β.

GLEDITSCH. *Einl. in d. Forstwis.* I. p. 402. n° 12.

SCHÆFF. *Icon.* T. 25. f 7.

HARRER. *Beschr.* I. p. 294. n° 181.

Observ.—Magnitudo et color valde variant; dantur triplo, imo quadruplo minores, ut et pallidiores, juniores; sed textura et punctura simillimi. Utrum *Curculio pini* Linn. ad hunc vel *Pissodem notatum* pertinet, vix dijudicandum.—GHL.

Patria : Europa, Sibiria.

* 3. P. NOTATUS.

Oblongo-ovatus, minus convexus, rufo-piceus, undique albido-squamosus, rostro elongato, tenui, rufo-piceo, thorace postice profundius sinuato, angulis lateralibus acuminatis, elytris punctato-striatis, punctis dorsalibus majoribus, oblongo-quadratis: fasciis duabus macularibus flavo-albidis notatis.—GHL.

STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 88. n° 2.

DEJEAN. *Catal. Col.* p. 87.

STEV. *Mus. Mosqu.* II. p. 97.

Rhynchænus id. GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 69. n° 5.

ZETTERST. *Faun. Ins. Lapp.* I. p. 315. n° 25.

---

(1) An ad *Pissodem notatum* pertinet?

Lixus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 501. n° 17.

Cfr. ILLIG. *Mag.* IV. p. 150. n° 17. et VI. p. 312. n° 17.

Curculio id. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 417. n° 104.—*Mant.* I. p. 103. n° 81.

OLIV. *Enc. méth.* V. p. 492. n° 89.

HERBST. *Col.* VI. p. 65. n° 29. et VII. p. 23. T. 97. f. 3.

LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1751. n° 149.

Rhynchænus pini. OLIV. *Ent.* V. 83. p. 116. n° 61. T. 16. f. 42. b. c.

VAR. β. Rufo-ferrugineus, glaber; detritus.—GYLLENH. l. c. var. b.

Curculio castaneus. DE GEER. *Ins.* V. p. 231. n° 19.

OLIV. *Enc. méth.* V. p. 494. n° 101.

VILLERS. *Ent.* I. p. 191. n° 77. et IV. p. 272. n° 77.

LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1756. n° 187.

Curculio palmes. HERBST. *Col.* VI. p. 169. n° 128. T. 71. f. 10.

Curculio brunneus. PANZ. *Faun. Germ.* XXVI. n° 17.—*Kr. Rev. d. Ins. Faun.* I. p. 131.—*Ent. Germ.* p. 308. n° 52.

Observ.—Variat magnitudine duplo minori et ultra. Thorace postice profundius sinuato, angulis lateralibus magis prominulis, acuminatis, ab affinibus præcipue distinctus.—GHL.

Patria : Europa, Sibiria, Barbaria.

* 4. P. VALIDIROSTRIS. GHL.

Oblongo-ovatus, minus convexus, fusco-ferrugineus, undique albido-squamosus, rostro breviore, crassiore, arcuato, nigro-piceo, thorace postice leviter sinuato, elytris punctato-striatis, punctis dorsalibus paulo majoribus; fasciis duabus macularibus flavo-albidis notatis.

VAR. β. Corpore toto nigro, margine thoracis antico solum ferrugineo, femoribus piceis.

Habitat in pini sylvestris frondibus, in Westrogothia passim.

Var. β in Lapponia, ad LYCKSELE. Dom. ZETTERSTEDT. Mus. SCHH.

Pissodi notato simillimus et minoribus ejus magnitudine æqualis, rostro breviore, crassiore, thoraceque postice leviter tantum sinuato, præcipue distinctus. Caput mediocre, pone oculos transversim valde convexum, obsolete punctatum, ferrugineum, fronte inter oculos depressa, profundius punctata, foveolaque oblonga impressa, brunnea, pallido-squamosa; oculi rotundati, brunnei, modice prominuli; rostrum capite cum thorace multo brevius, crassiusculum, cylindricum, arcuatum, confertim punctatum, nigrum,

interdum basi piceo-ferrugineum. Antennæ thoracis medium vix superant, crassiusculæ, nigro-piceæ. Thorax latitudine baseos vix brevior, anterius angustior, apice sub-trisinuatus, intra apicem obsolete constrictus, lateribus pone stricturam ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, angulis lateralibus subrectis, nec extrorsum prominulis; supra parum convexus, confertim punctatus, aut fusco-ferrugineus, aut saturatius brunneus, squamulis depressis albidis adspersus; in medio dorsi carinula tenuis et foveolæ duæ, pares, squamulis albidis repletæ; versus latera utrinque vitta obsoleta, albido-squamosa, et extra illam punctum ejusmodi, in medio lateris. Scutellum elevatum, semi-globosum, dense niveo-squamosum. Elytra elongata, antice sub-truncata, ibique thoracis basi non latiora, lateribus vix ampliata, posterius attenuata, apice conjunctim acute rotundata, thorace triplo longiora, supra parum convexa, punctato-striata, punctis striarum interne, et in medio paulo majoribus, oblongis, interstitiis confertim rugulosis; intra apicem callo elevato, rotundato, instructa; aut fusco-ferruginea, aut saturatius picea, squamulis depressis albidis inæqualiter adspersa; ante medium singuli elytri macula transversa flavescenti-squamosa et paulo pone medium fascia, externe latior, flavescenti-interne angustior albido-squamosa. Corpus subtus piceum, granulatum et punctatum, squamulis densis albis, plerisque ovatis, adspersum. Pedes validi, ferruginei, albido-squamosi; femoribus parum clavatis, muticis, tibiis subrectis, scabris, tarsis dilatatis, nigro-piceis, subtus cinereo-spongiosis.—GHL.

* 5. P. GYLLENHALII. *Schh.*

Oblongo-ovatus, minus convexus, nigro-piceus, albido-squamosus, rostro elongato, tenui, nigro-brunneo, thorace postice leviter sinuato, angulis lateralibus nonnihil prominulis, elytris sulcato-punctatis, punctis plerisque sub-æqualibus, oblongo-quadratis: fasciis duabus interruptis albo-squamosis notatis, femoribus rufo-piceis.

Rhynchænus Hercyniæ. GYLLENH. *Ins Suec.* III. p. 68. n° 4 (1).
ZETTERST. *Faun. Ins. Lapp.* I. p. 314. n° 2.
Pissodes Hercyniæ. DEJEAN, *Catal. Col.* p. 87.

Observ.—Nuper exclusus, supra ferrugineus, pedibus dilutioribus.—Striæ elytrorum profundiores, magis regulares et puncta

(1) Species peculiaris, distincta a *Curculione Harciniæ* Herbst, *Curculione 4-notato* Panz.—Teste Cel. Germar *in Litteris.*

illarum sub-æqualia; squamulæ corpus subtus tegentes, angustiores, albidæ.—GHL.

Patria: Germania, Suecia.

* 6. P. HARCYNIÆ.

Oblongo-ovatus, minus convexus, niger, albido-squamosus, rostro elongato, tenui, arcuato, thorace postice leviter sinuato, angulis rotundatis, elytris punctato-striatis, interstitiis alternis elevatioribus: fasciis duabus, macularibus albo-squamosis, notatis.

Curculio Harcyniæ. HERBST. *Col.* VI. p. 294. n° 265. T. 82. f. 11.

Curculio 4-notatus. PANZ. *Faun. Germ.* LVII. 12.—*Krit. Rev. d. Ins. Faun.* I. p. 130.

Habitat in Cherson. Thraciæ. Dom. LUNDSTEDT. Mus. SCHH.

Pissodi Gyllenhalii proximus, sed rostrum longius, magis tenue, thoracis anguli postici magis rotundati, color nigrior, etc. Caput mediocre, pone oculos valde convexum, parce subtiliter punctulatum, fronte inter oculos rugoso-punctata, foveola oblonga impressa, totum nigrum, parce albido-squamosum; oculi rotundati, nigro-brunnei, modice prominuli; rostrum longitudine fere capitis cum thorace, tenue, cylindricum, arcuatum, confertim punctatum, nigrum. Antennæ thoracis medium vix superant, subtenues, ferrugineæ, apice piceæ. Thorax latitudine baseos non brevior, antice multo angustior, apice leviter tri-sinuatus et longe intra apicem transversim late et sat profunde impressus, lateribus rotundato-ampliatus, basi sub-bisinuatus, angulis rotundatis; supra parum convexus, inæqualis, in medio longitudinaliter late impressus et in medio impressionis carinula abbreviata instructus; obsoletius punctatus, niger, squamulis albidis adspersus, margine antico elevato ferrugineo; in medio dorsi puncta duo, paria, albo-squamosa, et versus latera utrinque vitta obsoleta et punctum laterale ejusmodi, ut in affinibus. Scutellum ovatum, valde elevatum, dense niveo-squamosum. Elytra oblonga, antice sub-truncata, ibique thoracis basi non latiora, humeris elevatis rectangulis, lateribus vix ampliata, posterius attenuata, apice conjunctim acute rotundata, supra minus convexa, punctato-striata, punctis striarum in medio et interne paulo majoribus ovatis, interstitiis confertim rugulosis, alternis a sutura elevatioribus, quarum quartum posterius in callum elevatum terminatur; nigra, opaca, squamulis albidis adspersa; paulo ante et post medium fasciæ duæ ma-

culares, abbreviatæ, densius albido-squamosæ. Corpus subtus nigrum, punctatum, squamulis parvis, depressis, albis adspersum. Pedes longiusculi, nigro-picei, albido-squamulosi; femoribus parum clavatis, muticis; tarsis dilatatis, subtus cinereo-spongiosis.

GHL.

* 7. P. PINIPHILUS.

Oblongo-ovatus, parum convexus, fusco-ferrugineus, concinne albo-squamosus, rostro longiore tenui, concolore, thorace postice sinuato, angulis rotundatis, supra remotius punctato, interstitiis lævigatis, elytris punctato-striatis, macula media albo-squamosa.—GHL.

DEJEAN. *Catal. Col.* p. 88.
Rhynchænus id. GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 70. n° 6.
ZETTERST. *Faun. Ins. Lapp.* I. p. 315. n. 26.
Curculio id. HERBST. *Col.* VII. p. 24. n. 582. T. 97. f. 4.

Observ. — *Pissodi validirostri* proximus, sed rostrum longius, magis tenue; thorax remotius punctatus, superficie interjacente lævigata; signaturæ elytrorum aliter locatæ, etc.—GHL.

Patria: Germania, Suecia, Lapponia.

* 8. P. NEMORENSIS.

Piceus, thorace punctato-rugoso, punctis duobus albis, elytris, fulvo-sub-fasciatis, macula infra medium alba.

GERM. *Ins. Spec.* I. p. 318. n° 456.
Pissodes strobi. SAY, *Descript. of Curcul. of N. Amer.* p. 14.
Rhynchænus strobi. PECK. *in Journ. Mass. Agr. Soc. Jan.* 1817.

Patria: America borealis.

9. P. FABRICII (1).

Rufo-piceus, pallido-squamosus, rostro piceo-ferrugineo, elytris tenuius punctato-striatis, fasciis duabus interruptis pallido-squamosis.

STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 88. n° 3. T. 21. f. 1.

Patria: Anglia.

---

(1) Mihi invisus.

GENUS 200. — THAMNOPHILUS.

Thamnophilus SCHH., GYLLENH., STEVEN (1). — *Magdalis* GERM., LATR., STEPH. (2). — *Rhinodes* SCHH. olim, DEJEAN, STURM, STEPH. (3). — *Panus* SCHH. olim, STEPH. (4). — *Rhynchænus* FABR., ZETTERST (5). — *Rhina* OLIV., MEG. — *Curculio* LINN. et auctorum reliquorum.

Character generis. — Antennæ mediocres, subtenues, subrectæ; scapo clavato, curvato; funiculo 7-articulato; articulis duobus basalibus obconicis, illo maximo, reliquis brevioribus, lenticularibus, sub-æqualibus; clava oblonga, ovalis, acuminata.

Rostrum sub-cylindricum, lineare, arcuatum, plus minusve elongatum.

Oculi magni, ovati, approximati.

Thorax oblongus, aut antice subito angustatus, aut sub-quadratus, basi plus minusve distincte bi-sinuatus, apice truncatus.

Scutellum distinctum, trigonum.

Elytra oblonga, sub-cylindrica, basi in plerisque singulatim rotundato-producta, versus apicem non callosa, apice ipso singulatim obtuse rotundata, anum haud tegentia.

Pedes breves; tibiæ apice unco valido deflexo armatæ.

Observ. — Corpus elongatum, cylindricum, postice obtusum, antice sub-attenuatum, sculpturatum, unicolor, alatum; minoris magnitudinis.

Patria : Europa, America borealis et meridionalis.

STIRPS. 1. — Femora dentata.

♂♀ 1. T. VIOLACEUS.

Nigro-cœrulescens, capite vix punctulato, thorace oblongo, antice angustiore, margine depresso, lateribus sub-rotundato, elytris cyaneis, punctato-striatis, interstitiis sub-ruguloso-granulatis, rostro modice arcuato.

---

(1) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 51. — Gyllenh. Ins. Suec. IV. p. 557.

(2) Germ. in N. Wetter. Annal. I. I. p. 130. nº 14. — *Id.* Spec. Ins. nov. I. p. 191. — *Id. in Litteris.* « Den namen *Magdalis* leite ich von dem vorte *Magdalides* bei scriba (figuræ cylindricæ), oder *Magdalis* bei Plinius her, und er kann auch recht gut als masculinum gebraucht werden. » — Latr. Règne anim. p. 391. — Steph. Brit. Ent. IV. p. 162. gen. 341.

(3) Steph. Brit. Ent. IV. p. 164. gen. 342.

(4) Steph. l. c. p. 165. gen. 343.

(5) Zetterst. Faun. Ins. Lapp. I. p. 301. subdiv. 1. *Apioniformis*.

GYLLEHN. *Ins. Suec.* IV. p. 558. n° 1.
STEV. *Mus. Mosqu.* II. p. n° 87.
Rhynchænus id. FAB. *Syst. El.* II. p. 486. n° 227.
OLIV. *Ent.* VI. 83. p. 227. n° 222. T. 22. f. 308.
GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 181. n° 97.
ZETTERST. *Faun. Ins. Lapp.* I. p. 302. n° 1.
Curculio id. LINN. *Faun. Suec.* n° 579. — *Syst. nat.* I. II. p. 614. n° 63. — Ed. GMEL. I. IV. p. 1768. n° 63.
FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 440. n° 191. — *Mant.* I. p. 108. n° 134. — *Sp. Ins.* I. p. 179. n° 105. — *Syst. Ent.* p. 141. n° 76.
HERBST. *Col.* VI. p. 71. n° 35. T. 64. f. 4.
OLIV. *Enc. méth.* V. p. 515. n° 199.
PAYK. *Faun. Suec.* III. p. 195. n° 12. — *Mon. Curc.* p. 9. n° 8.
PANZ. *Faun.* XLII. n° 20. — *Ent. Germ.* p. 316. n° 99.
DE GEER. *Ins.* V. p. 213. n° 5.
ROSSI. *Faun. Etr.* I. p. 125. n° 319. — Ed. HELLW. I. p. 133. n° 319.
LAICH. *Tyr. Ins.* I. p. 217. n° 13.
CEDERH. *Faun. Ingr.* n° 333.
GOEZE. *Eur. Faun.* VIII. p. 500. n° 9.
WALKEN. *Faun. Par.* I. p. 239. n° 4.
VILL. *Ent. Linn.* I. p. 198. n° 97.
BERGSTR. *Nomencl.* I. p. 16. n° 13. T. 2. f. 13.
ZINCKE. *Nadelh. Ins.* p. 37. n° 13.
BRAHM. *Ins. Kal.* I. p. 99. n° 334.
MULL. *Zool. Dan. Prodr.* p. 89. n° 1000.
BECHST. et SCHARF. *Forstins.* I. p. 166. n° 20. et p. 885.
MULL. LINN. *Nat. Syst.* V. I. p. 233. n° 63.
LINKERS BESORGTER. *Forstm.* I. p. 61. n° 13.
Rhinodes id. DEJ. *Cat. Col.* p. 98.
STURM. *Ins. Cat.* 1826. p. 190.
Magdalis violacea. GERM. *Ins. Sp.* I. p. 192. e.
SCHRANK. *Faun. Boic.* n° 484.
Curculio assimilis. HERBST. *Arch.* p. 77. n° 48.
Curculio affinis. LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1771. n° 276.

♀ VAR. *β.* Elytris purpurascenti-violaceis. — GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 181. var. b. — PAYK. l. c. var. b.

♂ VAR. *γ.* Elytris virescenti-æneis. — GHL. *Ins. Suec.* IV. p. 558. var. c.

♂♀ VAR. *δ.* Tota nigra. — GHL. l. c. var. d.

Patria : Europa.

♀ 2. T. Frontalis.

Nigro-cœrulescens, capite evidentius punctulato, thorace breviore antice angustiore, margine reflexo, elytris cyaneis punctato-striatis, interstitiis obsoletius ruguloso-tuberculatis, rostro valde arcuato.

Gyllenh. *Ins. Suec.* IV. p. 558. nº 2.
Var. β. Elytris purpurascenti-violaceis. — Gyllenh. l. c. var. b.

Patria : Suecia, Volhynia, Sibiria.

♀ 3. T. Punctirostris. *Schh.*

Virescenti-æneus, capite punctulato, thorace breviore, convexo, antice angustiore, elytris cœruleis, leviter punctato-striatis, interstitiis transversim rugulosis, rostro sub-arcuato nigro, profunde punctato.

Habitat in Caucaso. Dom. Steven. Mus. Schh.

Thamnophilo violaceo fere major, magis convexus. Caput breve, crassum, virescenti-æneum, nitidum, subtiliter punctulatum; rostrum capite duplo longius, crassiusculum, parum arcuatum, nigrum, nitidum, supra crebre et sat profunde punctatum. Antennæ longiores, nigræ, pilosæ, articulo primo elongato, oculos attingente. Thorax latitudine baseos vix longior, anterius multo angustior, lateribus vix rotundatus, basi bi-sinuatus, angulis acuminatis, supra convexus, crebre sed parum profunde punctatus, virescenti-æneus, nitidus, linea media lævi, impunctata. Elytra thoracis basi parum latiora, lateribus nonnihil ampliata, apice simultaneæ rotundata, supra parum convexa, cœruleo-virescentia, minus profunde punctato-striata, interstitiis sub-convexis, subtiliter transversim rugulosis et tuberculatis. Corpus subtus virescenti et cœruleo-micans, punctatum. Pedes validi, femoribus cœrulescentibus, rugulosis, parum crassis, subtus dente acuto armatis; tibiis tarsisque nigro-fuscis.— Gyl.

♂♀ 4. T. Duplicatus.

Niger, capite evidentius punctulato, thorace breviore, antice angustiore, vix constricto, elytris nigro-cœruleis punctato-striatis, interstitiis simpliciter seriatim punctatis, rostro valde arcuato.

Gyllenh. *Ins. Suec.* IV. p. 459. nº 3.
Magdalis duplicata. Germ. *Ins. Sp.* I. p. 194. nº 317. Id. *in Neue Wetter. Annal.* I. I. p. 131. nº 3. — *Faun. Ins. Europæ.* XI. Tab. 14.
Rhynchænus violaceus, *var.* b. Zetterst. *Faun. Ins. Lapp.* I. p. 302. nº 1. forte.

♀ VAR. β. Elytris etiam nigris.— GERM. l. c. var. b. GYLLENH. l. c. var. b.

Patria: Germania, Suecia, Sibiria.

♀ 5. T. PHLEGMATICUS.

Nigro-cœrulescens, sub-glaber, thorace sub-depresso, antice constricto, elytris cyaneis, posterius latioribus, tenue punctato-striatis, interstitiis crebre punctatis; capite elongato, sub-depresso, punctulato.

GYLLENH. *Ins. Suec.* IV. p. 560. n° 4.
Rhynchænus id. GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 182. n° 98.
ZETTERST. *Faun. Ins. Lapp.* I. p. 302. n° 2.
Curculio id. HERBST. *Col.* VII. p. 6. n° 567. T. 96. f. 1. A.
Magdalis phlegmatica. GERM. *Ins. Sp.* I. p. 192. f.
♀ VAR. β. Corpore fere toto nigro. —GYLLENH. l. c. var. b.

Patria: Suecia, Borussia.

* 6. T. NITIDUS.

Niger, nitidus, capite punctulato, thorace oblongo, supra depresso, subtilius punctato, antice utrinque impresso, elytris punctato-striatis, interstitiis planis, subtilissime sub-disperse punctulatis, rostro subrecto.

GYLLENH. *Ins. Suec.* IV. p. 561. n° 6.
Magdalis bi-seriata. Dom. GERM. *in Litteris.*

Patria: Suecia meridionalis, Germania, Hale.

7. T. LINEARIS.

Niger, parum nitidus, capite latiore, evidenter punctato, thorace oblongo, sub-depresso, profunde punctato, elytris linearibus, punctato-striatis, interstitiis disperse punctulatis.

GYLLEN. *Ins. Suec.* IV. p. 560. n° 5.
Magdalis virescens. GERM. *Ins. Sp.* I. p. 195. n° 318. var.?

Patria: Suecia.

♀ 8. T. CERASI.

Ater, opacus, thorace brevi, mutico, punctatissimo, elytrorum interstitiis creberrime granulato-coriaceis, rostro breviori cylindrico, femoribus obsolete dentatis.

GYLLENH. *Ins. Suec.* IV. p. 561. n° 7.

STEV. *Mus. Mosqu.* II. p. 87.

Curculio id. LINN. *Faun. Suec.* n° 583. — *Syst. nat.* I. II. p. 607. n° 11. — Ed. GMEL. I. IV. p. 1762. n° 11.

HERBST. *Col.* VII. p. 68. n° 32. T. 64. f. 1. — *Arch.* p. 76. n° 42.

MARSH. *Ent. Brit.* p. 265. n° 83.

MULL. LINN. *Nat. Sys.* V. I. p. 217. n° 11.

MULL. *Zool. Dan. Prodr.* p. 89. n° 992.

VILL. *Ent.* LINN. I. p. 175. n° 8.

ROSSI. *Faun. Etr.* I. p. 119. n° 307.? Ed. HELLW. I. p. 127. n° 307.?

SCOP. *Ent. Carn.* p. 28. n. 84.?

BECHST. et SCHARFENB. *Fortins.* I. p. 150. n° 2.?

Rhynchænus id. GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 183. n° 99.

Magdalis id. ♀. GERM. *Ins. Spec.* I. p. 192. C.

Rhinodes id. STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 164. n° 2.

Rhynchænus armeniacæ. FABR. *Syst. El.* II. p. 447. n° 46 (1).

Curculio id. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 405. n° 51.

HERBST. *Col.* VI. p. 445. n° 444.

PANZ. *Ent. Germ.* p. 301. n° 14.

Rhinodes id. DEJ. *Cat. Col.* p. 98.

Magdalis nassata. GERM. *in Neue Wetter. Annal.* I. I. p. 131. n° 2.

Curculio Carbonarius. PANZ. *Faun. Germ.* XLII. n° 18.?

Curculio striatulus. LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1759. n° 568.?

LESKE. *Mus.* p. 19. n° 400.?

Patria : Europa.

9. T. ASPHALTINUS (2).

Ater, opacus, thorace granulato, antice utrinque dente acuto armato, elytris punctato-striatis, interstitiis obsoletissime punctulatis, antennis rufo-ferrugineis, clava picea.—STEPH.

Magdalis Asphaltina. STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 163. n° 4.

GERM. *Ins. Sp.* I. p. 193. n° 4.

Rhynchænus cerasi. FABR. *Syst. El.* II. p. 486. n° 226 (1).

Curculio id. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 440. n° 190. — *Mant.* I. p. 108. n° 183. — *Spec. Ins.* I. p. 179. n° 104. — *Syst. Ent.* p. 141. n° 75.

PANZ. *Faun. Germ.* XLII. n° 19. — *Ent. Germ.* p. 316. n° 98.

CEDERH. *Faun. Ingr.* n° 332.

Patria : Europa.

---

(1) Huc pertinet, secundum Fabr. Musæum, teste Dom. Germar *in Litteris.*

(2) Mihi invisus.

♂♀ 10. T. STYGIUS.

Ater, opacus, thorace sub-quadrato, antice utrinque dentato, parcius punctulato, elytrorum interstitiis subtilissime coriaceis, rostro brevi, lato, femoribus acute dentatis.

GYLLENH. *Ins. Suec.* IV. p. 562. n° 8.
STEV. *Mus. Mosqu.* I. p. 87.
Rhynchænus id. GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 184. n° 100.
Curculio id. MARSH. *Ent. Brit.* p. 294. n° 165.
Rhynchænus aterrimus. FABR. *Syst. El.* II. p. 486. n° 225 (1).
ILLIG. *Mag.* IV. p. 147. n° 225.
Curculio id. FAB. *Ent. Syst.* I. II. p. 439. n° 189.—*Mant.* I. p. 108. n° 32.—*Sp. Ins.* I. p. 179. n° 103.— *Syst. Ent.* p. 141. n° 74.
PANZ. *Ent. Germ.* p. 316. n° 97.
CEDERH. *Faun. Ing.* n° 331.
Magdalis aterrima. GERM. *Ins. Sp.* I. p. 193. i.
STEPH. *Brit. Ent.* I. p. 162. n° 3.
Rhynchænus cerasi. OLIV. *Ent.* VI. 83. p. 229. n° 224. T. 22. f. 309.
Curculio id. CLAIRV. *Ent. Helv.* I. p. 90. n° 7. T. 9. f. 1. 2.
HERBST. *Col.* VI. p. 68. n° 32. T. 64. f. 2. ♂.
OLIV. *Enc. méth.* V. p. 515. n° 198.
FISCH. *Naturg. v. Livl.* p. 133. n° 266.
WALCKEN. *Faun. Paris.* I. p. 239. n° 3.
Rhinodes id. DEJ. *Catal. Col.* p. 98.
STURM. *Ins. Cat.* 1826. p. 90.
Curculio armiger. FOURCR. *Ent. Paris.* p. 130. n° 51.?
GEOFF. *Ins.* I. p. 299. *Curculio.* n° 48.

Patria: Europa.

* 11. T. PANDURA.

Ater, sub-opacus, antennis tarsisque testaceis, thorace sub-quadrato, antice utrinque dentato, sub-disperse punctato, linea media lævi, elytris punctato-striatis, interstitiis lævibus, rostro cylindrico, arcuato.

Thamnophilus Pandura. SAY. *Descript. of Curcul. of N. Amer.* p. 7.

Patria: Civitates Fœderatæ Americæ borealis. A. Dom. SAY benevole communicatus. Mus. SCHH.

Magnitudo, statura et affinitas *Thamnophili stygii*, antennarum

(1) Huc pertinet, secundum Museum Fabricii, teste Cel. Germar *in Litteris.*

colore, interstitiis striarum in elytris sub-lævibus et femoribus obsoletius dentatis ab illo distinctus. Caput rotundatum, convexum, obsoletius punctulatum, atrum; oculi majusculi, rotundati, sub-depressi, glauci; rostrum capite dimidio longius, cylindricum, arcuatum, punctulatum, atrum. Antennæ thoracis basin non attingunt, testaceæ, clava paulo obscuriore. Thorax sub-quadratus, antice subito paulo angustior, intra apicem obsolete constrictus, lateribus dein rectis, anterius denticulis nonnullis armatis; basi bi-sinuatus, angulis acuminatis; supra parum convexus, sub-disperse punctatus, in medio linea lævi, nitida notatus, totus ater. Scutellum triangulare, atrum. Elytra antice singulatim rotundata, thoracis basi paulo latiora, humeris rotundatis, sub-elevatis, lateribus nonnihil ampliata, apice singulatim obtuse rotundata, supra modice convexa, distincte punctato-striata, interstitiis fere lævibus; tota atra, opaca. Corpus subtus obsolete punctulatum, atrum, sub-nitidum. Pedes breviusculi, validi, atri, tarsis solis testaceis; femora antica dente parvo, acuto, armata, posteriora obsolete dentata.—GHL.

* 12. T. OLYRA.

Ater, obscurus, griseo-sub-pubescens, antennis, tibiis, tarsisque rufo-piceis, thorace subtiliter alutaceo, lateribus valde ampliato, antice utrinque denticulato, elytris punctato-sulcatis.—GHL.

SAY. *Descript. of Curcul. of N. Amer.* p. 7.
Curculio id. HERBST. *Col.* VII. p. 7. n° 568. T. 99. f. 1.
Rhinodes id. STURM. *Ins. Cat.* 1826. p. 190.

Patria: America borealis.

♂♀ 13. T. ATRAMENTARIUS.

Niger, sub-nitidus, glaber, thoracis lateribus crenulatis; elytrorum striis cancellatis, interstitiis convexis sub-lævibus, femoribus acute dentatis.

GYLLENH. *Ins Suec.* IV. p. 562. n° 9.
STEV. *Mus. Mosqu.* II. p. 87.
Magdalis atramentaria. GERM. *Ins. Spec.* I. p. 193. n° 9.
Mas: rostro brevi, crasso, subrecto, apice dilatato, antennis crassis, clava elongata, 4-articulata.—GHL.
Rhynchænus atratus. GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 187. n° 102.
ZETTERST. *Faun. Ins. Lapp.* I. p. 303. n° 4.
Curculio aterrimus. HERBST. *Col.* VI. p. 72. n° 35. T. 64. f. 5.

Magdalis atramentaria. STEV. *Brit. Ent.* IV. p. 162. n° 2.

Curculio cerasi, mas., PAYK. *Faun. Suec.* III. p. 193. n° 10. — *Mon. Curc.* p. 8. n° 7. Secundum ejus Musæum. (Femina: vide *Mecinus Pyrastri* hujus operis.)

Femina : rostro tenuiore, arcuato, cylindrico, antennæ basi tenues.—GHL.

Curculio carbonarius. LINN. *Faun. Suec.* n° 614. — *Syst. nat.* I. II. p. 612. n° 48. — Ed. GMEL. I. IV. p. 1764. n° 48.

VILL. *Ent. Linn.* I. p. 194. n° 90.

MULL. *Zool. Dan. Prod.* p. 89. n° 1004.

Rhynchænus id. GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 185. n 101.

ZETTERST. *Faun. Ins. Lapp.* I. p. 303. n° 3.

Rhinodes id. DEJ. *Cat. Col.* p. 98.

Magdalis carbonaria. STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 162. n° 1.

Curculio atramentarius. MARSH. *Ent. Brit.* p. 293. n° 163.

Patria : Europa.

14. T. BRUNNIPES. *Drapiez.*

Oblongus, niger, antennis femoribusque piceo-brunneis, tibiis tarsisque dilutius testaceis, capite depresso, punctatissimo, thorace subquadrato, confertim punctato, lateribus crenulato, elytris profunde punctato-striatis, interstitiis subtiliter strigosis.

Patria : America borealis. Ex Musæo Dom. CHEVROLAT, sub hoc nomine, ad describendum, amice communicatus.

Magnitudo, statura et affinitas *Thamnophili atramentarii*, antennarum pedumque colore, capite minore, depresso, etc., distinctus. Caput breve, depressum, confertissime subtiliter punctulatum, nigrum, fronte inter oculos foveola brevi impressa; oculi majusculi, rotundati, brunnei, parum prominuli; rostrum longitudine fere capitis cum thorace, cylindricum, arcuatum, obsolete, punctulatum, nigrum. Antennæ thoracis medium vix superant, piceæ vel brunneæ, clava dilutiore. Thorax sub-quadratus, apice truncatus, lateribus parum ampliatis, anterius crenulatis; basi bisinuatus, supra modice convexus, pulvinatus, confertim punctatus, niger, opacus, relicta in medio dorsi lineola parva lævi. Scutellum majusculum, rotundatum, nigrum. Elytra antice singulatim sub-rotundata, thoracis basi nonnihil latiora, humeris elevatis, obtuse angulatis; lateribus parum ampliata, apice singulatim obtuse rotundata, thorace triplo longiora, supra minus convexa, profunde punctato-striata, interstitiis subtiliter transversim

strigosis; nigra, sub-opaca. Corpus subtus, confertim punctulatum, nigrum, parum nitidum. Pedes validi; femoribus, piceo-brunneis, medio incrassatis, subtus versus apicem dente acuto armatis; tibiis tarsisque dilutius testaceis.—Ghl.

15. T. Barbitus.

Oblongus, niger, sub-nitidus, antennis basi piceis, capite depresso, punctatissimo, thorace sub-quadrato, confertim punctato, lateribus crenulato, elytris punctato-striatis, interstitiis fortiter strigosis, femoribus tibiisque subtus ciliatis.

Say. *Descript. of Curcul. of N. Amer.* p. 6.

Patria : Pensylvania, America borealis. Ex Musæo Dom. Say, ad describendum, amice communicatus.

Thamnophilo brunnipedi magnitudine et statura valde similis, colore et indumento pedum præcipue distinctus. Caput sub-conicum, depressum, confertissime punctulatum, nigrum; oculi majusculi, depressi, glauci; rostrum longitudine fere capitis cum thorace, cylindricum, modice arcuatum, punctulatum, nigrum, sub-nitidum. Antennæ breviusculæ, piceæ, clava nigra. Thorax sub-quadratus, antice truncatus, lateribus parum ampliatis, anterius crenulatis, dente primo majore, conico; basi bi-sinuatus, supra parum convexus, confertissime punctatus, relicta in medio antico linea parva, lævi; totus niger. Scutellum mediocre, rotundatum, nigrum. Elytra antice singulatim rotundata, thoracis basi latiora, humeris elevatis, rotundatis; lateribus vix ampliata, apice etiam singulatim rotundata; thorace plus triplo longiora, supra minus convexa, regulariter et sat profunde punctato-striata, interstitiis fortiter transversim strigosis; tota nigra, sub-nitida. Corpus subtus anterius confertim, posterius disperse et obsoletius punctatum, nigrum, nitidum. Pedes mediocres, nigri; femoribus sub-clavatis, punctatis, subtus versus apicem dente acuto armatis et præterea pubescentia tenui ciliatis; tibiis scabris, intus pariter ciliatis; tarsis elongatis, angustis, subtus cinereo-spongiosis.—Ghl.

* 16. T. Armicollis.

Rufus, thorace sub-quadrato, profunde punctato, dorso obsolete canaliculato, lateribus antice crenato utrinque denticulato, elytris punctato-sulcatis, interstitiis angustis, convexis, subrugosis, femoribus dentatis.—Germ.

Rhynchænus id. SAY. *in Journ. Acad. Nat. Sc. Philadelph.* III. p. 312.
Thamnophilus id. SAY. *Descript. of Curcul. of N. Amer.* p. 7.
Observ. — Magnitudine *Thamnophili violacei.* GERM.

Patria : America borealis.

* 17. T. RUFUS.

Longirostris, rufus, subtus ater, elytris catenato-striatis, interstitiis planis, seriatim punctatis (femoribus muticis.?)—GERM.

Magdalis rufa. GERM. *Ins. Sp.* I. p. 193. n° 316.
Rhinodes rufus. DEJ. *Cat. Col.* p. 98.
STURM. *Ins. Cat.* 1826. p. 190.
Observ. — Femoribus anticis obsolete dentatis.

Patria : Austria.

18. T. CARNIFEX. *Schh.*

Oblongo-ovatus, piceus, antennis, thoracis margine antico, elytris pedibusque dilutius ferrugineis, capite convexo, punctulato, thorace antice tubulato, lateribus ampliato, supra confertissime punctato, medio canaliculato, elytris sulcatis, sulcis indistincte punctatis, interstitiis inæqualibus, alutaceis, femoribus subtus in medio dente valido armatis.

Patria : Brasilia. Ex Musæo Dom. FALDERMANN, ad describendum, amice communicatus.

Thamnophilo frontali brevior, sed crassior et robustior. Caput convexum, obsolete punctulatum, dilute piceum, fronte inter oculos foveola brevi impressa; oculi ovati, depressi, glauci; rostrum fere longitudine capitis cum thorace, cylindricum, validum, valde arcuatum, apice nonnihil ampliatum, punctulatum, dilute piceum, nitidum. Antennæ breves, dilutius ferrugineæ, clava fusca. Thorax antice angustior, sub-truncatus; longe intra apicem constrictus, lobo antico tubulato, ferrugineo, lateribus dein valde rotundato-ampliatus, basi profunde bi-sinuatus, supra modice convexus, confertissime punctatus, in medio canaliculatus, nigro-piceus, opacus. Scutellum rotundatum, ferrugineum, sub-læve. Elytra antice singulatim rotundata, lobo producto, adscendente; thoracis basi parum latiora, humeris elevatis, rotundatis; lateribus vix ampliata, apice singulatim obtuse rotundata, thorace vix triplo longiora, supra sulcata, sulcis indistincte punctatis, interstitiis lateralibus angustis, sub-lævibus, dorsalibus latioribus, alutaceis; tota obscure ferruginea. Pygidium magnum, sub-conicum, confertim

punctatum, dilute piceum, opacum. Corpus subtus punctatum, piceum, cinereo-squamulosum. Pedes breviusculi, validi, ferruginei, antici multo majores; femoribus omnibus compressis, extrorsum crassioribus, subtus in medio dente recto, acuto, armatis; tibiis brevibus, subrectis, tarsis parvis, subtus cinereo-spongiosis.

GHL.

19. T. PALLIDUS (1).

SAY. *Descript. of Curcul. of N. Amer.* p. 7.

Patria : Indiana, Americæ borealis.

20. T. TRUCIDATUS (1).

Ater, thorace transverso, canaliculato, profunde punctato, impresso, elytris argute costatis, inæqualibus; femoribus dentatis.—GERM.

Magdalis trucidata. GERM. *Ins. Sp.* I. p. 196. n° 319.

Patria : Brasilia.

21. T. CARBONARIUS (1).

Oblongus, ater, antennarum clava villosa, elytris crenato-striatis, femoribus dentatis.—FABR.

Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 485. n° 224. (Secundum ejus Musæum, teste Dom. GERMAR *in Litteris.*)
OLIV. *Ent.* V. 83. p. 228. n° 223. T. 34. f. 518 (2).
Curculio id. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 439. n° 188.
OLIV. *Enc. méth.* V. p. 511. n° 184.
PAYK. *Faun. Suec.* III. p. 194. n° 11 (3).
PANZ. *Ent. Germ.* p. 316. n° 19.
HERBST. *Col.* VI. p. 70. n° 33. T. 64. f. 3. — *Arch.* p. 77. n° 47. T. 24. f. 21.?)
Magdalis carbonaria. GERM. *Ins. Sp.* I. p. 193. h.

Patria : Europa.

STIRPS 2. — Femora mutica.

---

(1) Mihi invisus.
(2) Huc pertinet, teste Dom. Germ. — An? « ad latera pectoris puncto squamoso albo. » (!) OLIV. Vix hujus generis.
(3) Specimen deest in Musæo Paykulliano.

♂♀ 22. T. BARBICORNIS.

Niger, sub-opacus, antennis ferrugineis, clava longissima nigro-fusca, thorace antice coarctato, supra planiusculo, foveolato, elytris nitidioribus sulcato-punctatis, interstitiis convexis, subtilissime strigosis.

GYLLENH. *Ins. Suec.* IV. p. 563. n° 11.

Rhina id. LATR. *Hist. Nat. des Cr. et des Ins.* XI. p. 103. n° 1. — *Gen. Cr. et Ins.* II. p. 264.

Magdalis id. GERM. *Ins. Sp.* I. p. 192. b.

Rhinodes id. DEJ. *Cat. Col.* p. 98.

STURM. *Ins. Cat.* 1826. p. 190.

Panus id. STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 165. n° 1.

Rhynchænus rhina, var. b. GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 83. n° 17.

Curculio cerasi, mas. BECHST. et SCHARFENB. *Forstins.* I. p. 150. n° 2. ?

Femina : clava antennarum ovata, thorace dorso tri-foveolato.

Thamnophilus tri-foveolatus. GYLLENH. *Ins. Suec.* IV. p. 564. n° 12.

Thamnophilus, sub-gen. *Panus.* SCHH. *Curc. Disp. Meth.* p. 52 (1).

Rhina bipunctata. Dom. MEGERLE *in Litteris.*

Patria : Europa septentrionalis et temperata.

♂♀ 23. T. PRUNI.

Niger, sub-opacus, antennis ferrugineis, rostro breviori recto, thorace bi-tuberculato, elytris elongatis, sub-cylindricis, crenato-striatis.

GHL.

Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 447. n° 45.

GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 82. n° 16.

Curculio id. LINN. *Syst. nat.* I. II. p. 607. n° 12.

FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 405. n° 50. — *Mant.* I. p. 100. n° 38. — *Sp. Ins.* I. p. 167. n° 30. *Gen. Ins. Mant.* I. p. 223. n° 22-23.

PAYK. *Faun. Suec.* III. p. 246. n° 65. — *Mon. Curc.* p. 137. n° 128.

OLIV. *Enc. méth.* V. p. 481. n° 49.

HERBST. *Col.* VI. p. 445. n° 443.

MARSH. *Ent. Brit.* p. 247. n° 24.

PANZ. *Ent. Germ.* p. 301. n° 13.

VILL. *Ent.* I. p. 176. n° 9.

WALCKEN. *Faun. Par.* II. p. 245. n° 26.

---

(1) *Thamnophilum barbicornem* cum *Thamnophilo trifoveolato* copula junctum invenerunt et benevole communicarunt Celeberrimi viri, Dom. Com. DEJEAN et Prof. GERMAR; Cel. GYLLENHAL etiam ambos in sorbo aucuparia simul habitantes copiose legit, quare prior ut mas sequentis censendus, et sub-genus *Panus* delendum.

Goeze. *Eur. Faun.* VIII. p. 444. n° 4.

Mull. Linn. *Nat. Syst.* V. I. p. 217. n° 12.

Magdalis id. Germ. *Ins. Sp.* I. p. 192. a.

Rhinodes id. Steph. *Brit. Ent.* IV. p. 164. n° 1.

Dej. *Cat. Col.* p. 98.

Sturm. *Ins. Cat.* 1826. p. 190.

Edo pruni. Germ. *in N. Wetter. Annal.* I. I. p. 130. n° 13.

Rhina id. Oliv. *Ent.* VI. 83. p. 235. n° 233. T. 33. f. 513. a. (minime. b.)

Curculio cerasi. Linn. *Syst. nat.* Gmel. I. IV. p. 1744. n° 12.

Curculio erythroceros. Herbst. *Col.* VI. p. 73. n° 36. T. 64. f. 6.

Curculio incognitus. Herbst. *Col.* VI. p. 97. n° 57. T. 65. f. 13. ♂, vel var.

Curculio ruficornis. Schrank. *Faun. Boic.* I. p. 501. n° 563.

Patria : Europa.

24. T. Flavicornis. *Schh.*

Niger, parum nitidus, antennis pallidis, rostro longiori, arcuato, thorace confertim punctulato, obsolete bi-tuberculato, elytris brevioribus, punctato-striatis.

Patria : Gallia, Parisiis. Ex Musæo Dom. Chevrolat, ad describendum, amice missus.

Thamnophilo pruni proximus, sed brevior ; rostro longiore, arcuato, thoracis tuberculis obsoletioribus, etc., distinctus. Caput breve, convexum, obsolete punctulatum, nigrum ; oculi rotundati, parum convexi, glauci ; rostrum capite fere duplo longius, cylindricum, arcuatum, punctulatum, nigrum. Antennæ pallidæ, clava obscuriore. Thorax latitudine paulo brevior, antice truncatus, lateribus modice ampliatus, utrinque tuberculo obsoleto instructus, basi leviter bi-sinuatus, supra transversim convexus, pulvinatus, confertim punctulatus, niger, opacus. Scutellum oblongum, nigrum. Elytra antice singulatim obtuse rotundata, thoracis basi latiora, humeris elevatis, rotundatis ; lateribus in medio sub-sinuata, apice etiam singulatim obtuse rotundata, thorace vix triplo longiora, supra minus convexa, profunde striata et in striis punctata, interstitiis angustis, elevatis, subtiliter alutaceis ; tota nigra, sub-nitida. Corpus subtus obsolete punctulatum, nigrum, sub-nitidum. Pedes breviusculi, nigri ; femoribus clavatis, muticis. — Gyll.

*♀ 25. T. RHINA.

Niger, sub-opacus, rostro breviori, recto, thorace sub-mutico, elytris elongatis, sub-cylindricis, crenato-striatis, antennis nigris, clava longissima.

GYLLENH. *Ins. Suec.* IV. p. 563. n° 10.

Rhynchænus id. GYLLENH. *Ins. Succ.* III. p. 83. n° 17.

Rhina pruni. OLIV. *Ent.* VI. 83. p. 235. n° 233. T. 33. f. 513. b. (minime a.)

Magdalis cerasi, mas. GERM. *Ins. Sp.* I. p. 192. c.

Patria : Suecia, Germania, Gallia.

26. T. MOROSUS (1).

Ater, opacus, aureo-sub-pilosus, antennis rufis, elytris punctato-striatis, interstitiis granulatis.—GERM.

Magdalis morosa. GERM. *Ins. Sp.* I. 196. n° 320.

Patria : Brasilia.

GENUS 201. — CNEMIDOPHORUS. *Nobis.*

Character generis. — Antennæ mediocres, tenues; funiculo 7-articulato : articulis 1, 2 oblongis, obconicis, illo crassiore, reliquis brevibus, lenticularibus, sub-coarctatis; clava ovalis, acuminata.

Rostrum elongatum, cylindricum, lineare, vix arcuatum.

Oculi in fronte valde approximati, oblongi, depressi.

Thorax sub-quadratus, basi-profunde bi-sinuatus, apicem versus subito angustatus, coarctatus, antice truncatus, supra pulvinatus.

Scutellum distinctum, rotundatum.

Elytra oblonga, sub-cylindrica, linearia, basi singulatim apice conjunctim rotundata, pygidium non obtegentia.

Pedes breves; tibiæ anticæ latæ, valde compressæ, omnes intus dentatæ, apice unco valido armatæ.

Descriptio. — *Corpus* elongatum, lineare, teres, squamosum, alatum. — *Antennæ* rostro capiteque nonnihil breviores, in medio rostri insertæ, tenues, fractæ, 12-articulatæ : articulo 1° oculos sub-attingente, tenui, curvato, apice clavato; 2° et 3° oblongis, ob-conicis, illo crassiore; 4-8 brevibus, lenticularibus, exterioribus successive paulo crassioribus, ultimo clavæ adpresso; clava ovalis, acuminata, 4-articulata; articulis arcte connexis. — *Rostrum* ca-

(1) Mihi invisus.

pite fere duplo longius, subtenue, cylindricum, lineare, fere rectum, deflexum; scrobe lineari, angusta, obliqua, in medio incipiente, sensim subtus flexa. — *Oculi* mediocres, in fronte valde approximati, oblongi, inferne acuminati, haud prominentes. — *Thorax* sub-quadratus, longitudine fere latior, basi profunde bisinuatus angulis sub-acutis, lateribus ad basin rectus, apicem versus subito angustatus transversim coarctatus, antice truncatus, supra valde convexus, pulvinatus, subtus pone gulam late sed non profunde emarginatus. — *Scutellum* distinctum, rotundatum. — *Elytra* antice thoracis basi vix latiora, et illo duplo longiora, linearia, cylindrica, basi singulatim apice conjunctim rotundata, pygidium haud occultantia, supra versus apicem callosa; humeris obtuse rotundatis. — *Pygidium* magnum, semi-rotundatum, marginatum. — *Pedes* robusti, antici paulo longiores, basi approximati; femoribus in medio parum incrassatis, subtus dentatis; tibiis compressis, anticis curvatis, latis, omnibus intus denudatis, apice unco valido, acuto, armatis; tarsis subtus spongiosis, articulo ultimo clavato, bi-unguiculato.

TYPUS. — *Cnemidophorus fasciculatus.*

A κνημιδοφόρος ocreatus.

Observ. — Speciebus generis *Thamnophili* et *Læmosacci* quoad habitum quodammodo, simile est hoc genus, evidenter tamen distinctum.

* 1. C. FASCICULATUS. *Schh.*

Oblongus, piceus, subtus parce ochraceo-squamosus, rostro subtiliter punctulato, thorace sub-quadrato, antice subito angustato, tubulato, supra valde convexo, subtiliter confertim granulato, dorso canaliculato, lateribus dense silaceo-squamoso; elytris rufo-castaneis, striato-punctatis, interstitiis transversim obsolete rugulosis, pone medium fascicula e pilis longis, pallidis obsitis.

Patria: Rio Janeiro. A Dom. HOPE benevole communicatus. Mus. SCHH.

Longitudo *Erirhini bimaculati.* Caput mediocre, globosum, nigrum, obsoletissime punctulatum, subtus squamulis silaceis tectum; oculi in fronte fere locati, mediocres, valde approximati, oblongi, inferne acuminati, dilute brunnei, haud prominuli; rostrum capite dimidio longius, subtenue, teres, vix arcuatum, nigrum, nitidum, subtiliter minus crebre punctulatum. Antennæ in medio rostri sitæ, tenues, ferrugineæ, clava oblongo-ovata,

valde acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos brevior, apice truncatus, mox intra apicem profunde coarctatus et transversim impressus, lateribus a basi apicem versus rectus; postice profunde bi-sinuatus, angulis baseos retrorsum nonnihil productis, supra valde convexus, pulvinatus, nigro-piceus, confertim subtiliter granulatus, dorso longitudinaliter canaliculatus, medio dorsi utrinque obsolete impressus, lateribus et subtus ochraceo-squamosus. Scutellum rotundatum, obscure ferrugineum. Elytra sub-oblongo-quadrata, basi singulatim nonnihil rotundato-producta, reflexo-marginata, antice thoracis basi vix latiora, et illo fere duplo longiora, humeris rotundatis; linearia, apice ipso conjunctim rotundata, supra modice convexa, mox intra basin impressa, ante apicem callo obtuso instructa, minus profunde striato-punctata, interstitiis planis, transversim obsolete rugulosis; rufo-castanea, callo postico margineque apicali obscurioribus, infuscatis, in dorso postico fasciculo e pilis longis silaceis obsita. Pygidium semi-rotundatum, marginatum, nigro-piceum, subtiliter ruguloso-punctatum, puncto medio silaceo ornatum. Corpus subtus ferrugineum, obsolete punctulatum, squamulis silaceis adspersum, in pectore et ad latera abdominis condensatis cervinis. Pedes robusti, picei, punctati, squamulis silaceis adspersi; femoribus modice incrassatis, subtus dente parvo, acuto, armatis; tibiis compressis, anticis arcuatis, latis, omnibus intus denticulatis, apice uncinatis; tarsis subtus griseo-spongiosis. — BHN.

GENUS 202. — AMBATES. *Nobis.*

Baris DEJEAN.

Character generis. — Antennæ mediocres, tenues, funiculo 7 articulato: articulis 1-4 obconicis, gradatim brevioribus, 5-7 nodosis; clava oblongo-ovata.

Rostrum elongatum, subtenue, lineare, arcuatum.

Thorax oblongus, sub-conicus, antrorsum multo angustior, intra apicem constrictus, basi bi-sinuatus.

Scutellum latum, apice rotundatum.

Elytra sub-conica, ab humeris ad apicem sensim angustata, basi singulatim rotundata, supra planiuscula, versus apicem callosa.

Pedes longiusculi, præsertim antici; femora dentata.

Descriptio. — *Corpus* elongatum, fere ellipticum, supra planiusculum, squamosum, alatum; minoris magnitudinis. — *Antennæ* rostro capiteque vix longiores, in medio rostri insertæ, tenues, fractæ,

12-articulatæ: articulo 1° oculorum marginem inferiorem attingente, tenui, versus apicem clavato; 2-5 obconicis, secundo paulo crassiore, gradatim brevioribus; 6-8 brevibus, lenticularibus; clava oblongo-ovata, acuminata, 4-articulata, majuscula. — *Caput* exsertum, sub-globosum. — *Rostrum* capite thoraceque longius, deflexum, subtenue, arcuatum, teres; scrobe ante medium incipiente, angusta, non profunda, recta, versus oculum sensim ampliata. — *Oculi* laterales, magni, sub-rotundati, parum convexi. — *Thorax* latitudine postica paulo longior, basi bi-sinuatus, antrorsum sensim angustior, juxta apicem subito angustatus, constrictus, in medio antico sub-productus, leviter sinuatus, supra modice convexus, pone oculos obsolete lobatus, infra pone gulam vix emarginatus.—*Scutellum* transversum, apice rotundatum.—*Elytra* elongata, sub-conica, anterius basi thoracis vix latiora, sed illo fere triplo longiora, antice singulatim rotundata, thoracis emarginaturas implentia, humeris rotundatis; posterius sensim augustata, dorso deplanata, versus apicem callo magno instructa, apice ipso singulatim rotundata, anum obtegentia. — *Pedes* longiusculi, validi, antici longiores, basi approximati; femoribus clavatis, omnibus dente acuto, valido, infra armatis; tibiis sub-compressis, sub-curvatis, intus in medio latioribus, apice truncatis, dente horizontali intus instructis; tarsis latis, setosis, subtus spongiosis, articulo ultimo clavato, bi-unguiculato.

TYPUS. — *Ambates pictus*.

Ab ἀμβατης, qui ascendit.

Patria: America meridionalis.

Observ. — Speciebus generis *Choli* quoad habitum quodammodo simile est hoc genus, evidenter tamen distinctum : antennis multo tenuioribus, pedibus anticis basi approximatis, etc.

* 1. A. PICTUS.

Oblongus, nigro-piceus, rostro, antennis pedibusque testaceo-ferrugineis, capite supra, thoracis vittis tribus et singuli elytri unica, apice flexuosa, dense fulvo-flavescenti-squamosis, corpore subtus pallescenti-squamoso.

Baris picta. DEJ. *Cat. Col.* p. 99.

Habitat Cayennæ. Mus. Dom. Com. MANNERHEIM et SCHH.

Statura fere *Choli ranæ* Schh. (*Rhynchænus* Fabr.), sed quadruplo minor. Caput sub-orbiculatum, nigrum, punctatum, supra squamulis fulvescentibus tectum: oculi laterales, magni, rotundati,

modice prominuli, nigro-brunnei; rostrum thorace fere longius, teretiusculum, subtenue, arcuatum, rufo-ferrugineum, nitidum, læve. Antennæ in medio rostri insertæ, thoracis basin fere attingunt; tenues, rufo-ferrugineæ, clava oblongo-ovata nigricante. Thorax latitudine baseos paulo longior, anterius angustior, apice leviter emarginatus, lobis ocularibus sub-prominulis, intra apicem evidenter constrictus, lateribus vix vel perparum ampliatus, basi bi-sinuatus, supra modice convexus, confertissime punctulatus, niger, vittis tribus dense fulvescenti-squamosis ornatus, media angustiore, recta, lateralibus latis, obliquis, et extra illas linea nigra in ipso margine; pagina inferior dense pallido-squamosa. Scutellum latum, sub-punctatum, nigrum, apice rotundatum. Elytra antice singulatim rotundata, margine baseos elevato, reflexo, thoracis basi vix latiora, pone humeros sensim versus apicem attenuata, thorace triplo longiora, apice singulatim rotundata, supra parum convexa, præsertim anterius; obsoletius punctato-striata, interstitiis, sub-convexis, subtiliter rugulosis; dilutius picea, non nitida; in singulo elytro vitta dense flavescenti-squamosa, anterius angustior, intra humerum incipiens, ad callum posticum elevatum nonnihil oblique ducta, et intra apicem utrinque lobo flexuoso aucta. Pectus et venter subtus picea, squamulis densis pallescentibus tecta. Pedes longiusculi, validi, rufo-ferruginei, parum squamulosi; femoribus omnibus clavatis, acute dentatis; tarsis dilatatis, pubescentibus. — GHL.

* 2. A. CIRCUMDATUS.

Oblongus, niger, opacus, rostro crassiore, valde arcuato, capite supra, thorace elytrisque utrinque vitta angusta dense fulvescenti-squamosis; subtus flavescenti-squamosus.

Rhynchænus lineolatus. Dom. SCHNEID. *in Litteris.*

VAR. β. Vitta, thorace elytrisque utrinque pallide flavescenti-squamosis.

Baris circumdata. DEJ. *Cat. Col.* p. 99.

Habitat in Cayenna. Mus. GYLL. et SCHH.

Præcedenti in multis similis, sed fere duplo minor; colore, signaturis et rostri forma distinctus. Caput sub-orbiculatum, punctatum, nigrum, supra squamulis fulvescentibus tectum; oculi laterales, magni, rotundati, parum prominuli, nigri; rostrum longitudine capitis cum thorace, crassiusculum, valde arcuatum, nigrum, basi squamosum, extrorsum læve. Antennæ thoracis basin

attingunt, subtenues, nigro-piceæ, clava oblongo-ovata, obscuriore. Thorax latitudine baseos fere longior, anterius multo angustior, apice leviter emarginatus, intra apicem constrictus, lateribus vix ampliatus, basi bi-sinuatus, supra modice convexus, confertim punctulatus, niger, intra marginem utrinque vitta, angusta, integra, nonnihil obliqua, dense fulvescenti-squamosa, ornatus. Scutellum semi-orbiculatum, nigrum. Elytra antice singulatim rotundata, thoracis basi vix latiora, pone humerum sensim versus apicem attenuata, thorace triplo longiora, apice singulatim rotundata, supra perparum convexa, in dorso plana, tenue et obsolete punctato-striata, interstitiis planis, subtiliter rugulosis; nigra, non nitida; in singulo vitta angusta, dense fulvescenti-squamosa, intra humerum ad basin inchoata, non procul a margine arcuatim continuata per callum posticum ad apicem usque, et ibi simplex, attenuata. Corpus subtus nigrum, punctulatum, lateribus utrinque linea lata dense flavescenti-squamosa cinctum, disco pectoris et baseos ventris parcius squamosis. Pedes validi, nigri; femoribus parum clavatis, pallido-squamosis, valide dentatis; tibiis compressis, sub-nudis. — GHL.

GENUS 203. — PHYTOPHILUS. *Nobis.*

Pœcilma ESCHSCHOLTZ.

Character generis. — Antennæ mediocres, minus tenues; funiculo 7-articulato : articulis duobus basalibus longiusculis, obconicis, reliquis sub-turbinatis, coarctatis; clava oblonga, sub-cylindrica, apice rotundata.

Oculi maximi, supra sub-contigui.

Rostrum tenue, longum, arcuatum.

Thorax oblongus, sub-conicus.

Elytra, sub-ovata, thoracis basi nonnihil latiora, illoque sesquilongiora, supra fere plana, apice acuminata.

Femora postica reliquis longiora.

Descriptio. — *Corpus* lineari-elongatum, squamosum, alatum; minusculæ magnitudinis. — *Antennæ* paulo ultra medium thoracis extensæ, in medio rostri insertæ, minus tenues, fractæ, 12-articulatæ : articulo 1° clavato, oculum sub-attingente; 2 et 3 longiusculis, obconicis; 4-8 brevibus, apice truncatis, sub-turbinatis, coarctatis, gradatim parum latioribus, ultimo clavæ adpresso; clava oblonga, sub-cylindrica, apice obtusa, articulis ægre discernendis. — *Caput* exsertum, cum oculis globosum. — *Oculi* breviter ovati, convexi, supra fere connati, maximam capitis partem oc-

cupantes. — *Rostrum* capite thoraceque longius, deflexum, tenue, arcuatum, sub-teres, basi aliquantulum crassius, carinatum, versus apicem læve, glabrum, sub-complanatum; scrobe lineari, angusta, in medio incipiente, subtus in rostri basi connivente. — *Thorax* longus, sub-conicus, basi leviter bi-sinuatus, lateribus subrectus, apice truncatus, supra parum convexus. — *Scutellum* haud distinctum. — *Elytra* thoracis parte postica parum latiora et latitudine sesqui-longiora, oblongo-quadrata, apice conjunctim acuminata, supra planiuscula; humeris prominulis, obtuse angulatis. — *Pedes* validiusculi, antici basi approximati, postici valde distantes; femoribus parum clavatis, subtus dentatis, posticis ultra elytrorum apicem protensis; tibiis breviusculis, sub-compressis, apice unco deflexo armatis; tarsis angustatis, subtus vix spongiosis, unguiculis tenuibus, bi-unguiculatis.

TYPUS. — *Pœcilma cruciferum*. Eschscholtz.

A φυτόν planta, φιλεώ diligo.

Observ. — Speciebus generis *Zygopi* quodammodo simile est hoc genus, sed tam situs pedum anteriorum, quam forma antennarum valde diversa, plures discrepantias ut taceam, abunde distinguunt.

* 1. P. CRUCIFERUS.

Lineari-elongatus, niger, sub-depressus, subtus dense niveo-squamosus, rostro apice, antennis tibiisque ferrugineis, thorace oblongo, albo maculato, elytris punctato-striatis, dense albido-squamosis, vitta marginali lituraque dorsali communi semi-cruciata denudatis.

Pœcilma cruciferum. Dom. ESCHSCHOLTZ *in Litteris*.

Habitat in Insula Manilla. Dom. ESCHSCHOLTZ. A Dom. Com. MANNERHEIM amicissime donatus.

Minor; *Baridio T. albo* magnitudine et statura subsimilis. Caput majusculum, exsertum, rotundatum, nigrum, subtus niveo-squamosum, vertice pone oculos confertim granulato, nudo; oculi maximi, fere connati, simul semi-globosi, nigro-brunnei, maximam partem supinam capitis occupantes; rostrum longitudine fere capitis cum thorace, deflexum, arcuatum, basi crassius, carinatum, punctatum, piceum, albo-squamosum, extrorsum valde attenuatum, glabrum, læve, rufo-ferrugineum. Antennæ medium thoracis fere attingunt; subtenues, rufo-ferrugineæ, albido-pubescentes. Thorax latitudine multo longior, anterius paulo an-

gustior, apice sub-truncatus, lateribus sub-obliquis, fere rectis, basi leviter bi-sinuatus, supra perparum convexus, confertissime granulatus, niger, maculis septem niveo-squamosis ornatus, tribus intra marginem utrinque, in serie recta locatis, et septima majore, ob-conica, a medio versus basin ducta. Scutellum vix observandum. Elytra antice sub-truncata, humeris elevatis, angulato-prominulis, mox pone humerum angustiora, apicem versus attenuata, apice conjunctim acuminata, thorace vix plus quam sesqui-longiora, supra fere plana, regulariter punctato-striata, nigra, squamulis densis albis, in dorso anteriore brunneo tinctis, tecta, relicta vitta laterali utrinque, postice abbreviata, lituraque suturali communi in medio, posterius ramulum utrinque exserente, denudatis, nigris. Pygidium exsertum, ob-conicum, dense albido-squamosum. Corpus subtus nigrum, punctatum, dense niveo-squamosum. Pedes validiusculi, dense niveo-squamosi; femoribus sub-clavatis piceis, subtus valide dentatis; tibiis breviusculis, dilutius ferrugineis; tarsis longiusculis, non dilatatis, fuscis. — GHL.

GENUS 204. ERIRHINUS. *Nobis* (1).

Rhinchænus FABR., OLIV., GYLLENH., LATR., THUNB., ZETTERST (2), DEJEAN, STURM, STEVEN. — *Curculio* LINN., LATR., HERBST. (3).

Character generis. — Antennæ longiusculæ, tenues; funiculo 7-articulato; articulis duobus basalibus longiusculis, ob-conicis, reliquis brevibus, nodosis; clava oblongo-ovata.

Rostrum elongatum, longitudine varians, cylindricum, lineare, arcuatum, in plerisque sub-filiforme.

Thorax basi sub-truncatus, lateribus in medio ampliato-rotundatus, anterius angustior, pone oculos plus minusve lobatus.

Scutellum distinctum, triangulare, apice rotundatum.

Elytra oblonga, antice thoracis basi latiora, basi conjunctim leviter sub-emarginata, humeris obtuse angulatis, sub-elevatis; supra convexa, versus apicem sæpius callosa, apice ipso conjunctim rotundata.

Obs. — Corpus oblongum, sub-ovatum, aut squamosum, aut tomentosum, alatum; aut mediocris aut minoris magnitudinis.

Patria: Europa, Sibiria, India orientalis, Africa meridionalis.

---

(1) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 229. n° 130.

(2) Fabr. Syst. El. II. p. 439. n° 159. — Oliv. Ent. V. 83. p. 72. n° 4. — Gyllenh. Ins. Suec. III. p. 63. — Latr. in Dict. Class. d'Hist. Nat. XIV. p. 582. — Thunb. in N. Acta Ups. VII. p. 107. — Zetterst. Faun. Ins. Lapp. I. p. 305. subdiv. 3.

(3) Lat. Gen. Cr. et Ins. II. p. 261.

STIRPS 1. — Tibiæ in plerisque rectæ, anteriores apice unco minuto armatæ.

Manipulus. I. — Pedes antici non longiores; femora semper mutica. — *Notaris* Germ. *in Litteris.* — LATR., STEPH.

♂♀ 1. E. BIMACULATUS.

Niger, opacus, fusco-pilosus, rostro longo, arcuato, nigro, disperse punctato, elytris obsolete striatis, interstitiis sub-planis, confertim alutaceis, puncto disci albido-piloso notatis. — GHL.

Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 442. n° 16.
GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 74. n° 9.
Curculio id. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 401. n° 30. — *Mant.* I. p. 98. n° 21.
HERBST. *Col.* VI. p. 291. n° 262. T. 82. f 8.
OLIV. *Enc. méth.* V. p. 478. n° 29.
ROSSI. *Faun. Etr.* I. p. 110. n° 282. — Ed. HELLW. I. p. 117. n° 282.
VILL. *Ent. Linn.* IV. p. 284.
PANZ. *Ent. Germ.* p. 300. n° 5.
LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1747. n° 123.
Notaris id. STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 82. n° 2.

Patria : Europa borealis et meridionalis, Sibiria.

♂♀ 2. E. SCIRPI.

Niger, opacus, fusco-pilosus, rostro longo, arcuato, nigro, evidenter striato, elytris versus suturam profundius striatis, interstitiis convexis, alutaceis.

Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 446. n° 43.
OLIV. *Ent.* V. 83. p. 144. n° 103. T. 29. f. 427.
Curculio id. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 405. n° 49.
HERBST. *Col.* VI. p. 444. n° 442.
ROSSI. *Faun. Etr.* I. p. 118. n° 303. — Ed. HELLW. I. p. 126. n° 303. forte.
Curculio rhamni. HERBST. *Col.* VI. p. 280. n° 253. T. 81. f. 10. — *Arch.* V. p. 78. n° 51.
LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1761. n° 280.

Habitat in Gallia, Austria, Volhynia, Italia. Mus. SCHH. et GHL.

Observ. — *Erirhino bimaculato* simillimus et valde affinis, plerumque tamen paulo minor, rostrum a basi ad antennarum in-

sertionem evidenter striatum; striæ elytrorum interiores, seu suturæ proximæ, profundiores et illarum interstitia magis convexa, unde ut distincta species considerari possit. Punctum densius pallido-pilosum in elytris, pone medium, versus suturam, etiam in hac specie plerumque adest, ut in *Erirhino bimaculato*, et cætera omnia exacte ut in illo.—GHL.

♂♀ 3. E. ACRIDULUS.

Niger, griseo-pubescens, antennis pedibusque rufo-piceis, rostro longissimo, arcuato, atro, punctulato, elytris profunde punctato-striatis, interstitiis rugosis.—GHL.

Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 454. n° 79.
GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 75. n° 10.
OLIV. *Ent.* V. 83. p. 147. n° 109. T. 27. f. 406.
ZETTERST. *Faun. Ins. Lapp.* I. p. 316. n° 29.
ILLIG. *Mag.* IV. p. 142. n° 79.
DEJEAN. *Catal. Col.* p. 87.
Curculio id. LINN. *Faun. Suec.* n° 584. — *Syst. nat.* I. II. p. 607. n° 13. — Ed. GMEL. I. IV. p. 1744. n° 13. — FAB. *Ent. Syst.* I. II. p. 411. n° 75. — *Mant.* I. p. 102. n° 62. — *Sp. Ins.* I. p. 169. n° 46. —*Syst. Ent.* p. 133. n° 32. — HERBST. *Col.* VI. p. 272. n° 244. T. 81. f. 1. — *Arch.* IV. p. 72. n° 24. T. 24. f. 12.
OLIV. *Enc. méth.* V. p. 485. n° 69.
PAYK. *Faun. Suec.* III. p. 238. n° 46. — *Mon. Curc.* p. 50. n° 47.
DE GEER. *Ins.* V. p. 235. n° 22.
PANZ. *Faun. Germ.* XLII. n° 10. — *Ent.* p. 305. n° 35.
ROSSI. *Faun. Etr.* I. p. 118. n° 304.—Ed. HELLW. I. p. 126. n° 304.
SCHRANK. *Faun. Boica.* I. p. 489. n° 534.
WALCKEN. *Faun. Par.* I. p. 243. n° 19.
GOEZE. *Eur. Faun.* VIII. p. 445. n° 5.
VILL. *Ent.* I. p. 176. n° 10.
PETAGNA. *Ins. Cal.* p. 13. n° 68.
RAZOUM. *Hist. Nat.* I. Suppl. p. 291.
MULL. *Zool. Dan. Prodr.* p. 89. n° 993.
FOURC. *Ent. Par.* I. p. 125. n° 32.
Mémoires de la Soc. roy. d'Agric. de Paris (Trim. de print. 1787.)
MULL. LINN. *Nat. Syst.* V. I. p. 217. n° 13.
Notaris id. STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 81. n° 1.
VAR. β. Elytris puncto posteriori albido.—GHL.
Rhynchænus acridulus, var. b. GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 75. n° 10.
ZETTERST. *Faun. Ins. Lapp.* I. p. 316. n° 29.

Notaris acridulus, var. β. STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 81. n° 1.
Rhynchænus punctum. FABR. *Syst. El.* II. p. 442. n° 17.
Curculio id. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 401. n° 31.
HERBST. *Col.* VI. p. 441. n° 435.
PANZ. *Ent. Germ.* p. 300. n° 6.
Curculio rigidus. MARSH. *Ent. Br.* I. p. 270. n° 97.

VAR. γ. Elytris e pube ferruginea irroratis, antennis pedibusque obscurioribus piceis.

Rhynchænus acridulus, var. GYLLENH. *Ins. Suec.* IV. p. 556.

VAR. δ. Corpore toto rufo-piceo.

Patria: Europa borealis et meridionalis.

4. E. CONSTRICTUS.

Oblongo-ovatus, convexus, niger, undique dense albido-squamulosus, antennarum basi, tibiis tarsisque obscure ferrugineis, thorace pulvinato, punctatissimo, elytris punctato-striatis, interstitiis planis, sub-lævibus, rostro tenui, arcuato, longitudine dimidii corporis.

Rhynchænus id. SAY. *In Journ. Acad. Nat. Soc. Philad.* III. p. 313. n° 4.
Balaninus id. SAY. *Descript. of Curcul. of N. Amer.* p. 26.

Patria: America borealis, Missuri. Ex Musæo Dom. SAY, ad describendum, amice communicatus.

Erirhino acridulo facie subsimilis. Caput parvum, sub-globosum, retractum, punctulatum, nigrum; oculi rotundati, depressi, brunnei; rostrum longitudine dimidii corporis, tenue, cylindricum, arcuatum, basi albido-squamulosum. Antennæ breviusculæ, in medio rostri insertæ, nigræ, scapo ferrugineo. Thorax latitudine baseos vix brevior, anterius angustior, apice truncatus, lateribus, modice ampliatus, basi bi-sinuatus, supra convexus, pulvinatus, confertissime punctatus, niger, squamositate densa, depressa, albida, præsertim subtus et lateribus vestitus. Scutellum parvum, depressum, punctatum, nigrum. Elytra antice sub-sinuata, thoracis basi multo latiora, humeris sub-elevatis, fere rectangulatis; lateribus non ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace vix triplo longiora, supra convexa, distincte striata et in striis obsolete punctata, interstitiis planis, fere lævibus; nigra, squamositate densa albida tecta. Corpus subtus punctulatum, nigrum, dense albido-squamulosum. Pedes mediocres, dense albido squamulosi; femoribus crasse clavatis, nigris, muticis; tibiis tarsisque obscure ferrugineis. GYLL.

* 5. E. Steveni. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, opacus, parce cinereo-tomentosus, antennis tarsisque rufo-piceis, thorace confertissime punctato, parum convexo, obsolete carinato, elytris remote punctato-striatis, fusco et cinereo variegatis.

Patria : Rossia, ad Charkow. Ex Musæo Dom. Steven, ad describendum amice missus.

Erirhino bimaculato brevior, sed non angustior. Caput retractum, sub-globosum, confertim punctatum, nigrum, opacum, parce cinereo-tomentosum; oculi ovati, nigri, sub-depressi; rostrum vix longitudine capitis cum thorace, validum, modice arcuatum, supra obsolete carinatum, confertim punctulatum, nigrum, opacum. Antennæ longiusculæ, piceæ, cinereo-pilosæ et pubescentes. Thorax latitudine brevior, antice subito angustior, apice leviter emarginatus, intra apicem obsolete constrictus, lateribus valde rotundato-ampliatus, basi truncatus, supra parum convexus, in medio obsolete carinatus, undique confertissime punctatus, niger, opacus, parce cinereo-tomentosus. Scutellum elevatum, ovatum, nigrum, densius cinereo-tomentosum. Elytra antice conjunctim emarginata, thoracis basi multo latiora, humeris alte elevatis, rotundatis; lateribus non ampliata, apice conjunctim acute rotundata, thorace fere quadruplo longiora, supra modice convexa, æqualia, concinne sulcata, sulcis in fundo remote catenato-punctatis, interstitiis planis, confertissime alutaceis; nigra, tomento cinereo et fusco maculatim obsolete variegata. Corpus subtus confertissime punctatum, nigrum, magis nitidum, parce cinereo-tomentosum. Pedes mediocres, nigri, scabri; femoribus sub-clavatis, muticis; tibiis rectis, versus apicem densius albido-tomentosis; tarsis dilatatis, rufo-piceis. Ghl.

* 6. E. Æthiops.

Niger, glaber, antennis pedibusque rufo-piceis, rostro longissimo, arcuato, thorace oblongo, elytris oblongo-ovatis, punctato-striatis, interstitiis sub-lævibus.—Ghl.

Rhynchænus id. Fabr. *Syst. El.* II. p. 246. n° 41.
Gyllenh. *Ins. Suec.* III. p. 72. n° 8.
Oliv. *Ent.* V. 83. p. 146. n° 108. T. 27. f. 403.
Zetterst. *Faun. Ins. Lapp.* I. p. 316. n° 28.
Dej. *Cat. Col.* p. 87.

STURM. *Ins. Cat.* 1826. p. 190.

Curculio id. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 405. n° 48.

HERBST. *Col.* VI. p. 270. n° 241. T. 80. f. 10.

PAYK. *Faun. Suec.* III. p. 256. n° 54.—*Mon. Curc.* p. 49. n° 46.

* VAR. β. Corpore toto, vel saltem elytris dilutius rufo-piceis.— GYLLENH. l. c. var. b.

* VAR. γ. Pedibus nigris vel nigro-piceis.— GYLLENH. l. c. var. c.

Curculio Holomelanus. HERBST. *Col.* VI. p. 271. n° 242. T. 80. f. 11.

Patria : Lapponia, Suecia.

7. E. PILLUMUS.

Elongatus, rufo-brunneus, indumento cinereo tectus, setisque albidis adspersus, antennis pedibusque testaceis, thorace punctato, elytris punctato-striatis, interstitiis alternis elevatioribus.

Bagous id. STURM. *Ins. Cat.* 1826. p. 99.

Rhynchænus chamomillæ. Dom. KOCK *in Litteris,* teste Dom. SCHUPPEL.

Patria : Germania. A Dom. STURM benevole communicatus. Mus. SCHH.

Parvus; *Bagoo lutulento* sub-æqualis. Caput breve, convexum, punctatum, brunneum, indumento adglutinato cinereo tectum; oculi demissi, nigro-brunnei, parum prominuli; rostrum longitudine fere capitis cum thorace, validum, arcuatum, sub-depressum, supra rugulosum et setosum, rufo-brunneum. Antennæ mediocres, dilutius testaceæ, pubescentes. Thorax latitudine vix brevior, apice late emarginatus, lobis ocularibus rotundatis, intra apicem constrictus, margine elevato; lateribus parum ampliatus, basi bi-sinuatus, supra modice convexus, evidenter punctatus, brunneus, indumento adglutinato cinereo tectus. Scutellum parvum, tuberculiforme, concolor. Elytra antice singulatim rotundata, thoracis basi multo latiora, humeris elevatis, obtuse angustatis; lateribus non ampliata, apice singulatim obtuse rotundata, thorace triplo longiora, supra convexa, evidenter punctato-striata, interstitiis alternis nonnihil elevatioribus, convexis; rufo-brunnea, indumento adglutinato cinereo tecta, et setis rigidis albidis, præsertim versus apicem adspersa. Corpus subtus punctulatum, brunneum, dense cinereo inductum. Pedes breviusculi, validi, dilutius ferruginei, pubescentes. — GHL.

Manipulus II. — Pedes antici plus minusve longiores. DORYTOMUS GERM. *in Litteris*, LATR., STEPH. (1), DEJ., STEVEN, SAHLB., STURM.

†) Femora mutica.

* E. 8. PETAX. *Steven.*

Oblongus, niger, cinereo-squamosus, pedibus clavaque antennarum rufescentibus, rostro arcuato, elytris obsolete punctato-striatis. SAHLB.

Dorytomus id. SAHLB. *Spec. Ins.* I. p. 41. n° 27.
STEV. *Mus. Mosqu.* II. p. 88.

Patria : Tauria.

* 9. E. EPHIPPIATUS.

Oblongo-ovatus, rufo-testaceus, subtiliter cinereo-tomentosus, pectore nigro, rostro breviore, parum arcuato, thorace brevi, punctulato, antice constricto, elytris punctato-striatis, lituris dorsalibus arcuatis, brunneis, notatis.

SAY. *Descript. of Curcul. of N. Americ.* p. 26.

Patria : America borealis, Connecticut. A Dom. SAY amice communicatus. Mus. SCHH.

Parvus; *Erirhino infirmo* æqualis et similis, sed elytrorum signaturæ aliæ et femora mutica. Caput parvum, rotundatum, punctulatum, rufo-testaceum, fronte plana, cinereo-tomentosa; oculi subdepressi, brunnei; rostrum vix capite dimidio longius, validum, parum, arcuatum, punctulatum, rufo-testaceum, sub-nudum. Antennæ breves, rufo-testaceæ. Thorax latitudine brevior, anterius angustior, basi apiceque truncatus, intra apicem constrictus, lateribus modice ampliatus, supra parum convexus, punctulatus, rufo-testaceus, tomento depresso cinereo-albido vestitus. Scutellum rotundatum, concolor, tomentosum. Elytra antice thoracis basi fere dimidio latiora, humeris elevatis, sub-rectangulatis; lateribus non ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace quadruplo longiora, supra convexa, punctato-striata, rufo-testacea, tomento cinereo-albido inæqualiter vestita; in medio dorsi fascia, antrosum arcuata, e lineolis denudatis brunneis composita; in basi interiore plaga et in callo postico litura ejusmodi conspiciuntur. Corpus subtus con-

(1) Latr. Règne Anim. p. 394. — Steph. Brit. Ent. IV. p. 82.

fertim punctulatum, parce tomentosum, pectore nigro, thoracis supina parte ventreque rufo-ferrugineis. Pedes breviusculi, validi, pallidius testacei, femoribus sub-clavatis, muticis. — GHL.

++) Femora dentata.

♂♀ 10. E. VORAX.

Nigro-piceus, inæqualiter cinereo-tomentosus, antennis pedibusque ferrugineis, rostro longo, tenui, valde arcuato, nigro, supra striato, thorax transverso, antice constricto, elytris punctato-striatis, ferrugineo nigroque variegatis, plagis maculisque numerosis cinereo-tomentosis adspersis.—GHL.

Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 491. n° 251.
OLIV. *Ent.* V. 83. p. 219. n° 212. T. 3. f. 29. a. ♀. T. 34. f. 519. ♂.
GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 170. n° 89.
Curculio id. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 444. n° 210.
HERBST. *Col.* VI. p. 165. n° 123. T. 71. f. 4. ♀.
PAYK. *Faun. Suec.* III. p. 189. n° 5.
PANZ. *Faun. Germ.* XVIII. n° 13. ♀.—*Ent. Germ.* p. 318. n° 106.
Dorytomus id. STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 82. n° 1.
DEJ. *Catal. Col.* p. 86. ♂.
STURM. *Ins. Catal.* 1826. p. 134.
Dorytomus ventralis. DEJ. *Cat. Col.* p. 86. ♀.
Rhynchænus id. Dom. MEGERLE *in Litteris.*
Curculio cursor. PAYK. *Mon. Curc.* p. 3. n° 3.
Curculio longipes. LAICH. *Tyr. Ins.* I. p. 214. n° 11.
VILL. *Ent.* I. p. 192. n° 80.
Curculio longimanus. FORST. *Cent. Ins.* p. 32. n° 32.
MARSH. *Ent. Brit.* p. 293. n° 161.
Curculio forsteri. LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1770. n° 273.
OLIV. *Enc. méth.* V. p. 520. n° 219.
SCHÆFF. *Icon.* Tab. 221. f. 2. a. b.
HARRER. *Beschr.* n° 301.
♂♀ VAR. β. Testaceus, rostro pectoreque nigro-piceis.—GHL.
Dorytomus ventralis. STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 83. n° 2.
♂♀ VAR. γ. Totus pallide testaceus.
Rhynchænus vorax, var. OLIV. l. c. T. 3. f. 29. b. ♀.
Rhynchænus nubeculatus. Dom. MEGERLE *in Litteris.*
Rhynchænus macropus. Dom. HELLWIG *in Litteris.*

Observ. — Rostrum longissimum, tenue, valde arcuatum, striatum, et femora antica longiora, minus crassa, dente parvo instructa, speciem ab affinibus distinguunt. Femora antica feminæ

paulo breviora quam in mare; cætera conveniunt, quare specie distingui non possit.—GHL.

Patria : Europa.

* 11. E. MUCIDUS.

Niger, inæqualiter cinereo-tomentosus, antennis ferrugineis, clava fusca, rostro longo, tenui, arcuato, sub-striato, thorace confertim punctato, cinereo vittato, antice non constricto, elytris punctato-striatis, cinereo variegatis, pedibus nigro-piceis, cinereo fasciatis.

SAY. *Descript. of Curcul. of N. Amer.* p. 14.

Patria : America borealis. A Dom. SAY amice communicatus. Mus. SCHH.

Erirhino voraci simillimus, thorace antice non constricto pedibusque nigro-piceis, cinereo fasciatis, præcipue distinctus. Caput parvum, rotundatum, supra planum, confertim punctulatum, lateribus dense cinereo-tomentosum, medio sub-nudum, fronte inter oculos foveola rotunda impressa; oculi rotundati, depressi, nigri; rostrum longitudine dimidii corporis, tenue, cylindricum, valde arcuatum, supra obsolete striatum, punctatum, nigrum. Antennæ tenues, ferrugineæ, clava fusca. Thorax transversus, antice truncatus, lateribus æqualiter rotundato-ampliatus, basi sub-sinuatus, supra parum convexus, intra apicem non constrictus, confertim punctatus, in medio linea sub-lævi notatus; niger, vittis duabus dorsalibus arcuatis liturisque lateralibus cinereo-tomentosis insignitus. Scutellum elevatum, rotundatum, nigrum, nitidum. Elytra antice conjunctim sub-emarginata, thoracis basi multo latiora, humeris elevatis, rotundatis; lateribus non ampliata, apice singulatim acute rotundata, thorace quintuplo longiora, supra parum convexa, distincte punctato-striata, interstitiis subtiliter alutaceis; nigra, plagis maculisque numerosis cinereo-tomentosis variegata. Corpus subtus confertim, sed obsoletius punctatum, nigrum, parcius æqualiter cinereo-tomentosum. Pedes nigro-picei, antici longiores et robustiores, femoribus omnibus sub-clavatis, subtus versus apicem dente parvo, acuto, armatis, supra fascia lata cinereo-tomentosa notatis; tibiis rectis tarsisque cinereo-ciliatis. — GHL.

* 12. E. TREMULÆ.

Fusco-ferrugineus, cinereo-pubescens, rostro longo, tenui, arcuato, atro, basi substriato, elytris cinereo fuscoque variegatis, femoribus crassis, clavatis, valide dentatis.—GHL.

Rhynchænus id. GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 171. n° 90.
OLIV. *Ent.* V. 83. p. 221. n° 214. T. 34. f. 520. a. b
Curculio id. PAYK. *Faun. Suec.* III. p. 189. n° 6. — *Mon. Curc.* p. 4. n° 4.
Dorytomus id. STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 85. n° 8.
* VAR. β. Capite, thoracis fascia media, elytrorum disco, pedibusque fusco-piceis.—GHL. l. c. var. b.
Rhynchænus tremulæ. FABR. *Syst. El.* II. p. 492. n° 553.?
Curculio id. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 445. n° 212. — *Mant.* I. p. 109. n° 147.?
OLIV. *Enc. méth.* V. p. 519. n° 215.?
HERBST. *Col.* VI. p. 476. n° 489.?
MARSH. *Ent. Brit.* p. 291. n° 156.?
VILL. *Ent. Lin.* IV. p. 240.?
LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1769. n° 263.
Curculio tæniatus. HERBST. *Col.* VI. p. 271. n° 243. T. 80. f. 12.
Curculio fumosus. ROSSI. *Faun. Etr.* I. p. 124. n° 317.—Ed. HELLW. p. 133. n° 317.
Dorytomus id. STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 85. n° 9.
Curculio maculatus. MARSH. *Ent. Brit.* p. 292. n° 158.?

Patria : Europa.

13. E. VARIEGATUS. *Megerle.*

Nigro-piceus, densius cinereo-pubescens, rostro longo, tenui, arcuato, atro, leviter striato, thorace latiore, parum convexo, femoribus crassis, clavatis, valide dentatis.

Dorytomus id. DEJ. *Cat. Col.* p. 86.
STURM. *Ins. Cat.* 1826. p. 134.

Habitat in Austria. Dom. Com. DEJEAN. Mus. SCHH. et GHL.

Erirhino tremulæ valde affinis, sed obscurior, densius pubescens, paulo latior, præsertim thorax, et minus convexus. Caput parvum, sub-globosum, punctatum, nigrum, parce cinereo-pubescens, fronte inter oculos impressa ambituque oculorum densius pubescentibus; oculi rotundati, brunnei, parum prominuli; rostrum longitudine capitis cum thorace, arcuatum, atrum, nitidum, feminæ tenue, versus basin subtiliter striatum et punctulatum, maris paulo crassius, evidentius striatum. Antennæ subtenues, ferrugineæ, cinereo-pubescentes. Thorax latitudine media multo brevior, basi apiceque truncatus, antice angustior et transversim depressus, lateribus æqualiter rotundato-ampliatus, supra parum convexus,

confertim punctulatus, niger vel nigro-piceus, pube densa, depressa, cinereo-albida tectus, relictis lineis tribus angustis magis nudis, media leviter carinata. Scutellum parvum, concolor. Elytra elongata, antice thoracis basi paulo latiora, humeris sub-elevatis; lateribus vix ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace plus triplo longiora, supra parum convexa, in dorso anteriore depressa, evidenter punctato-striata, nigra, pube densa, depressa, cinerea, tecta. Corpus subtus nigrum, confertim punctulatum, cinereo-pubescens. Pedes validi, nigro-picei, interdum dilutius ferruginei, cinereo-pubescentes; femoribus crassis, subtus dente robusto armatis; tarsis dilatatis, dilutius ferrugineis. — Ghl.

* 14. E. Vecors. *Schh.*

Fusco-ferrugineus, cinereo-pubescens, rostro longo, subtenui, arcuato, atro, evidentius striato, thorace postice angustiore, magis convexo, femoribus crassis, clavatis, valide dentatis.

* Var. β. Pallide testaceus, rostro brunneo, pectore piceo.

Habitat in Suecia. Mus. Schh. et Ghl.

Magnitudo, statura et affinitas *Erirhini tremulæ*, sed rostrum paulo crassius, evidentius striatum, femora crassiora, dente validiore armata. Caput parvum, sub-globosum, punctatum, piceum, parce cinereo-pubescens, fronte inter oculos impressa; oculi rotundati, nigro-brunnei, modice prominuli. Rostrum longitudine capitis cum thorace, subtenue, valde arcuatum, atrum, nitidum, evidentius striatum. Antennæ ferrugineæ, cinereo-pubescentes. Thorax latitudine multo brevior, basi apiceque truncatus, antice angustior et intra apicem transversim impressus, lateribus valde rotundato-ampliatus, posterius iterum paulo angustior, supra in medio transversim convexus, sub-pulvinatus, confertim punctatus, fusco-piceus, cinereo-pubescens, in medio carinula tenui, obsoleta notatus. Scutellum parvum, apice rotundatum, fuscum. Elytra elongata, antice thoracis basi latiora, humeris sub-elevatis, rotundatis, lateribus vix ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace fere quadruplo longiora, supra modice convexa, evidenter punctato-striata, fusco et ferrugineo variegata, pube depressa, cinerea, inæqualiter adspersa. Corpus subtus punctulatum, cinereo-pubescens, thorace, pectore ventrisque basi fusco-piceis, abdomine ferrugineo. Pedes validi, ferruginei, cinereo-pubescentes; genibus fuscis; femoribus crasse clavatis, subtus dente robusto, acuminato, armatis; tibiis compressis; tarsis dilatatis, dilutioribus.

Var. β. Colore dilutiore tantum differt; rostrum nigro-brunneum, pectus fuscum, reliqua pallide testacea. Ghl.

* 15. E. COSTIROSTRIS. *Schh.*

Elongatus, niger, ferrugineo-variegatus, cinereo-pubescens, rostro crassiore, arcuato, atro, profunde striato, pedibus ferrugineis.

Dorytomus tremulæ. DEJ. *Cat. Col.* p. 86.

* VAR. β. Corpore pallidiori, fusco variegato.

* VAR. γ. Nigrior, pedibus ferrugineo-piceis.

Habitat in Finlandia, Wermelandia, Westrogothia, Persia, Sibiria. Mus. SCHH. et GHL. Sub nomine *Dorytomus tremulæ* etiam a Dom. Com. DEJEAN, e Gallia missus.

Erirhino affini proximus, nostro paulo longiore, magis arcuato, profunde striato, præcipue distinctus; a reliquis affinibus rostro crassiore, profundius striato, etiam differt. Caput parvum, subglobosum, punctatum, piceum, parce cinereo-pubescens, fronte inter oculos parum impressa, densius pubescente; oculi rotundati, nigro-brunnei, modice prominuli; rostrum longitudine fere capitis cum thorace, crassiusculum, arcuatum, atrum, sub-nitidum, secundum totam longitudinem profunde striatum. Antennæ ferrugineæ, clava pubescente. Thorax latitudine multo brevior, basi apiceque truncatus, anterius angustior et transversim impressus, lateribus valde rotundato-ampliatus, posterius iterum angustior, supra in medio transversim convexus, sub-pulvinatus, confertim punctatus, pube depressa, cinerea, adspersus, aut totus niger, aut antice posticeque fusco-ferrugineus, in medio obsolete carinatus. Scutellum parvum, apice rotundatum, fuscum vel ferrugineum. Elytra oblonga, antice thoracis basi latiora, humeris elevatis, rotundatis; lateribus non ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace plus triplo longiora, supra convexa, punctato-striata, aut tota fusco-nigra, aut ferrugineo variegata, pube depressa, cinerea, inæqualiter adspersa. Corpus subtus punctatum, pubescens, aut totum nigrum, aut ventre fusco-ferrugineo, præsertim posterius. Pedes validi, ferruginei; genibus nigro-fuscis; femoribus crasse clavatis, subtus dente mediocri armatis; interdum pedes toti obscuriores, piceo-ferruginei, ut in var. γ. GHL.

* 16. E. VALIDIROSTRIS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, pube cinereo-albida variegatus, antennis pedibusque ferrugineis, elytris tenuiter punctato-striatis, rostro brevi, crasso, subrecto.

Habitat in Gallia, Parisiis. Dom. CHEVROLAT; in Tauria. Dom. STEVEN. Mus. SCHH.

Erirhino affini proximus et minoribus ejus æqualis, rostro adhuc breviore et crassiore præcipue distinctus. Caput sub-globosum, punctulatum, nigrum, parum pubescens; oculi majusculi, rotundati, nigri, modice prominuli; rostrum capite duplo longius, crassum, fere rectum, confertim subtiliter punctulatum, nigrum, parce pubescens. Antennæ ferrugineæ, clava nigricante. Thorax latitudine multo brevior, antice subito angustior, truncatus, intra apicem obsolete transversim impressus, lateribus rotundato-ampliatus, basi sub-sinuatus, supra parum convexus, confertim punctulatus, niger, versus latera pube densiore cinereo-albida vestitus, relicto puncto marginali nudo. Scutellum rotundatum, nigrum. Elytra thoracis basi multo latiora, humeris elevatis, rotundatis, lateribus non ampliata, apice singulatim acute rotundata, thorace triplo longiora, supra parum convexa, tenuiter striata et in striis confertim punctulata, nigra, parce cinereo-pubescentia, vitta obsolete brunnea, densius albido-pubescente, nigro-punctata, ab humero versus posteriora ducta, insignita, callo postico niveo-pubescente. Corpus subtus nigro-piceum, confertim punctatum, parce pubescens, ventre posterius ferrugineo. Pedes validi, ferruginei; femoribus clavatis, dente valido armatis. — GHL.

* 17. E. AFFINIS.

Niger, densius cinereo-pubescens, antennis pedibusque obscuro-ferrugineis, rostro crassiori, rugoso, thorace brevissimo, elytris ferrugineo cinereoque variegatis.—GHL.

Rhynchænus id. GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 174. n° 92.
ZETTERST. *Faun. Ins. Lapp.* I. p. 307. n° 9.
Curculio id. PAYK. *Faun. Suec.* III. p. 190. n° 7.
Dorytomus id. STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 84. n° 7.
Curculio tremulæ, var. β. PAYK. *Mon. Curc.* p. 5.
Rhynchænus flavipes. OLIV. *Ent.* V. 83. p. 222. n° 216. T. 34. f. 523.

* VAR. β. Corpore pallidiori, fusco-variegato. — GYLLENH. *Ins. Suec.* l. c. var. b.

* VAR. γ. Nigrior, femoribus etiam infuscatis. — GYLLENH. *Ins. Suec.* IV. p. 584.

Patria : Suecia.

18. E. BITUBERCULATUS.

Cinereo-pubescens, fusco-piceus, supra variegatus, rostro mediocri, sub-arcuato, pectore abdomineque nigris, antennis, thorace antice posticeque pedibusque obscure rufescentibus, elytris ante apicem tuberculo albo-pubescente.—ZETTERST.

Rhynchænus id. ZETTERST. *Faun. Ins. Lapp.* I. p. 305. n° 8.

♂♀ VAR. *α*. Elytris maculatim cinereo-pubescentibus rufo-piceis, maculis confluentibus præsertim in disco interiori perspicuis nigris.—ZETT. l. c.

♀ VAR. β Elytris sub-maculatim cinereo-pubescentibus, pallide rufescentibus, maculis minoribus sub-discretis æqualiter fere sparsis nigris.— ZETT. l. c. var. b.

VAR. γ. Elytris æqualiter cinereo-pubescentibus, fusco-nigris, macula humerali apiceque rufo-piceis, puncto ante apicem tuberculiformi, pube alba vestito evidentiori. —ZETT. l. c. var. c.

Observ.—Magnitudo præcedentis, et affinitas *Rhynchæni tremulæ* ac præsertim hujus varietatis b, a Gyllenhalio descriptæ, sed a *Rhynchæno affini* mox differt rostro longiori, thorace minus dilatato, ut et colore, et a *Rhynchæno tremulæ* magnitudine minori, rostro crassiori et minus arcuato, etc.—ZETT.

Patria : Lapponia, Botnia occidentalis, Norvegia.

* 19. E. SURATUS. *Megerle.*

Oblongus, niger, cinereo-pubescens, pedibus ferrugineis, nigro-geniculatis, elytris testaceis, vittis duabus abbreviatis nigris, dorsali latiore, rostro longo, subtenui, arcuato, striato.

Dorytomus surutus. DEJ. *Cat. Col.* p. 86.

Habitat in Austria. A Dom. CHEVROLAT benevole communicatus. Mus. SCHH.

Erirhino affini et *tæniato* similis, sed minor, præsertim angustior, rostro multo longiore et tenuiore ab utroque distinctus. Caput sub-globosum, punctatum, nigrum, inter oculos albido-posterius cinereo-pubescens; oculi majusculi, rotundati, nigro-brunnei, convexi; rostrum longitudine fere dimidii corporis, subtenue, filiforme, arcuatum, evidenter striatum, nigrum, parce pubescens. Antennæ ferrugineæ, cinereo-pubescentes, clava nigro-fusca. Thorax latitudine multo brevior, basi apiceque truncatus, intra apicem leviter constrictus, lateribus æqualiter rotundato-ampliatus, supra fere planus, marginibus lateralibus calloso-elevatis; confertim punctulatus, pube cinereo-albida sub-variegatus, in dorso niger, limbo obscure ferrugineo; supra non carinatus, modo linea denudata nigriore notatus. Scutellum parvum, nigrum. Elytra antice thoracis basi latiora, humeris elevatis, rotundatis, lateribus non ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace quadruplo longiora, supra minus convexa, sat profunde

striata et in striis confertim punctata, ferruginea, cinereo-pubescentia; juxta suturam vitta lata nigra et intra marginem alia angustior, ambæ postice abbreviatæ. Corpus subtus nigro-piceum, punctulatum, tenue pubescens, ano late ferrugineo. Pedes validi, ferruginei; femoribus clavatis, obtuse dentatis, anticis dimidiato-nigris, reliquis apice tantum. — GHL.

* 20. E. TÆNIATUS.

Fusco-piceus, pedibus testaceis, thorace postice sub-angustiori, basi apiceque testaceo, elytris pallidis, fusco maculatis, rostro crassiori rugoso.—GHL.

Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 492. n° 255.
GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 175. n° 93. et IV. p. 584. n° 93.
ZETTERST. *Faun. Ins. Lapp.* I. p. 307. n° 10. ?
OLIV. *Ent.* V. 83. p. 223. n° 217. T. 24. f. 307.?
Curculio id. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 445. n° 214.—*Mant.* I. p. 109. n° 148. — *Spec. Ins.* I. p. 181. n° 118.
PAYK. *Faun. Suec.* III. p. 191. n° 8.
OLIV. *Enc. méth.* V. p. 520. n° 216.
PANZ. *Ent. Germ.* p. 318. n° 108.
VILL. *Ent.* I. p. 200. n° 109. et IV. p. 274. n° 109.
LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1769. n° 264.
Dorytomus id. STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 86. n° 10.
DEJ. *Cat. Col.* p. 86.
* VAR. β. Niger, thorace rufo, parum fusco maculato, elytris rufo-ferrugineis, fusco cinereoque nebulosis, pedibus rufis.—GHL.
Rhynchænus id. var. b. GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 176.

Patria : Europa septentrionalis et temperata.

* 21. E. SALICINUS.

Angustior, nigro-piceus, variegatus, pedibus totis testaceis, thorace longiore, lateribus æqualiter rotundato, subtus cum pectore dense albido-pubescens.—GHL.

Rhynchænus id. GYLLENH. *Ins. Suec.* IV. p. 584. n° 93-94.
Rhynchænus tæniatus, var. c. GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 175. n° 95.
Rhynchænus parvulus. ZETTERST. *Faun. Ins. Lapp.* I. p. 307. n° 11.
Curculio affinis, var. pygmæa. PAYK. *Faun. Suec.* III. p. 191. n° 7.
Curculio tremulæ, var. γ. PAYK. *Mon. Curc.* p. 5. n° 4.
* VAR. β. Antennis totis nigris.

Patria : Lapponia, Finlandia, Norvegia.

22. E. FRUCTUUM (1).

Ferrugineus, elytris nigro obsolete nebulosis.—MARSH.

Curculio id. MARSH. *Ent. Brit.* p. 292. n° 159.

Patria : Anglia.

* 23. E. OCCALLESCENS. *Schh.*

Oblongus, capite, rostro corporeque subtus nigris, antennis pedibusque ferrugineis, thorace elytrisque testaceis, tomento albido liturisque nigris et brunneis variegatis, callo postico elytrorum alte elevato, niveo, rostro brevi, crasso.

Habitat in Helvetia. A Dom. CHEVROLAT amicissime communicatus. Mus. SCHH.

Parvus; *Erirhino majali* sub-æqualis. Caput parvum, punctatum, nigrum, fronte dense albido-tomentosa; oculi majusculi, rotundati, nigro-brunnei, minus prominuli; rostrum capite duplo longius, crassum, subrectum, confertim punctulatum, nigrum, parcius pubescens. Antennæ ferrugineæ, clava nigricante. Thorax latitudine parum brevior, basi apiceque truncatus, lateribus æqualiter rotundato-ampliatus, supra modice convexus, punctatus, testaceus, tomento depresso, albido, vestitus, vitta media abbreviata, alia utrinque, in medio interrupta punctoque marginali utrinque, brunneis insignitus. Scutellum parvum, oblongum, nigrum. Elytra thoracis basi multo latiora, humeris elevatis, rotundatis, lateribus non ampliata, apice singulatim sub-acuminata, thorace plus triplo longiora, supra modice convexa, evidenter, sub-remote punctato-striata, testacea, tomento depresso, albido, vestita, apice late brunnea et in disco litura majori difformi nigra minoribusque sparsis brunneis variegata; callus posticus oblongus, solito altius elevatus, dense niveo-tomentosus. Corpus subtus nigrum, punctatum, cinereo-tomentosum. Pedes validi, ferruginei, cinereopubescentes; femoribus crassis, clavatis, subtus dente obtuso armatis. — GYLL.

* 24. E. MINUTUS.

Oblongo-ovatus, fusco-testaceus, pube albida variegatus, antennis pedibusque pallide testaceis, rostro breviore, crassiusculo, subrecto, thorace transverso, femoribus sub-dentatis.

---

(1) Mihi invisus.

Dorytomus id. DEJ. *Catal. Col.* p. 86.

Habitat in Austria. Dom. Com. DEJEAN. Mus. SCHH.

Parvus; *Erirhino majali* fere dimidio minor. Caput mediocre, convexum, punctatum, obscure testaceum, pube depressa, albida, nitida, tectum; oculi rotundati, brunnei, parum prominuli; rostrum capite vix dimidio longius, crassiusculum, deflexum, parum arcuatum, subtiliter punctatum, nigrum, basi albido-pubescens. Antennæ ferrugineæ, pubescentes, clava brunnea. Thorax latitudine brevior, basi apiceque truncatus, lateribus ante medium rotundato-ampliatus, supra parum convexus, confertim punctatus, obscure testaceus, pube depressa, albida, versus latera et in vittis duabus latis dorsalibus magis condensata, adspersus. Scutellum triangulare, concolor. Elytra oblonga, antice thoracis basi multo latiora, humeris elevatis, sub-angulatis, lateribus vix ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace plus triplo longiora, supra modice convexa, subtiliter punctato-striata, versus latera dilutius, in dorso obscurius testacea, pube depressa, albida, inæqualiter variegata. Corpus subtus obscurius brunneum, confertim punctatum, parcius albido-pubescens. Pedes mediocres, pallidius testacei, parce pubescentes; genibus sub-fuscis; femoribus modice clavatis, subtus dente parvo armatis. — GHL.

25. E. VESTITUS. *Schh.*

Oblongus, niger, subtus et lateribus squamositate cretacea vestitus, antennis pedibusque obscure testaceis; thorace confertim alutaceo, vittis tribus albis notato; elytris punctato-striatis, dorso pallido squamulosis, apice griseo-setosis.

Patria: Caffraria. Ex Musæo Dom. ECKLON et ZEYHER descriptus.

Minutus; *Erirhino majali* fere minor. Caput sub-globosum, confertim granulatum, nigrum, fusco-squamulosum, orbita oculorum vittaque frontali cretaceo-squamulosis; oculi rotundati, nigri, parum convexi; rostrum capite dimidio longius, validum, arcuatum, supra leviter carinatum, punctatum et sub-striatum, nigrum, squamulosum, apice rufo-piceum. Antennæ breviusculæ, tenues, obscure testaceæ, dense albido-pubescentes. Thorax latitudine medii vix brevior, antice paulo angustior, apice sinuato-emarginatus, lobo medio elevato; lateribus rotundato-ampliatus, basi truncatus, supra fere planus, confertissime granulatus seu alutaceus, niger, supra squamositate fusca tectus, vittisque tribus angustis, cretaceo-squamosis, notatus. Scutellum minutum, ægre

observandum. Elytra antice conjunctim sub-emarginata, thoracis basi paulo latiora, pone basin oblique ampliata, posterius angustiora, apice conjunctim rotundata, thorace triplo longiora, supra modice convexa, distincte punctato-striata, nigra, lateribus dense cretacea, in dorso pallescenti-squamosa, versus apicem setis longis, suberectis, griseis, adspersa. Corpus subtus punctatum, nigrum, dense cretaceo-squamulosum. Pedes mediocres, obscure testacei, inæqualiter cretaceo-squamulosi; femoribus modice clavatis, muticis. — GHL.

* 26. E. INFIRMUS.

Oblongo-ovatus, fusco-ferrugineus, inæqualiter cinereo-tomentosus, antennis pedibusque pallide testaceis, rostro breviusculo, sub-arcuato, piceo, scutello albo, elytris basi interiore, fascia inæqualiter pone medium apiceque brunneis; intra apicem fascia maculari albido-tomentosa notatis.

Curculio id. HERBST. *Col.* VI. p. 257. n° 224. T. 78. f. 13

Patria: Austria, Germania. Mus. CHEVROLAT et SCHH.

Statura *Erirhini majalis*, sed minor et distinctus. Caput convexum, punctulatum, fusco-ferrugineum, dense cinereo-albido-tomentosum; oculi rotundati, brunnei, modice prominuli; rostrum capite dimidio longius, validum, sub-arcuatum, punctulatum, nigro-piceum, nitidum, apice testaceum. Antennæ pallide testaceæ, cinereo-pubescentes. Thorax latitudine brevior, basi apiceque truncatus, lateribus modice rotundato-ampliatus, supra parum convexus, intra apicem obsolete constrictus, confertim punctulatus, obscure ferrugineus, tomento depresso, cinereo-albido, vestitus. Scutellum elevatum, rotundatum, dense albo-tomentosum. Elytra antice thoracis basi parum latiora, sed mox pone basin ampliata, humeris elevatis, rotundatis; lateribus vix ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace quadruplo longiora, supra convexa, punctato-striata, ferruginea, tomento cinereo-albido inæqualiter adspersa; in basi interiore plaga communis brunnea; pone medium fascia macularis, utrinque abbreviata, ejusdem coloris, et pone illam fascia inæqualis e maculis oblongis albidius tomentosis composita, conspiciuntur. Corpus subtus punctatum, piceum, parce tomentosum. Pedes mediocres, pallide testacei; femoribus clavatis, subtus dente parvo armatis. — GHL.

* 27. E. MAJALIS.

Niger, cinereo-pubescens, thorace, elytris, antennis, pedibus anoque rufo-ferrugineis, rostro crassiori, rugoso, elytrorum disco fusco-nebuloso.—GHL.

Rhynchænus id. GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 177. n° 94.
ZETTERST. *Faun. Ins. Lapp.* I. p. 308. n° 12.
DORYTOMUS *majalis.* STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 86. n° 11.
STEVEN. *Mus. Mosqu.* II. p. 98.
STURM. *Ins. Cat.* 1826. p. 133.

* VAR. β. Elytrorum dorso nigro-piceo, linea humerali maculis nonnullis sparsis, calloque postico elevato albo-tomentosis ornatis.— GHL.

Rhynchænus flavipes. FABR. *Syst. El.* II. p. 490. n° 247.
Curculio id. PANZ. *Faun. Germ.* LXI. n° 11.
Curculio ictor. HERBST. *Col.* VI. p. 277. n° 249. T. 81. f. 6.?

* VAR. γ. Thorace macula disci nigra.—GHL. l. c. var. b.

* VAR. δ. Rostro dimidiato-rufo, elytris rufo-testaceis, sutura nigra.—GHL. l. c. var. c.

Curculio majalis. PAYK. *Faun. Suec.* III. p. 251. n° 71. — *Mon. Curc.* p. 60. n° 57.

* VAR. ε. Rufus, capite, rostro pectoreque nigris.

* VAR. ζ. Thorace, elytris pedibusque flavescentibus, abdomine flavescente, basi fusco.—GHL. l. c. var. d.

Patria: Suecia, Gallia, Germania.

28. E. RUFUS.

Oblongo-ovatus, supra rufo-ferrugineus, inæqualiter cinereo-albido-tomentosus, subtus fusco-piceus, rostro longiore, arcuato, antennis pedibusque testaceis, thorace subtilissime punctulato, antice constricto, elytris obsolete punctato-striatis.

SAY. *Descript. of Curcul. of N. Amer.* p. 25.

Patria: America borealis. Ex Museo Dom. SAY, ad describendum, amice missus.

Erirhino majali, præsertim ejus varietate pallidiori simillimus, ejusdemque magnitudinis; rostro longiore, magis arcuato, thorace subtilius punctulato elytrisque obsoletius punctato-striatis distinctus. Caput sub-globosum, puntulatum, ferrugineum, tenuiter albido-tomentosum; oculi depressi, brunnei; rostrum longitudine capitis cum thorace, validum, valde arcuatum, confertim punctulatum, testaceum. Antennæ breves, obscure testaceæ. Thorax lati-

tudine brevior, basi apiceque truncatus, intra apicem constrictus, lateribus modice ampliatus, supra parum convexus, subtilissime punctulatus, rufo-ferrugineus, tomento tenui albido versus latera vestitus. Scutellum parvum, demersum, ferrugineum. Elytra antice thoracis basi multo latiora, humeris sub-elevatis, obtuse angulatis; lateribus non ampliata, apice conjunctim acute rotundata, thorace quaduplo longiora, supra modice convexa, obsolete punctato-striata, rufo-ferruginea, tomento tenui albido inæqualiter vestita. Corpus subtus confertim punctatum, fusco-piceum, albido-tomentosum. Pedes breviusculi, pallidius testacei; femoribus subclavatis, subtus dente parvo armatis.—GHL.

* 29. E. PECTORALIS.

Rufo-testaceus, cinereo-pubescens, pectore nigricante, rostro longiori, punctulato, apice fusco, elytris cinereo fuscoque variegatis, femoribus clavatis, acute dentatis.—GHL.

Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 490. n° 246.
GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 178. n° 95.
ZETTERST. *Faun. Suec. Lapp.* I. p. 308. n° 13.
OLIV. *Ent.* V. 83. p. 222. n° 215. T. 33. f. 522.?
Curculio id. PANZ. *Faun. Germ.* XXXVI. n° 16. — *Ent. Germ.* p. 312. n° 73.
Dorytomus id. STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 84. n° 5.
STEV. *Mus. Mosqu.* II. p. 98
STURM. *Ins. Catal.* 1826. p. 133.
Curculio rubellus. MARSH. *Ent. Brit.* p. 293. n° 162.
* VAR. β. Elytris rufo-testaceis, singulo plaga oblonga, picea anterius interne notato; subtus fusco-piceus.—GHL.
Dorytomus lateralis. STURM. *Ins. Cat.* 1826. p. 133.
Dorytomus plagiatus. Dom. DAHL. *in Litteris.*
* VAR. γ. Rufo-testaceus totus, rostri apice oculisque tantum fusco-brunneis.—GHL. l. c. var. b.
Rhynchænus id. var. b. ZETTERST. *Faun. Ins. Lapp.* l. c.
Curculio melanophthalmus. PAYK. *Faun. Suec.* III. p. 193. n° 13. *Mon. Curc.* p. 10. n° 9.
Dorytomus id. STEPH. *Brit. Ent.* IV. 84. n° 6.
* VAR. δ. Corpore toto pallido seu flavescenti.—GHL. l. c. var. c.
Rhynchænus arcuatus. FABR. *Syst. El.* II. p. 490. n° 248.
ILLIG. *Mag.* VI. p. 311. n° 248.
Curculio id. PANZ. *Faun. Germ.* XVII. n° 6. — *Krit. Rev. d. Ins. Faun.* I. p. 129.

Dorytomus id. STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 84. n° 4. ?
STURM. *Ins. Cat.* 1826. p. 133.

Patria : Europa borealis et temperata.

* 30. E. PALLIDESIGNATUS. *Schh.*

Oblongus, rufo-testaceus, inæqualiter pallido-tomentosus, pectore fusco, albo-tomentoso, antennis pedibusque pallidis, rostro breviore, sub-lævi, thorace subtiliter punctulato, elytris punctato-striatis, sutura maculisque nonnullis disci densius pallido-tomentosis notatis, femoribus modice crassis, vix dentatis.

Patria : Sueciæ Provincia Smolandia. Dom. BOHEMAN ; Westrogothia. GHL. A Dom. ZETTERSTEDT amicissime donatus.

Erirhino pectorali, præsertim ejus var. γ, simillimus, sed paulo minor; rostrum brevius, vix punctatum, thorax subtilius punctulatus et femora minus crassa, vix vel obsoletissime dentata. Caput rotundatum, confertim punctulatum, rufo-testaceum, fronte dense pallido-tomentosa; oculi rotundati, nigri, modice prominuli; rostrum capite duplo longius, validum, parum arcuatum, vix vel subtilissime punctulatum, rufo-testaceum, nitidum, apice ipso nigricante. Antennæ breviusculæ, pallide testaceæ. Thorax latitudine brevior, antice subito angustior, apice leviter emarginatus, intra apicem depressus, obsolete constrictus, lateribus rotundato-ampliatus, basi truncatus, supra transversim convexus, confertim subtiliter punctulatus, rufo-testaceus, inæqualiter pallido-tomentosus. Scutellum oblongum, concolor. Elytra antice truncata, thoracis basi latiora, humeris fere rectangulatis; lateribus non ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace quadruplo longiora, supra modice convexa, distincte punctato-striata, interstitiis planis, lævibus; dilute rufo-testacea, nitida, tomento brevi pallido, in basi, sutura maculisque nonnullis disci magis condensato vestita. Corpus subtus confertim punctulatum, testaceum, pectore nigricante, dense albo seu niveo-tomentoso. Pedes mediocres, pallidi; genibus saturatius testaceis; femoribus parum crassis, subtus vix vel obsoletissime dentatis.—GHL.

* 31. E. VILLOSULUS.

Oblongo-ovatus, obscure-testaceus, unicolor, dense albido-pubescens, rostro longiore, basi punctato, elytris obsolete punctato-striatis, femoribus sub-dentatis.

Rynchænus id. Dom. MEGERLE *in Litteris* olim.
Habitat in Austria. Dom. MEGERLE. Mus. GHL.

Erirhino pectorali proximus, sed paulo minor, angustior, densius pubescens, elytra obsoletius punctato-striata, femora dente parvo, obtuso, armata. Caput parvum, rotundatum, testaceum, obsolete punctatum, albido-pubescens, fronte inter oculos foveola oblonga impressa; oculi rotundati, brunnei, modice prominuli; rostrum longitudine capitis cum thorace, subtenue, parum arcuatum, dilutius testaceum, basi punctatum et sub-pubescens, extrorsum læve, glabrum, nitidum. Antennæ tenues, testaceæ, albido-pubescentes. Thorax latitudine parum brevior, basi apiceque truncatus, intra apicem transversim impressus, lateribus rotundato-ampliatus, supra parum convexus, obsolete punctulatus, obscure testaceus, pube densa, depressa, albida, tectus. Scutellum parvum, rotundatum, concolor, dense pubescens. Elytra antice thoracis basi paulo latiora, humeris sub-elevatis, rotundatis, lateribus non ampliata, apice singulatim rotundata, thorace quadruplo longiora, supra minus convexa, obsolete et sub-remote punctato-striata, obscure testacea, pube densa, depressa, albida, unicolore, vestita. Corpus subtus obscure testaceum, obsolete punctulatum, parce pubescens. Pedes mediocres, dilutius testacei, albido-pubescentes, femoribus crassis, subtus dente obsoleto armatis; tarsis dilatatis, subtus albo-spongiosis.—GHL.

32. E. NEBULOSUS. *Schh.*

Oblongus, supra-testaceus, brunneo variegatus, tomento pallido inæqualiter adspersus, antennis pedibusque pallidioribus, rostro breviore, subrecto, testaceo, thorace sub-carinato, elytris punctato-striatis.

Patria : Gallia, Parisiis. Ex Musæo Dom. CHEVROLAT, ad describendum, amice missus.

Longitudo *Erirhini pectoralis*, sed angustior. Caput rotundatum, punctatum, testaceum, pallido-tomentosum; oculi sub-ovati, brunnei; rostrum thorace brevius, subrectum, deflexum, latiusculum, supra parum convexum, punctulatum, testaceum. Antennæ mediocres, testaceæ. Thorax latitudine multo brevior, basi apiceque truncatus, intra apicem constrictus, lateribus rotundato-ampliatus, supra minus convexus, confertim punctatus, in medio obsolete carinatus, testaceus, lituris nonnullis brunneis notatus, tomento depresso, pallido, nitido, adspersus. Scutellum parvum, rotundatum, brunneum. Elytra antice thoracis basi multo latiora, humeris elevatis, fere rectangulatis; lateribus non ampliata, apice singulatim acute rotundata, thorace quadruplo longiora, supra modice con-

vexa, evidenter punctato-striata, testacea, lituris numerosis brunneis, posterius in dorso confluentibus notata, tomento pallido maculatim variegata. Corpus subtus punctatum, piceum, parce cinereo-tomentosum. Pedes breviusculi, validi, pallidius testacei; femoribus clavatis, subtus dente crasso, obtuso, armatis.—Ghl.

* 33. E. Tortrix.

Pallide testaceus, sub-nitidus, immaculatus, tenuissime pubescens, pectore fusco, rostro mediocri parum arcuato, elytris convexioribus.—Ghl.

Rhynchænus id. Fabr. *Syst. El.* II. p. 491. n° 252.
Gyllenh. *Ins. Suec.* III. p. 173. n° 91.
Oliv. *Ent.* V. 83. p. 220. n° 213. T. 34. f. 521.
Curculio id. Linn. *Faun. Suec.* n° 622. — *Syst. nat.* I. II. p. 615. n° 67. — Ed. Gmel. I. IV. p. 1769. n° 67.
Fabr. *Ent. Syst.* I. II. p. 444. n° 211. — *Mant. Ins.* I. p. 109. n° 146. — *Sp. Ins.* I. p. 181. n° 116. — *Syst. Ent.* p. 143. n° 8.
Clairv. *Ent. Helv.* I. p. 92. n° 8. T. 9. f. 3. 4.
Herbst. *Col.* VI. p. 155. n° 113. T. 70. f. 8.
Payk. *Faun. Suec.* III. p. 192. n° 9. — *Mon. Curc.* p. 7. n° 6.
Panz. *Faun. Germ.* XVIII. n° 14.? — *Ent. Syst.* p. 318. n° 107.
Oliv. *Enc. méth.* V. p. 519. n° 214.
Rossi. *Faun. Etr.* I. p. 124. n° 315. — Ed. Hellw. p. 132. n° 315.
Cederh. *Faun. Ingr.* n° 337.
Walcken. *Faun. Par.* I. p. 239. n° 2.
Marsh. *Ent. Brit.* p. 291. n° 157.
Goeze. *Eur. Faun.* VIII. p. 502. n° 10.
Vill. *Ent.* I. p. 199. n° 101.
Bechst. et Scharfenb. *Forstins.* I. p. 167. n° 21.
Schrank. *Faun. Boica.* I. p. 506. n° 574.
Mull. Linn. *Nat. Syst.* V. I. p. 284. n° 67.
Mart. *Engl. Ent.* T. 18. f. 2.
Geoffr. *Ins.* I. p. 300. n° 51.
Dorytomus tortrix. Steph. *Brit. Ent.* IV. p. 83. n° 3.
Curculio fulvus. De Geer. *Ins.* V. p. 214. n° 6.
Curculio rubigineus. Fourcr. *Ent. Par.* I. p. 131. n° 54.

* Var. β. Corpore saturatius ferrugineo, pectore nigricante.— Gyllenh. l. c. var. b.

Curculio tortrix, var. β. Payk. *Faun. Suec.* III. p. 193. n° 9. — *Mon. Curc.* p. 7. n° 6.

Patria : Europa.

* 34. E. FILIROSTRIS. *Schh.*

Oblongus, ferrugineus, tomento denso ochraceo vestitus, thorace brevi, antice profunde constricto, rostro longissimo, tenui, sub-lævi, nitido, rufo-ferrugineo.

Habitat in Gallia, Parisiis. A Dom. CHEVROLAT benevole communicatus. Mus. SCHH.

Magnitudo et statura *Erirhini tortricis*, rostro multo longiore et tomento densiore distinctus. Caput breve, semi-orbiculatum, confertim punctatum, saturate ferrugineum, ochraceo-tomentosum; oculi rotundati, nigri, minus prominuli; rostrum dimidio corporis multo longius, tenue, parum arcuatum, basi obsoletissime punctulatum, cæterum læve, nitidum, saturate rufo-ferrugineum. Antennæ longæ, tenues, ferrugineæ, pubescentes. Thorax latitudine multo brevior, basi apiceque truncatus, antice subito angustior et intra apicem profunde transversim impressus, margine elevato; lateribus parum ampliatus, supra minus convexus, confertim punctatus, ferrugineus, tomento denso, depresso, ochraceo, unicolore, vestitus. Scutellum oblongum, concolor. Elytra thorace latiora, humeris sub-elevatis, rotundatis; lateribus vix ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace quadruplo longiora et ultra, supra parum convexa, evidenter, sub-remote punctato-striata, punctis squamula sub-umbilicatis; ferruginea, tomento ochraceo inæqualiter vestita et obsolete variegata. Corpus subtus saturatius ferrugineum, thorace ochraceo, pectore pallido-tomentosis. Pedes elongati, ferruginei, pubescentes; femoribus clavatis, dente minori armatis.—GHL.

35. E. PUNCTATOR (1).

Ferrugineo-fuscus, elytris punctato-striatis.—HERBST.

Curculio id. HERBST. *Col.* VI. p. 166. n° 124. T. 71. f. 5.

Patria : Germania.

♂♀ 36. E. DORSALIS.

Niger, fere glaber, elytris rubris, margine suturaque antica dimidiata nigris, rostro longiusculo, crassiori, striato.—GHL.

Rhynchænus id. GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 196. n° 109. et IV. p. 589. n° 109.

OLIV. *Ent.* V. 83. p. 155. n° 122. T. 13. f. 169. a. b.

---

(1) Hujus generis est, teste Cel. Germar in Litteris; mihi invisus.

Curculio id. Payk. *Faun. Suec.* III. p. 200. n° 17. — *Mon. Curc.* p. 14. n° 13.

Herbst. *Col.* VI. p. 101. n° 62. T. 66. f. 6. — *Arch.* p. 166. n° 95. T. 44. f. 10.

Panz. *Faun. Germ.* XVII. n° 9. — *Krit. Rev. d. Ins. Faun.* I. p. 127. — *Ent. Germ.* p. 305. n° 38.

Oliv. *Enc. méth.* V. p. 485. n° 70.

Notaris dorsalis. Germ. *Mag.* II. p. 340. n° 27.

Dorytomus id. Steph. *Brit. Ent.* IV. p. 86. n° 12.

Dejean. *Catal. Col. p.* 86.

Sturm. *Ins. Cat.* 1826. p. 133.

Rhynchænus interscapularis. Dom. Illig. *in Litteris.*

♂♀ Var. β. Niger, elytris totis sanguineis.

♀ Var. γ. Thorace et pectore ferrugineis, elytris totis pedibusque sanguineis.

♂♀ Var. δ. Nuper exclusus multo pallidior; thorax et pectus ferruginea, elytra tota et abdomen testacea. — Gyllenh. *Ins. Suec.* III. p. 97. not.

Patria : Europa borealis et temperata.

37. E. Decorus. *Schh.*

Oblongus, sub-convexus, niger, squamositate albida et ochracea variegatus, capite, rostro, antennis pedibusque saturate ferrugineis, thorace transversim convexo, elytris pone medium fascia lata, communi, albo-squamosa, ornatis.

Patria : Caffraria. Ex Musæo Dom. Ecklon et Zeyher descriptus.

Parvus; *Erirhino majali* sub-æqualis. Caput sub-globosum, intra thoracem retractum, obsolete punctulatum, obscure ferrugineum, fronte ad basin rostri foveola albo-squamosa impressa; oculi parvi, rotundati, depressi, nigri; rostrum capite cum thorace fere longius, cylindricum, valde arcuatum, saturate ferrugineum. Antennæ breves, obscure testaceæ, cinereo-pubescentes. Thorax latitudine baseos brevior, antice subito paulo angustior quam basi, apice emarginatus, intra apicem sub-depressus, lateribus ampliatus, basi truncatus, supra transversim convexus, punctulatus, niger, squamulis albidis et ochraceis mixtis parce adspersus. Scutellum parvum, demersum, triangulare, nigrum. Elytra antice conjunctim emarginata, thoracis basi multo latiora, humeris obtuse angulatis, lateribus parum ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace plus triplo longiora, supra modice convexa, obsolete punctato-striata,

nigra, squamositate ochracea vestita, immixtis punctis albis fuscisque; pone medium fascia lata, communi, inæquali, dense albo-squamosa ornata. Corpus subtus punctulatum, nigrum, albo-squamulosum. Pedes longiusculi, obscure ferruginei, albo-squamulosi; femoribus sub-clavatis, subtus in medio dente mediocri armatis.

GHL.

* 38. E. INQUINATUS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, subtus dense, supra inæqualiter cinereo-albido-squamulosus, antennis pedibusque obscure testaceis; thorace convexo, confertissime subtiliter punctulato; elytris punctato-striatis, obsolete cinereo et fusco variegatis, dorso antico planis.

Patria: Caffraria. A Dom. ECKLON et ZEYHER delectus et communicatus. Mus. SCHH.

Magnitudo et fere statura *Bagoi lutulenti.* Caput parvum, subglobosum, obsolete punctulatum, nigrum, dense cinereo-squamulosum; oculi rotundati, depressi, nigri; rostrum vix longitudine capitis cum thorace, minus tenue, cylindricum, arcuatum, punctulatum, nigrum, basi squamulosum. Antennæ breviusculæ, subtenues, obscure testaceæ. Thorax brevis, transversus, antice late emarginatus, intra apicem constrictus, lateribus ampliatus, basi sub-bisinuatus, supra transversim convexus, pulvinatus, confertissime, subtiliter punctulatus, niger, antice, lateribus et in linea angusta dorsali dense cinereo-albido-squamulosus. Scutellum parvum, rotundatum, dense albido-squamulosum. Elytra antice singulatim sub-rotundata, thoracis basi multo latiora humeris rotundatis, lateribus non ampliata, posterius attenuata, apice conjunctim acute rotundata, thorace triplo longiora, supra in dorso anteriore fere plana, posterius declivia, obsolete punctato-striata, interstitiis planis, confertissime, subtiliter alutaceis; nigra, squamositate cinerea inæqualiter vestita, unde fusco et cinereo variegata videntur. Corpus subtus confertissime punctulatum, nigrum, squamositate densa cinereo-albida tectum. Pedes longiusculi, validi, obscure testacei, squamositate cinerea omnino tecti; femoribus clavatis, muticis; tibiis arcuatis; tarsis non dilatatis. — GHL.

39. E. MACULATUS. *Schh.*

Oblongus, sub-convexus, squamositate albida undique dense tectus, antennis pedibusque obscure testaceis, thorace punctulato, signaturis nonnullis denudatis notato, elytris simpliciter striatis, maculis punctisque denudatis nigris variegatis.

Patria: Caffraria. Ex Musæo Dom. ECKLON et ZEYHER descriptus.

Parvus; *Tychio tomentoso* parum major. Caput sub-globosum, retractum, punctulatum, nigrum, squamositate densa albida tectum; oculi rotundati, nigri, depresssi; rostrum capite cum thorace fere longius, valde arcuatum, cylindricum, punctulatum, nigrum, basi squamulosum. Antennæ breviusculæ, tenues, testaceæ. Thorax latitudine baseos vix brevior, anterius paulo angustior, apice emarginatus, intra apicem leviter constrictus, lateribus ampliatus, basi truncatus, supra convexus, pulvinatus, subtilissime confertim punctulatus, squamositate cinereo-albida tectus, lituris irregularibus nigris, an fortuito denudatis, notatus. Scutellum parvum, tuberculiforme, dense albido-squamulosum. Elytra antice conjunctim emarginata, thoracis basi latiora, humeris rotundatis, lateribus vix ampliata, posterius attenuata, apice conjunctim acute rotundata, thorace triplo longiora, supra modice convexa, anguste striata, striis vix punctatis, interstitiis subtilissime alutaceis; nigra, squamositate albida dense tecta, relictis maculis punctisque numerosis denudatis nigris, præsertim anterius et juxta suturam. Corpus subtilissime punctulatum, nigrum, squamositate albida dense tectum. Pedes longiusculi, testacei, dense albido-squamulosi; femoribus clavatis, muticis; tibiis arcuatis, interne ciliatis; tarsis longiusculis, vix dilatatis. — GHL.

STIRPS 2. — Tibiæ omnes arcuatæ, apice unco valido armatæ. Femora semper mutica. — (ERIRHINUS *Steph.* (1)).

* 40. E. PERTINAX. *Schh.*

Elongatus, niger, squamulis cinereo-albidis undique tectus, antennis pedibusque rufo-piceis, rostro longo, arcuato, valido, rufo-brunneo, glabro, lateribus striato.

Habitat in Caucaso. Dom. STEVEN. Mus. SCHH.

Erirhino tortrice paulo major. Caput sub-globosum, punctulatum, nigro-piceum, squamulis albidis tectum, fronte inter oculos foveola parva impressa; oculi ovati, depressi, brunnei; rostrum longitudine fere capitis cum thorace, validum, arcuatum, lateribus striatum et punctatum, rufo-brunneum, nitidum, glabrum, basi tantum squamosum. Antennæ tenues, rufo-piceæ, clava pubescente. Thorax latitudine vix brevior, basi apiceque truncatus, lateribus nonnihil ampliatus, supra convexus, punctulatus, nigro-

(1) Steph. Brit. Ent. IV. p. 78

piceus, squamulis densis cinereo-albidis tectus. Scutellum parvum, rotundatum, concolor, squamosum. Elytra elongata, antice thoracis basi multo latiora, humeris elevatis, sub-angulatis, lateribus non ampliata, posterius attenuata, apice conjunctim sub-acuminata, thorace quadruplo longiora, supra modice convexa, subtiliter punctato-striata, interstitiis latis, sub-convexis; nigro-picea, squamulis minutis, rotundatis albidis et cinereis omnino tecta et sub-variegata. Corpus subtus nigro-piceum, punctulatum, squamulis densis albidis tectum. Pedes longiusculi, dilutius rufo-picei, dense albido-squamosi; femoribus clavatis, muticis; tibiis arcuatis, intus ciliatis; tarsis elongatis, parum dilatatis. — GHL.

* 41. E. SPARGANII. *Dahl.*

Elongatus, niger, dense cinereo-squamosus et setosus, antennis rufo-piceis, rostro elongato, crassiusculo, arcuato, piceo, striato et squamoso.

Picumnus id. Dom. MEGERLE *in Litteris.*
Rhynchænus id. DEJ. *Cat. Col.* p. 87.
STEV. *Mus. Mosq.* II. p. 98.
STURM. *Ins. Cat.* 1826. p. 190.

Habitat in Austria, Hungaria. Dom. MEGERLE et SCHUPPEL. Mus. GHL. et SCHH.

Erirhino pertinaci similis et affinis, sed paulo minor, obscurior, squamulæ setulis mixtæ, rostrum profundius striatum, setosum, etc. Caput mediocre, sub-globosum, punctulatum, nigrum, squamulis cinereis tectum, fronte vix impressa; oculi ovati, nigro-brunnei, parum convexi; rostrum longitudine fere capitis cum thorace, crassiusculum, arcuatum, nigro-piceum, evidentius striatum, squamulis angustis, setiformibus adspersum. Antennæ rufo-piceæ, cinereo-pubescentes. Thorax latitudine vix brevior, antice angustior, apice sub-emarginatus, et intra apicem leviter constrictus, lateribus rotundato-ampliatus, basi sub-truncatus, supra modice convexus, niger, punctulatus, squamulis rotundatis cinereis tectus, immixtis aliis longioribus, setiformibus, suberectis. Scutellum parvum, rotundatum, concolor, dense cinereo-squamosum. Elytra antice thoracis basi multo latiora, humeris elevatis, sub-angulatis, lateribus non ampliata, posterius attenuata, apice conjunctim sub-acuminata, thorace vix quadruplo longiora, supra modice convexa, striis angustis, obsolete punctatis inscripta, interstitiis latis, sub-convexis; nigra, squamulis minutis, rotundatis, cine-

reis tecta, immixtis aliis setiformibus, suberectis. Corpus subtus nigrum, dense cinereo-squamosum. Pedes longiusculi, cinereo-squamosi; femoribus clavatis, nigris, muticis; tibiis arcuatis, dilutius piceis; tarsis elongatis, dilatatis, subtus cinereo-spongiosis. — GHL.

* 42. E. SQUAMEUS.

Elongatus, niger, squamulis griseis unicoloribus tectus, antennis pedibusque rufo-ferrugineis, rostro longiore, tenuiori, arcuato, thorace apice sub-coarctato, ante medium rotundato-ampliato, elytris tenue punctato-striatis, tibiis intus crenulatis.

Rhynchænus squameus. BILLB. *Enum. Insect.* p. 42.

Habitat ad Canton. Dom. GROENDAHL. Mus. SCHH.

Statura fere *Erirhini sparganii*, sed paulo brevior. Caput breve, convexum, nigrum, crebre, subtiliter punctulatum squamulis griseis adspersum; oculi laterales, oblongi, depressi, brunnei; rostrum thorace nonnihil longius, tenue, teres, arcuatum, nigrum, nitidum, glabrum, punctulatum. Antennæ versus apicem rostri insertæ, capite cum rostro nonnihil longiores, subtenues, rufo-ferrugineæ, parce griseo-pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata. Thorax latitudine media multo brevior, basi apiceque truncatus, antice sub-coarctatus, lateribus ante medium, valde rotundato-ampliatus, angulis baseos obtuse rotundatis, supra modice convexus, niger, crebre punctulatus, squamulis griseis tectus, dorso obscuriore. Scutellum minutum, triangulare, cinereo-pubescens et squamosum. Elytra elongato-ovata, antice thoracis basi nonnihil latiora, humeris prominulis, obtuse angulatis, lateribus inflexa, apicem versus perparum angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra modice convexa, nigra, tenue punctato-striata, interstitiis subtilissime coriaceis, tota squamulis unicoloribus griseis tecta. Corpus subtus nigrum, dense griseo-squamosum. Pedes mediocres, rufo-picei, griseo-squamosi et pubescentes; femoribus modice clavatis, muticis; tibiis teretibus, intus crenulatis, anticis apice curvatis, uncinatis. Tarsi elongati, dilutius picei, subtus fulvo-spongiosi. — BHN.

* 43. E. FESTUCÆ.

Oblongus, fuscus, dense cinereo-squamosus, rostro longissimo, tenui, arcuato, pedibusque rufo-ferrugineis. — GHL.

STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 79. n° 1.

Rhynchænus id. GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 76. n° 11.
DEJ. *Cat. Col.* p. 87.
STEV. *Mus. Mosqu.* II. p. 98.
Curculio id. HERBST. *Col.* VI. p. 327. n° 301. T. 85. f. 13.
PAYK. *Faun. Suec.* III. p. 239. n° 57.
Curculio caricis. THUNB. *Mus. Ups. Acad. App.* VI. p. 111.
Curculio carecti. HOPPE. *En. Ins. Erlang.* p. 59.

Patria : Europa borealis et temperata.

* 44. E. NEREIS.

Lineari-elongatus, fusco-piceus, supra obscure ferrugineus, dense cinereo-squamosus, rostro longissimo, tenui, sublævi, pedibusque rufo-ferrugineis, elytris antice plaga dorsali communi picea.—GHL.

STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 79. n° 2.
Rhynchænus id. GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 77. n° 12. et IV. p. 556. n° 12. ♀.
Curculio id. PAYK. *Faun. Suec.* III. p. 240. n° 58.
Rhynchænus typhæ. AHRENS *in Nova Acta Hal.* II. II. p. 15. n° 6. T. 1. f. 6.
Curculio inquisitor. HERBST. *Col.* VII. p. 42. n° 600. T. 97. f. 12.

Patria : Europa borealis et temperata.

* 45. E. SCIRRHOSUS. *Schh.*

Elongatus, nigro-piceus, squamulis flavescenti-cinereis adspersus, rostro longo, validiusculo, striato et punctato, pedibusque ferrugineis, elytris crenato-striatis, variegatis.

Rhynchænus brunnirostris. OLIV. *Ent.* V. 83. p. 142. n° 101. T. 34. f. 524. forte.
Rhynchænus nereis. ♂. GHL. *Ins. Suec.* IV. *App.* p. 556. n° 12.
Erirhinus inquisitor. STEPH. *Brit. Ent.* p. 80. n° 3. ?

Habitat in Suecia, Gallia, locis humentibus.

Erirhino nereidi, cujus marem antea credidimus, valde affinis, sed paulo major, præsertim in elytris latior; rostrum crassius, maris evidenter, feminæ obsoletius striatum et punctatum, color obscurior, elytra magis variegata, etc. Caput breve, latum confertim punctatum, postice convexum, fronte inter oculos impressa; piceum, squamulis piliformibus flavescentibus parce adspersum; oculi rotundati, brunnei, modice prominuli; rostrum longitudine capitis cum thorace, minus tenue, arcuatum, a basi ad antennarum in-

sertionem striatum et punctatum, in masculis profundius et evidentius quam in feminis; rufo-ferrugineum, sub-nitidum. Antennæ mediocres, saturate ferrugineæ, clava fusca, cinereo-pubescente. Thorax latitudine parum brevior, basi apiceque leviter sub-emarginatus, lateribus rotundato-ampliatus, supra minus convexus, confertim punctatus, nigro-piceus, subtus et lateribus squamulis densis flavescenti-cinereis tectus, area dorsali longitudinali undatim obscuriore, parce squamosa. Scutellum parvum, rotundatum, piceum, squamosum. Elytra antice thoracis basi multo latiora, humeris sub-angulatis, lateribus non ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace plus triplo longiora, supra minus convexa, in dorso anteriore fere plana, regulariter crenato-striata, interstitiis subtiliter transversim rugulosis; interstitium tertium a sutura postice magis elevatum et juxta apicem cum extimo conjunctum, unde extat angulus acutus elevatus, pari modo ut in *Erirhino nereide* et *palustri;* nigro-picea, opaca, squamulis flavescenti-cinereis, nitidis, maculatim et sub-fasciatim variegata. Pygidium breve, obtuse rotundatum, dense cinereo-squamosum. Corpus subtus nigrum vel nigro-piceum, opacum, confertim punctatum, pectoris ventrisque lateribus dense cinereo-squamulosis, disco sub-nudo. Pedes mediocres, rufo-ferruginei, cinereo-squamulosi, femoribus clavatis, subtus macula media nigra notatis, tibiis omnibus arcuatis, apice intus unco valido armatis, tarsis dilatatis, subtus albido-spongiosis. — GHL.

* 46. E. PALUSTRIS. *Schh.*

Elongatus, nigro-piceus, squamulis densis cinereis tectus, thoracis plaga media nuda, rostro longo, tenui, sub-punctato, pedibusque ferrugineis, tarsis piceis.

Rhynchænus nereis. Dom. GEBLER *in Litteris.*

Habitat in Sibiria. Dom. GEBLER. Mus. SCHH.

Erirhino scirrhoso paulo major, longior, eique valde affinis, rostro tenuiore, subtilius punctato, colore indumenti cinereo, elytris non variegatis et tarsis obscuris, tamen distinctus videtur. Caput breve, parum convexum, confertim punctatum, piceum, dense cinereo-squamulosum; oculi rotundati, nigro-brunnei, modice prominuli; rostrum longitudine capitis cum thorace, subtenue, arcuatum, subtiliter punctulatum, rufo-ferrugineum, nitidum, basi squamosum. Antennæ piceæ, basi dilutiores, clava cinereo-pubescente. Thoracis structura et punctura omnino ut in *Erirhino*

scirrhoso, sed indumentum paginæ inferioris et laterum cinereum, plaga dorsali omnino nuda. Elytrorum forma, color et striæ omnino ut in præcedente, sed indumentum squamosum densius, cinereum, vix variegatum, solum versus basin interiorem vitta obsoleta, abbreviata et in medio juxta suturam in singulo elytro, macula denudata nigra. Pygidium non exsertum. Corpus subtus ut in priori. Pedum forma, color, macula femoralis, etiam ut in illo; modo tarsi obscuriores, nigro-picei. — GHL.

47. E. ARUNDINETI (1).

Lineari-elongatus, piceus, supra obscure ferrugineus, dense cinereo-squamosus, rostro pedibusque rufo-piceis, elytris cinereo variegatis.

STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 80. n° 4.

Patria : Anglia.

GENUS 205. GRYPIDIUS.

Grypidius SCHH., STEPH. (2).—*Grypus* GERM. *in Litteris.*—*Arachnipus* MEGERLE.—*Rhynchænus* FABR. et auct. reliquorum.

Character generis. — Antennæ longiusculæ, tenues; funiculo 7-articulato : articulis duobus basalibus longiusculis, ob-conicis, reliquis brevibus, apice truncatis; clava oblongo-ovata.

Rostrum elongatum, cylindricum, arcuatum, minus tenue.

Thorax basi truncatus, lateribus æqualiter rotundatus, anterius sub-angustior, pone oculos lobatus.

Scutellum parvum, oblongum.

Elytra antice thoracis basi fere duplo latiora, humeris rectangulis, prominulis; dorso antico parum convexa, posterius sæpius gibba, declivia.

Tibiæ rectæ, apice intus angulatæ, unco minutissimo introrsum flexo armatæ.

Observ. — Corpus sub-ovatum, posterius gibbum, squamosum; minoris magnitudinis.

Patria : Europa borealis et temperata.

* 1. G. EQUISETI.

Niger, squamulis albidis variegatus, rostro longissimo, atro, thorace globoso, elytris tuberculatis nigris, limbo punctisque duobus disci albidis.—GHL.

---

(1) Mihi invisus.

(2) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 231. Gen. *Erirhinus*, Subgen. *Grypidius*. — Steph. Brit. Ent. IV. p. 77.

STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 78. n° 1.
Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 443. n° 24.
GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 91, n° 24.
OLIV. *Ent.* V. 83. p. 115. n° 60. T. 27. f. 400.
ZETTERST. *Faun. Ins. Lapp.* I. p. 318. n° 32.
DEJEAN. *Catal. Col.* p. 86.
STEV. *Mus. Mosqu.* II. p. 98.
Curculio id. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 403. n° 39. — *Mant.* I. p. 99. n° 26. — *Sp. Ins.* I. p. 165. n° 20. — *Syst. Ent.* p. 130. n° 14.
HERBST. *Col.* VI. p. 287. n° 258. T. 84. f. 4. — *Arch.* IV. p. 69. n° 5, 7, 24. f. 2.
PAYK. *Faun. Suec.* III. p. 226. n° 44. — *Mon. Curc.* p. 39. n° 36.
OLIV. *Enc. méth.* V. p. 479. n° 34.
PANZ. *Faun. Germ.* XLII. n° 4. — *Ent. Germ.* p. 301. n° 10.
MARSH. *Ent. Brit.* I. p. 254. n° 48.
VILL. *Ent.* I. p. 186. n° 39. et IV. p. 266. n° 39.
LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1748. n° 128.
Curculio nigro-gibbosus. DE GEER. *Ins.* V. p. 224. n° 17.
VILL. *Ent.* I. p. 191. n° 76. et IV. p. 272. n° 76.
Curculio gibbosus. OLIV. *Enc. méth.* V. p. 479. n° 33.
LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1756. n° 186.

* VAR. β. Thoracis disco brunneo-piloso, elytris densius cinereo-squamosis, sutura tuberculisque brunneo-fasciculatis, pedibus cinereo-pubescentibus.

Rhynchænus atrirostris. FABR. *Syst. El.* II. p. 445. n° 34.
GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 92. n° 25.
ZETTERST. *Faun. Ins. Lapp.* I. p. 318. n° 33.
Curculio id. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 404. n° 42. — *Mant.* I. p. 99. n° 28. — *Spec. Ins. App.* p. 21.-22.
OLIV. *Enc. méth.* V. p. 480. n° 43.
HERBST. *Col.* VI. p. 443. n° 439.
PANZ. *Ent. Germ.* p. 301. n° 11.
LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1748. n° 130.

Observ. — VAR. β, nulla essentiali nota a *Grypidio equisiti* genuino differt, modo indumento densiori, aliter colorato vestitus; thoracis dorsum pilis dilute brunneis et cinereis adspersum; elytra densius cinereo-squamulosa, sutura tuberculisque hirsutie læte brunnea vestitis; pedes cinereo-pubescentes, annulo densiore versus apicem femorum notati. — GHL.

Patria : Europa borealis et temperata.

* 2. G. BRUNNIROSTRIS.

Niger, squamulis et pilis cinereis tectus, rostro longissimo, arcuato, glabro, pedibusque obscure ferrugineis, elytris æqualiter striatis.—GHL.

Rhynchænus id. FAB. *Syst. El.* II. p. 445. n° 35.
GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 93. n° 26.
Curculio id. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 404. n° 43.
HERBST. *Col.* VI. p. 444. n° 440.
Curculio obliteratus. HERBST. *Col.* VI. p. 273. n° 245. T. 41. f. 2.
Rhynchænus obsoletus. STURM. *Ins. Cat.* 1826. p. 190.
DEJEAN. *Catal. Col.* p. 87.
VAR. β. Rostro pedibusque nigro-piceis.

Patria : Germania, Dania, Suecia meridionalis.

GENUS 206. PENESTES. *Nobis* (1).

Rhynchænus FABR.

Character generis.—Antennæ mediocres, minus tenues; funiculo 7-articulato: articulis duobus basalibus longiusculis, ob-conicis, primo paulo longiore et crassiore; reliquis brevibus, transversis, sub-coarctatis, ultimis gradatim paulo latioribus; clava majuscula, ovata, acuminata.

Rostrum elongatum, validiusculum, teres, arcuatum.

Thorax oblongus, basi leviter bi-sinuatus, lateribus modice rotundatus, anterius sub-angustior, pone oculos lobatus, infra pone gulam profunde emarginatus.

Scutellum tuberculiforme, distinctum.

Elytra oblonga, sub-ovata, basi singulatim perparum rotundato-producta, humeris obtuse angulatis, sub-elevatis; supra modice convexa, non callosa, versus apicem paulo attenuata, apice ipso conjunctim rotundata.

Tibiæ curvatæ, apice unco minuto armatæ; tarsi latiusculi; articulo ultimo breviusculo.

Observ.—Corpus oblongum, squamulosum, alatum, minimæ magnitudinis.

(1) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 226. n° 128.

* 1. P. Tigris.

Oblongus, fusco-brunneus, subtus et lateribus dense albido-squamosus, antennis pedibusque dilutius ferrugineis, thorace confertim punctato, vitta media albida, elytris remote punctato-striatis, macula humerali fasciisque duabus obliquis macularibus albido-squamulosis.—Ghl.

Rhynchænus id. Fabr. *Syst. El.* II. p. 455. n° 85.

Patria : America meridionalis.

Genus 207. HYDRONOMUS.

Hydronomus Schh., Steph. (1). — *Rhynchænus* Gyllenh. — *Bagous* Dejean, Sturm, Steven.

Character generis. — Antennæ mediocres, subtenues; funiculo 7-articulato : articulo 1° ob-ovato, crasso, 2° ob-conico, 3-7 sub-nodosis, coarctatis, exterioribus gradatim multo crassioribus; clava magna, breviter ovata.

Rostrum sub-elongatum, validum, teres, modice arcuatum.

Oculi ovati, depressi.

Thorax oblongus, sub-cylindricus, basi truncatus, lateribus perparum rotundatus, antice supra et infra late emarginatus, pone oculos lobatus.

Scutellum parvum, rotundatum.

Elytra oblonga, apice subito attenuata, conjunctim obtuse rotundata, humeris obtuse angulatis.

Pedes elongati, tenues; tibiæ omnes arcuatæ, apice unco valido armatæ; tarsi sub-angustati.

Observ. — Corpus elongatum, squamosum, alatum; minusculæ magnitudinis.

♂♀ 1. H. Alismatis.

Niger, squamis cinereo-albidis variegatus, rostro breviusculo, subrecto, thorace utrinque impresso, elytrorum interstitiis planis, tibiis arcuatis, testaceis.—Ghl.

Steph. *Brit. Ent.* IV. p. 77. n° 1.
Rhynchænus id. Gyllenh. *Ins. Suec.* III. p. 87. n° 21.
Zetterst. *Faun. Ins. Lapp.* I. p. 317. n° 31.

---

(1) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 231. n° 131. — Steph. Brit. Ent. IV. p. 77.

Curculio id. Marsh. *Ent. Brit.* p. 273. n° 108.
Bagous id. Sturm. *Ins. Cat.* 1826. p. 99.
Bagous productus. (Illig.). Dej. *Catal. Col.* p. 89.
Stev. *Mus. Mosqu.* II. p. 98.
Curculio glabrirostris. Herbst. *Col.* VI. p. 254. n° 220. T. 78. f. 9.?
Patria : Suecia, Germania, Anglia, Sibiria.

Genus 208. NOTIOPHILUS. *Nobis.*

Character generis. — Antennæ mediocres, subtenues; funiculo 6-articulato : articulis duobus basalibus ob-conicis, primo crasso; reliquis brevibus, apice truncatis, sub-coarctatis, ultimo latiore; clava ovalis, acuminata.

Rostrum elongatum, subtenue, teres, arcuatum.

Thorax basi apiceque sub-truncatus, lateribus anterius paulo rotundatus.

Scutellum minutissimum, vix observandum.

Elytra oblongo-ovata, humeris oblique angulatis; posterius attenuata, apice conjunctim sub-acuminata.

Descriptio. — *Corpus* oblongum, sub-ovatum, squamulosum, alatum; minoris magnitudinis. — *Antennæ* thoracis medium non superantes, pone medium rostri insertæ, subtenues, fractæ, 4-articulatæ : articulo 1° recto, clavato; 2, 3 longiusculis, ob-conicis, illo crassiusculo; 4-7 brevioribus, sub-turbinatis, sub-coarctatis, exterioribus successive paulo crassioribus, ultimo clavæ sub-adnexo; clava ovalis, 4-articulata. — *Rostrum* longitudine fere capitis cum thorace, teres, arcuatum, deflexum, minus tenue; scrobe lineari, profunda, ad medium oculi adscendente. — *Oculi* laterales, ovati, parum convexi. — *Thorax* latitudine vix longior, basi apiceque truncatus, lateribus anterius rotundatus, supra modice convexus, intra apicem constrictus, margine sub-elevato; infra pone gulam late emarginatus. — *Scutellum* minutissimum, triangulare, ægre observandum. — *Elytra* antice thoracis basi paulo latiora et illo quadruplo longiora, oblongo-ovata, humeris antrorsum sub-prominulis, oblique angulatis, sub-elevatis; lateribus vix ampliata, posterius sensim attenuata, supra modice convexa, versus apicem haud callosa, apice ipso conjunctim sub-acuminata, anum obtegentia. — *Pedes* validi, anteriores paulo longiores, basi approximati, femoribus clavatis, muticis; tibiis sub-arcuatis, intus paulo sinuatis, apice truncatis, unco minuto intus instructis; tarsis subtus spongiosis; articulo unguiculari brevi, bi-unguiculato.

TYPUS. — *Notiophilus limatulus.*

A νοτιος humidus, φιλος amicus.

Patria: America septentrionalis.

Observ.—Habitu et statura fere generi *Bagoo* simile, differt vero funiculo tantum sex-articulato, thorace subtus haud canaliculato, tibiis apice solum unco minute armatis. — Verisimiliter in plantis aquaticis degunt.

1. N. LIMATULUS. *Schh.*

Niger, supra squamositate densissima, pallide cinerea, nitida tectus, antennis ferrugineis, thorace confertim punctulato, lituris tribus dorsalibus fuscis notato, elytris remote punctato-striatis, fusco maculatis, tarsis latis, articulo unguiculari brevi.

Curculio pallidus. Dom. SAY *in Litteris.*

Patria: America septentrionalis, Missuri. Ex Musæo Dom SAY, ad describendum, amice communicatus.

Magnitudo et fere facies *Polydrosi undati.* Caput sub-globosum, confertim punctulatum, nigrum, dense cinereo-squamulosum, vertice sub-nudo; oculi majusculi, ovati, nigri, parum convexi; rostrum longitudine capitis cum thorace, minus tenue, arcuatum, punctulatum, nigrum, basi squamulosum. Antennæ subtenues, ferrugineæ, clava fusca. Thorax latitudine non longior, antice subito angustior, apice sub-truncatus, intra apicem distincte constrictus, margine apicis elevato; lateribus ante medium nonnihil ampliatus, basi truncatus, supra parum convexus, confertim subtiliter punctulatus, niger, dense cinereo-squamulosus, in medio dorsi lituris tribus fuscis notatus, media breviore, lateralibus arcuatis. Scutellum minutum, demersum, concolor. Elytra antice conjunctim leviter emarginata, thoracis basi paulo latiora, humeris elevatis, antrorsum prominulis; pone basin oblique ampliata, posterius attenuata, apice conjunctim sub-acuminata, thorace fere quadruplo longiora, supra convexa, distincte, remote punctato-striata, interstitiis planis, alutaceis; nigra, squamositate densa pallide cinerea, nitida tecta, maculisque nonnullis obsoletis fuscis anterius adspersa. Corpus subtus confertim punctulatum, nigrum, squamositate fusca tectum. Pedes validi, nigro-picei, cinereo-squamulosi, femoribus clavatis, muticis; tibiis sub-arcuatis; tarsorum articulis tribus primis magnis, dilatatis, unguiculari parvo, brevi, tenui.—GHL.

2. N. APICULATUS.

Niger, undique dense cinereo-squamulosus, antennis basi ferrugineis, thorace transverso, confertim profundius punctato, obsolete carinato, elytris obsoletius punctato-striatis, versus apicem tuberculis numerosis adspersis, tarsis angustioribus, articulo unguiculari longiore.

Curculio id. Dom. SAY *in Litteris.*

Patria: America septentrionalis, Missuri. Ex Musæo Dom SAY, ad describendum, missus.

Parvus; *Hydronomo alismatis* parum major et facie similis. Caput parum convexum, punctulatum, nigrum, cinereo-squamulosum, vertice foveola impresso; oculi ovati, nigri, parum convexi; rostrum longitudine capitis cum thorace, minus tenue, modice arcuatum, nigrum, nitidum, basi tantum squamulosum. Antennæ subtenues, ferrugineæ, clava nigricante. Thorax transversus, antice paulo angustior, apice sub-emarginatus, intra apicem sat profunde transversim impressus, margine apicis elevato; lateribus parum ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra minus convexus, confertim profundius punctatus, in medio obsolete carinatus, niger, dense cinereo-squamulosus, plaga dorsali magis nuda notatus. Scutellum demersum, vix observandum. Elytra antice singulatim obtuse rotundata, thoracis basi ibi parum latiora, sed pone basin oblique ampliata, humeris alte elevatis, obtuse angulatis; posterius attenuata, apice conjunctim acuminata, thorace quadruplo longiora, supra anterius fere plana, postice declivia, obsoletius punctato-striata, interstitiis planis, subtiliter alutaceis, versus apicem tuberculis numerosis, elevatis adspersa; nigra, dense cinereo-squamulosa, etiam in tuberculis. Corpus subtus confertim profundius punctatum, segmentis ultimis ventris subtiliter punctulatis; nigrum, dense cinereo-squamulosum. Pedes longiusculi, validi, nigri, cinereo-squamulosi, femoribus clavatis, muticis; tibiis subarcuatis; tarsis parum dilatatis, articulo unguiculari modice elongato.—GHL.

GENUS 209. ELLESCUS.

Ellescus MEGERLE, DEJEAN, STURM, STEVEN, STEPH. (1). — *Hypera* GERM. — *Rhynchænus* FABR., GYLLENH., pluresque alii.

(1) Steph. Brit. Ent. IV. p. 103.

Character generis. — Antennæ mediocres, minus tenues; funiculo 7-articulato : articulis duobus basalibus ob-conicis primo longiore et crassiore, reliquis sub-perfoliatis; clava sub-ovata.
Rostrum elongatum, validiusculum, nonnihil curvatum.
Oculi sub-laterales, rotundati, parum prominuli.
Thorax anterius angustior, antice posticeque sub-truncatus.
Elytra oblongo-ovata, humeris obtuse angulatis.

Descriptio. — Corpus sub-ovatum, convexum, pubescens, alatum; minusculæ magnitudinis. — *Antennæ* ad thoracis medium non pertingentes, pone medium rostri insertæ, validiusculæ, fractæ, 12-articulatæ : articulo 1° oculum haud attingente, subrecto, clavato; 2° et 3° ob-conicis, illo longiore et crassiore; 4-8 brevibus, transversis, apice truncatis, sub-turbinatis, gradatim crassitudine perparum crescentibus ; clava ovata, apice sub-acuminata, 4-articulata. — *Rostrum* longitudine thoracis, validiusculum, teres, modice arcuatum ; scrobe lineari, in basi rostri subtus desinente. — *Oculi* sub-laterales, rotundati, modice prominuli. — *Thorax* longitudine fere latior, anterius angustior et ad latera apicis nonnihil coarctatus, deinde sub-rotundatus, basi apiceque sub-truncatus, supra modice convexus, infra pone gulam parum emarginatus. — *Scutellum* parvum, apice rotundatum. — *Elytra* thoracis basi vix dimidio latiora et illo quadruplo longiora, oblongo-ovata, basi sub-truncata, supra modice convexa, versus apicem sub-callosa, apice ipso sub-rotundata, pygidium obtegentia; humeris obtuse angulatis. — *Pedes* breviusculi, validi, antici basi approximati; femoribus in medio valde incrassatis, muticis; tibiis a basi sensim crassioribus, sub-compressis, apice unco minuto intus instructis; tarsis breviusculis, articulo penultimo latiore bilobo, subtus spongioso, ultimo clavato, bi-unguiculato.

TYPUS — *Rhynchænus scanicus.* FABR., GHL.

Ab ἐλλεσχος bene cognitus. — Ex ἐν ε λέσχῃ qui in omnium ore est.

Patria. Europa borealis et meridionalis.

Observ. — Genus hoc quoad habitum *Phytonomo* quidem proximum, rostri vero antennarumque structura abunde ab eo diversum. Etiam respectu faciei intercedit quædam *Tychii* generis similitudo, rostro vero breviore et crassiore, structura diversa antennarum, etc., ab illo distinctum.

* 1. E. SCANICUS.

Rufo-testaceus, cinereo-pubescens, capite pectoreque fusco-brunneis, elytris sutura lineolisque abbreviatis albido-pilosis.—GHL.

DEJ. *Catal. Col.* p. 87.
STURM. *Ins. Cat.* 1826. p. 138.
STEVEN. *Mus. Mosqu.* II. p. 98.
Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 450. n° 63.
GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 48. n° 45.
PANZ. *Faun. Germ.* XCIX. n° 9.
ILLIG. *Mag.* VI. p. 309. n° 63.
Curculio id. PAYK. *Faun. Suec.* III. p. 251. n° 70. — *Mon. Curc.* p. 59. n° 56.
Hypera scanica. GERM. *Mag.* IV. p. 338. n° 3.
Curculio rubicundus. HERBST. *Col.* VI. p. 267. n° 237. T. 80. f. 6.
Curculio placidus. HERBST. *Col.* VII. p. 16. n° 576. T. 96. f. 9.

Patria : Suecia merid., Germania, Austria, Gallia borealis.

* 2. E. BIPUNCTATUS.

Niger, dense cinereo-pubescens, antennis, tibiis tarsisque rufis, elytris utrinque macula denudata nigra.—GERM.

STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 103. n° 1.
DEJEAN. *Cat. Col.* p. 87.
STURM. *Ins. Cat.* 1826. p. 138.
STEV. *Mus. Mosqu.* II. p. 98.
Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 452. n° 70.
OLIV. *Ent.* V. 83. p. 153. n° 118. T. 29. f. 439.
GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 119. n° 46.
ZETTERST. *Faun. Ins. Lapp.* I. p. 321. n° 39.
Curculio id. LINN. *Faun. Suec.* n° 599. — *Syst. nat.* I. II. p. 609. n° 28. — Ed. GMEL. I. IV. p. 1749. n° 28.
FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 409. n° 68.
HERBST. *Col.* VI. p. 234. n° 198. T. 72. f. 2.
PAYK. *Ins. Suec.* III. p. 250. n° 69. — *Mon. Curc.* p. 58. n° 55.
PANZ. *Faun. Germ.* LXII. n° 7. — *Ent. Germ.* p. 304. n° 28.
VILLERS. *Ent.* I. p. 181. n° 24.
Hypera bipunctata. GERM. *Mag.* IV. p. 338. n° 4.
Curculio unipunctatus. OLIV. *Enc. méth.* V. p. 495. n° 107.
VAR. β. Tibiis etiam nigris, vel nigro-piceis.—GHL.
Rhynchænus id. var. b. GYLLENH. *Ins. Suec.* IV. p. 573.

Patria : Anglia, Germania, Suecia, Lapponia.

GENUS 210. LIGNYODES. *Nobis.*

Ellescus DEJEAN.

Character generis. — Antennæ longiusculæ, subtenues; funiculo 7- articulato: articulis duobus basalibus elongatis, obconicis, primo crasso; reliquis lenticularibus, æqualibus; clava ovali.

Rostrum elongatum, validiusculum, sub-arcuatum.

Oculi magni, convexi, sub-approximati.

Thorax antice multo angustior, basi apiceque sub-truncatus.

Elytra oblongo-ovata; humeris obtuse angulatis.

Pygidium apertum, semi-rotundatum.

Descriptio. — *Corpus* sub-ovatum, convexum, tomentosum, alatum; minusculæ magnitudinis. — *Antennæ* thoracis medium vix superantes, pone medium rostri insertæ, subtenues, fractæ, 12-articulatæ: articulo 1° clavato, oculos sub-attingente; 2° et 3° longiusculis, ob-conicis, illo multo crassiore; 4-8 breviusculis, lenticularibus, æqualibus; clava majuscula, oblongo-ovali, acuminata, 4-articulata. — *Rostrum* capite duplo longius, validiusculum, teres, paulo arcuatum, deflexum; scrobe sub-apicali, lineari, sensim subtus flexa. — *Caput* exsertum, convexum. — *Oculi* magni, rotundati, convexi, in fronte sub-approximati. — *Thorax* longitudine fere latior, ante medium antrorsum sensim attenuatus, versus apicem nonnihil coarctatus, basi apiceque sub-truncatus, supra convexus, subtus pone gulam vix emarginatus. — *Scutellum* triangulatum, distinctum. — *Elytra* thoracis basi dimidio latiora et illo quadruplo longiora, oblongo-ovata, basi junctim leviter emarginata, apice sub-rotundata, supra modice convexa, humeris obtuse angulatis. — *Pygidium* nudum, semi-orbiculatum. — *Pedes* mediocres, sub-æquales, validi, antici basi approximati; femoribus in medio valde incrassatis, muticis; tibiis sub-teretibus, a basi sensim crassioribus, apice unco minuto intus instructis; tarsis articulo penultimo latiore, bilobo, subtus spongioso, ultimo elongato, clavato, bi-unguiculato.

TYPUS. — *Lignyodes enucleator.*

A λιγνυώδης fuliginosus.

Observ. — Generi *Ellesco* proximum quidem est, abunde tamen differt articulis funiculorum longioribus, clava antennarum majore, oculis in fronte magis approximatis.

* 1. L. ENUCLEATOR.

Fusco-piceus, opacus, inæqualiter pallido-squamulosus, capite, rostro, antennis pedibusque rufo-testaceis, thorace ruguloso-punctato, elytris obsoletissime punctato-striatis, fusco-brunneis, basi late vittaque suturali dense pallido-squamulosis.

Rhynchænus id. PANZ. *Faun. Germ.* LVII. n° 14.
Ellescus bicolor. DUFTSCHM. — DEJEAN. *Catal. Col.* p. 87.

Patria : Austria, Gallia, Parisiis. A Dom. CHEVROLAT; in Tauria a Dom. STEVEN, amice communicatus. Mus. SCHH.

Statura et fere magnitudo *Phytonomi variabilis.* Caput sub-globosum, punctatum, testaceum, parce pallido-squamulosum; oculi magni, semi-globosi, nigri, in fronte approximati; rostrum capite duplo longius, validiusculum, arcuatum, seriatim punctatum, rufo-testaceum, nitidum. Antennæ totæ testaceæ, pubescentes. Thorax latitudine brevior, anterius angustior, basi apiceque sub-truncatus, lateribus paulo pone medium rotundato-ampliatus, supra transversim convexus, pulvinatus, confertim ruguloso-punctatus, rufo-piceus, opacus, squamulis piliformibus pallidis, versus latera condensatis, adspersus. Scutellum triangulare, dense pallido-squamosum. Elytra antice sub-truncata, thoracis basi multo latiora, humeris rotundatis, elevato-callosis; lateribus non ampliata, posterius valde attenuata, apice conjunctim obtuse rotundata, thorace quadruplo longiora, supra modice convexa, obsoletissime punctato-striata, fusco-brunnea vel umbrina, opaca, basi plaga magna, sub-triangulari, in sutura anguste versus apicem continuata, e squamis densis, lanceolatis, pallidis, notata. Corpus subtus confertim punctulatum, nigro-piceum, parce pallido-squamulosum. Pedes validi, pallido-squamulosi et pubescentes, toti rufo-testacei. — GHL.

GENUS 211. ANTHOBIUS. *Nobis.*

Rhynchænus FABR.

Character generis. — Antennæ mediocres, minus tenues; funiculo 7-articulato : articulis duobus basalibus longiusculis, obconicis, primo crassiore, reliquis brevioribus, sub-perfoliatis, coarctatis, successive latioribus; clava ovata.

Rostrum longum, subtenue, cylindricum, valde arcuatum.
Caput postice elongatum.
Oculi rotundati, valde prominuli.

Thorax oblongus, basi bi-sinuatus, elevato-marginatus, lateribus rotundatus, anterius angustior.

Elytra oblongo-ovata, humeris obtuse angulatis.

Descriptio. — *Corpus* oblongo-ovatum, glabrum, alatum; minimæ magnitudinis. — *Antennæ* ad thoracis medium vix pertingentes, in medio rostri insertæ, validiusculæ, fractæ, 12-articulatæ: articulo 1° oculum haud attingente, curvato, apice clavato; 2-3 longiusculis, ob-conicis, illo crassiore; 3-8 brevioribus, transversis, sub-perfoliatis, coarctatis, gradatim crassitudine crescentibus; clava majuscula, ovata, 4-articulata, articulis ægre discernendis. — *Rostrum* dimidii corporis fere longitudine, minus tenue, teres, valde arcuatum, deflexum; scrobs linearis, in medio rostri incipiens, ad oculum protensa. — *Caput* postice elongatum, sub-conicum. — *Oculi* laterales, rotundati, valde prominuli. — *Thorax* latitudine fere longior, anterius paulo angustior, basi leviter bi-sinuatus; margine elevato, reflexo; lateribus modice ampliato-rotundatus et intra apicem late et profunde constrictus, apice truncatus, supra convexus. — *Scutellum* minutum, triangulare. — *Elytra* antice thoracis basi dimidio latiora illoque triplo longiora, oblongo-ovata, supra convexa, apice rotundata, anum obtegentia; humeris obtuse angulatis. — *Pedes* mediocres, longitudine sub-æquales, antici basi approximati; femoribus in medio crassioribus, muticis; tibiis teretibus, rectis, apice truncatis, muticis; tarsis basi parum latis, articulis duobus primis trigonis, penultimo lato, bilobo, omnibus subtus spongiosis; ultimo clavato, bi-unguiculato.

TYPUS. — *Rhynchænus testaceus.* FAB.

Ab ἄνθος flos, βιω vivo.

Observ. — Quoad habitum speciebus aliquot generis *Apionis* subsimile est hoc genus; etiam generi *Erirhino* quodammodo appropinquat, sed caput posterius elongatum, sub-conicum et articuli funiculi sub-perfoliati mox distinguunt.

* 1. A. TESTACEUS.

Oblongo-ovatus, rufo-testaceus, glaber, thorace concinne punctato, intra basin et apicem transversim impresso, reflexo-marginato, elytris convexis, punctato-striatis, apice conjunctim obtuse rotundatis.

Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 452. n° 73.

Habitat in America meridionali. Dom. T. LUND. Mus. SCHH.

Parvus; *Ceutorhyncho erysimi* paulo longior, sed angustior. Caput

oblongum, sub-conicum, rufo-testaceum, glabrum, posterius sub-læve, fronte inter oculos rugulosa; oculi laterales, semi-globosi, nigro-brunnei; rostrum longitudine dimidii corporis, cylindricum, valde arcuatum, minus tenue, punctulatum, læte rufo-testaceum, nitidum. Antennæ vix thoracis medium attingunt, pallidius testaceæ, clava obscuriore. Thorax latitudine baseos paulo longior, anterius angustior, apice truncatus et intra apicem late et profunde constrictus, lateribus nonnihil ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, margine elevato, reflexo, et intra marginem arcuatim impressus; supra in medio transversim convexus, concinne punctatus, totus rufo-testaceus, sub-nitidus, glaber. Scutellum oblongo-triangulare, angustum, punctatum, concolor. Elytra ovata, antice thoracis basi multo latiora, humeris elevatis, angulatis, apice conjunctim obtusissime rotundata, thorace vix triplo longiora, supra convexa, æqualia, regulariter punctato-striata, punctis approximatis, interstitiis angustis, convexis; tota rufo-testacea, glabra. Corpus subtus rufo-testaceum, glabrum, punctulatum. Pedes mediocres, rufo-testacei; femoribus in medio crassioribus, muticis; tibiis rectis; tarsis dilatatis, subtus cinereo-spongiosis.

GHL.

GENUS 212. MINYRUS. *Nobis.*

Character generis. — Antennæ mediocres, subtenues; funiculo 7-articulato: articulis duobus basalibus longiusculis, sub-obconicis, primo paulo crassiore, reliquis transversis lenticularibus, sub-coarctatis, successive latioribus.

Rostrum longiusculum, minus tenue, cylindricum, arcuatum.

Oculi rotundati, valde prominuli.

Thorax oblongus, basi apiceque sub-truncatus, lateribus nonnihil rotundatus, anterius sensim angustior.

Elytra oblongo-sub-quadrata, apice obtuse rotundato, supra modice convexa.

Femora acute dentata.

Descriptio. — *Corpus* oblongum, sub-ovatum, parum convexum, sculpturatum, alatum; minimæ magnitudinis. — *Antennæ* thoracis medium pertingentes, in medio rostri insertæ, subtenues, fractæ, 12-articulatæ: articulo 1° oculos attingente, subrecto, apice minus clavato; 2° et 3° longiusculis, sub-obconicis, illo paulo crassiore; 4-8 brevibus lenticularibus, sub-coarctatis, gradatim crassitudine crescentibus; clava ovata, acuminata, 4-articulata. — *Rostrum* longitudine fere capitis cum thorace, minus tenue, cylindri-

cum, arcuatum, deflexum; scrobe lineari, subtus flexa.—*Oculi* laterales, rotundati, valde convexi. — *Thorax* latitudine postica vix longior, basi leviter bi-sinuatus, lateribus perparum rotundatus, anterius paulatim angustior, fere breviter conicus, apice oblique truncatus, supra modice convexus. — *Scutellum* distinctum, apice rotundatum. — *Elytra* thorace duplo longiora et ad basin illo dimidio latiora, oblongo-subquadrata, basi truncata, humeris obtuse angulatis; lateribus subrecta, apice obtuse rotundata, anum tegentia, supra modice convexa. — *Pedes* validi, mediocres, longitudine sub-æquales, antici basi approximati; femoribus pone medium incrassatis, subtus acute dentatis; tibiis sub-compressis, intus leviter bi-sinuatis, apice unco minuto instructis; tarsis minus latis, subtus spongiosis, articulo apicali bi-unguiculato.

TYPUS. — *Minyrus exaratus.*

A μινυρος querulus.

Observ.—Genus hocce habitu generi *Apioni* fere appropinquat, antennarum vero structura, etc., abunde diversum.

* 1. M. EXARATUS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, obscurus, setulis brevissimis albidis adspersus, thorace profunde crebre punctato, elytris sulcatis, sulcis in fundo distincte punctatis, interstitiis carinatis, seriatim setulosis, pedibus piceis.

Patria : Manilla. A Dom. SCHUPPEL benevole communicatus. Mus. SCHH.

Statura fere *Acalypti carpini*, nonnihil tamen major. Caput parvum, globosum, nigrum, obscurum, crebre sat profunde punctatum; oculi laterales rotundati, valde prominuli, glauci; rostrum thorace nonnihil longius, minus tenue, teres, arcuatum, sat crebre minus profunde punctatum; totum nigrum, obscurum. Antennæ subtenues, nigro-piceæ, parce pilosæ, clava parva, ovata, acuminata, obscuriori. Thorax latitudine postica vix longior, apice truncatus, a medio apicem versus sensim angustatus, basi leviter bi-sinuatus, tenue marginatus, supra parum convexus, niger, obscurus, profunde crebre punctatus, setulis depressis albidis, parce obsitus. Scutellum parvum, distinctum, apice rotundatum, nigrum, obscurum. Elytra oblongo sub-quadrata, antice thorace dimidio latiora et illo duplo longiora, basi truncata, humeris parum prominulis, rotundatis; lateribus subrecta, apice conjunc-

tim obtuse rotundata, supra modice convexa, sat profunde et late sulcata, sulcis in fundo evidenter punctatis, interstitiis angustis, carinatis, seriatim albido-setulosis; nigra, sub-opaca. Corpus subtus nigrum, sub-nitidum, subtiliter crebre punctulatum. Pedes mediocres, validi, picei, punctulati, albido-setulosi; femoribus clavatis, subtus pone medium dente acuto, armatis; tibiis subcompressis, basi nonnihil arcuatis, apice unco minuto instructis; tarsis elongatis, subtus griseo-spongiosis. — BHN.

GENUS 213. ADELUS. *Nobis.*

Character generis. — Antennæ mediocres, minus tenues; scapo apice curvato, clavato; funiculo 6-articulato: articulo 1° crasso, 2° brevissime ob-conico, reliquis brevioribus, perfoliatis, coarctatis, gradatim valde latioribus; clava breviter ovata.

Rostrum longiusculum, validiusculum, teres, arcuatum.

Caput postice elongatum.

Oculi rotundati, modice prominuli.

Thorax oblongus, basi apiceque truncatus, lateribus modice rotundatus, anterius angustior.

Elytra oblongo-ovata, humeris obtuse angulatis, sub-retusis.

Pygidium nudum, oblongo-rotundatum.

Descriptio. — *Corpus* oblongo-ovatum, sub-glabrum, alatum; minimæ magnitudinis. — *Antennæ* thoracis apicem vix superantes, in medio rostri insertæ, minus tenues, fractæ, 11-articulatæ: articulo 1° apice flexo, clavato, 2° crasso, nodoso, 3° angustiore, brevissime ob-conico; 4-7 brevioribus, transversis, perfoliatis, coarctatis, gradatim manifeste latioribus, ultimo clavæ adpresso; clava breviter ovata, apice rotundata, articulis arcte connexis. — *Rostrum* capite paulo longius, teres, validiusculum, arcuatum; scrobe infra-oculari, obliqua, profunda. — *Caput* oblongum, cylindricum. — *Oculi* laterales, rotundati, convexi, magni. — *Thorax* latitudine postica vix longior, basi sub-truncatus, in medio leviter productus, lateribus parum rotundato-ampliatus, anterius angustior, apice truncatus, supra modice convexus. — *Scutellum* minutum, triangulare. — *Elytra* antice thoracis basi vix latiora, pone basin oblique ampliata et plus triplo longiora, humeris obtuse angulatis; posterius parum angustata, apice singulatim rotundata, supra convexa. — *Pygidium* apertum, oblongum, apice rotundatum. — *Pedes* breviusculi, antici basi approximati; femoribus clavatis, muticis; tibiis rectis, apice truncatis, vix unguiculatis;

tarsis breviusculis, articulo penultimo latiore, subtus spongioso, ultimo bi-unguiculato.

TYPUS. — *Adelus cupreus.*

Ab ἄδηλος non manifestus.

Observ. — Respectu habitus cum *Apione* genere fere convenit.

1. A. CUPREUS. *Schh.*

Oblongus, fusco-piceus, cupreo-micans, vix pubescens, antennis pedibusque testaceis, thorace parum convexo, punctulato, elytris distincte punctato-sub-sulcatis, interstitiis planis, alutaceis.

Patria : Insula Java. Dom. MELLERBORG. Mus. Reg. Acad. Scient. Holm.

Minutus ; *Apione pallipede* minor et statura subsimilis. Caput oblongum, punctulatum, fusco-cupreum, parum convexum ; oculi magni, semi-globosi, glauci ; rostrum capite paulo longius, validum, arcuatum, supra obsolete striatum, fusco-piceum, cupreo-micans. Antennæ breves, pallide testaceæ. Thorax latitudine non longior, anterius angustior, apice truncatus, lateribus nonnihil ampliatus, basi leviter sinuatus, supra parum convexus, confertim punctulatus, fusco-piceus, cupreo-micans. Scutellum parvum, demersum, concolor. Elytra antice sub-truncata, thoracis basi ibi parum latiora, sed pone basin oblique ampliata, humeris rotundatis, elevato-callosis ; lateribus nonnihil ampliata, apice singulatim rotundata, thorace vix triplo longiora, supra modice convexa, sub-sulcata, sulcis distincte, sub-remote punctatis, interstitiis planis, subtiliter alutaceis ; fusco-picea, cupreo-micantia. Pygidium semi-ellipticum, punctulatum, piceum. Corpus subtus confertim punctulatum, rufo-piceum, cupreo sub-micans. Pedes breviusculi, validi, toti pallide testacei. — GHL.

GENUS 214. BRACHONYX. *Nobis* (1).

Rhynchænus GYLLENH., ZETTERST. — *Rhinodes* DEJEAN, STURM.

Character generis. — Antennæ mediocres, subtenues ; funiculo 7-articulato : articulis duobus basalibus ob-conicis, 1° longiore et crassiore, reliquis brevibus, lenticularibus ; clava ovata.

Rostrum elongatum, teres, lineare, tenue, arcuatum.

Oculi rotundati, paulo prominuli.

(1) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 232. n° 132.

Thorax basi leviter bi-sinuatus, anterius angustior, apice truncatus.

Elytra elongata, sub-cylindrica; humeris obtuse angulatis.

Pedes breviusculi; tibiæ apice muticæ; articulo ultimo tarsorum brevissimo.

Observ. — Corpus elongatum, sub-cylindricum, parce pubescens, alatum; minimæ magnitudinis.

* 1. B. INDIGENA.

Angustus, niger, griseo-pubescens, rostro tenuissimo, arcuato, atro nitido, antennis, pedibus elytrisque rufo-testaceis. — GHL.

GUÉRIN. *Iconogr. du Règne animal.* T. 38. f. 3.
Rhynchænus id. GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 71. n° 7.
ZETTERST. *Faun. Ins. Lap.* p. 315. n° 27.
STEV. *Mus. Mosqu.* II. p. 98.
Curculio id. HERBST. *Col.* VI. p. 170. n° 130. T. 71. f. 12.
PAYK. *Faun. Suec.* III. p. 252. n° 72.
Rhinodes id. DEJ. *Cat. Col.* p. 98.
STURM. *Ins. Cat.* 1826. p. 190.
Sarapus id. Dom. SCHUPPEL *in Litteris.*
Rhynchites malvæ. HERBST. *Col.* VII. p. 138. n° 15.
Curculio pineti. PAYK. *Mon. Curc.* p. 61. n° 58.

* VAR. β. Thorace aut fusco-rufescente, basi apiceque nigro, aut toto rufo-testaceo. — GYLLENH. l. c. var. b.

* VAR. γ. Corpore toto pallido testaceo, rostro oculisque solis nigris. — GHL. l. c. var. c.

Patria : Suecia, Norvegia, Germania.

GENUS 215. BRACHYBAMUS. *Germar.*

Character generis. — Antennæ breviusculæ, subtenues, funiculo 6-articulato : articulo basali incrassato, turbinato, sequentibus brevibus, transversis; clava ovali.

Rostrum teres, longiusculum, sub-arcuatum.

Oculi rotundati, immersi.

Thorax sub-cylindricus, apice subtus emarginatus, basi truncatus.

Elytra oblonga, apice sub-producta; humeri obtuse angulati.

Pedes breviusculi; tarsis latis, ungue solidungulo.

Descriptio. — *Corpus* elongatum, sub-cylindricum, alatum. — *Antennæ* thoracis medium vix attingentes, in medio rostri insertæ, fractæ, 11 articulatæ : articulo 1° oculum attingente, apice clavato,

2° magno, crasso, turbinato, 3° angustiore, sub-conico; 4-7 brevibus, transversis, sensim paulo crassioribus; clava crassa, ovali, sub-solida. — *Rostrum* longitudine thoracis, teres, sub-arcuatum, scrobe subrecta, in cantho inferiore oculi excurrente. — *Caput* parvum, ovatum; oculis planis, parvis, lateralibus. — *Thorax* latitudine vix brevior, basi truncatus, lateribus rectis, ante apicem coarctatus, subtus, pone gulam emarginatus. — *Scutellum* vix ullum. — *Coleoptera* thoracis basi paulo latiora, plus duplo longiora, sub-cylindrica, ante apicem subito deflexa, apice rursus producta. *Pedes* breviusculi, anteriores basi approximati; femoribus clavatis; tibiis latiusculis, apice incurvis, oblique truncatis, intus spina terminalis; tarsis brevibus, latis, subtus spongiosis, articulo penultimo bilobo, ungue brevi, unguiculo solitario.

Βραχυβαμος pedibus brevibus ingrediens. — Germar.

* 1. B. Electus (1).

Albidus, coleopteris vitta suturali fusca.

Habitat Bostoni, in America septentrionali.

Corpus parvum *Hydronomo alismatis* duplo fere minus. Caput albidum, rostro ferrugineo, antennis ferrugineis, clava nigra. Thorax dense punctatus, tenuiter canaliculatus, fusco-niger, plagis duabus albidis. Elytra tenuiter punctato-striata, albida, vitta lata, suturali, communi, et plaga humerali fusco-nigris. Corpus subtus albidum, pedibus fusco-ferrugineis. — Germar.

Genus 216. BRADYBATUS.

Bradybatus Germ., Latr., Schh. (2). — *Rhinodes* Dej., Sturm. — *Pissodes* Stev.

Character generis. — Antennæ breviusculæ, validiusculæ; funiculo 6-articulato; articulo 1° majore, crasso, 2° ob-conico, reliquis brevioribus, apice truncatis, successive latioribus; clava crassiuscula, oblongo-ovata.

Rostrum longiusculum, lineare, teres, validiusculum, arcuatum.

Oculi rotundati, modice prominuli.

Thorax latitudine fere brevior, basi leviter bi-sinuatus, anterius angustior, juxta apicem coarctatus, apice truncatus.

---

(1) Mihi invisus.

(2) Germ. Ins. Spec. I. p. 305. — Schh. Curc. Disp. Meth. p. 234. n° 133. — Latr. Règne anim. p. 394.

Elytra elongata, sub-cylindrica; humeris obtuse angulatis.

Pedes breves, validi; tibiæ apice unguiculatæ.

Observ. — Corpus elongatum, sub-cylindricum, parce pilosum, alatum; minusculæ magnitudinis.

* 1. B. CREUTZERI. *Megerle.*

Elongatus, nigro-piceus, pube pallida adspersus, antennis, elytris, pedibus anoque ferrugineis, thorace rugoso-punctato, scutello niveo-squamoso, elytris confertim punctato-striatis, interstitiis sub-lævibus. — BHN.

GERM. *Ins. Spec.* I. p. 306. nº 444.
AHRENS. *Faun. Ins. Eur.* VIII. f. 13.
Rhinodes id. DEJ. *Cat. Col.* p. 98.
STURM. *Ins. Cat.* 1826. p. 190.
Pissodes id. STEV. *Mus. Mosqu.* II. p. 97.
Rhynchænus cylindraceus. Dom. ANDERSCH *in Litteris*, olim.

* VAR. β. Femoribus nigris, geniculis tibiisque rufis, ano nigro. — BHN.

* VAR. γ. Rufo-ferrugineus, elytris pone medium femoribus subtus macula nigra notatis, abdomine nigro-piceo, ano ferrugineo. — BHN.

Bradybatus elongatus. Dom. CHEVROLAT *in Litteris.*

Patria : Austria; var. β in Tauria; var. γ Italia.

GENUS 217. ANTHONOMUS.

Anthonomus GERM., LATR., SCHH., STEPH. (1), DEJEAN, STURM, STEVEN. — *Rhynchænus* FABR., GYLLENH., ZETTERST. (2), pluresque alii. — *Curculio* LINN. et auctor. reliquorum.

Character generis. — Antennæ longæ, tenues; funiculo 7-articulato: articulo 1º et 2º elongatis, sub-obconicis, illo longiore; 3-7 brevibus, lenticularibus, sub-æqualibus; clava elongata, ovali.

Rostrum longum, tenue, filiforme, parum arcuatum.

Oculi rotundati, convexi.

---

(1) Germ. Mag. IV. p. 320. — *Id.* in Allgem. Encycl. d. Wissensch. u. Künste v. Ersch. u. Gruben IV. p. 274. Tab. Art. *Anthonomus.* — Schh. Curc. Disp. Meth. p. 236. nº 135. — Latr. Règ. Anim. p. 394. — *Id.* in Dict. Class. d'Hist. Nat. XIV. p. 600. Steph. Brit. Ent. IV. p. 72.

(2) Zetterst. Faun. Ins. Lapp. I. p. 304. *Rhynchænus.* subdiv. 2.

Thorax sub-conicus, basi bi-sinuatus, lateribus modice rotundatus, anterius valde angustior, apice truncatus.

Scutellum elongatum, distinctum.

Elytra oblongo-obovata, convexa, sæpius ampla; humeris obtuse angulatis.

Pedes longiusculi, antici longiores; femora crassa, dentata.

Observ. — Corpus sub-ovale, convexum, pubescens, alatum; aut minoris aut minusculæ magnitudinis.

Patria: Europa, America, Sibiria, Africa meridionalis.

* 1. A. TUBEROSUS. *Schh.*

Breviter ovatus, nigro-fuscus, opacus, squamulis angustis cinereis undique tectus, rostro, antennis, tibiis tarsisque ferrugineis, elytris gibbosis, tuberculis elevatis adspersis.

Habitat in Brasilia. Dom. FREYREISS. Mus. SCHH.

Statura brevis, convexa et magnitudo *Cioni scrophulariæ.* Caput parvum, punctatum, nigrum, cinereo-squamosum, fronte inter oculos foveola impressa; oculi semi-globosi, brunnei; rostrum capite cum thorace longius, rectum, tenue, basi punctatum et sub-striatum, obscure ferrugineum, glabrum. Antennæ tenues, pallide rufescentes, clava obscuriore, pubescente. Thorax brevissimus, transversus, antice truncatus, valde angustior, fere tubulatus, longe intra apicem transversim impressus, lateribus ante medium abrupte ampliatus, basi sub-bisinuatus, supra in medio transversim convexus, pulvinatus, confertim punctatus, nigro-fuscus, opacus, squamis lanceolatis, depressis, pallide cinereis tectus. Scutellum semi-ovatum, concolor, dense squamosum. Elytra ampla, antice singulatim rotundata, thoracis basi multo latiora, humeris valde elevatis, angulatis, lateribus inflexa, apice conjunctim rotundata, thorace plus duplo longiora, supra in medio valde convexa, gibbosa, in regione scutelli depressa; sub-remote punctato-striata, nigro-fusca, opaca, squamulis angustis, piliformibus, depressis, cinereis, omnino tecta; juxta scutellum utrinque macula ovata brunnea, et in disco interiore tubercula numerosa, elevata, absque ordine sparsa. Corpus subtus nigro-piceum, punctulatum, pube longa, depressa, cinerea vestitum. Pedes validi, dense cinereo-pubescentes, antici multo longiores, femoribus crasse clavatis, nigro-piceis, subtus dente valido armatis, tibiis arcuatis tarsisque obscure ferrugineis; femora posteriora etiam clavata, picea, minus valide dentata, tibiis rectis tarsisque ferrugineis. — GHL.

* 2. A. PUNCTIPENNIS. *Klug.*

Ovatus, niger, cinereo-tomentosus, antennis tarsisque testaceis, rostro striato, thorace punctato, dense tomentoso, elytris rude, remote punctato-striatis, inæqualiter cinereo-tomentosis.

Patria : Insula Cuba. A Dom. SCHUPPEL, sub hoc nomine, benevole communicatus. Mus. SCHH.

Anthonomo druparum latior, sed non longior. Caput parvum, rotundatum, punctatum, nigrum, cinereo-tomentosum ; oculi rotundati, nigri, in fronte approximati ; rostrum dimidio corpore fere longius, arcuatum, versus apicem attenuatum, supra striatum et punctulatum, nigrum. Antennæ tenues, testaceæ, clava obscuriore. Thorax brevis, antice dimidio angustior, truncatus, lateribus obliquis, pone medium ampliatis; basi bi-sinuatus, supra modice convexus, sat confertim punctatus, niger, tomento denso cinereo vestitus. Scutellum elevatum, tuberculiforme, nigrum, dense cinereo-tomentosum. Elytra antice singulatim rotundato-producta, lobo elevato ; thoracis basi latiora, humeris elevatis, obtuse angulatis; lateribus nonnihil ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace quadruplo longiora, supra valde convexa, fornicata, obsoletius striata, et in striis punctis magnis, remotis impressa ; nigra, tomento cinereo inæqualiter adspersa. Corpus subtus punctatum, nigrum, parce cinereo-tomentosum. Pedes longiusculi, nigri, cinereo-tomentosi ; femoribus clavatis, subtus dente valido armatis; tarsis dilatatis, testaceis. — GHL.

* 3. A. QUADRIGIBBUS.

Ovatus, niger, inæqualiter cinereo-tomentosus, antennis pedibusque ferrugineis, rostro striato, piceo, thorace punctato, canaliculato, elytris punctato-striatis, singulo pone medium, juxta suturam, tuberculis duobus instructo, anteriore conico, fasciculato.

SAY. *Descript. of Curcul. of N. Amer.* p. 15.

Patria : America borealis, Pensylvania. A Dom. SAY communicatus. Mus. SCHH.

Magnitudo et statura *Anthonomi variantis.* Caput parvum, rotundatum, punctulatum, nigrum, cinereo-tomentosum, fronte transversim impressa; oculi rotundati, nigri, modice prominuli; rostrum longitudine fere dimidii corporis, lineare, arcuatum, supra striatum et punctatum, piceum, cinereo-tomentosum. Antennæ ferrugineæ, pubescentes. Thorax latitudine baseos multo brevior, antice dimidio angustior, apice truncatus, longe intra apicem ob-

solete constrictus; lateribus obliquis, posterius ampliatis; basi bisinuatus, supra transversim convexus, pulvinatus, punctatus, in medio obsolete canaliculatus, niger, margine antico ferrugineo; tomento cinereo-abido, in canalicula dorsali magis condensato, adspersus. Scutellum elevatum, tuberculiforme nigrum. Elytra antice singulatim obtuse rotundata, thoracis basi latiora, humeris elevatis, fere rectangulatis; lateribus non ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace plus triplo longiora, supra in dorso antico sub-impressa, posterius convexa, punctato-striata, interstitiis planis, alutaceis; nigra, tomento cinereo inæqualiter adspersa; pone medium singuli elytri, prope suturam, tuberculum magnum, conicum, apice piloso-fasciculatum conspicitur, et paulo anterius, in ipsa sutura alterum, parvum; intra apicem etiam tertium, obliquum. Corpus subtus punctulatum, nigrum, cinereo-tomentosum, ano ferrugineo. Pedes mediocres, ferruginei, cinereo-tomentosi, femoribus modice clavatis, subtus dente acuto armatis. — Ghl.

♂♀ 4. A. Cyanicolor. *Schh.*

Ovatus, nigro-cœrulescens, fere glaber, rostro arcuato, seriatim punctato, thorace confertim rugoso-punctato, elytris punctato-sulcatis, cyaneis, interstitiis lævibus.

Patria: Antioquia Columbiæ. A Dom. Nisser communicatus Mus. Schh.

Magnitudo *Anthonomi pubescentis.* Caput parvum, sub-globosum, punctulatum, nigrum, parum cœrulescenti-micans; oculi rotundati brunnei; rostrum, præsertim feminæ, dimidio corporis longius, filiforme, valde arcuatum, pone antennarum insertionem seriatim punctatum, nigrum. Antennæ longiusculæ, tenues, nigræ. Thorax latitudine postica brevior, anterius dimidio angustior quam basi; apice truncatus, lateribus oblique ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra modice convexus, confertim rugoso-punctatus, nigro-cœrulescens, glaber. Scutellum tuberculiforme, concolor. Elytra ampla, antice sub-sinuata, elevato-marginata, thoracis basi multo latiora, callo humerali elevato; lateribus non ampliata, apice singulatim rotundata, thorace fere quadruplo longiora, supra convexa, fornicata, distincte sulcata, sulcis punctatis, interstitiis fere lævibus; cyanea, nitida, glabra. Corpus subtus obsolete punctatum, nigro-cœrulescens, nitidum. Pedes mediocres, nigri; femoribus sub-clavatis, cœruleo-micantibus, anticis subtus dente majori, acuto, posterioribus parvo armatis. — Ghl.

♂♀ 5. A. DRUPARUM.

Rufo-testaceus, griseo-pubescens, rostro tenui, subrecto, elytris fasciis duabus denudatis, undato-dentatis. — GHL.

GERM. *Mag.* IV. p. 324. n° 5.
STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 75. n° 6.
DEJEAN. *Cat. Col.* p. 87.
STURM. *Ins. Cat.* 1826. p. 93.
STEV. *Mus. Mosqu.* II. p. 98.!
Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 489. n° 243.
GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 191. n° 105.
ZETTERST. *Faun. Ins. Lapp.* I. p. 304. n° 5.
Curculio id. LINN. *Faun. Suec.* n° 617. — *Syst. nat.* I. II. p. 614. n° 62. — Ed. GMEL. I. IV. p. 1768. n° 62.
FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 443. n° 205. — *Mant.* I. p. 109. n° 142. — *Spec. Ins.* I. p. 181. n° 113. — *Syst. Ent.* p. 143. n° 82.
DE GEER. *Ins.* V. p. 214. n° 7.
HERBST. *Col.* VI. p. 156. n° 114. T. 70. f. 9.
PAYK. *Faun. Suec.* III. p. 197. n° 14. — *Mon. Cur.* p. 11. n° 10.
OLIV. *Enc. méth.* V. p. 518. n° 210.
ROSSI. *Faun. Etr.* I. p. 124. n° 316. — Ed. HELLW. p. 133. n° 316.
CEDERH. *Faun. Ingr.* n° 335.
WALCKEN. *Faun. Paris.* I. p. 239. n° 5.
BECHST. et SCHARFENB. *Forstins.* I. p. 166. n° 19.
PANZ. *Ent. Germ.* p. 317. n° 102.
VILLERS. *Ent.* I. p. 198. n° 96.
MULL. *Zool. Dan. Prodr.* p. 89. n° 1003.
VOET. *Col.* Ed. PANZ. IV. p. 54. T. 36. f. 16.
Curculio tesselatus. FOURCR. *Ent. Par.* I. p. 129. n° 46.
SULZ. *Kennz. d. Ins.* Tab. 3. f. 21.
SCHÆFF. *Icon.* Tab. 1. f. 11.
HARRER. *Beschr.* n° 302.

Patria : Europa, borealis et intermedia, Sibiria.

6. A. PALLIDULUS. *Schh.*

Rufo-testaceus, sub-nitidus, undique pallido-tomentosus, thorace elytrisque dilutioribus, illo conico, sub-depresso, his obsolete punctato-striatis, femoribus anticis reliquis non longioribus, omnibus valde crassis, subtus denticulis tribus tenuibus armatis.

Patria : Caffria. Ex Musæo Dom. ECKLON et ZEYHER descriptus.

Anthonomo druparum facie simillimus, sed paulo minor; elytra obsoletius punctato-striata, non fasciata, femora antica reliquis non longiora et omnia valde crassa, subtus dentibus tribus tenuibus armata. Caput parvum, sub-globosum, rufo-testaceum; fronte dense pallido-tomentosa; oculi rotundati, depressi, nigri; rostrum dimidio corporis longius, subtenue, cylindricum, parum arcuatum, vix punctulatum, saturate rufum, nitidum, apice infuscatum. Antennæ valde tenues, rufo-testaceæ, clava oblonga, saturatiore. Thorax latitudine baseos fere longior, antice duplo angustior quam basi, sub-conicus, basi apiceque truncatus, lateribus obliquis, rectis; supra modice convexus, subtiliter punctatus, pallide testaceus, tomento depresso pallido vestitus. Scutellum triangulare, concolor. Elytra antice truncata, thoracis basi non latiora, lateribus oblique ultra medium ampliata, dein angustiora, apice conjunctim rotundata, thorace quintuplo longiora, supra convexa, obsolete punctato-striata, dilute testacea, tomento depresso pallido undique vestita. Corpus subtus obsolete punctatum, testaceum, nitidum, pallido-tomentosum. Pedes validi, saturate rufo-testacei, pallido-tomentosi, antici reliquis non longiores; femoribus omnibus valde crassis, subtus versus apicem spinulis tribus tenuibus, gradatim paulo brevioribus armatis; tibiis longiusculis, subrectis; tarsis elongatis, articulo penultimo dilatato, bilobo. — Ghl.

7. A. Varicolor. *Schh.*

Rufo-testaceus, cinereo-tomentosus; rostro striato, thorace conico, subdepresso, supra saturatius castaneo, elytris obsolete punctato-striatis, piceis, femoribus clavatis, subtus tri-spinosis.

Patria: Caffraria. Ex Musæo Dom. Ecklon et Zeyher descriptus.

Parvus; *Anthonomo ulmi* angustior. Caput parvum vix punctulatum, rufo-testaceum; fronte cinereo-tomentosa; oculi rotundati, nigri, parum convexi; rostrum longitudine dimidii corporis, porrectum, modice arcuatum, supra leviter striatum, saturate rufum, nitidum. Antennæ longiusculæ, testaceæ, pilosæ, clava infuscata. Thorax latitudine baseos fere longior, antice duplo angustior quam basi, sub-conicus, basi apiceque truncatus, lateribus obliquis, rectis; supra fere planus, vix vel subtilissime punctulatus, saturatius rufus vel sub-castaneus, tomento depresso cinereo vestitus. Scutellum demersum, nigrum. Elytra antice truncata, elevato-marginata, thoracis basi parum latiora, lateribus ultra medium oblique nonnihil ampliata, dein angustiora, apice conjunctim rotundata, thorace triplo longiora, supra convexa, præsertim posterius;

obsolete punctato-striata, nigro-picea, tomento depresso cinereo inæqualiter vestita. Corpus subtus obsolete punctulatum, cinereo-tomentosum, rufo-ferrugineum, pectore infuscato. Pedes longiusculi, validi, rufo-testacei, cinereo-pubescentes; femoribus crassis, clavatis, nitidis, subtus versus apicem spinulis tribus tenuibus armatis, primo reliquis longiore. — GHL.

8. A. CONVEXICOLLIS. *Schh.*

Saturate rufo-testaceus, inæqualiter cinereo-tomentosus, thorace subconico, convexo, elytris obsolete punctato-striatis, juxta suturam infuscatis, femoribus crassis, clavatis, subtus pone medium spina unica longiore armatis.

Patria: Caffraria. Ex Musæo Dom. ECKLON et ZEYHER descriptus.

Minutus; *Anthonomo rubi* angustior. Caput mediocre, postice convexum, vix punctulatum, rufo-testaceum, nitidum; fronte albido-tomentosa; oculi rotundati, nigri, parum convexi; rostrum vix longitudine dimidii corporis, porrectum, parum arcuatum, vix punctulatum vel striatum, rufo-testaceum, nitidum. Antennæ longiusculæ, tenues, pallide testaceæ, clava sub-fusca. Thorax latitudine baseos vix longior, antice dimidio angustior quam basi, sub-conicus; basi apiceque truncatus, lateribus obliquis, rectis; supra modice convexus, pulvinatus, obsolete punctulatus, rufo-castaneus, nitidus, tomento cinereo vestitus. Scutellum parvum, concolor. Elytra antice truncata, elevato-marginata, thoracis basi vix latiora, lateribus parum ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace vix triplo longiora, supra convexa, obsolete punctato-striata, rufo-testacea, juxta suturam longitudinaliter nigricantia, undique cinereo-tomentosa. Corpus subtus obsolete punctulatum, rufo-testaceum, nitidum, parce cinereo-tomentosum. Pedes longiusculi, validi, rufo-testacei, cinereo-tomentosi; femoribus crassis, clavatis, nitidis, subtus paulo pone medium spinula unica, longa, tenui, armatis. — GHL.

* 9. A. ULMI.

Rufo-testaceus, sub-pubescens, capite, rostro tenui, arcuato, elongato, pectoreque nigro-piceis, thoracis linea media, scutello elytrorumque fascia postica transversa albis. — GHL.

STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 74. n° 3.
Rhynchænus id. GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 189. n° 104. et IV. p. 586. n° 104.

Curculio id. DE GEER. *Ins.* p. 215 n° 8. T. 6. f. 26-30.
OLIV. *Enc. méth.* V. p. 520. n° 218.
MARSH. *Ent. Brit.* p. 287. n° 145.
VILL. *Ent.* I. p. 201. n° 115. et IV. p. 275. n° 115.
LINN. *Syst. nat.* Ed. GMEL. I. IV. p. 1772. n° 296.
Anthonomus pedicularius. GERM. *Mag.* IV. p. 322. n° 1.
Rhynchænus avarus. FABR. *Syst. El.* II. p. 488. n° 233.
Curculio id. FABR. *Ent. Syst.* Suppl. p. 170. n° 196-7.
Anthonomus id. STURM. *Ins. Cat.* 1826. p. 93.
Anthonomus clavatus. DEJ. *Cat. Col.* p. 87.
Curculio bavarus. SCHRANK. *Faun. Boica.* I. p. 483. n° 519.
Curculio tricolor. OLIV. *Enc. méthod.* V. p. 567. n° 37. ?
LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1773. n° 575. ?
LESKE. *Mus.* p. 20. n° 427. ?

* VAR. β. Fusco-piceus, rostro, antennis pedibusque rufis, elytris fusco-ferrugineis, albido fasciatis. — GYLLENH. l. c. var. b.
Anthonomus fasciatus. STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 74. n° 4.
Curculio id. MARSH. *Ent. Brit.* p. 286. n° 144.

* VAR. γ. Capite ferrugineo, rostro rufo-testaceo, apice fusco, elytris ante fasciam albido variegatis.—GYLLENH. l. c. var. c.
Anthonomus Pomonæ. GERM. *Mag.* IV. p. 323.
Rhynchænus avarus. OLIV. *Ent.* V. 83. p. 230. n° 226. T. 22. f. 310.
Curculio pedicularius. LINN. *Faun. Suec.* n° 620.—*Syst. nat.* I. II. p. 615. n° 66. — Ed. GMEL. I. IV. p. 1769. n° 66.
MARSH. *Ent. Brit.* p. 286. n° 143.
VILL. *Ent.* I. p. 199. n° 100.
OLIV. *Enc. méth.* V. p. 521. n° 221.
Anthonomus id. STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 75. n° 5. ?

* VAR. δ. Capite thoraceque obscure, rostro dilutius ferrugineis, elytris nigris, pube albida variegatis, apice ferrugineis; femoribus rufo-piceis, tibiis tarsisque dilutioribus. — GHL.
Rhynchænus ulmi, var. d. GYLLENH. *Ins. Suec.* IV. p. 587.
Anthonomus pyri. Dom. CHEVROLAT *in Litteris.*

Observ. — Dens femorum anticorum plerumque magnus, basi latus, compressus, apice acutus, et in his tibiæ ejusdem paris magis arcuatæ, basi tenues; in aliis dens idem longe minor, et tibiæ minus arcuatæ, quod forte sexus differentia indicat; cæterum species hæc colore et signaturis variat, ut in diagnosibus varietatum indicatum est. — GHL.

Patria : Europa septentrionalis et temperata.

* 10. A. UNDULATUS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, obscure ferrugineus, rostro longo, tenui, pedibusque dilutius rufis, pectore piceo, thorace latiore, lateribus lineaque media, scutello fasciaque postica elytrorum undulata, niveo-pubescentibus.

Curculio druparum. Var. HERBST. *Col.* VI. p. 157. n° 114. T. 70. f. 10.?

Habitat..... Mus. SCHH.

Anthonomo ulmi proximus, sed major, præsertim longior. *Anthonomo pomorum* fere æqualis, thorace postice latiori et signaturis distinctus. Caput breve, latum, sub-depressum, confertim punctatum, obscure ferrugineum, parce cinereo-pubescens, fronte foveola oblonga impressa; oculi semi-globosi, nigro-brunnei; rostrum capite cum thorace fere longius, tenue, arcuatum, punctulatum, dilutius rufo-ferrugineum. Antennæ piceo-ferrugineæ, clava cinereo-pubescente. Thorax latitudine postica brevior, anterius multo angustior, apice truncatus, lateribus obliquis, perparum ampliatis, basi leviter bi-sinuatus, supra modice convexus, confertim et sat profunde punctatus, obscure ferrugineus, subtus, lateribus late et in linea angusta dorsali pilis longiusculis depressis niveis vestitus. Scutellum semi-globosum, dense niveo-pilosum. Elytra antice singulatim rotundata, thoracis basi perparum latiora, humeris elevatis, angulatis, lateribus non ampliata, apice conjunctim rotundata, supra modice convexa, evidenter punctato-striata, interstitiis transversim rugulosis; obscure ferruginea, pilis longis depressis niveis parce adspersa; longe infra medium fascia transversa, valde undulata, dense niveo-pilosa. Corpus subtus confertim punctatum, anterius nigro-piceum, densius albido-pilosum, postice dilutius ferrugineum, sub-nudum. Pedes rufo-ferruginei, albido-pubescentes, antici multo majores; femoribus crassis, clavatis, subtus versus apicem dente magno, acuto, armatis; tibiis ejusdem paris arcuatis, basi tenuibus, extrorsum incrassatis; femora posteriora multo minora, dente parvo instructa et tibiæ illorum rectæ.

GHL.

* 11. A. POMORUM.

Fusco-piceus, cinereo-pubescens, elytris ferrugineis, fascia postica obliqua albida, nigro inclusa, scutello niveo, rostro tenui arcuato. — GHL.

Germ. *Mag.* IV. p. 323. n° 3.
Steph. *Brit. Ent.* IV. p. 73. n° 2.
Dej. *Catal. Col.* p. 87.
Rhynchænus id. Fabr. *Syst. El.* II. p. 491. n° 250.
Oliv. *Ent.* V. 83. p. 224. n° 219. T. 3. f. 27. a. b.
Gyllenh. *Ins. Suec.* III. p. 188. n° 103.
Curculio id. Linn. *Faun. Suec.* n° 612. — *Syst. nat.* I. II. p. 612. n° 46. — Ed. Gmel. I. IV. p. 1764. n° 46.
Fabr. *Ent. Syst.* I. II. p. 444. n° 209. — *Mant.* I. p. 109. n° 145. — *Sp. Ins.* I. p. 181. n° 115. — *Syst. Ent.* p. 143. n° 84.
Herbst. *Col.* VI. p. 157. n° 115. T. 70. f. 11.
Payk. *Faun. Suec.* III. p. 199. n° 16. — *Mon. Curc.* p. 13. n° 12.
Oliv. *Enc. méth.* V. p. 519. n° 313.
Herbst (Borowsky). *Naturg.* VI. p. 112. n° 10.
Marsh. *Ent. Brit.* p. 285. n° 142.
Panz. *Ent. Germ.* p. 317. n° 105.
Vill. *Ent.* I. p. 199. n° 88.
Schrank. *Faun. Boica.* I. p. 483. n° 518. — *In Physik. Aufsaeze.* p. 161. n° 3.
Walken. *Faun. Paris.* I. p. 240. n° 6.
Goeze. *Europ. Faun.* VIII. p. 483. n° 3.
Fisch. *Naturg. v. Livl.* p. 234. n° 270.
Voet. *Col.* Ed. Panz. IV. p. 51. n° 8. T. 35. f. 8.
Mull. *Zool. Dan. Prod.* p. 89. n° 1002. — *Faun. Fredr.* p. 11. n° 103.
Mull. Linn. *Nat. Syst.* V. I. p. 228. n° 46.
Bechst. et Scharfenb. *Forstins.* I. p. 161. n° 14.
Gleditsch. *Einleit. in die Forst.* I. p. 88. n° 26.
Frisch. *Ins.* I. p. 32. T. 8. f. 1—6.
Patria : Omnis Europa.

* Var. β. Corpore fere toto nigro, elytrorum apice pedibusque tantum dilutioribus. Colore saturatiore tantum diversa; signaturæ præterea ut in α. — Ghl.

Patria : Suecia, Gallia, Volhynia.

* 12. A. Incurvus.

Fusco-piceus, cinereo-pubescens, elytris nigro-fuscis, humeris margineque ferrugineis, fascia postica obliqua, obsoleta, albida, pube flavescente obducta, scutello niveo. — Ghl.

Germ. *Mag.* IV. p. 323. n° 4.
Steph. *Brit. Ent.* IV. p. 73. n° 1.

Rhynchænus id. GYLLENH. *Ins. Suec.* IV. p. 586. n° 103-4.

Curculio id. PANZ. *Faun. Germ.* XXXVI. f. 17. — *Ent. Germ.* p. 312. n° 74. — *Crit. Rev.* I. p. 129.

Rhynchænus pomorum, var. b. GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 188. n° 103.

Anthonomus avarus. DEJ. *Cat. Col.* p. 87.

Cucrulio humeralis. PANZ. *Ent. Germ.* p. 312. n° 72. Var.

* VAR. β. Elytris pedibusque fere totis ferrugineis.

Observ. — Colore dilutiore tantum differt; elytra obscure ferruginea, dorso antice juxta suturam piceo; pedes toti dilutius ferruginei; cætera ut in α.—GHL.

Patria: Germania, Finlandia, Norvegia.

* 13. A. SCUTELLATUS.

Ovatus, nigro-piceus, tomento tenui cinereo-albido inæqualiter adspersus, antennis testaceis, clava fusca, rostro arcuato, distincte striato, nigro, thorace punctato, linea dorsali albida, scutello elevato, niveo, elytris distincte punctato-striatis, pone medium fasciis duabus macularibus, ad suturam connexis, notatis.

Rhynchænus id. Dom. SAY *in Litteris.*

Patria: America borealis, Missuri. Ex Musæo Dom. SAY, ad describendum, amice missus.

Anthonomo ulmi affinis, paulo major; colore, rostro magis arcuato, evidentius striato et signaturis elytrorum distinctus. Caput parvum, parum convexum, punctulatum, nigrum, cinereo-tomentosum; oculi sub-depressi, nigro-brunnei; rostrum capite cum thorace paulo longius, validum, arcuatum, supra distincte striatum, nigrum, sub-nudum. Antennæ testaceæ, pubescentes, clava fusca. Thorax latitudine baseos paulo brevior, anterius dimidio angustior, apice truncatus, longe intra apicem obsolete constrictus; lateribus obliquis, pone medium rotundato-ampliatis; basi leviter bi-sinuatus, supra posterius transversim convexus, confertim punctatus, niger, tomento cinereo-albido, in linea media dorsali magis condensato, adspersus. Scutellum majusculum, elevatum, dense niveo-tomentosum. Elytra antice sub-truncata, thoracis basi multo latiora, humeris elevatis, fere rectangulatis; lateribus vix ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace triplo longiora, supra anterius fere plana, posterius declivia, distincte punctato-striata, interstitiis planis, fere lævibus; dilutius picea, sub-nitida; paulo pone medium fascia transversa et intra apicem alia curvata, versus su-

turam priori connexa, e maculis albido-tomentosis compositæ, conspiciuntur. Corpus subtus punctatum, nigro-piceum, opacum, cinereo-tomentosum. Pedes mediocres, femoribus sub-clavatis, piceis, subtus dente acuto armatis; tibiis tarsisque dilutius ferrugineis.—GHL.

* 14. A. ARGENTATUS. *Schh.*

Ovatus, ferrugineo-testaceus, squamulis albido-argenteis tectus, aliisque umbrinis supra variegatus, oculis in fronte approximatis nigris, rostro tenui punctulato.

Habitat in Insula St. Barthelemy, Indiæ occidentalis. Dom. FORSSTROEM. Mus. SCHH.

Statura *Anthonomi ulmi*, sed paulo minor. Caput rotundatum, convexum, confertim punctulatum, ferrugineum, parce albido-squamulosum, fronte inter oculos fovea majore impressa; oculi majusculi, rotundati, nigri, in fronte approximati; rostrum longitudine capitis cum thorace, tenue, cylindricum, arcuatum, punctulatum, ferrugineum, albido-squamulosum. Antennæ thoracis basin fere attingunt, tenues, ferrugineæ, clava oblongo-ovata, obscuriore. Thorax latitudine baseos brevior, antice truncatus, angustior et intra apicem late constrictus, lateribus obliquis, fere rectis, sub-marginatis, basi sinuatus, ante scutellum productus, angulis lateralibus fere rectis; supra modice convexus, confertim punctatus, obscure ferrugineus, squamulis argenteo-nitidis quoad maximam partem tectus, plaga majuscula baseos utrinque umbrino-squamosa. Scutellum ovatum, elevatum, dense niveo-squamosum. Elytra antice thoracis basi latiora, humeris elevatis, rectangulis, lateribus vix ampliata, apice conjunctim obtuse rotundata, supra modice convexa, obsoletius punctato-striata, obscure ferruginea, squamulis albido-argenteis tecta et maculis nonnullis oblongis murino-squamosis, præsertim anterius et juxta suturam variegata. Corpus subtus ferrugineum, punctulatum, squamulis densis albido-argenteis tectum. Pedes validi, antici longiores et robustiores; femoribus omnibus clavatis, ferrugineis, dense albido-squamosis, subtus dente mediocri armatis, tibiis tarsisque dilutius testaceis.—GHL.

* 15. A. PUBESCENS.

Niger, longius cinereo-pubescens, thorace, elytris pedibusque rufis, scutello albo, rostro elongato, sub-arcuato, rufo, apice fusco, femoribus sub-dentatis.—GHL.

GERM. *Mag.* IV. p. 325. n° 9.

DEJEAN. *Cat. Col.* p. 87.

Rhynchænus id. GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 192. n° 106.

ZETTERST. *Faun. Ins. Lapp.* I. p. 304. n° 6.

Curculio id. PAYK. *Faun. Suec.* III. p. 198. n° 15. — *Mon. Cur.* p. 12. n° 11.

* VAR. β. Pallide testaceus, rostri apice capiteque tantum fuscis. — GHL. l. c. var. b.

Patria : Suecia, Finlandia.

* 16. A. MELANOCEPHALUS.

Niger, parce cinereo-pubescens, thorace, elytris pedibusque rufis, scutello albo, femoribus acutius dentatis, tarsis nigricantibus.

GERM. *Mag.* IV. p. 325. n° 10.

DEJ. *Cat. Col.* p. 87.

Rhynchænus id. FAB. *Syst. El.* II. p. 490. n° 245.

GYLLENH. *Ins. Suec.* IV. p. 587. n° 106-7.

Curculio id. FAB. *Ent. Syst.* I. II. p. 444. n° 207.

PANZ. *Faun. Germ.* XVIII. n° 12. — *Ent. Syst.* p. 317. n° 104.

HERBST. *Col.* VI. p. 474. n° 484.

CEDERH. *Faun. Ingr.*

Curculio phyllocola. HERBST. *Col.* VI. p. 161. n° 118. T. 70. f. 14.

*VAR. β. Elytrorum margine laterali nigricante. — GHL. l. c. var. b.

VAR. γ. Ut var. β, et præterea femora posteriora superne versus apicem et tibiæ posticæ nigræ. — GHL. l. c. var. c.

Patria : Germania, Suecia.

* 17. A. BISIGNATUS. *Dejean.*

Ovatus, niger, thorace, elytris, antennis, pedibus anoque ferrugineis, rostro striato, thoracis vitta media scutelloque albo-tomentosis, elytris profunde punctato-striatis, macula nigra notatis, femoribus acute dentatis.

Patria : America borealis. A Dom. Com. DEJEAN benevole communicatus. Mus. SCHH.

Anthonomo melanocephalo simillimus, sed paulo minor; rostrum evidenter striatum et elytra macula nigra notata. Caput convexum, obsolete punctatum, nigrum, fronte inter oculos carinata; oculi rotundati, nigri, sub-depressi; rostrum longitudine dimidii corporis, arcuatum, supra in medio carinatum, utrinque bi-striatum, totum nigrum. Antennæ subtenues, ferrugineæ, clava nigricante. Thorax latitudine baseos paulo brevior, antice dimidio angustior,

apice truncatus, longe intra apicem obsolete constrictus, lateribus obliquis, pone medium ampliatis; basi bi-sinuatus, supra modice convexus, confertim punctatus, ferrugineus, parce albido-pubescens, in medio baseos vitta abbreviata, densius albo-tomentosa notatus. Scutellum sub-ovatum, elevatum, niveo-tomentosum. Elytra antice thoracis basi multo latiora, humeris elevatis, sub-rectangulis; lateribus non ampliata, apice conjunctim obtuse rotundata, thorace plus triplo longiora, supra modice convexa, profunde punctato-striata, interstitiis planis, sub-lævibus; ferruginea, nitida; in disco singuli elytri, pone medium, macula indeterminata nigro-fusca, punctis numerosis albido-tomentosis circumdata. Corpus subtus confertim punctatum, albido-tomentosum, nigrum, ventris apice ferrugineo. Pedes mediocres, ferruginei, pubescentes; femoribus sub-clavatis, subtus dente parvo, acuto, armatis.—GHL.

* 18. A. VARIANS.

Niger, longius cinereo-pubescens, elytris rufis, margine omni nigro, scutello albo, thorace profunde punctato, femoribus acute dentatis.—GHL.

GERM. *Mag.* IV. p. 324. n° 6.
DEJ. *Cat. Col.* p. 87.
Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 485. n° 222.
GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 193. n° 107.
ZETTERST. *Faun. Ins. Lapp.* I. p. 305. n° 7. a-b.
Curculio id. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 439. n° 186.
HERBST. *Col.* VI. p. 268. n° 239. T. 80. f. 8.
PAYK. *Faun. Suec.* III. p. 202. n° 19. — *Mon. Curc.* p. 16. n° 15.
PANZ. *Ent. Germ.* p. 319. n° 93.
Curculio beccabungæ. FABR. *Mant.* I. p. 108. n° 130.
OLIV. *Enc. méth.* V. p. 514. n° 195.
* VAR. β. Ut α, sed tibiis rufis.
* VAR. γ. Elytris macula discoidali oblonga rufa. — ZETTERST. l. c. var. b.
* VAR. δ. Elytris totis nigris. — GERM. l. c. var. b.
Rhynchænus id. var. b. GYLLENH. l. c.
ZETTERST. l. c. var. c.
ILLIG. *Mag.* IV. p. 147. n° 222.
Curculio varians, var. β. — PAYK. l. c.
FABR. *Ent. Syst.* l. c.
HERBST. *Col.* l. c.
* VAR. ε. Elytris totis testaceis; forte nuper exclusus.

VAR. ζ. Thorace, elytris femoribusque rufis. — Habitat in Ostrogothia. Dom. ZETTERST.

Patria : Suecia septentrionalis, Lapponia.

* 19. A. SUTURALIS. *Dejean.*

Oblongo-ovatus, niger, parce cinereo-pubescens, antennis tarsisque ferrugineis, rostro subtiliter ruguloso, scutello albo, elytris punctato-striatis ferrugineis, sutura margineque nigris, femoribus acute dentatis.

Anthonomus erythropterus. SAY, *Descript. of Curcul. of N. Amer.* p. 25. n° 1.

Patria : America borealis. A Dom. Com. DEJEAN et Dom. SAY benevole communicatus. Mus. SCHH.

Anthonomo ulmi paulo longior, sed angustior. Caput parum convexum, obsolete punctulatum, nigrum; oculi rotundati, nigri, sub-depressi; rostrum longitudine capitis cum thorace, arcuatum, versus apicem paulo crassius, supra subtiliter rugulosum, totum nigrum, sub-nitidum. Antennæ tenues testaceæ, clava obscuriore. Thorax latitudine brevior, antice subito angustior, apice truncatus, longe intra apicem late constrictus, lateribus pone stricturam ampliatus, basi bi-sinuatus, supra minus convexus, in medio obsolete canaliculatus, undique confertim et sat profunde punctatus, niger, parce pubescens. Scutellum sub-ovatum, elevatum, dense albo-tomentosum. Elytra antice thoracis basi multo latiora, humeris elevatis, fere rectangulis; lateribus non ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace fere quadruplo longiora, supra minus convexa, evidenter punctato-striata, interstitiis planis, lævibus; rufo-ferruginea, nitida, vitta suturali, anterius latiore, margineque laterali nigris. Corpus subtus confertim punctatum, nigrum, albido-tomentosum. Pedes mediocres, albido-tomentosi; femoribus sub-clavatis, nigris, subtus dente parvo, acuto armatis; tibiis sub-arcuatis, basi nigris, apice tarsisque totis ferrugineis.

GHL.

* 20. A. TERREUS. *Schh.*

Ovatus, niger, densius albido-tomentosus, rostro carinato, sub-striato, apice ferrugineo, antennarum basi, elytris pedibusque obscure ferrugineis, elytrorum sutura nigricante, femoribus dente parvo acuto armatis.

Patria : Sibiria. A Dom. GEBLER benevole communicatus. Mus. SCHH.

Statura *Anthonomi melanocephali*, sed minor, obscurior, densius tomentosus. Caput punctatum, nigrum, fronte fere plana; oculi nigri, parum convexi; rostrum longitudine capitis cum thorace, arcuatum, supra carinatum et striatum, nigro-piceum, apice dilutius ferrugineum. Antennæ basi ferrugineæ, extrorsum nigro-piceæ, pubescentes. Thorax latitudine parum brevior, antice angustior, apice truncatus, intra apicem obsolete constrictus, lateribus modice ampliatus, basi bi-sinuatus, supra convexus, confertissime punctatus, niger, albido-tomentosus. Scutellum ovatum, elevatum, albo-tomentosum. Elytra antice thoracis basi multo latiora, humeris alte elevatis, fere rectangulis; lateribus non ampliata, apice conjunctim obtuse rotundata, thorace triplo longiora, supra minus convexa, sat profunde punctato-striata, interstitiis planis, obsolete punctulatis; obscure ferruginea, albido-tomentosa, sutura, antice latius, nigricante. Corpus subtus punctulatum, nigrum, albido-tomentosum. Pedes mediocres, ferruginei, pubescentes; femoribus sub-clavatis, medio infuscatis, subtus dente parvo, acuto, armatis.—Ghl.

* 21. A. Rufus. *Schh.*

Ovatus, niger, densius albido-tomentosus, rostro carinato, sub-striato, nigro, elytris obscure ferrugineis, immaculatis, pedibus ferrugineis, femoribus medio infuscatis, anticis dente valido armatis.

Patria : Elisabethgrad, Gubern. Cherson. Ex Musæo Dom. Steven, ad describendum, amice communicatus.

Anthonomo terreo similis et affinis, sed paulo minor, rostrum et elytra aliter colorata, dens femorum anticorum multo major, validior, etc. Caput rotundatum, punctulatum, nigrum, albido-tomentosum, fronte sub-plana; oculi semi-globosi, nigri; rostrum longitudine fere capitis cum thorace, arcuatum, supra leviter carinatum et striatum, totum nigrum. Antennæ nigræ, basi piceæ. Thorax latitudine baseos vix brevior, anterius angustior, apice truncatus, intra apicem obsolete constrictus, lateribus nonnihil ampliatus, basi bi-sinuatus, supra modice convexus, confertim punctatus, niger, albo-tomentosus. Scutellum elevatum, rotundatum, dense albo-tomentosum. Elytra antice singulatim rotundata, thoracis basi multo latiora, humeris elevatis, fere rectangulatis; lateribus parum ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace plus triplo longiora, supra posterius convexa, sat profunde punctato-striata, interstitiis planis, vix punctulatis; tota ferruginea, immaculata, albido-tomentosa. Corpus subtus confertim puncta-

tum, nigrum, opacum, albido-tomentosum. Pedes mediocres, ferruginei; femoribus sub-clavatis, medio infuscatis, anticis dente longo, valido, acuto, armatis.—GHL.

* 22. A. SIGNATUS. *Schh.*

Ovatus, nigro-piceus, parce cinereo-tomentosus, antennis, tibiis tarsisque dilutius ferrugineis, rostro arcuato, striato, nigro, elytris distincte punctato-striatis, testaceis, plaga communi scutellari maculisque posterioribus fuscis notatis.

Anthonomus signatus. SAY, *Descript. of Curcul. of N. Amer.* p. 25. n° 2.

Rhynchænus sanguinipennis. Dom. SAY *in Litteris*, olim.

Patria : America borealis. A Dom. SAY, ad describendum, amice communicatus.

Parvus; *Anthonomo melanocephalo* æqualis. Caput rotundatum, convexum, punctulatum, nigrum, fronte sub-impressa; oculi brunnei, modice prominuli; rostrum longitudine capitis cum thorace, validum, arcuatum, cylindricum, evidenter striatum et punctatum, nigrum. Antennæ testaceæ, clava fuscescente. Thorax brevis, antice dimidio angustior quam basi, apice truncatus, longe intra apicem obsolete constrictus, lateribus obliquis, parum ampliatis; basi bi-sinuatus, supra posterius transversim convexus, confertim punctatus, piceus, margine antico dilutius testaceo; in medio dorsi linea albido-tomentosa notatus. Scutellum elevatum, dense albo-tomentosum. Elytra antice singulatim obtuse rotundata, thoracis basi multo latiora, humeris elevatis, obtuse angulatis; lateribus non ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace fere quadruplo longiora, supra in dorso anteriore fere plana, posterius convexa, distincte punctato-striata, interstitiis planis, lævibus; testacea, sub-nitida, fusco maculata; in regione scutelli nempe plaga magna, communis, fusca et paulo pone medium maculæ tres ejusdem coloris, quarum media major, composita. Corpus subtus punctatum, piceum, parce tomentosum. Pedes mediocres, femoribus clavatis, piceis, subtus dente acuto armatis; tibiis tarsisque dilutius ferrugineis. — GHL.

* 23. A. LANGUIDUS. *Schh.*

Ovatus, pallide testaceus, fere glaber, rostro lævi, brunneo, thorace obsoletius punctato, antice constricto, elytris sub-remote punctato-striatis, femoribus obtuse dentatis.

Patria : Tauria. A Dom. STEVEN benevole communicatus. Mus. SCHH.

Statura *Anthonomi ulmi*, sub duplo minor. Caput obsolete punctatum, obscure testaceum, fronte plana, puncto impresso inter oculos notata; oculi nigri, parum prominuli; rostrum longitudine capitis cum thorace, cylindricum, arcuatum, læve, brunneum, nitidum. Antennæ tenues, pallide testaceæ, clava obscuriore. Thorax latitudine baseos paulo brevior, anterius angustior, apice truncatus, longe intra apicem late constrictus, lateribus pone stricturam ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra posterius transversim convexus, confertim, sed obsoletius punctatus, totus pallide testaceus, opacus. Scutellum ovatum, concolor. Elytra antice thoracis basi paulo latiora, humeris alte elevatis, obtuse angulatis; lateribus non ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace plus triplo longiora, supra convexa, sub-remote punctato-striata, interstitiis planis, lævibus; tota pallide testacea, sub-nitida. Corpus subtus confertim punctulatum, testaceum, vix pubescens. Pedes longiusculi, pallide testacei; femoribus sub-clavatis, subtus versus apicem, dente obtuso armatis. — GHL.

24. A. OBSCURUS (1).

Nigro-piceus, sub-pubescens, antennarum basi, tibiisque rufo-piceis, scutello nigro.

STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 75. n° 7.

Patria : Anglia.

25. A. ATER (2).

Niger, sub-pubescens, scutello concolore, thorace opaco scabriusculo, antennis atris.

STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 75. n° 8.
Curculio ater. MARSH. *Ent. Brit.* p. 285. n° 141.

Patria : Anglia.

* 26. A. RUBI.

Niger, tenuiter pubescens, scutello albo, thorace confertim subtiliter punctato, femoribus obsolete dentatis.

GERM. *Mag.* IV. p 324. n° 7.

---

(1) Mihi invisus.
(2) Mihi invisus.

Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 446. n° 42.

Curculio id. HERBST. *Col.* VI. p. 167. n° 126. T. 71. f. 8.

Curculio perforatus. HERBST. *Col.* VI. p. 143. n° 103. T 69. f. 8.

* VAR. β. Antennarum scapo, genibus tarsisque piceis. — GERM. l. c. var. b.

Rhynchænus id. GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 194. n° 108.

Anthonomus id. STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 76. n° 9.

Curculio melanopterus. MARSH. *Ent. Brit.* p. 289. n° 151. (Teste Dom. GYLLENH.)

* VAR. γ. Elytris, pedibus abdomineque fusco-ferrugineis. — GERM. l. c. var. c.

Rhynchænus rubi, var. β. — GYLLENH. l. c.

Curculio rostrum. HERBST. *Col.* VII. p. 32. n° 590. T. 97. f. 7. d.?

Patria: Europa septentrionalis et meridionalis.

* 27. A. MUSCULUS.

Oblongo-ovatus, fusco-piceus, parce cinereo-tomentosus, antennis pedibusque pallidius testaceis, rostro arcuato, punctato, obsolete striato, thorace brevi, confertim punctato, antice constricto, elytris distincte punctato-striatis, versus apicem fascia cinereo-tomentosa notatis.

SAY, *Descript. of Curcul. of N. Amer.* p. 15. n° 2.

Patria: America borealis, Pensylvania. A Dom. SAY amice communicatus. Mus. SCHH.

Parvus, angustus, *Anthonomo rubi* sub-æqualis. Caput rotundatum, punctulatum, nigrum, cinereo-tomentosum, fronte foveola oblonga impressa; oculi brunnei, parum prominuli; rostrum longitudine capitis cum thorace, cylindricum, arcuatum, confertim punctulatum, obsolete striatum, piceum. Antennæ pallidæ testaceæ, clava fuscescente. Thorax latitudine baseos brevior, anterius duplo angustior, apice truncatus, intra apicem constrictus, margine elevato; lateribus obliquis, posterius ampliatis; basi bi-sinuatus, supra parum convexus, confertim punctatus, piceus, tomento brevi cinereo adspersus. Scutellum rotundatum, albido-tomentosum. Elytra antice singulatim rotundata, thoracis basi multo latiora, humeris elevatis, obtuse angulatis; lateribus non ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace plus triplo longiora, supra modice convexa, distincte punctato-striata, interstitiis sub-convexis, fere lævibus; fusco-picea, sub-nitida, apice dilutiora et intra apicem fascia inæquali cinereo-tomentosa notata. Corpus subtus punctatum,

nigro-piceum, densius albido-tomentosum. Pedes mediocres, pallide testacei, femoribus sub-clavatis, subtus dente acuto armatis, anticis longioribus, supra infuscatis. — Ghl.

* 28. A. Rubripes. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, cinereo-pubescens, antennis pedibusque rufo-ferrugineis, scutello albo, rostro crassiore, striato, thorace evidentius punctato.

Habitat in Tauria. Dom. Steven. Mus. Schh.

Anthonomo rubi similis, plerumque paulo major, rostro multo crassiore, thorace evidentius punctato, colore antennarum et pedum, ab illo abunde distinctus. Caput parvum, punctatum, nigrum, pubescens, posterius convexum, fronte impressa; oculi parvi, semi-globosi, nigro-brunnei; rostrum longitudine capitis cum thorace, crassiusculum, parum arcuatum, obsolete striatum et punctatum, nigrum, nitidum, parce pubescens. Antennæ tenues, pallide testaceæ, clava nigricante. Thorax latitudine postica brevior, antice abrupte angustior, obsolete constrictus, apice truncatus, lateribus posterius rotundato-ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra convexus, sub-pulvinatus, confertim perspicue punctatus, niger, pube depressa cinerea adspersus. Scutellum rotundatum, elevatum, dense albo-pubescens. Elytra ovata, antice singulatim rotundata, thoracis basi non latiora, humeris rotundatis, lateribus parum ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace vix triplo longiora, supra convexa, sat profunde et sub-remote punctato-striata, nigra, sub-nitida, pube depressa cinerea adspersa. Corpus subtus nigrum, punctatum, densius albido-pubescens. Pedes validi, parce pubescentes, femoribus crassis, clavatis, subtus dente acuto armatis, aut ferrugineis, aut rufo-piceis, tibiis arcuatis tarsisque dilutius testaceis. — Ghl.

29. A. Nanus. *Mannerheim.*

Oblongo-ovatus, ater, parce cinereo-tomentosus, antennis pallide testaceis, rostro lævi, nitido, thorace profunde punctato, elytris remote punctato-striatis, femoribus acute dentatis.

Patria : Insula St. Domingo. A Dom. Com. Mannerheim benevole communicatus.

Anthonomo rubi paulo longior, sed non latior. Caput punctatum, atrum, parce albido-tomentosum, postice convexum, fronte plana, foveola inter oculos impressa; oculi nigri, parum prominuli; ros-

trum longitudine capitis cum thorace, cylindricum, arcuatum, læve, atrum, nitidum. Antennæ longiusculæ, tenues, pallide testaceæ, clava obscuriore. Thorax latitudine non brevior, antice dimidio angustior, apice truncatus, lateribus rotundato-ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra convexus, pulvinatus, profunde sed minus confertim punctatus, ater, sub-nitidus, pilis decumbentibus albidis parce adspersus. Scutellum oblongum, elevatum, densius albido-tomentosum. Elytra antice thoracis basi multo latiora, margine antico humerisque elevatis, his rotundatis; lateribus non ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace plus triplo longiora, supra convexa, leviter striata et in striis punctis magnis, remotis impressa, interstitiis planis, lævibus; atra, nitida, pilis depressis albidis parce adspersa. Corpus subtus obsolete punctatum, atrum, parce albido-pubescens. Pedes longiusculi, atri; femoribus sub-clavatis, subtus dente mediocri armatis. — GHL.

* 30. A. SORBI (1).

Niger, pedibus piceis, antennis basi rufis, thorace lineis tribus, elytris fasciis duabus linearibus undulatis griseis, scutello albido.

GERM. *Mag.* IV. p. 325. n° 8. — *Faun. Ins. Europæ.* XII. Tab. 6.

Patria: Germania.

* 31. A. MACROMALUS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, testaceus, squamulis albidis et sub-argenteis variegatus, rostro, antennis pedibusque pallidis, femoribus anticis subtus spina valida, acuta, nigro marginata armatis.

Habitat in Indiæ occidentalis Insulis, Martinique, St. Barthelemy. Dom. FORSSTROEM. Mus. Dom. BILLBERG et SCHH.

Anthonomo ulmi fere duplo minor. Caput mediocre, parum convexum, subtiliter punctulatum, testaceum, squamulis minutis albidis, in fronte inter oculos argenteo-micantibus, adspersum; oculi majusculi, rotundati, nigri, parum distantes; rostrum longitudine capitis cum thorace, subtenue, cylindricum, modice arcuatum, punctulatum, basi testaceum et albido-squamulosum, dein pallidius, sub-glabrum. Antennæ thoracis basin fere attingunt, tenues, pallidæ, clava obcuriore. Thorax latitudine baseos brevior, anterius multo angustior, apice truncatus et intra apicem leviter constrictus, lateribus rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus,

---

(1) Mihi invisus.

angulis sub-acuminatis; supra modice convexus, confertim punctulatus, saturate testaceus, squamulis albidis adspersus, et præterea vittis tribus, media paulo latiore, recta, lateralibus arcuatis, e squamulis argenteo-nitidis, ornatus. Scutellum sub-ovatum, elevatum, dense niveo-squamosum. Elytra antice thoracis basi multo latiora, humeris elevatis, sub-rectangulis, lateribus non ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace plus triplo longiora, supra convexa, sat profunde striata, et in striis confertim punctata, interstitiis convexis, sub-lævibus; testacea, sub-nitida, squamulis cinereo-albidis, juxta suturam maculatim condensatis, inæqualiter adspersa. Corpus subtus pallide testaceum, punctulatum, squamulis densis albido-sub-argenteis tectum. Pedes validi, pallidi, primi paris multo longiores et robustiores; femoribus crassissimis, subtus versus apicem spina recta, valida, elongata, acuta, externe nigro marginata, armatis; tibiis ejusdem paris angustis, valde arcuatis, intus nigro marginatis; pedes posteriores tenuiores; femoribus dente minuto instructis, articulationibus nonnihil infuscatis.

GHL.

* 32. A. INFIRMUS. *Schh.*

Ovatus, ferrugineus, opacus, squamulis flavescenti-cinereis variegatus, rostro striato, thorace confertim punctato, elytris obsolete punctato-striatis, femoribus sub-muticis.

Rhynchænus æstuans. FABR. *Syst. El.* II. p. 492. n° 254. forte.
Curculio æstuans. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 445. n° 213.?
HERBST. *Col.* VI. p. 476. n° 490.?

Habitat in Insula St. Barthelemy, Indiæ occidentalis. Dom. FORSSTROEM. Mus. SCHH.

Anthonomo ulmi dimidio minor, præsertim brevior. Caput convexum, punctulatum, ferrugineum, squamulis piliformibus flavescentibus, in fronte condensatis, adspersum; oculi laterales, rotundati, nigri; rostrum vix longitudine capitis cum thorace, minus tenue, arcuatum, ferrugineum, longitudinaliter striatum, flavescenti-squamulosum, apice ipso læve, glabrum. Antennæ thoracis basin non attingunt, ferrugineæ, extrorsum nigro-fuscæ. Thorax latitudine baseos brevior, anterius multo angustior, apice truncatus, lateribus ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, angulis subrectis; supra modice convexus, confertim evidenter punctatus, ferrugineus, lateribus late et in linea angusta media dense flavescenti-squamulosus. Scutellum elevatum, ovatum dense niveo-

squamosum. Elytra antice thoracis basi multo latiora, humeris elevatis, sub-rectangulis, lateribus vix ampliata, apice singulatim rotundata, thorace triplo longiora, supra modice convexa, obsoletius punctato-striata, ferruginea, opaca, indumento densiore flavescente tecta, quoad basin humeralem et in fascia maculari pone medium magis condensato. Corpus subtus ferrugineum, punctatum, pallido-pubescens. Pedes mediocres, pallido et ferrugineo variegati; femoribus clavatis, anticis crassioribus, vix vel obsoletissime dentatis, reliquis muticis. — GHL.

* 33. A. RUFIROSTRIS.

Oblongo-ovatus, ferrugineus, supra parce albido-squamulosus, rostri apice pedibusque pallidioribus, thorace confertim punctato, elytris profunde punctato-striatis.

Habitat in Insula Martinique, Indiæ occidentalis. Dom. FORSSTROEM. Mus. Dom. BILLBERG et SCHH.

Statura *Anthonomi ulmi*, sed dimidio minor. Caput mediocre, parum convexum, subtiliter punctulatum, ferrugineum, parce albido-squamulosum, fronte inter oculos leviter impressa; oculi majusculi, rotundati, nigri, distantes; rostrum vix longitudine capitis cum thorace, subtenue, cylindricum, modice arcuatum, a basi ad antennas punctatum, ferrugineum, apice læve, pallidius testaceum. Antennæ thoracis basin vix attingunt, tenues, pallide testaceæ, clava oblongo-ovata fuscescente. Thorax latitudine baseos brevior, anterius angustior, apice truncatus et leviter constrictus, lateribus rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, supra modice convexus, confertim punctatus, saturate ferrugineus, squamulis piliformibus depressis albidis adspersus. Scutellum ovatum, elevatum, dense niveo-squamulosum. Elytra thoracis basi multo latiora, humeris elevatis, sub-rectangulis, lateribus vix ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace fere quadruplo longiora, supra modice convexa, profunde punctato-striata, dilutius ferruginea, sub-nitida, parcius albido-squamulosa. Corpus subtus saturate ferrugineum, nitidum, punctulatum, lateribus albido-squamosum. Pedes validi, dilutius testacei, parce albido-squamosi; femoribus clavatis, subtus dente mediocri armatis. — GHL.

* 34. A. Pusio. *Schh.*

Oblongo-ovatus, ferrugineus, squamis majoribus pallidis densius adspersus, antennis pedibusque pallidioribus, elytris minus profunde crenato-striatis.

Habitat in Insula St. Barthelemy, Indiæ occidentalis. Dom. Forsstroem. Mus. Dom. Billberg et Schh.

Minutus; *Balanino salicivoro* minor. Caput breve, parum convexum, vix visibiliter punctulatum, ferrugineum, squamis majoribus, remotis, pallidis, adspersum; fronte inter oculos foveola oblonga impressa; oculi majusculi, semi-globosi, nigri; rostrum longitudine fere capitis cum thorace, minus tenue, cylindricum, arcuatum, ferrugineum, basi punctulatum et squamulosum, apice læve, nitidum. Antennæ thoracis basin vix attingunt, tenues, pallidius ferrugineæ, clava oblongo-ovata saturatiore. Thorax latitudine baseos brevior, anterius angustior, apice truncatus, lateribus pone medium nonnihil ampliatus, basi bi-sinuatus, supra modice convexus, minus confertim punctatus, saturate ferrugineus, squamis depressis, pallidis, versus latera magis condensatis, adspersus. Scutellum elevatum, rotundatum, dense pallido-squamosum. Elytra antice thoracis basi paulo latiora illique arcte applicata, humeris elevatis; lateribus inflexa, vix ampliata, apice conjunctim obtuse rotundata, thorace plus triplo longiora, supra valde convexa, minus profunde punctato-striata, punctis sub-transversis, unde striæ crenatæ videntur; dilutius ferruginea, squamulis longioribus pallidis sat dense adspersa. Corpus subtus saturate ferrugineum, confertim punctulatum, anterius et ad latera ventris pallido-squamosum. Pedes longiusculi, pallide testacei; femoribus modice clavatis, anterioribus subtus dente parvo, acuto, armatis, posticis sub-muticis. — Ghl.

* 35. A. Modicellus. *Schh.*

Ovatus, fusco-ferrugineus, squamulis albidis variegatus, antennis, rostri apice pedibusque testaceis, femoribus medio infuscatis, elytris latioribus profunde punctato-striatis, ventre dense squamoso.

Habitat in Insulis Indiæ occidentalis, Martinique, St. Barthelemy. Dom. Forsstroem. Mus. Schh.

Magnitudo, statura et summa affinitas *Anthonomi homunculi*, colore dilutiore, squamositate paginæ superioris variegata et inferioris multo densiore, præcipue distinctus. Caput sub-convexum,

punctulatum, fusco-ferrugineum, densius albido-squamulosum; oculi rotundati, nigri, in fronte minus approximati; rostrum longitudine capitis cum thorace, cylindricum, arcuatum, basi punctatum, albido-squamosum, fusco-ferrugineum, apice dilutius testaceum. Antennæ tenues, testaceæ, clava obscuriore. Thorax latitudine postica brevior, anterius multo angustior, apice truncatus, lateribus nonnihil ampliatus, basi bi-sinuatus, supra modice convexus, confertim punctatus, fusco-ferrugineus, squamulis piliformibus albidis, versus latera et in linea media angusta recta, magis condensatis, adspersus. Scutellum elevatum, rotundatum, dense niveo-squamosum. Elytra antice thoracis basi multo latiora, humeris elevatis, rectangulis, lateribus nonnihil ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace vix triplo longiora, supra convexa sat profunde punctato-striata, fusco-ferruginea, squamulis piliformibus albidis, in fascias duas obsoletas magis condensatis, obsita. Corpus subtus fusco-ferrugineum, punctatum, squamulis densis albidis fere tectum. Pedes validi, pallide testacei, femoribus clavatis, plerumque in medio plus minusve infuscatis, anticis subtus acute, posterioribus obsolete unidentatis. — GHL.

* 36. A. HOMUNCULUS. *Schh.*

Ovatus, nigro-piceus, squamulis albidis adspersus, antennis, rostri apice pedibusque testaceis, femoribus fascia fusca cinctis, elytris latioribus, profunde punctato-striatis.

Habitat in Indiæ occidentalis Insulis, Guadeloupe et St. Barthelemy. Dom. FORSSTROEM. Mus. SCHH.

Minutus; *Balanino salicivoro* duplo minor. Caput convexum, punctulatum, nigro-piceum, parce cinereo-squamulosum; oculi majusculi, rotundati, nigri, in fronte parum distantes; rostrum longitudine capitis cum thorace, cylindricum, arcuatum, basi punctatum, piceum, apice læve, rufo-testaceum, nitidum. Antennæ thoracis basin non attingunt, tenues, testaceæ, clava ovata, obscuriore. Thorax latitudine postica brevior, anterius multo angustior, apice truncatus, lateribus obliquis, fere rectis, basi bisinuatus, angulis acuminatis; supra modice convexus, confertim punctatus, nigro-piceus, squamulis longioribus piliformibus albidis adspersus. Scutellum elevatum, rotundatum, dense albido-squamosum. Elytra antice thoracis basi multo latiora, humeris elevatis, rectangulis, lateribus ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace vix triplo longiora, supra modice convexa, sat profunde punctato-striata, nigro-picea, squamulis similibus uti thorax

adspersa. Corpus subtus dilutius piceum, magis nitidum, punctulatum, parce squamulosum. Pedes validi, testacei; femoribus clavatis, medio infuscatis, anticis dente parvo, acuto armatis, reliquis sub-muticis. — GHL.

* 37. A. SUTURELLUS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, piceus, nitidus, parce cinereo-squamulosus, rostro antennisque rufo-ferrugineis, pedibus pallide testaceis, elytris profunde punctato-striatis testaceis, vitta suturali picea, antice latiore.

Habitat in Insula Martinique, Indiæ occidentalis. Dom. FORSSTROEM. Mus. SCHH.

Minutus; proxime præcedentibus non latior, sed paulo longior. Caput convexum, vix punctulatum, piceum, nitidum, fere glabrum; oculi rotundati, nigri, in fronte sub-approximati; rostrum longitudine capitis cum thorace, cylindricum, arcuatum, fere læve, rufo-testaceum, nitidum, basi sub-piceum. Antennæ thoracis basin vix attingunt, tenues, ferrugineæ, clava fuscescente. Thorax latitudine postica brevior, anterius multo angustior, apice truncatus et intra apicem leviter constrictus, lateribus nonnihil ampliatus, basi bi-sinuatus, angulis subrectis, supra modice convexus, evidenter sed minus confertim punctatus, piceus, nitidus, squamulis parvis, piliformibus, cinereis, parce adspersus. Scutellum angustum, triangulare, dense cinereo-squamosum. Elytra thoracis basi paulo latiora, humeris elevatis, obtuse angulatis, lateribus vix ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace fere quadruplo longiora, supra modice convexa, sat profunde punctato-striata, pallide testacea, nitida, fere glabra, vitta suturali communi, basi lata, versus apicem sensim attenuata, nigro-picea. Corpus subtus piceum, punctatum, parce cinereo-squamulosum. Pedes mediocres, pallide testacei; femoribus parum clavatis, anticis dente acuto armatis, reliquis sub-muticis. — GHL.

38. A. CLAVATUS (1).

Niger, sub-pubescens, elytris striatis, scutello atro, rostro clavato, clava compressa.

STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 76. n° 10.
Curculio id. MARSH. *Ent. Brit.* p. 285. n° 140.

Patria : Anglia.

(1) Mihi invisus.

GENUS 218. BOTANEBIUS. *Nobis.*

Character generis. — Antennæ longiusculæ, tenues; funiculo 6-articulato : articulis 1° et 2° elongatis, sub-obconicis, illo longiore et crassiore; reliquis lenticularibus; clava oblongo-ovata, acuminata.

Rostrum longiusculum, validiusculum, teres, parum arcuatum.

Oculi rotundati, aliquantulum convexi.

Thorax parum, transversus, basi in medio lobatus, anterius angustior, apice tubulatus.

Scutellum elevatum, rotundatum.

Elytra ampla, sub-quadrata, valde convexa, apice rotundata; humeris oblique angulatis, callo alte elevato.

Descriptio. — *Corpus* quadrato-ovatum, paulo longius quam latius, fornicatum, inæquale, alatum.—*Antennæ* thoracis basin haud attingentes, pone medium rostri insertæ, tenues, fractæ, 11-articulatæ : articulo 1° oculos attingente, recto, clavato; 2° et 3° elongatis, sub-obconicis, illo duplo longiore et crassiore; 4-7 lenticularibus, æqualibus; clava oblongo-ovata, acuminata, 4 articulata.—*Caput* sub-conicum, declive. — *Rostrum* capite plus duplo longius, validum, teres, deflexum, parum arcuatum. — *Oculi* sub-laterales, rotundati, modice prominuli. — *Thorax* longitudine latior, basi bisinuatus, ante scutellum productus, lateribus vix rotundatus, intra apicem late constrictus, tubulatus, apice truncatus. — *Scutellum* distinctum, elevatum, rotundatum. —*Elytra* magna, quadrato-ovata, thoracis basi duplo latiora, quo plus quadruplo longiora, apice singulatim obtuse rotundata, supra valde convexa, pygidium obtegentia; humeris obliquis, callo lateraliter extenso, alte elevato. *Pedes* longiusculi, validi, antici longiores, basi approximati; femoribus clavatis, subtus dentatis; tibiis rectis, anticis in medio latioribus; quatuor anterioribus apice unco minuto intus instructis; tarsis subtus spongiosis, articulo penultimo bilobo, ultimo clavato, biunguiculato.

TYPUS. — *Botanebius tuberculatus.*

A βοτάνη herba, granum, βιῶ vivo.

Observ. — Quoad habitum generi *Ciono* simile est, differt vero funiculo antennarum 6-articulato, etc.

* 1. B. Tuberculatus. *Schh.*

Niger, obscurus, thorace pectoreque dense pallido-squamulosis pilosisque, antennis tarsisque totis, femoribus basi tibiisque apice ferrugineis, thorace parvo, transverso, canaliculato, quadri-tuberculato, elytris amplis, abrupte, remote punctato-striatis, tuberculis numerosis adspersis.

Patria: Insula Cuba. A Dom. Germar et Schuppel benevole communicatus. Mus. Schh.

Magnitudo et statura *Cioni scrophulariæ.* Caput parvum, subconicum, confertim granulatum, nigrum, cinereo-squamulosum; oculi rotundati, nigri, modice prominuli; rostrum longitudine capitis cum thorace, validiusculum, parum arcuatum, confertim rugulosum et granulatum, nigrum, squamulosum. Antennæ totæ ferrugineæ, clava albido-pubescente. Thorax parvus, transversus, antice angustior, apice truncatus, sub-tubulatus, longe intra apicem profunde constrictus, lateribus pone stricturam subito ampliatis, dein fere rectis; basi profunde bi-sinuatus, lobo scutellari sub-emarginato; supra valde inæqualis, in medio canaliculatus, ante medium dorsi tuberculis duobus magnis, approximatis et in singulo latere alio minore instructus, cæterum punctatus et rugulosus, niger, opacus, squamositate cinerea sat dense vestitus. Scutellum ovatum, elevatum, dense cinereo-squamulosum. Elytra ampla, antice sinuata, mox pone basin in callum humeralem, lateraliter extensum ampliata, thoracis basi fere duplo latiora, lateribus vix ampliata, apice singulatim sub-rotundata, thorace quadruplo longiora, supra convexa, fornicata, remote et sub-interrupte punctato-striata, interstitiis convexis, tuberculis pluribus adspersis, quorum unum fere in medio dorsi juxta suturam et alterum in callo postico reliquis majora; nigra, parce cinereo-squamulosa. Corpus subtus confertim punctatum, nigrum, anterius dense, postice parce cinereo-squamulosum. Pedes longiusculi, validi, cinereo-squamulosi; femoribus clavatis, subtus dentatis, nigris, basi ferrugineis; tibiis subrectis, nigris, apice, tarsisque totis ferrugineis. — Ghl.

Genus 219. PRIONOMERUS. *Nobis.*

Anthonomus Dejean.

Character generis. — Antennæ mediocres, subtenues; funiculo 7-articulato: articulis 1, 2 sub-obconicis, illo crassiusculo; reliquis sub-perfoliatis, coarctatis; clava oblongo-ovalis, acuminata

Rostrum longiusculum, validiusculum, teres, modice arcuatum.

Oculi sub-approximati, sub-rotundati, modice convexi.

Thorax basi bi-sinuatus, lateribus rotundatus, anterius valde angustior, apice late coarctatus.

Scutellum elongatum, angustum.

Elytra sub-quadrato-ovata, humeris obtuse angulatis; apice singulatim acute rotundata.

Femora antica crassa, subtus versus apicem serrata.

Descriptio.—*Corpus* quadrato-ovatum, paulo longius quam latius, convexum, sculpturatum, alatum.—*Antennæ* rostro capiteque vix longiores, in medio rostri insertæ, tenues, fractæ, 12-articulatæ: articulo 1° oculos vix attingente, versus apicem flexuoso, clavato; 2,3 longiusculis, sub-obconicis, illo crassiusculo; 4-8 brevioribus, sub-perfoliatis, coarctatis, gradatim parum latioribus; 8° clavæ adpresso; clava oblongo-ovali, apice acuminata, 4-articulata, articulis ægre discernendis. — *Rostrum* longitudine fere thoracis, validiusculum, deflexum, modice curvatum, teres, sub-lineare. — *Oculi* in fronte parum distantes, sub-rotundati, modice convexi, magni. — *Thorax* latitudine postica paulo brevior, basi bi-sinuatus, lateribus rotundatus, anterius valde angustior, juxta apicem late constrictus, apice truncatus, supra transversim convexus. — *Scutellum* elongatum, angustum, apice sub-rotundatum. — *Elytra* ampla, sub-quadrato-ovata, antice thoracis basi duplo latiora et illo plus triplo longiora, basi apiceque singulatim sub-rotundata, anum occultantia, supra valde convexa; humeris obtuse angulatis.—*Pedes* validi, antici basi approximati; femoribus clavatis, omnibus subtus dentatis, anticis longioribus et crassioribus, subtus versus apicem serratis; tibiis sub-compressis, curvatis, apice unco acuto intus armatis; tarsis subtus spongiosis, articulo penultimo latiore, bilobo, ultimo bi-unguiculato.

TYPUS. — *Prionomerus carbonarius.*

A πρίων serra, μηρὸς femur.

Observ. — Quoad habitum hoc genus haud dissimile speciebus nonnullis generum *Anthonomi* et *Cioni;* sed scutellum elongatum, atque femora antica serrata abunde distinguunt.

* 1. P. CARBONARIUS.

Ater, sub-nitidus, fere glaber, antennis tarsisque testaceis, thorace confertissime punctato-ruguloso, elytris amplis, sub-remote punctato-sulcatis, interstitiis planis, confertissime alutaceis.

Anthonomus id. Dom. Com. DEJEAN *in Litteris.*

Anthonomus (subgen. *Odontopus*) *calceatus.* SAY, *Descript. of Curcul. of N. Amer.* p. 15. n° 3.

Patria : America septentrionalis. A Dom. DEJEAN et Dom. SAY benevole communicatus. Mus. SCHH.

Statura fere *Cioni scrophulariæ,* sed paulo minor. Caput parvum, nigrum, pone oculos transversim impressum, vertice convexo, lævi, fronte angusta, rugulosa; oculi rotundati, nigro-brunnei, in fronte sub-approximati; rostrum longitudine fere capitis cum thorace, validum, sub-arcuatum, rugoso-punctatum, nigrum, nitidum. Antennæ testaceæ, clava fusca. Thorax latitudine postica brevior, antice dimidio angustior quam basi, apice truncatus, longe intra apicem constrictus, lateribus pone stricturam ampliatus, basi bi-sinuatus, supra posterius transversim convexus, confertim et sat profunde ruguloso-punctatus, niger. Scutellum oblongum, angustum, elevatum, punctulatum, nigrum. Elytra ampla, antice singulatim obtuse rotundata, pone basin oblique valde ampliata, callo humerali oblongo, elevato; apice singulatim acute rotundata, thorace quadruplo longiora, supra convexa, anguste sulcata et in sulcis sub-remote punctata, interstitiis planis, confertissime granulatis seu alutaceis; tota nigra, sub-nitida. Corpus subtus confertim punctatum, nigrum, sub-nitidum, pilis minutis, depressis, cinereis, parce adspersum. Pedes validi, nigri, cinereo-pubescentes, tarsis testaceis; femora antica crassa, subtus dente valido armata et pone dentem serrata; femora posteriora modice clavata, dente parvo instructa. — GHL.

GENUS 220. RACHIODES. *Nobis.*

Character generis.— Antennæ longiusculæ, validiusculæ; funiculo 7-articulato : articulis duobus basalibus longiusculis, ob-conicis; reliquis brevibus, sub-turbinatis; clava oblongo-ovata, acuminata.

Rostrum elongatum, validum, teres, arcuatum.

Oculi ob-ovati, parum convexi.

Thorax basi bi-sinuatus, anterius angustior, apice in medio sub-productus, pone oculos lobatus.

Scutellum elevatum, apice rotundatum.

Elytra sub-ovata, humeris obtuse angulatis, lateraliter extensis.

Descriptio. — *Corpus* sub-ovatum, convexum, squamosum, alatum. — *Antennæ* thoracis medium haud attingentes, pone medium rostri insertæ, validiusculæ, fractæ, 12-articulatæ : articulo 1° ocu-

los sub-attingente, recto, clavato; 2° et 3° longiusculis, sub-obconicis; 4-8 brevibus, sub-turbinatis; clava oblongo-ovata, valde acuminata, 4-articulata. — *Rostrum* longitudine capitis una cum thorace, validum, teres, supra versus apicem deplanatum, deflexum; scrobe lineari, subito subtus flexa, in medio rostri subtus evanescente. — *Oculi* laterales, ob-ovati, minus convexi. — *Thorax* latitudine postica breviori, basi bi-sinuatus, lateribus subrectis, anterius subito angustatus, apice late coarctatus, antice in medio paulo rotundato-productus, pone oculos lobatus, infra pone gulam late et profunde emarginatus. — *Scutellum* ovatum, apice rotundatum, alte elevatum. — *Elytra* thorace fere triplo longiora et ad basin illo vix duplo latiora, sub-ovata, convexa, antice sinuata, humeris obtuse angulatis, lateraliter extensis; lateribus versus apicem sensim angustata, apice conjunctim rotundata, pygidium tegentia. — *Pedes* validi, longitudine sub-æquales, antici basi approximati; femoribus pone medium incrassatis, muticis; tibiis sub-teretibus, paulo flexuosis, apice nonnihil latioribus, unco acuto, minuto, intus instructis; tarsis latiusculis, subtus spongiosis, articulo unguiculari, tenui, bi-ungulato.

TYPUS. — *Rachiodes spinicollis.*

A ῥαχιώδης scopulosus.

Observ. — Quoad habitum hoc genus speciebus nonnullis generis *Cryptorhynchi,* ex. gr. *Cyptorhyncho Hebi* subsimile.

* 1. R. SPINICOLLIS.

Nigro-fuscus, squamositate densissima versicolore undique tectus, rostro tri-carinato, extrorsum nudo, nigro, thorace tuberculis quatuor conicis, fasciculatis, transversim positis armato, elytris remote punctato-striatis, albo, nigro et umbrino variegatis, callo postico magno, dense fasciculato, instructis.

Nov. Gen. spinicollis. Dom. HOPE *in Litteris.*

Patria: Nova Hollandia. A Dom. HOPE benevole communicatus. Mus. SCHH.

Cryptorhyncho Hebi, quoad magnitudinem et staturam, sub-æqualis. Caput rotundatum, parum convexum, punctatum, nigrum, squamositate densa ochracea tectum, fronte impressa; oculi subovati, nigri, parum convexi; rostrum capite cum thorace fere longius, validum, modice arcuatum, supra leviter tri-carinatum, confertim punctatum, nigrum, basi dense ochraceo-squamosum, ex-

trorsum nudum, apice deplanatum. Antennæ nigræ, albo-setosæ. Thorax transversus, antice subito multo angustior, apice bis emarginatus, intra apicem transversim inæqualiter impressus, lateribus pone stricturam subito ampliatis, dein obliquis, sub-rectis; basi bi-sinuatus, supra inæqualis, in medio transversim convexus, punctatus et granulatus, niger, squamositate densa ochracea et cinerea tectus; in medio dorsi tubercula quatuor magna, dense fasciculata, in serie transversa posita cernuntur. Scutellum ovatum, elevatum, dense cinereo-squamosum. Elytra ampla, antice sinuata, pone basin oblique in callum lateraliter extensum valde ampliata, lateribus compressa, posterius angustiora, apice conjunctim rotundata, thorace triplo longiora, supra convexa, remote punctato-striata, interstitiis convexis, alutaceis; nigra, squamositate densa varii coloris tecta, antice nempe ochracea, lineolis abruptis nigris mixta; in medio fascia lata alba, obliqua; versus apicem iterum ochraceo-squamosa; paulo pone medium singuli elytri tuberculum atro fasciculatum existit, et callus posticus magnus, fasciculo alto et denso ochraceo instructus. Corpus subtus punctulatum, nigrum, squamositate densissima pallide ochracea tectum. Pedes longiusculi, validi, nigri, squamositate densa, ochracea tecti; femoribus clavatis, muticis. — GHL.

GENUS 221. OTIDOCEPHALUS. *Chevrolat* (1).

Leiopterus et *Rhinolaccus*. SCHH. *in Litteris*. — *Rhina* OLIV.

Character generis. — Antennæ longiusculæ, subtenues; funiculo 7-articulato: articulis duobus basalibus longiusculis, sub-obconicis; reliquis brevibus, lenticularibus; clava oblonga, ovalis.

Rostrum longiusculum, validiusculum, teres, paululum arcuatum.

Oculi rotundati, parum distantes.

Thorax aut sub-cylindricus, aut ob-ovatus, posterius angustior.

Elytra aut ob-ovata, aut oblongo-subovata.

Pygidium apertum.

Descriptio. — *Corpus* oblongum, convexum, parce pilosum, alatum; plerumque minoris magnitudinis. — *Antennæ* thoracis medium sub-attingentes, versus apicem rostri insertæ, subtenues, fractæ, 12-articulatæ: articulo 1° elongato, clavato, oculos attingente; 2, 3 longiusculis, sub-obconicis, illo perparum crassiore sed non

(1) Chevrol. in Ann. de la Soc. Ent. de Fr. t. I p. 100 et t. IV p. 442.

longiore; 4-7 brevioribus, lenticularibus; 8° paulo crassiore; clava oblonga, ovali, 4-articulata; articulis arcte connexis. — *Rostrum*, in plerisque capite plus duplo longius, declive, validiusculum, nonnihil arcuatum, teres, in aliis breviusculum, crassiusculum, perpendiculare; scrobe obliqua, curvata, in basi rostri subtus desinente. — *Caput* supra convexum. — *Oculi* parum approximati, rotundati, modice convexi.—*Thorax* latitudine longior, basi recte et apice oblique truncatus, aut sub-cylindricus, aut ob-ovatus, lateribus ampliato-rotundatus, antice supra valde convexus, posterius valde angustior, in paucis basi constrictus. — *Scutellum* obtuse trigonum, plus minusve distinctum.—*Elytra* elongata, aut ob-ovata, posterius fornicata, aut oblongo-sub-ovata, supra convexa; apice singulatim rotundata, anum haud tegentia; humeris aut obtuse angulatis, aut fere retusis.—*Pygidium* apertum, sub-convexum, apice obtuse rotundatum.—*Pedes* longiusculi, subtenues, antici longiores, basi approximati; femoribus in medio incrassatis, subtus in plerisque dentatis; tibiis teretibus, subrectis, apice oblique truncatis, aut unco minuto intus instructis, aut muticis; tarsis subtus spongiosis, articulo penultimo lato, bilobo, ultimo elongato, clavato, bi-unguiculato.

TYPUS. — *Otidocephalus mexicanus.*

Ab ὀτὶς avis species, κεφαλὴ caput.

Patria. — America septentrionalis, intermedialis et meridionalis.

Observ. — Habitus hujus generis nonnihil variabilis: plerisque haud dissimilis generis *Erodisci.*

STIRPS I.— Rostrum longiusculum, teres, sub-horizontale. Thorax sub-cylindricus. Elytra ob-ovata, posterius fornicata.

* 1. O. MEXICANUS.

Elongatus, ater, nitidus, supra parce fusco-subtus densius albido-pilosus, rostro rugoso, thorace sub-cylindrico, disperse punctato, elytris ob-ovatis, subtiliter striatim punctatis, femoribus omnibus dentatis.

CHEVR. *in Ann. de la Soc. Ent. de France,* I. I. p. 100. n° 1. T. 3. f. 1.

Leiopterus apioniformis. SCHH. *in Litteris,* olim.

Patria : Mexico. A Dom. SHUPPEL benevole donatus. Mus. SCHH.

Etiam ex Musæo Dom. HOPE ad describendum amice communicatus.

Statura anterius angustata et facies fere *Apionis*, sed longe major. Caput oblongum, convexum, obsolete, disperse punctatum, atrum, nitidum, pilis erectis fuscis parce adspersum; fronte inter oculos canaliculata; oculi rotundati, nigro-brunnei, modice prominuli; rostrum capite duplo longius, validum, sub-arcuatum, supra sulcis pluribus abbreviatis exaratum, punctatum, atrum, fusco-pilosum. Antennæ subtenues, thoracis basin fere attingunt, nigræ, pilosæ, clava elongata, acuminata. Thorax angustus, sub-cylindricus, latitudine fere duplo longior, basi apiceque truncatus, lateribus perparum ampliatus, supra convexus, obsolete, disperse punctatus, ater, nitidus, parce fusco-pilosus. Scutellum breve, triangulare, atrum, albido-pilosum. Elytra ob-ovata, antice truncata, thoracis basi dimidio latiora, humeris fere rectangulatis; lateribus sensim ultra medium ampliata, apice singulatim rotundata, thorace triplo longiora, supra convexa, fornicata, subtiliter et remote seriatim punctata, interstitiis lævibus; atra, nitida, parce fusco-pilosa. Pygidium punctatum, nigrum, albido-pilosum. Corpus subtus obsolete, disperse punctatum, nigrum, nitidum, densius albo-pilosum. Pedes elongati, validi, nigri, dense albo-pilosi; femoribus clavatis, omnibus subtus dente valido armatis.

GHL.

STIRPS 2. — Rostrum longiusculum, teres, declive. Thorax oblongus, ob-ovatus, posterius angustior. Elytra elongata, sub-ovata.

* 2. O. PILOSUS.

Oblongus, niger, nitidus, pilis longis, erectis, cinereo-albidis undique sat dense adspersus, antennis tarsisque piceis, thorace ob-ovato, parce obsolete punctato, elytris ovatis, fornicatis, subtiliter, remote seriatim punctatis, pectoris lateribus utrinque linea dense albo-tomentosa cinctis.

CHEVROL. *Annal. Soc. Ent. de France.* I. I. p. 104. n° 2. T. 3. f. 2.

Patria: Brasilia. A Dom. WESTERMANN benevole communicatus. Mus. SCHH.

Statura omnino et summa similitudo *Otidocephali Americani*, sed plus duplo minor, subtilius punctatus, densius pilosus. Caput sub-globosum, obsolete, disperse punctulatum, nigrum, nitidum, pilis longis, erectis, cinereis adspersum; oculi rotundati, convexi, brunnei, in fronte approximati; rostrum capite duplo longius,

validum, parum arcuatum, supra sub-rugosum, basi leviter carinatum, nigrum, nitidum, parce pilosum. Antennæ breviusculæ, subtenues, piceæ, pilosæ et pubescentes. Thorax oblongus, ob-ovatus, basi apiceque truncatus, posterius valde angustatus, supra anterius convexus, gibbosus, versus basin depressus, constrictus, subtilissime, obsolete, disperse punctulatus, niger, nitidus, pilis longis, erectis, cinereo-albidis, sat dense adspersus. Scutellum minutum, tuberculiforme, nigrum, albido-pubescens. Elytra antice thoracis basi dimidio latiora, humeris rotundatis, lateribus pone medium ampliata, apice singulatim rotundata, thorace vix triplo longiora, supra valde convexa, fornicata, psæsertim posterius; obsolete, remote seriatim punctata, nigra, nitida, similiter ac thorax pilosa. Corpus subtus obsolete, disperse punctatum, nigrum, nitidum, pilosum, pectoris lateribus linea dense albo-squamosa cinctis. Pedes elongati, nigri, dense pilosi; femoribus clavatis, subtus versus apicem dente acuto armatis; tibiis sub-arcuatis, tarsis fusco-piceis.

Ghl.

3. O. Myrmecodes. *Klug.*

Ater, cum pectore linea alba marginato. Rostrum breve, supra carinatum, punctatum atque rugatum utrinque. Caput rotundatum, thoracis dimensione; fronte foveata. Oculi albicantes. Thorax cylindricus, basi vix attenuatus, nonnihil punctatus, lævis medio. Scutellum cinereum, triangulare. Elytra thorace basi duplo latiora, humero rotundata, apice ovata; singulo cum decem striis lævibus punctatis, duabus marginalibus profundis. Pedes pilosi; femoribus intus tenuiter dentatis; tibiis æqualibus longitudine, subrectis, apice oblique truncatis.

Chevrol. *In Ann. de la Soc. Ent. de Fr.* I. IV. p. 445.

Patria : . . . .

* 4. O. Americanus.

Niger, nitidus, pilositate erecta, fusco-cinerea adspersus, rostro rugoso, thorace ob-ovato, disperse punctato, elytris elongatis, remote punctato-striatis, femoribus valide dentatis.

Chevrol. *in Ann. de la Soc. Ent. de Fr.* I. I. p. 105. n° 3. T. 3. f. 3.
Curculio coarctatus. Dom. Com. Dejean in Musæo.
Curculio myrmex. Herbst. *Col.* VII. p. 56. n° 614. T. 99. f. 7. g.
Curculio formicarius.
Erodiscus myrmecodes. Say, *Descript. of Curcul of N. Amer.* p. 15.

Patria: Civitates Fœderatæ Americæ septentrionalis. A Dom. Say amice communicatus. Mus. Schh.

Magnitudo et statura angusta *Erodisci ciconiæ.* Caput majusculum, convexum, disperse punctatum, nigrum, fusco-pilosum, fronte inter oculos impressa; oculi rotundati, brunnei, modice prominuli; rostrum vix capite duplo longius, crassiusculum, subrectum, supra rugoso-punctatum, basi carinatum, nigrum, pilosum. Antennæ vix thoracis basin attingunt, crassiusculæ, nigræ, pilosæ et pubescentes. Thorax ob-ovatus, latitudine multo longior, posterius angustior, basi apiceque truncatus, lateribus anterius nonnihil ampliatus, supra valde convexus, gibbus, disperse punctatus, niger, nitidus, pilis longis, erectis, fuscis, parce adversus. Scutellum parvum, tuberculiforme, nigrum. Elytra elongato-ovata, antice thoracis basi latiora, humeris rotundatis; lateribus pone medium ampliata, apice singulatim rotundata, thorace vix triplo longiora, supra convexa, remote punctato-striata, nigra, nitida, pilis longis, erectis, fuscis, parce adspersa. Corpus subtus disperse punctatum, nigrum, nitidum, in disco parce pilosum, pectoris ventrisque lateribus linea dense albo-tomentosa notatis. Pedes longi, nigri, cinereo-pilosi; femoribus crasse clavatis, subtus dente valido, acuto, versus apicem armatis. — Ghl.

5. O. Flavipennis.

Niger, pilosus, elytris flavis.

Chevrol. *in Ann. de la Soc. Ent. de Fr.* I. I. p. 106. n° 4. T. 3. f. 4.

Patria: Mexico.

Stirps 3. — Rostrum breviusculum, crassiusculum, perpendiculare. Thorax oblongus, ob-ovatus, basi constrictus. Elytra oblongo-sub-ovata.

* 6. O. Poey.

Oblongus, ferrugineus, pilis albidis parce adspersus, ventre pedibusque piceis, thorace gibbo, confertim punctato, elytris subtilissime striato-punctatis nigris, basi ferrugineis.

Chevr. *in Ann. de la Soc. Ent. de Fr.* I. I. p. 107. n° 5. T. 3. f. 5.
Curculio dimidiatus. Dom. Com. Dejean in Musæo.
Rhinolaccus id. Schh. *in Litteris*, olim.

Habitat in Insula Cuba, teste Dom. Chevrolat. Mus. Schh.

Statura singularis, *Cyladi formicario* in multis similis, sed triplo

minor. Caput breve, convexum, confertim punctatum, ferrugineum, supra oculos ciliis longis albis instructum; oculi laterales, rotundati, nigri, modice prominuli; rostrum capite longius, deflexum, validum, punctulatum, ferrugineum, albopilosum, supra fovea magna, profunda, rotundata, impressum. Antennæ medium thoracis vix superant, subtenues, ferrugineæ, clava obscuriore. Thorax ob-ovatus, antice truncatus, lateribus ante medium ampliatus, posterius angustatus et intra basin constrictus, basi truncatus, supra valde convexus, pulvinatus, fere gibbosus, evidenter, sub-remote punctatus, ferrugineus, nitidus. Scutellum parvum, concolor. Elytra oblongo-ovata, antice truncata, thoracis basi multo latiora et ab illo spatio remota, humeris elevatis, sub-angulatis, lateribus non ampliata, apice conjunctim sub-acuminata, thorace vix duplo longiora, supra convexa, æqualia, subtiliter striatim punctata, pilis sub-erectis, albidis, parce adspersa, maxima parte nigra, nitida, basi indeterminate ferruginea. Thorax subtus ferrugineus, punctatus; pectus et abdomen nigro-picea, parce punctulata. Pedes elongati, simplices, albido-pilosi, ferrugineo-picei. — GHL.

7. O. FORMICARIUS.

Niger, antennis pedibusque rufis, thorace et elytris ovatis, sub-globosis.

CHEVR. *in Ann. de la Soc. Ent. de Fr.* I. I. p. 108. n° 6. T. 3. f. 6.
Rhina formicaria. OLIV. *Ent.* V. 83. p. 236. n° 234. T. 33. f. 514.

Patria : Ins. St. Domingo.

GENUS 222. ERODISDUS. *Nobis* (1).

Character generis. — Antennæ longæ, subtenues; funiculo 7-articulato : articulis omnibus sub-obconicis, sub-æqualibus; clava oblongo-ovata.

Rostrum longum, tenue, aut parum aut modice armatum.

Oculi magni, oblongi, sub-ovati, depressi, parum distantes.

Thorax oblongus, ob-ovatus, posterius angustatus, basi plus minusve profunde sub-late emarginatus; angulis posticis prominulis, acutis.

Elytra oblongo-ovata, convexa, anum tegentia.

Pedes longi; femora basi gracilia, versus apicem valde clavata, subtus dentata, postica sæpius ultra elytrorum apicem extensa.

---

(1) SCHH. Curc. Disp. Meth. p. 237. n° 136. — Latr. in Dict. Clas. d'Hist. Nat. XIV. p. 600.

Observ. — Corpus elongatum, nitidum, aut raro pilosum aut squamosum.

Patria. — America meridionalis, Insula Java.

1. E. Picus. *Schh.*

Elongatus, nigro-piceus, nitidus, setis longis, erectis, albidis, parce adspersus, rostro mediocri pedibusque rufo-piceis, thorace ob-ovato, obsolete punctato, elytris subtilissime, remote, seriatim punctulatis.

Patria : Brasilia. Ex Musæo Dom. Faldermann, ad describendum, amice communicatus.

Erodisco ciconiæ similis, sed duplo major et distinctus. Caput parvum, rotundatum, nigrum, nitidum, læve, fronte inter oculos foveola oblonga impressa; oculi oblongo-ovati, depressi, in fronte approximati; rostrum longitudine dimidii corporis, arcuatum, basi crassum, punctatum et sub-striatum, nigro-piceum, extrorsum attenuatum, læve, dilutius rufo-piceum, nitidum. Antennæ validiusculæ, nigræ, basi piceæ. Thorax ob-ovatus, latitudine longior, apice leviter emarginatus, sub-tubulatus, lateribus rotundato-ampliatus, posterius angustatus, basi late et profunde emarginatus, angulis acuminatis; longe intra basin constrictus, lobo postico elevato, serie transversa e punctis majusculis impressis notato; supra anterius valde convexus, pulvinatus, antice et lateribus obsolete punctatus, in disco lævis; nigro-piceus, nitidus, pilis longis, erectis, setiformibus, albis, parce adspersus. Scutellum parvum, tuberculiforme, nigrum. Elytra antice thoracis basi vix latiora, sed pone basin oblique ampliata, lateribus inflexa, posterius attenuata, apice conjunctim acute rotundata, thorace duplo longiora, supra convexa, punctis minutis, valde remotis, seriatim digestis impressa, nigro-picea, nitida, pilis similibus ut in thorace, parce adspersa. Corpus subtus profundius, disperse punctatum, nigrum, nitidum, parce albo-pilosum. Pedes longi, validi, rufo-picei, nitidi; femoribus crasse clavatis, subtus dente valido armatis. — Ghl.

* 2. E. Ciconia. *Schh.*

Oblongus, nigro-piceus, nitidus, pilis remotis albidis adspersus, rostro, antennis pedibusque saturate rufis, thorace disperse punctato, elytris lævibus.

Habitat in Brasilia. Dom. Freyreiss. Mus. Schh.

Longitudo *Erodisci attenuati*, sed angustior. Caput parvum, ro-

tundatum, nigro-piceum, læve, glabrum; oculi ovati, depressi, nigri, in fronte approximati; rostrum corpore paulo brevius, tenue, filiforme, parum arcuatum, saturate rufum, nitidum, glabrum, læve. Antennæ saturate rufæ, extrorsum cinereo-pilosæ et pubescentes. Thorax oblongus, basi apiceque sub-emarginatus, lateribus ante medium abrupte rotundato-ampliatus, posterius multo angustior, supra valde convexus, pulvinatus, præsertim anterius, antice et lateribus profunde punctatus, punctis subseriatis, quibusdam oblongis, disco posteriori lævi; nigro-piceus, nitidus, pilis longis, suberectis, albidis, remotis, adspersus. Scutellum elongatum, angustum, concolor. Elytra oblonga, angusta, antice singulatim rotundata, thoracis basi parum latiora, tuberculo humerali elevato prædita, lateribus modice ampliata, apice conjunctim acute rotundata, thorace vix duplo longiora, supra convexa, lævia, nigro-picea, nitida, pilis paucis, erectis, albidis, adspersa. Corpus subtus nigrum, glabrum, anterius profunde, in ventre subtilius punctatum. Pedes elongati, saturate rufi, glabri; femoribus crasse clavatis, subtus dente parvo armatis.

GHL.

* 3. E. GRALLATOR. *Schh.*

Oblongus, niger, parum nitidus, parce cinereo-squamosus, setisque validis fuscis adspersus, rostro longo, tenui, arcuato, antennis pedibusque rufo-ferrugineis, thorace confertim profunde punctato, elytris sub-remote punctato-striatis.

Patria: Insula Java. A Dom. Prof. DE HAAN amice communicatus. Mus. SCHH.

Magnitudo *Erodisci ciconiæ.* Caput breve, crassum, convexum, punctatum, nigro-piceum, setis nonnullis fuscis adspersum; oculi rotundati, nigri, depressi; rostrum longitudine dimidii corporis, valde arcuatum, basi crassius, piceum, supra carinatum, extrorsum attenuatum, læve, rufo-ferrugineum, nitidum. Antennæ thoracis basin attingunt, tenues, rufo-ferrugineæ, pubescentes. Thorax latitudine paulo longior, anterius paulo angustior, apice leviter emarginatus, lateribus modice ampliatus, basi sinuatus, elevato-marginatus, angulis acuminatis; supra modice convexus, confertim et sat profunde punctatus, niger, setis erectis, validis, fusco-cinereis, parce adspersus. Scutellum parvum, triangulare, nigrum. Elytra antice thoracis basi latiora, humeris alte elevatis, fere rectangulatis; lateribus pone medium nonnihil ampliata, apice singulatim acute rotundata, thorace plus triplo longiora, supra

minus convexa, rude, sub-remote punctato-striata, interstitiis angustis, convexis; nigra, squamulis paucis albidis setisque erectis, validis, fuscis, sub-seriatim adspersa. Corpus subtus punctatum, nigrum, dense albido-squamosum. Pedes longi, rufo-ferruginei, cinereo-squamulosi et pubescentes; femoribus crasse clavatis, subtus versus apicem dente valido, acuto, armatis. — Ghl.

Genus 223. TOXOPHORUS. *Nobis.*

Erodiscus Schh. olim. — *Lixus* Fabr. — *Rhynchænus* Oliv.

Character generis. — Antennæ longissimæ, tenuissimæ; funiculo 7-articulato: articulo 2° duplo longiore 1°; omnibus sub-clavatis; clava oblonga, ovalis.

Rostrum longissimum, filiforme, arcuatum.

Oculi sub-laterales, ovati, depressi.

Thorax oblongus, basi sinuatus, angulis prominulis, lateribus modice ampliatus, anterius angustior.

Elytra oblonga, sub-linearia, anum tegentia.

Pedes longissimi, graciles; femora clavata, subtus dentata.

Descriptio. — *Corpus* elongatum, nitidum, aut raro setosum aut pilosum, alatum; mediocris magnitudinis. — *Antennæ* thoracis basin attingentes, in medio rostri insertæ, valde tenues, fractæ, 12-articulatæ: articulo primo elongato, clavato, oculos sub-attingente; 2° mediocri; 3° valde elongato, clavato; sequentibus sensim brevioribus, sub-obconicis; clava oblonga, ovali, 4-articulata; articulis distinctis. — *Rostrum* longitudine fere corporis, valde tenue, filiforme, modice arcuatum, declive. — *Caput* sub-globosum. — *Oculi* magni, ovati, depressi, in fronte parum distantes. — *Thorax* oblongus, anterius angustior, basi bi-sinuatus, angulis prominulis, lateribus modice ampliato-rotundatus, apice truncatus. — *Scutellum* sub-triangulare, sub-elevatum, distinctum. — *Elytra* elongata, thorace fere triplo longiora, linearia, sub-cylindrica, versus apicem attenuata, supra parum convexa, anum tegentia; humeris oblique sub-angulatis. — *Pedes* valde elongati, tenues, antici longiores, basi approximati; femoribus versus apicem modice clavatis, subtus dentatis; tibiis sub-compressis, apice unco valido, horizontali, acuto, intus armatis; tarsis valde elongatis; articulis duobus basalibus longis, tenuibus; tertio lato, bilobo, subtus spongioso; ultimo clavato, bi-unguiculato.

Typus. — *Toxophorus fasciatus.*

A τοξοφόρος sagittarius, sagitifer.

Patria: America meridionalis.

Observ. — Respectu habitus cum *Erodisco* genere fere convenit; antennarum vero tarsorumque diversa structura differentias essentiales præbet.

1. T. FASCIATUS. *Schh.*

Elongatus, angustus, nigro-piceus, nitidus, rostro longissimo tenui, antennis tenuibus pedibusque valde elongatis saturate rufis, thorace oblongo, disperse punctato, elytris profunde, remote seriatim punctatis, parce albo-setosis, dilutius rufo-piceis, pone medium fascia lata, indeterminata, nigro-picea, notatis.

Curculio phalangium. OLIV. *Enc. méth.* V. p. 516. n° 202.? HERBST. *Col.* VI. p. 209. n° 171.?

Curculio cephalotes. VOET. *Col.* Ed. PANZ. IV. p. 50. n° 4. T. 35. f. 4.?

Patria : America meridionalis. Ex Musæo Imperiali Russico, ad describendum, communicatus.

Toxophoro attenuato magnitudine æqualis et similis, abunde tamen distinctus, elytris apice rotundatis, muticis, etc. Caput parvum, sub-globosum, læve, nigro-piceum, nitidum, fronte fovea oblonga impressa; oculi magni, ovati, depressi, glauci, in fronte parum distantes; rostrum vix corpore brevius, valde tenue et arcuatum, læve, saturate rufum, nitidum. Antennæ tenuissimæ, rufæ, clava minuta fuscescente. Thorax oblongus, anterius angustior, sub-tubulatus, apice sub-emarginatus, lateribus modice ampliatus, basi sinuatus, angulis lateralibus prominulis; juxta basin constrictus, lobo postico elevato, rugoso; supra valde convexus, pulvinatus, disperse punctatus, nigro-piceus, nitidus, glaber. Scutellum sub-triangulare, elevatum, nigrum. Elytra antice singulatim rotundata, thoracis basi paulo latiora, humeris elevatis, rotundatis; lateribus inflexa, apice conjunctim rotundata, thorace fere triplo longiora, supra parum convexa, punctis profundis, remotis, seriatim digestis impressa, dilutius rufo-picea, nitida, pone medium fascia lata, indeterminata, saturatius nigro-picea, notata, setisque brevibus, validis, declinatis, albis, parce adspersa. Thorax subtus et pectus profunde, disperse punctata, nigro-picea, squamulis lanceolatis, depressis albis inæqualiter adspersa; venter dilutius rufo-piceus, fere lævis, fasciatim albo-squamosus. Pedes valde elongati et tenues, rufi; femoribus modice clavatis, subtus dente obsoleto armatis. — GHL.

* 2. T. ATTENUATUS.

Elongatus, angustus, niger, nitidus, rostro tenui, longitudine corporis, thorace sub-cylindrico, lævi, elytris subtilius, remote punctato-sub-striatis, pilis rarioribus adspersis, apice singulatim spina valida acuta armatis. — GHL.

Lixus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 506. n° 40.

Patria : America meridionalis.

Observ. — Antennæ in nostro individuo quidem paulo destructæ, sed reliquæ notæ cum præcedenti concordant.

Ad hoc genus verisimile referendi sunt; species mihi invisæ.

3. T. DISJUNCTUS.

Brunneus, thorace elytrisque ovatis, lævibus. — OLIV.

Rhynchænus id. OLIV. *Ent.* V. 83. p. 231. n° 228. T. 29. f. 429.

Patria : Cayenna.

4. T. GRONOVII. *Schh.*

Ater, thorace globoso, rostro filiformi, femoribus clavatis, anticis dentatis, elytris pilosis.

Habitat in India.

Longitudo pollicaris. Color ater, splendens. Rostrum tenuissimum, filiforme, rectum, trunci longitudinem superans. Antennæ longissimæ, tenuissimæ, in medio rostro sitæ, rostro longiores. Thorax globosus, glaber, parvus. Abdomen ovatum, thorace vix triplo longius. Elytra convexa, glabra, splendida, abdomen omnino tegentia, pilis raris albicantibus sparsis prælongis instructa. Femora inflata, clavata, antica sub-dentata. Pedes longi, horum antici longissimi. — Gronov. Zoophyll. p. 168. *Curculio* 582. T. 16. f. 6.

GENUS 224. BALANINUS.

Balaninus GERM., SCHH., LATR., STEPH. (1), DEJEAN, STEVEN, STURM., BILLB. — *Rhynchænus* FABR., OLIV., GYLLENH. — *Curculio* LINN., DE GEER, et plures alii.

---

(1) Germ. Mag. IV. p. 291. — *Id.* Ins. Spec. I. T. 2. f. 8. a-b. — Schh. Curc. Disp. Meth. p. 238. n° 137. — Latr. Règne Anim. p. 394. — *Id.* in Dict. Class. d'Hist. Nat. p. 600. — Steph. Brit. Ent. IV. p. 68. n° 299.

Character generis. — Antennæ longæ, graciles; funiculo 7-articulato : articulis basalibus longiusculis, reliquis successive brevioribus, aut omnibus sub-obconicis, aut exterioribus nodosis; clava aut oblonga, acutiuscula, aut ovata.

Rostrum longissimum, filiforme, maxime tenue, arcuatum.

Oculi rotundati, depressi, magni.

Thorax oblongus, sub-conicus; basi leviter bi-sinuatus, lateribus postice rotundatus.

Scutellum rotundatum, elevatum.

Elytra simul sumta sub-cordata, basi introrsum conjunctim leviter emarginata, humeris sub-rotundatis; posterius valde angustata, apice singulatim rotundata.

Pedes longiusculi; femora subtus sæpissime dentata; tibiæ rectæ, apice truncatæ, anteriores unco minutissimo armatæ.

Observ. Corpus sæpissime breviter ovatum, squamosum, alatum; aut mediæ aut minusculæ magnitudinis.

Βάλανινος, qui e glandula fit.

Patria : Europa, America, India orientalis.

STIRPS I. — (GENUINI.) Articuli funiculorum magis elongati, clava antennarum oblonga, acutiuscula. Pygidium ab elytris non tectum.

♀ 1. B. ROSTRATUS. *Schh.*

Ellipticus, niger, squamulis lanceolatis, depressis, cinereo-pallidis dense vestitus, antennis longis, tenuissimis testaceis, thorace latitudine baseos breviore, punctato, elytris punctato-striatis, fusco variegatis, rostro nigro.

Mas : rostro corpore paulo breviore, extrorsum valde arcuato, basi paulo crassiore, punctato et squamuloso.

Femina : rostro corpore fere dimidio longiore, valde tenui, filiformi, lævi, nitido, versus apicem modice arcuato.

Balaninus nasutus. SAY, *Descript. of Curcul. of N. Amer.* p. 16. n° 4.

Patria : America borealis. Ex Musæo Dom. SAY, ad describendum, amice missus.

Maximus nobis cognitus hujus generis, *Balanino nucum* fere duplo longior, sed parum latior. Caput sub-globosum, punctatum, nigrum, pallido-squamosum, fronte foveola oblonga impressa; oculi majusculi, rotundati, depressi, nigricantes; rostrum maris corpore paulo brevius, basi nonnihil crassius, punctatum et

squamulosum, versus apicem valde arcuatum, tenue, læve, nitidum; feminæ corpore fere dimidio longius, valde tenue, filiforme, læve, nitidum, rectum, versus apicem modice arcuatum, in utroque nigro-castaneum. Antennæ thoracis basin superant, valde tenues, testaceæ, scapo longissimo, apice inflato, brunneo; articulis funiculi gradatim brevioribus, tenuibus, apice nodosis, clava angusta, distincte articulata, fusca; antennæ maris fere in medio, feminæ non procul a basi rostri insertæ. Thorax latitudine baseos paulo brevior, antice fere duplo angustior quam basi, apice truncatus, lateribus obliquis, nonnihil ampliatis; apice leviter sinuatus, supra parum convexus, confertim ruguloso-punctatus, niger, squamulis lanceolatis, depressis, dense tectus, in mare cinereis, in femina pallidis. Scutellum mediocre, oblongum, dense squamosum. Elytra antice sub-sinuata, thoracis basi latiora, humeris alte elevatis, obtuse angulatis; lateribus ab humero ad apicem modice attenuata, apice singulatim rotundata, thorace triplo longiora, supra parum convexa, obsoletius punctato-striata, interstitiis transversim rugulosis; nigra, squamulis similibus ut in thorace tecta maculisque obsoletis fuscis adspersa. Corpus subtus punctulatum, nigrum, dense cinereo aut flavescenti-squamulosum. Pedes longi, validi, squamositate densa vestiti; femoribus crasse clavatis, subtus dente valido armatis. — Ghl.

2. B. Sayi. *Schh.*

Ellipticus, niger, squamositate pallescente inæqualiter vestitus, antennis tenuibus tibiisque ferrugineis, rostro (feminæ) corpore paulo longiore, sub-tenui, castaneo, extrorsum valde arcuato, basi sub-crassiore, punctato, thorace latitudine longiore, sub-conico, convexo, punctato, elytris punctato-striatis, pallido variegatis.

Balaninus proboscideus. Germ. *Mag.* IV. p. 293. n° 1.?
Say, *Descript. of Curcul. of N. Amer.* p. 16. n° 1.
Rhynchænus id. Fabr. *Syst. El.* II. p. 487. n° 229.?
Oliv. *Ent.* V. 83. p. 217. n° 209. T. 11. f. 127. ♀.?
Curculio id. Fabr. *Ent. Syst.* I. II. p. 440. n° 193.—*Mant.* I. p. 108 n° 136. — *Sp. Ins.* I. p. 180. n° 107. — *Syst. Ent.* p. 142. n° 78.?
Oliv. *Enc. méth.* V. p. 517. n° 104.?
Herbst. *Col.* VI. p. 208. n° 170. T. 74. f. 8. ♀.?
Linn. *Syst. nat.* Gmel. I. IV. p. 1767. n° 248.?

Patria: America borealis. Ex Musæo Dom. Say, sub nomine *Rhynchæni proboscidei,* ad conferendum amice communicatus.

Synonymia hujus speciei minus certa, quare specimen visum accuratius describere idoneum censui. Longitudo *Balanini nucum*, sed multo angustior, præsertim in elytris; *Balanino sparso* similis et affinis, sed plus duplo major, elytra posterius minus attenuata et antennarum structura alia. Caput sub-globosum, confertim punctulatum, nigrum, parce squamulosum; oculi majusculi, rotundati, depressi, nigri; rostrum corpore vix tertia parte longius, subtenue, basi paulo crassius, punctatum, extrorsum valde arcuatum, læve, nitidum, totum saturate castaneum. Antennæ mediocres, basin rostri propius insertæ, valde tenues, ferrugineæ, articulis funiculi tenuibus, quadratim brevioribus, apice nodosis, setosis; clava oblongo-ovata, acuminata, distincte articulata. Thorax latitudine baseos longior, antice multo angustior, sub-conicus; apice truncatus, lateribus obliquis, fere rectis; basi obsolete sinuatus, supra modice convexus, sub-pulvinatus, confertissime punctatus, niger, squamositate pallide flavescente, lineatim magis condensata, vestitus. Scutellum oblongum, angustum, dense pallido-squamulosum. Elytra antice conjunctim emarginata, thoracis basi paulo latiora, humeris elevatis, rotundatis; posterius modice attenuata, apice singulatim rotundata, thorace duplo tantum longiora, supra parum convexa, punctato-striata, interstitiis planis, alutaceis; nigra, squamositate pallida sub-fasciatim variegata. Pygidium punctatum, ferrugineum. Corpus subtus confertim punctatum, nigrum, dense pallido-squamosum. Pedes mediocres, dense pallido-squamulosi; femoribus clavatis, nigris, subtus dente valido armatis; tibiis scabris, ferrugineis; tarsis dilatatis, fuscis, subtus cinereo-spongiosis. — Gyll.

3. B. Rectirostris. *Schh.*

Ellipticus, niger, squamulis lanceolatis, depressis, cinereo-pallidis, dense vestitus, antennis tenuissimis testaceis, thorace conico, punctato, elytris punctato-striatis, obsolete fusco fasciatis, rostro corpore longiore, tenuissimo, brunneo, recto, apice tantum curvato.

Balaninus rectus. Say, *Descript. of Curcul. of N. Amer.* p. 16. n° 2.

Patria: America borealis. Ex Musæo Dom. Say, ad describendum, amice communicatus.

Femina tantum nobis visa, *Balanino nucum* multo angustior, sed non brevior. Caput sub-globosum, punctulatum, nigrum, dense squamulosum; oculi brunnei, sub-depressi; rostrum corpore longius, valde tenue, filiforme, brunneum seu castaneum,

rectum, protensum, apice tantum curvatum. Antennæ breviusculæ, valde tenues, testaceæ, clava fuscescente, basin rostri propius insertæ. Thorax latitudine baseos vix brevior, anterius dimidio angustior, apice truncatus, lateribus obliquis, vix ampliatis; basi leviter sinuatus, supra modice convexus, confertim punctatus, niger, squamositate densa cinereo-pallescente vestitus. Scutellum mediocre, oblongum, dense albido-squamulosum. Elytra antice sub-sinuata, thoracis basi paulo latiora, humeris elevatis, rotundatis; lateribus ab humero ad apicem sensim modice attenuata, apice singulatim rotundata, thorace triplo longiora, supra parum convexa, indistincte punctato-striata, nigra, squamositate densa cinereo-albida vestita, fasciisque obsoletis fuscis variegata. Corpus subtus punctulatum, nigrum, dense cinereo-squamulosum. Pedes longi, nigri, cinereo-squamulosi; femoribus modice clavatis, subtus dente valido armatis. — GHL.

♂ 4. B. NASICUS.

Ellipticus, niger, squamositate densa cinereo-pallescente vestitus, antennis ferrugineis, articulis funiculi ob-conicis, rostro corpore breviore, valde arcuato, castaneo, thorace latitudine baseos breviore, lateribus ampliato, in medio dorsi fusco, elytris triangularibus, punctato-striatis, obsolete fusco variegatis.

Mas : rostro corpore multo breviore, basi crassiore, dense squamoso, antennis apicem rostri propius insertis.

Femina : rostro corpore parum breviore, magis tenui; antennis in medio rostri insertis.

SAY, *Descript. of Curcul. of N. Amer.* p. 16. n° 2.

Patria : Pensylvania. Ex Musæo Dom. SAY, ♂ et ♀, ad describendum, amice missi; ♂ etiam in Musæo Imperiali Russico exstat.

Balanino nucum similis, sed paulo minor; rostrum in utroque sexu brevius; elytra postice magis attenuata, etc. Caput sub-globosum, punctatum, nigrum, dense flavescenti-squamulosum; oculi majusculi, rotundati, nigri, sub-depressi; rostrum maris vix dimidio corpore longius, validum, arcuatum, basi crassius, striatum, punctulatum et dense squamulosum; feminæ rostrum dimidio corpore longius, magis tenue, valde arcuatum, basi parum crassius, obsoletius striatum et parce squamulosum, in utroque dilute castaneum. Antennæ maris paulo breviores quam feminæ, minus tenues, ante medium rostri, apicem propius insertæ; feminæ longiores et tenuiores, in medio rostri insertæ; in utroque ferrugi-

neæ, articulis funiculi ob-conicis. Thorax latitudine baseos brevior, antice dimidio angustior, apice truncatus, lateribus rotundato-ampliatus, basi leviter sinuatus, supra modice convexus, confertim punctatus, niger, squamositate densa, depressa, pallida, vestitus; plaga media dorsali paulo obscuriore. Scutellum oblongum, elevatum, dense pallido-squamulosum. Elytra antice sub-truncata, thoracis basi multo latiora, humeris elevatis, acute rotundatis, posterius valde attenuata, triangularia, apice conjunctim acute rotundata, thorace triplo longiora, supra anterius plana, posterius declivia, punctato-striata, paulo ante apicem callo elevato instructa, nigra, squamositate pallescente vestita, liturisque obsoletis fuscis variegata. Corpus subtus punctulatum, nigrum, dense æqualiter cinereo-squamosum. Pedes longiusculi, validi, dense pallido-squamosi; femoribus clavatis, piceis, subtus dente valido armatis; tibiis dilutius ferrugineis; tarsis fuscis, subtus pallido-spongiosis.—GHL.

* 5. B. ELEPHAS. *Andersch.*

Elongato-ovatus, rufo-brunneus, albido-squamosus, pedibus testaceis, rostro tenui longissimo, lævi, funiculi antennarum articulis omnibus elongatis, tenuibus.

STURM. *Ins. Cat.* 1826. p. 99.

Rhynchænus gulosus. FABR. *Syst. El.* II. p. 487. n° 230. forte.

Curculio gulosus. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 441. n° 194. ?

HERBST. *Col.* VI. p. 200. n° 161. ?

Rhynchænus nucum, var. OLIV. *Ent.* V. 83. p. 215. n° 502. T. 5. f. 47. b.

Curculio nucum. VOET. *Col.* Ed. PANZ. IV. p. 53. n° 14. T. 36. f. 14. ? *forte.*

Patria : Austria, Gallia. Mus. SCHH.

Curculione nucum Linn. non latior, sed multo longior. *Balanino rectirostri* proximus, sed thorace breviori, antice constricto, lateribus magis ampliato; antennis longioribus, rostro breviore, validiore, etc. Caput breve, convexum, confertim punctatum, ferrugineum, pallido-squamosum; fronte inter oculos impressa; oculi rotundati, nigro-brunnei, parum prominuli; rostrum feminæ corpore toto paulo longius, valde tenue, versus apicem nonnihil arcuatum, in ipsa basi obsolete punctatum, cæterum glabrum, læve, rufum, nitidum, apice nigrum. Antennæ longæ, tenues, ferrugineæ, articulis omnibus funiculi elongatis, apice nonnihil crassioribus, parce pilosis, clava oblonga, cinereo-pubescente. Thorax latitudine brevior, antice multo angustior, apice truncatus et intra

apicem late et sat profunde impressus, margine elevato; lateribus modice ampliatus, basi leviter sinuatus, supra transversim convexus, sub-pulvinatus, confertissime subtiliter granulatus, fusco-ferrugineus, opacus, squamulis depressis, lanceolatis, flavescenti-albidis, tectus. Scutellum oblongum, apice rotundatum, squamis albis tectum. Elytra antice conjunctim emarginata, humeris elevatis, prominulis, ibique thoracis basi parum latiora, sed mox pone basin ampliata, dein versus apicem valde attenuata, apice singulatim rotundata, thorace plus triplo longiora, supra anterius depressa, posterius modice convexa, evidenter crenato-striata, interstitiis confertim granulatis; rufo-brunnea, squamulis angustis, depressis albidis et griseis variegata. Pygidium breve, latum, apice emarginatum, ciliis longis, lutescentibus, instructum. Corpus subtus ferrugineum, confertim granulatum, dense albo-squamosum. Pedes validi, dilutius testacei, dense albo-squamosi; femoribus clavatis, subtus dente valido armatis.

Observ.—Balaninus gulosus, Germ. Mag. IV. p. 294. n° 4. antennarum structura et rostro basi crassiore, striato, bene distinctus, certe *C. nucum* Linnæi verus, quemadmodum nullus alius ex affinibus in Suecia occurrit; nomen specificum Linnæi ideo huic conservandum. — *Balaninus nucum*, Germ. loc. cit. n° 3, idem cum *Balanino pusillo*, Sturm. Ins. Cat. 1826. p. 99; sed hoc nomen minus aptum nobis videtur, nam magnitudine majori, fere *Balaninum nucum* Linn. æquante, etiam occurrit, quare ejus nomen in *Balaninum turbatum* mutavimus. — *Rhynchænus gulosus* Fabricii, qualem in Ent. Syst. I. II. p. 441. n° 194, e collectione Parisiensi designavit, forte idemac *Balaninus elephas* Sturmii, ut ex descriptione concludendum; postea vero dum *Balaninum turbatum* pro vero *Balanino nucum* habuit, *C. nucum* Linnæi sub nomine *Rhynchæni gulosi* in collectione sua inseruit. — Dom. Oliv. in Ent. v. 83. p. 215. n° 207. plures affines ut varietates ejusdem speciei inspexit; Tab. 5 f. 47, b, *Balaninum elephantem* Sturmii exacte repræsentat. — Gyll.

* 6. B. Sparsus. *Schh.*

Ellipticus, niger, squamulis aurantiacis variegatus, rostro mediocri, castaneo, basi sub-crassiore, scabro, antennis ferrugineis, articulis funiculi ob-conicis, thorace bi-vittato, elytris flavo fasciatis, postice valde attenuatis.

Patria: America borealis. A Dom. Prof. Germar benevole communicatus. Mus. Schh.

Balanino venoso proximus, sed paulo major, posterius adhuc ma-

gis attenuatus, signaturæ squamosæ alio modo locatæ, etc. Caput sub-globosum, punctatum, nigrum, squamulis angustis aurantiacis tectum; oculi magni, rotundati, nigro-brunnei, sub-depressi; rostrum dimidio corpore longius, basi paulo crassius, punctatum et squamosum, castaneum, extrorsum valde arcuatum, tenue, læve, nitidum, dilutius testaceum. Antennæ longiusculæ, tenues, ferrugineæ, articulis funiculi apice crassioribus, setosis, clava fuscescente. Thorax latitudine baseos fere longior, anterius angustior, apice late sub-emarginatus, intra apicem obsolete transversim impressus, lateribus parum ampliatus, basi leviter sinuatus, supra parum convexus, confertim punctatus, linea media lævi, sub-elevata, notatus; niger, squamulis angustis, depressis, aurantiacis, in vitta laterali utrinque magis condensatis, adspersus. Scutellum oblongo-ovatum, dense pallidius squamosum. Elytra antice thoracis basi parum latiora, sed pone basin subito ampliata, humeris elevatis, rotundatis, dein posterius valde attenuata, triangularia, apice singulatim acute rotundata, thorace plus duplo longiora, supra in dorso antico fere plana, late et profunde striata, striis catenato-punctatis, interstitiis planis, confertim alutaceis; nigra, squamulis pallidius aurantiacis, fascias inæquales formantibus, variegata. Corpus subtus confertim granulatum seu alutaceum, nigrum, dense pallido-squamosum. Pedes elongati, validi; femoribus sub-clavatis, nigris, dense pallido-squamosis, subtus dente mediocri armatis, tibiis arcuatis tarsisque ferrugineis.—GHL.

7. B. NASUTUS (1).

Elytris cinereis apice rufis, rostro brunneo, longitudine corporis. OLIV.

Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 448. n° 235.
OLIV. *Ent.* V. 83. p. 216. n° 208. T. 11. f. 138.
Curculio id. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 441. n° 197.
OLIV. *Enc. méth.* V. p. 516. n° 203.
HERBST. *Col.* VI. p. 206. n° 169. T. 74. 7.

Patria..........

(1) Mihi invisus.

♂♀ 8. B. VENOSUS.

Oblongo-ovatus, niger, flavescenti-squamosus, rostro mediocri, rufo, basi crassiore, striato, antennis ferrugineis, articulis funiculi obconicis, thorace vittis tribus pallidioribus, elytris fusco fasciatis, sutura postice cristata.—GHL.

GERM. *Mag.* IV. p. 294. n° 2.
STURM. *Ins. Cat.* 1826. p. 99.
Rhynchænus id. GRAVENH. 204. 2859.
Balaninus ferrugineus. DEJEAN. *Cat.* p. 86.? — Secundum Dom. CHEVROLAT.
Balaninus nubifer. STEV. *Mus. Mosqu.* p. 98.
Rhynchænus pustulosus. STURM *in Litteris*, olim.

Observ. — *Balanino turbato* longior, sed angustior, magis convexus; rostri et antennarum structura alia, ut et signaturæ thoracis elytrorumque; scutellum oblongum, angustum, albo-squamosum; elytrorum sutura postice elevata, sub-cristata.

Patria : Germania, Gallia, Tauria, Sicilia.

♂♀ 9. B. NUCUM.

Ovatus, niger, squamulis flavescentibus vel cinereis tectus, pedibus piceo-ferrugineis, rostro basi crassiore, piceo, carinato striatoque, extrorsum attenuato, rubro, funiculo antennarum dense piloso; articulis ultimis brevibus, sub-nodosis.—GHL.

STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 68. n° 1. forte.
STEV. *Mus. Mosqu.* II. p. 98.
GUÉRIN. *Iconogr. du règne animal.* T. 38. f. 4. a.
Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 486. n° 228.
OLIV. *Ent.* V. 83. p. 215. n° 207. T. 5. f. 47. a.
GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 201. n° 113.
CUVIER, *Règne anim.* III. p. 327.—Id. *Dyr. Hist.* II. p. 175. n° 2.
Curculio id. LINN. *Faun. Suec.* n° 616. — *Syst. nat.* I. II. *p.* 673. n° 59. — Ed. GMEL. I. IV. p. 1767. n° 59.
FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 440. n° 192. — *Mant.* I. p. 108. n° 135. — *Sp. Ins.* I. p. 179. n° 106. — *Sys. Ent.* p. 141. n° 77.
OLIV. *Enc. méth.* V. p. 516. n° 201.
HERBST. *Col.* VI. p. 197. n° 158. T. 73. f. 10.
PAYK. *Faun. Suec.* III. p. 204. n° 20. — *Mon. Curc.* p. 21. n° 20.
DE GEER. *Ins.* V. p. 205. n° 2. T. 6. f. 14-16.
PANZ. *Faun. Germ.* XLII. n° 21. — *Ent. Germ.* p. 317. n° 100.

Marsh. *Ent. Brit.* p. 283. n° 136.

Rossi. *Faun. Etr.* I. p. 123. n° 314.— Ed. Hellw. p. 132. n° 314.

Schrank. *En. Ins.* p. 112-213.—*Faun. Boic.* I. p. 483. n° 517.

Walcken. *Faun. Paris.* I. p. 241. n° 12.

Villers. *Ent.* I. p. 196. n° 93.

Fisch. *Naturg. v. Livl.* p. 134-271.

Cederh. *Faun. Ingr.* n° 334.

Scop. *Ent. Carn.* p. 34. n° 105.

Oken. *Naturg.* III. p. 769. n° 3.

Herbst (Borows.). *Naturg.* VI. p. 112. n° 9.

Blumenb. *Handb.* Ed. 7. p. 328. n° 7.

Mull. *Zool. Dan. Prodr.* p. 89. n° 996.

Brahm. *Ins. Kal.* I. p. 218. n° 731.

Bechst. et Scharfenb. *Forstins.* I. p. 165. n° 18.

Goeze. *Eur. Faun.* VIII. p. 491. n° 6.—*Belchr. eub. gemein. Natursach.* n° 317.

Bechst. *Naturg.* I. II. p. 851. n° 6.

Schwartz. *Nomencl.* 1. p. 97. n° 41.

Mull. Linn. *Nat. Sys.* V. I. p. 232. n° 59.

Fourcr. *Ent. Par.*

Burgsdorf. *Holzart.* II. I. p. 190. n° 18.

Gleditsch. *Einl. in. d. Forst.* I. p. 1567. n° 571.

Schmiedl. *Einl.* p. 220. c.

Meiding. *Nomencl.* p. 128. n° 59.

Poda. *Mus. Græc.* p. 29. n° 7. T. 1. f. 3.

Naturf. IX. p. 71.

Balaninus gulosus. Germ. *Mag.* IV. p. 294. n° 4.

Roes. *Ins.* III. Suppl. p. 385. T. 67. f. 1-6.

Geoff. *Ins.* I. p. 295. n° 42.

Sulz. *Kennz. d. Ins.* T. 3. f. 22.

Schæff. *Icon.* Tab. 50. f. 4.

Harrer. *Beschr.* I. p. 183. n° 297.

Uddm. *Dissert.* p. 13. n° 24. ?

Onomat. *Hist. nat.* III. p. 524.

Mart. *Engl. Ent.* T. 19. f. 26.

♂♀ Var. β. Pube cinerea vestitus. — Gyllenh. *Ins. Suec.* l. c. var. b.

Balaninus glandium. Steph. *Brit. Ent.* IV. p. 69. n° 2. forte.

Curculio id. Marsh. *Ent. Brit.* p. 284. n° 137.

Observ. — Rostro basi crassiore piceo, carinato et striato, ut et funiculo antennarum breviore, crassiore, densius piloso, articulis

ultimis brevibus, fere globosis, hæc species reliquis Europæis optime dignoscitur.—Ghl.

Patria : Europa septentrionalis, temperata et meridionalis.

♂♀ 10. B. Turbatus. *Schh.*

Ovatus, niger, dense flavescenti-squamosus, scutello albido, pedibus piceo-ferrugineis, rostro longissimo, tenui, valde arcuato, lævi, rufo, funiculi antennarum articulis omnibus elongatis.

Balaninus nucum. Germ. *Mag.* IV. p. 294. n° 3.
Balaninus pusillus. Sturm. *Ins. Cat.* 1826. p. 99.
Geoff. *Ins.* I. p. 296. n° 43.?

Habitat in Germania, Gallia, Tauria. Mus. Schh. et Ghl.

Statura omnino *Curculionis nucum.* Linn., sed plerumque duplo minor; rostro longiore, tenui, valde arcuato et articulis funiculi antennarum omnibus elongatis, facile distinctus. Caput rotundatum, convexum, confertim granulatum, nigrum, squamulis flavescentibus adspersum; fronte inter oculos impressa, densius squamosa; oculi magni, rotundati, nigro-brunnei, sub-depressi; rostrum feminæ corpore fere longius, tenue, valde arcuatum, in ipsa basi paulo obscurius et obsolete punctatum, saturate rufum, apice nigrum. Antennæ tenues, ferrugineæ, articulis omnibus funiculi angustis, elongatis, apice parum incrassatis, parce pilosis. Thorax latitudine postica paulo brevior, antice angustior, apice truncatus, intra apicem transversim impressus, lateribus nonnihil ampliatus, basi evidenter sinuatus, supra in medio modice convexus, confertim granulatus; niger, squamulis angustis, depressis, flavescentibus, tectus; in medio dorsi carinulæ elevatæ rudimentum observatur. Scutellum majusculum, rotundatum, dense albido-squamosum. Elytra antice conjunctim sinuato-emarginata, thoracis basi arcte applicata, ibique illo vix latiora, sed pone humeros elevatos, rotundatos ampliata, dein posterius attenuata, apice singulatim rotundata, thorace duplo longiora, supra parum convexa, evidenter crenato-striata, interstitiis granulatis; nigra, squamulis angustis flavescentibus inæqualiter tecta. Corpus subtus nigrum, granulatum, squamulis densis pallidis tectum. Pedes validi, piceo-ferruginei, pallido-squamosi; femoribus clavatis, subtus valide dentatis.

Ghl.

♂♀ 11. B. CERASORUM.

Brunneus, pallido variegatus, rostro rufo, pedibus testaceis, femoribus obsolete dentatis. — GHL.

GERM. *Mag.* IV. p. 295. n° 5.
DEJ. *Catal. Col.* p. 86.
STURM. *Ins. Cat.* 1826. p. 99.
Rhynchænus id. GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 204. n° 145.
Curculio id. HERBST. *Col.* VI. p. 196. n° 157. T. 73. f. 9.
PAYK. *Faun. Suec.* III. p. 206. n° 22. — *Mon. Cur.* p. 22. n° 21.
Balaninus betulæ. STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 70. n° 5. T. 20. f. 4.?

Patria : Germania, Suecia.

* 12. B. RUBIDUS.

Supra rufo-brunneus, subtus niger, squamulis angustis cinereo-albidis inæqualiter adspersus, antennis brevibus ferrugineis, pedibus pallidis, rostro arcuato, rufo, longitudine dimidii corporis, elytris dilutius testaceis, albido sub-fasciatis, femoribus vix dentatis.

DEJ. *Cat. Col.* p. 86.

Patria : Gallia, Parisiis. A Dom. CHEVROLAT amice communicatus. Mus. SCHH.

Balanino cerasorum primo intuitu simillimus, sed paulo minor; rostrum et antennæ multo breviora, color saturatior, etc. Caput sub-globosum, confertim punctatum, rufo-testaceum; fronte foveola oblonga inter oculos impressa; oculi majusculi, rotundati, depressi, nigri; rostrum vix longitudine dimidii corporis, cylindricum, valde arcuatum, rufum, nitidum. Antennæ breviusculæ, minus tenues, ferrugineæ, clava cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos parum brevior, anterius paulo angustior, apice sub-truncatus, intra apicem depressus, sub-tubulatus; lateribus nonnihil ampliatus, basi bi-sinuatus, supra parum convexus, confertim punctulatus, obscurius brunneus, squamulis angustis, brevibus, depressis, cinereo-albidis, sat dense vestitus. Scutellum majusculum, elevatum, rotundatum, dense albido-squamulosum. Elytra antice conjunctim sub-sinuato-emarginata, thoracis, basi latiora, humeris sub-prominulis, elevatis; lateribus anterius ampliata, apice conjunctim obtuse rotundata, thorace plus duplo longiora, supra parum convexa, punctato-striata, interstitiis planis, obsolete rugulosis; dilutius testacea, fasciis undulatis liturisque albido-squamu-

losis variegata. Corpus subtus confertim punctatum, nigrum, cinereo-squamulosum, ano testaceo. Pedes mediocres, pallide testacei, cinereo-squamulosi et pubescentes; femoribus clavatis, subtus vix dentatis. — Ghl.

♂♀ 13. B. Villosus.

Niger, parcius cinereo-pubescens, antennis ferrugineis, scutello elytrorumque fascia postica albidis. — Ghl.

Germ. *Mag.* IV. p. 295. nº 6.
Rhynchænus id. Fabr. *Syst. El.* II. p. 484. nº 218.
Gyllenh. *Ins. Suec.* III. p. 203. nº 114. et IV. p. 589. nº 114.
Oliv. *Ent.* V. 83. p. 229. nº 225. T. 34. f. 525.?
Illig. *Mag.* IV. p. 147. nº 218, 232 et 238.
Curculio id. Fabr. *Ent. Syst.* I. II. p. 438. nº 184.—*Mant.* I. p. 108. nº 129. — *Sp. Ins.* I. p. 178. nº 102.
Herbst. *Arch.* p. 76. nº 41. T. 24. f. 19. — *Col.* VI. p. 195. nº 156. T. 73. f. 8.
Payk. *Faun. Suec.* III. p. 205. nº 21.
Oliv. *Enc. méth.* V. p. 514. nº 194.
Vill. *Ent.* I. p. 200. nº 106. et IV. p. 273. nº 106.
Panz. *Ent. Germ.* p. 315. nº 91.
Linn. *Syst. nat.* Gmel. I. IV. p. 1769. nº 262.
Rhynchænus esuriens. Fabr. *Syst. El.* II. p. 487. nº 232.
Curculio id. Fabr. *Ent. Syst.* I. II. p. 441. nº 196.
Herbst. *Col.* VI. p. 201. nº 162.
Rhynchænus cerasorum. Oliv. *Ent.* V. 83. p. 224. nº 218. T. 4. f. 35. a. b.
Balaninus tenuirostris. Steph. *Brit. Ent.* IV. p. 70. nº 4. forte.
Curculio cordifer. Fourcr. *Ent. Par.* I. p. 132. nº 58.
Geoffr. *Ins.* I. Suppl. p. 535. nº 55.
♀ Var. β. Scutello fasciaque elytrorum lutescentibus.—Gyllenh. l. c. var. b.
Germ. *Mag.* IV. p. 256. nº 6. var.
Rhynchænus cerasorum. Fabr. *Syst. El.* II. p. 488. nº 238.
Curculio id. Fabr. *Ent. Syst.* I. II. 442. nº 100.—*Mant.* I. p. 109. nº 138.—*Spec. Ins.* I. p. 180. nº 109. — *Syst. Ent.* p. 142. nº 80.
Panz. *Faun. Germ.* XLII. nº 22. — *Ent.* p. 317. nº 101.
Oliv. *Enc. méth.* V. p. 517. nº 207.
Marsh. *Ent. Brit.* p. 284. nº 138.
Vill. *Ent.* I. p. 200. nº 107. et IV. p. 274. nº 107.
Linn. *Syst. nat.* Gmel. I. IV. p. 1767. nº 250.

Curculio esuriens. CLAIRV. *Ent. Helv.* I. p. 102. n° 12. T. 11. f. 3. 4.
Balaninus villosus. STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 69. n° 3. forte.

Patria: Europa septentrionalis et temperata.

♀ 14. B. C ALBUM.

Niger, thoracis basi, apice interrupto, elytrorum basi, sutura fasciaque media albis. — WIEDEM.

Rhynchænus id. FABR. *Sys. El.* II. p. 488. n° 234.
OLIV. *Ent.* V. 83. p. 226. n° 221. T. 23. f. 329.
Curculio id. FABR. Suppl. p. 170. n° 197-8.
Rhynchænus melaleucus. WIED. *in Germ. Mag.* IV. p. 116. n° 75.

Patria: India orientalis, Bengalia.

♂♀ 15. B. SUTURALIS. *Schh.*

Ovatus, parum convexus, saturate niger, subtus dense albido-squamulosus, rostro, antennis tarsisque rufo-ferrugineis, thorace brevi, punctato, vittis sub-tribus, elytris sutura vittaque intra-marginali albo-squamosis ornatis.

Patria: Caffraria. A Dom. ECKLON et ZEYHER detectus et communicatus. Mus. SCHH.

Magnitudo fere *Balanini villosi;* mas angustior quam femina. Caput sub-globosum, confertim punctatum, nigrum, parce albido-squamulosum; oculi majusculi, rotundati, parum convexi, brunnei; rostrum longitudine capitis cum thorace, tenue, valde arcuatum, cylindricum, basi sub-carinatum, seriatim punctatum, piceum, squamulosum, extrorsum dilute rufo-ferrugineum, nitidum. Antennæ in medio rostri insertæ, longiusculæ, subtenues, rufo-ferrugineæ. Thorax latitudine postica brevior, antice subito angustior, apice leviter emarginatus, intra apicem constrictus, lateribus pone stricturam ampliatus, basi truncatus, supra transversim modice convexus, ruguloso-punctatus, saturate niger, opacus, setulis brevibus nigris adspersus, vittis tribus albo-squamulosis ornatus, quarum media angusta, postice abbreviata. Scutellum elevatum, rotundatum, dense albo-squamulosum. Elytra antice truncata, thoracis basi multo latiora, humeris sub-rectangulatis; lateribus non ampliata, apice singulatim rotundata, thorace plus triplo longiora, supra parum convexa, distincte striata, striis profunde, sub-remote punctatis; interstitiis planis, alutaceis; nigra, opaca, vitta suturali a basi longe ultra medium extensa et alia

composita, bis interrupta intra-marginali utrinque, albo-squamosis, ornata. Pygidium breve, rotundatum, punctatum, nigrum. Corpus subtus punctulatum, nigrum, dense albo-squamulosum. Pedes longiusculi, validi, nigri, dense albido-squamulosi; femoribus clavatis, posterioribus subtus acute dentatis; tarsis dilatatis rufo-ferrugineis, præsertim subtus. — GHL.

16. B. AMOENUS (1).

Ater, thorace punctis duobus, coleoptris quinque niveis.—FABR.

Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 489. n° 239.
OLIV. *Ent.* V. 83. p. 225. n° 220. T. 12. f. 143. a. b.
Curculio id. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 442. n° 201.—*Mant.* I. p. 109. n° 139. —*Spec. Ins.* I. p. 180. n° 110. —*Syst. Ent.* p. 142. n° 81.
OLIV. *Enc. méth.* V. p. 517. p. 206.
HERBST. *Col.* VI. p. 206. n° 168. T. 74. f. 6. a. b.
LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1767. n° 251.

Patria: Nova Hollandia

STIRPS 2. — (SPURII.) Articuli funiculorum minus elongati, clava antennarum ovata, indistincte articulata. Pygidium ab elytris fere tectum.

17. B. VESTITUS. *Schh.*

Ovatus, niger, squamis lanceolatis cinereo-albidis undique dense vestitus, rostri apice antennisque saturate ferrugineis, thorace vittis tribus densius squamosis notato, elytris punctato-striatis.

Patria: Caffraria. Ex Musæo Dom. ECKLON et ZEYHER descriptus.

Balanino villoso dimidio major. Caput sub-globosum, punctatum, nigrum, cinereo-albido-squamulosum; oculi majusculi, rotundati, parum convexi, brunnei; rostrum vix longitudine capitis cum thorace, subtenue, valde arcuatum, basi sub-striatim punctatum, nigro-piceum, squamulosum, extrorsum saturate ferrugineum, nitidum, glabrum, læve. Antennæ in medio rostri insertæ, longiusculæ, subtenues, ferrugineæ. Thorax latitudine baseos brevior, anterius subito angustior, apice leviter emarginatus, intra apicem constrictus, sub-tubulatus, lateribus mox pone stricturam valde ampliatus, basi truncatus, supra transversim modice convexus, ruguloso-punctatus, niger, squamulis lanceolatis cinereo-albidis,

(1) Forte hujus generis; mihi invisus.

depressis, plerisque transversim locatis, in vitta latiore intra-marginali utrinque et tertia angusta dorsali magis condensatis, vestitus. Scutellum elevatum, triangulare, squamositate densa, albida, tectum. Elytra antice truncata, thoracis basi multo latiora, humeris fere rectangulatis; lateribus non ampliata, apice conjunctim acute rotundata, thorace plus triplo longiora, supra modice convexa, punctato-striata, interstitiis planis, alutaceis; nigra, squamis lanceolatis cinereo-albidis dense vestita. Corpus subtus confertim punctulatum, nigrum, squamulis parvis, angustis, depressis, cinereo-albidis, adspersum. Pedes mediocres, validi, nigri, dense cinereo-albido-squamulosi; femoribus clavatis, posticis subtus dente mediocri armatis, anterioribus sub-muticis. — GHL.

18. B. CARINIROSTRIS. *Schh.*

Ovatus, niger, squamositate fusco-cinerea undique vestitus, rostri apice, antennis pedibusque obscure ferrugineis, rostro distincte carinato, thorace confertim punctato, elytris obsolete, sub-remote punctato-striatis, interstitiis planis, confertim rugulosis.

Patria: Caffraria. A Dom. ECKLON et ZEYHER detectus et communicatus. Mus. SCHH.

Balanino vestito paulo minor. Caput sub-globosum, confertim punctulatum, nigrum, parce cinereo-squamulosum; oculi rotundati, nigri, parum convexi; rostrum longitudine capitis cum thorace, valde arcuatum, basi crassius, extrorsum attenuatum, distincte carinatum fere ad apicem, lateribus punctatum et rugulosum, posterius nigro-piceum, versus apicem dilutius ferrugineum, nitidum. Antennæ longiusculæ, tenues, ferrugineæ. Thorax latitudine postica brevior, antice fere dimidio angustior quam basi, apice leviter emarginatus, intra apicem depressus, tubulatus, lateribus rotundato-ampliatus, basi sub-truncatus, supra transversim modice convexus, confertim punctatus, in medio dorsi carinula parum elevata instructus; niger, squamulis angustis fusco-cinereis sat dense vestitus. Scutellum triangulare, dense albido squamulosum. Elytra antice truncata, thoracis basi multo latiora, humeris fere rectangulatis; lateribus non ampliata, apice conjunctim acute rotundata, thorace plus triplo longiora, supra modice convexa, sub-remote punctato-striata, interstitiis planis, confertissime alutaceis; nigra, squamulis angustis fusco-cinereis vestita. Corpus subtus punctulatum, nigrum, squamulis angustis cinereis tectum. Pedes mediocres, validi, obscure ferruginei, dense cinereo-squamulosi; femoribus clavatis, posticis subtus dente obtuso armatis, reliquis muticis.

GHL.

♂♀ 19. B. CRUX.

Niger, antennis rufis, thorace vittato, coleoptris cruce albido-squamoso.

GERM. *Mag.* IV. p. 296. n° 7.
DEJ. *Cat. Col.* p. 86.
Rynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 455. n° 87.
OLIV. *Ent.* V. 83. p. 154. n° 120. T. 29. f. 440.
Curculio id. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 412. n° 81.—*Mant.* I. p. 102. n° 69.— *Sp. Ins.* I. p. 170. n° 52.— *Gen. Ins. Mant.* p. 225. n° 36-37.
HERBST. *Col.* VI. p. 199. n° 159. T. 73. f. 11. — *Arch.* IV. p. 70. n° 14. T. 84. f. b. d.
OLIV. *Enc. méth.* V. p. 486. n° 73.
VILL. *Ent.* I. p. 188. n° 52. et IV. p. 269. n° 52. T. 1. f. 20.
PANZ. *Ent. Germ.* p. 306. n° 41.
LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1749. n° 136.
BRAHM. *Ins. Kal.* I. p. 55. n° 177.
Curculio salicis. PANZ. *Faun. Germ.* XVIII. n° 15.
STURM. *Ins. Cabin.* III. T. 6.
Curculio iota. PANZ. *Faun. Germ.* XVIII. n° 16. (Secundum specimen detritum.)
SCHÆFF. *Icon.* T. 169. f. 6. a. b.
HARRER. *Beschr. d. Schæff. Ins.* I. n° 283.

Patria : Gallia, Germania.

♂♀ 20. B. BRASSICÆ.

Niger, supra cinereo-subpubescens, scutello corporeque subtus cum pectore toto dense albo-squamosis, elytrorum interstitiis latioribus, antennis basi ferrugineis, rostro longissimo, tenui.—GHL.

GERM. *Mag.* IV. p. 296. n° 8.
Rhynchænus id. FAB. *Syst. El.* II. p. 483. n° 211.
Curculio id. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 437. n° 179.
HERBST. *Col.* VI. p. 469. n° 479.
PANZ. *Ent. Germ.* p. 314. n° 88.
Rhynchænus salicivorus. GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 206. n° 116.
ZETTERST. *Faun. Ins. Lapp.* I. p. 310. n° 17.
Curculio id. PAYK. *Faun. Suec.* III. p. 214. n° 32. — *Mon. Curc.* p. 31. n° 30.
HERBST. *Col.* VI. p. 200. n° 160. T. 73. f. 12.
Balaninus id. STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 71. n° 6.

DEJ. *Cat. Col.* p. 86.

Rhynchænus macropus. OLIV. *Ent.* V. 83. p. 231. n° 227.

Curculio napo-brassicæ. BJERKAND. *in Acta Holm.* 1780. III. p. 195.

LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1759. n° 217.

Curculio arcuatus. MARSH. *Ent. Brit.* p. 288. n° 148.

Curculio cinerascens. LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1773. n° 578.

Balaninus scutellaris. STEPH. *Brit. Ent.* IV. 72. n° 9. Var. antennis totis nigris (forte).

LESKE. *Mus.* p. 20. n° 434. ?

♂♀ VAR. β. Antennis fere totis testaceis.

Balaninus intermedius. STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 72. n° 10. ♂ (forte.)

Curculio id. MARSH. *Ent. Brit.* p. 288. n° 150. ?

Patria : Europa septentrionalis, intermedia et meridionalis.

♂♀ 21. B. PYRRHOCERAS.

Niger, supra cinereo-subpubescens, antennis testaceis, clava nigricante, elytrorum interstitiis angustioribus, scutello coporeque subtus dense squamosis, pectoris disco magis nudo, rostro longissimo, tenui.—GHL.

Mas : rostro apice late rufo.

GERM. *Mag.* IV. 296. n° 9. ♂♀.

STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 71. n° 8. ♂.

STURM. *Ins. Cat.* 1826. p. 99. ♀.

Rhynchænus id. GYLLEHN. *Ins. Suec.* IV. p. 589. n° 116-117. ♂♀.

Curculio id. MARSH. *Ent. Brit.* p. 288. 149. ♂.

Curculio rufirostris. KNOCH. *in Litteris.* ♂.

Balaninus id. STURM. *Ins. Cat.* 1826. p. 29. ♂.

Curculio curvatus. MARSH. *Ent. Brit.* p. 287. n° 147. ♀.

Balaninus id. STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 71. n° 7. ♀.

Rhynchænus salicivorus, var. b. GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 206. n° 116. ♀.

Patria : Europa septentrionalis, intermedia et meridionalis.

22. B. BRUNNEUS (1).

Nigro-piceus, sub-pubescens, thorace scabro, elytris profunde punctato-striatis, pedibus totis testaceis.

STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 72. n° 11.

Curculio id. MARSH. *Ent. Brit.* p. 248. n° 29.

Patria : Anglia.

---

(1) Mihi invisus.

Genus 225. LONCOPHORUS. *Chevrolat* (1).

Rhynchænus Fabr., Oliv.

Character generis. — Antennæ longæ, valde tenues; funiculo 7-articulato : articulis 1° et 2° elongatis, illo longiore; reliquis brevioribus, sub-æqualibus, omnibus sub-obconicis; clava elongata, ovalis.

Rostrum longissimum, filiforme, modice arcuatum; maris femineo brevius.

Oculi sub-rotundati, valde convexi.

Thorax basi bi-sinuatus, lateribus postice tectis, ante medium cito angustior.

Scutellum elevatum, sub-rotundatum.

Elytra elongata, sub-parallela, supra convexa, apice fastigiata, sub-rotundata.

Pedes longi, antici longiores; femora subtus valide dentata; tibiæ intus bi-sinuatæ, quatuor anticæ in apice unco valido armatæ.

Descriptio. — *Corpus* elongatum, convexum, squamosum, alatum; mediocris magnitudinis. — *Antennæ* rostro capiteque longiores, pone medium rostri insertæ, tenuissimæ, fractæ, 12-articulatæ: articulo 1° oculum sub-attingente, clavato; 2° elongato; 3° quoque elongato, quamvis breviore 2°; 4-8 brevioribus, omnibus sub-obconicis; clava elongata, ovalis, acuminata, 4-articulata; articulis distinctis. — *Rostrum* filiforme, modice arcuatum, maris corpore brevius, feminæ toto corpore fere longius; scrobe recta, ad oculos protensa. *Oculi* laterales, sub-rotundati, valde convexi. — *Thorax* latitudine postica haud longior, basi bi-sinuatus, lateribus posterius rectis, antrorsum tantummodo angustior, apice truncatus, supra convexus, infra pone gulam late emarginatus. — *Scutellum* sub-longum, apice rotundatum, elevatum. — *Elytra* elongata, latitudine fere thoracis et illo fere quadruplo longiora, basi sub-truncata, humeris sub-angulatis; margine laterali subrecto; posterius sensim paulo angustata, apice fastigiata, singulatim fere sub-acuminata, pygidium haud plane obtegentia, supra convexa, versus apicem sub-callosa. — *Pedes* longi, validi, antici longiores, in basi approximati; femoribus incrassatis, dente valido infra armatis; tibiis compressis, quatuor anterioribus sinuatis, in medio latioribus, apice inflexis, dente horizontali valido instructis; tarsis sub-

(1) Chevrolat *in* Annales de la Soc. Entom. de France, I. II. p. 215.

tus spongiosis; articulo penultimo latiore, bilobo; ultimo elongato, falcato, bi-unguiculato.

TYPUS.— *Loncophorus Chevrolati.* ♂.

A λογχοφορος qui lanceam fert.

Patria: America meridionalis.

Observ. — A genere *Balanino*, cui maxime est affine, distinguitur: corpore magis elongato, elytris fere parallelis, oculis prominulis tibiisque apice valide uncinatis.

Crediderim D^m. Chevrolat in eo errasse, quod rostrum maris longius quam feminæ censuerit. Tam D^m. Gyllenhal quam nos contrarium tuemur, inter omnes enim ex familia Curculionidum, quos in coitu invenimus, quorum etiam unum ex genere *Balanino*, scil. *Balaninum brassicæ*, femina semper visa est longiori gaudere rostro quam mas. Quod etiam coincidit cum rostri indole generum *Brenthi*, *Apionis*, cum pluribus.

♂ 1. L. OBLIQUUS. *Chevrolat.*

Piceo-ferrugineus, subtus dense, supra inæqualiter cinereo-albido-tomentosus, pedibus dilutius ferrugineis, thorace brevi, antice constricto, supra vitta albo-tomentosa notato, elytris antice planis, pone humeros angulariter ampliatis, supra dense albo-tomentosis, plaga magna laterali sub-trigona apiceque magis nudis, piceo-ferrugineis.

CHEVR. *Ann. Soc. Ent. de France.* I. p. 218. Pl. 5. f. 1. a. b. forte.
Balaninus triangularis. Dom. HOPE *in Litteris.*

Patria: Brasilia. A Dom. HOPE benevole communicatus. Mus. SCHH.

Longitudo *Loncophori parasitæ*, sed in elytris latior; specimen nostrum masculini sexus, rostro corporis dimidio vix longiore. Caput parvum, planum, punctatum, piceum, postice cinereo, antice helvo-tomentosum; oculi fere semi-globosi, nigri; rostrum vix longitudine dimidii corporis, tenue, filiforme, modice arcuatum, obsolete striatum, rugulosum, piceum, dense cinereo-tomentosum. Antennæ ante medium rostri insertæ, thoracis basin attingentes, valde tenues, obscure piceæ, cinereo-pubescentes. Thorax parvus, transversus, antice duplo angustior quam basi; apice leviter sinuatus, intra apicem profunde constrictus, margine apicis elevato; lateribus pone stricturam oblique valde ampliatus, basi bi-sinuatus, supra modice convexus, confertim

ruguloso-punctatus, nigro-piceus, vitta dorsali, in medio paulo latiore, dense albo-tomentosa, notatus; lateribus tomento cinereo et pallido mixto adspersus. Scutellum breviter ovatum, valde elevatum, squamositate cretacea tectum. Elytra antice sinuata, elevato-marginata, pone basin oblique valde ampliata, angulum fere rectum, supra planum formantia, pone angulum versus apicem sensim angustiora, apice truncata, thorace quintuplo longiora, supra in dorso antico triangulariter plana, dein convexa, versus apicem declivia, callo postico elevato instructa; inæqualiter, sub-remote punctato-striata, interstitiis convexis, sub-rugosis; nigro-picea, triangulo plano baseos et plaga communi, cum illo cohærente pone medium dense albo-tomentosis, triangulo amplo laterali utrinque et apice transversim parce cinereo et pallido-tomentosis, unde obscurioribus. Pygidium breve, sub-triangulare, punctatum, piceum, dense cinereo-tomentosum. Corpus subtus obsolete punctatum, nigro-piceum, dense albido-tomentosum. Pedes validi, dense cinereo-tomentosi, antici longiores; femora omnia sub-clavata, picea, subtus versus apicem dente valido armata; tibiæ sub-arcuatæ et tarsi dilatati dilutius picei.—Ghl.

♂♀ 2. L. Chevrolati. *Schh.*

Rufo-castaneus, inæqualiter pallido-squamulosus, antennis pedibusque dilutius testaceis, rostro multi-striato, thorace profunde, disperse punctato, elytris punctato-striatis, plaga communi antica apiceque late pallido-squamulosis.

Patria: America meridionalis. Typus ex Musæo Imperiali Russico descriptus. Rio-Janeiro. Mus. Schh.

Magnitudo et fere statura *Loncophori parasitæ;* specimen visum femineum. Caput parvum, supra planum, parce punctatum, rufo-castaneum, squamulis piliformibus pallidis tectum; fronte foveola rotunda impressa; oculi magni, fere semi-globosi, nigro-brunnei; rostrum longitudine dimidii corporis, porrectum, cylindricum, parum arcuatum, a basi ad antennarum insertionem multi-striatum; rufo-castaneum, pallido-squamulosum, apice dilutius testaceum, læve, nitidum. Antennæ rostri basin propius insertæ, totæ pallide testaceæ. Thorax latitudine baseos vix brevior, antice duplo angustior quam basi, apice truncatus, lateribus antice obliquis, dein fere rectis; basi bi-sinuatus, supra modice convexus, sat profunde, disperse punctatus, in medio obsolete canaliculatus, rufo-castaneus, squamulis piliformibus pallidis, in canalicula dorsali magis condensatis, vestitus. Scutellum ovatum, valde eleva-

tum, concolor, dense pallido-squamulosum. Elytra antice singulatim obtuse rotundata, elevato-marginata, thoracis basi parum latiora, pone basin nonnihil ampliata, callo humerali oblongo, elevato, lateribus non ampliata, apice singulatim acute rotundata, thorace fere quadruplo longiora, supra convexa, fornicata, distincte striata, et in striis remote punctata, interstitiis convexis, sub-lævibus; saturate castanea, nitida; pone scutellum plaga magna communis, antice angustior, in ambitu erosa et apex totus late, inæqualiter dense pallido-squamulosa. Corpus subtus punctatum, saturate castaneum, dense pallido-squamosum. Pedes longi, validi, dilutius testacei, pallido-squamulosi, femoribus clavatis, subtus dente valido, acuto, armatis.—GHL.

Observ. —Ambo sexus postea, e Rio-Janeiro communicavit Dom. Westin; *mas* differt corpore dimidio minore, rostro breviore et validiore, et antennis prope apicem rostri insertis; cætera exacte conveniunt.

In memoriam fundatoris hujus generis, Celeb. Dom. CHEVROLAT, nomen ejus huic speciei imposuit SCHH.

3. L. PARASITA (1).

Fusco-ferrugineus, cinereo irroratus, rostro pedibusque ferrugineis, his apice nigro annulatis; elytris sulcatis.

CHEVR. in *Ann. de la Soc. Ent. de France.* I. II. p. 218. T. V. f. 2. a. b. c.
Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 487. n° 231.
OLIV. *Ent.* V. 83. p. 218. n° 210. T. 15. f. 181.
Curculio id. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 441. f. 195.
HERBST. *Col.* VI. p. 204. n° 166. T. 74. f. 4.
Curculio nigromaculatus. VOET. *Col.* II. p. 52. T. 35. f. 5.
Curculio thoracicus. VOET. *Col.* Ed. PANZ. IV. p. 50. n° 5. T. 35. f. 5. ♂. ?
Rhynchænus varius. FABR. *Syst. El.* II. p. 488. n° 237 (2).
Curculio id. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 442. n° 199. — *Mant.* I. p. 109. n° 137.—*Sp. Ins.* I. p. 180. n° 108.—*Syst. Ent.* p. 142. n° 29.
OLIV. *Enc. méth.* V. p. 515. n° 200.
Curculio varians. LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1767. n° 249.
Curculio flavo-maculatus. VOET. *Col.* II. p. 52. T. 35. f. 6.

---

(1) Mihi invisus.
(2) Verisimile idem species cum *R. parasita?* — Illig. Mag. IV. p. 148. n° 237.

Curculio proboscideus. Voet. *Col.* Ed. Panz. IV. p. 50. n° 6. T. 35. f. 6. ♀.

Var. β. Fusco-obscurus, rostro, thorace pedibusque ferrugineis, genibus nigricantibus. — Chevr. l. c.

Var. γ. Omnino ferrugineus. Elytris cinereo variegatis, fusco sub-fasciatis. — Chevr. l. c. T. 5. f. 3. a.

Patria : Cayenna.

4. L. Humeralis. *Klug.* (1).

Piloso-albidus, thorace aurato lateribus, macula laterali, obliqua fusca in elytris, his apice fuscescentibus; rostro oculisque nigris, femoribus valde calcaratis, tibiisque anticis in extrema parte uncinatis.

Chevr. in *Annal. de la Soc. Ent.* I. IV. p. 442.

Simillimus *Loncophoro obliquo,* sed differt colore albidiore, rostro nigro, oculis globosis, thorace breviore, lutescente medio et rotundato, linea alba ampliata, et præsertim scapulis angulosissimis atque recurvis.—Chevr.

Patria : . . . .

5. L. Petiminosus. *Germar.*

Niger, helvo-squamosus, elytris oblongis, albis, humeris spinoso-productis, apice sub-truncatis, lateribus deflexis, macula magna fusca.

Curculio Daviesii. Sweder. *in Acta Holm.* 1787. III. p. 194. n° 13. T. 8. f. 5. forte.

Linn. *Syst. nat.* Ed. Gmel. I. IV. p. 1773. n° 601. forte.

Oliv. *Ent.* V. 83. T. 8. f. 87. absque descript.-forte.

Habitat in Insula Cuba.

Balanino nucum duplo major, et forma ab hoc genere quodammodo recedens; sed in characteribus essentialibus conveniens. Antennæ breviusculæ, graciles, rostri medio insertæ, fractæ : scapo reflexo, tenui, apice crassiore, oculum vix attingente; funiculo 7-articulato, articulis clavatis, gracilibus ; primo elongato ; secundo quoque elongato, quamvis breviore; clava oblongo-ovata, distincte 4-articulata. Rostrum filiforme, tenue, arcuatum, corporis longitudine, scrobe recta, a medio rostri ad basin ducta. Caput parvum, convexum, oculis hemisphericis, sub-prominulis. Thorax transver-

(1) Mihi invisus.

sus, sub-conicus, apice subito angustatus, tubulatus, basi leviter bi-sinuatus, supra convexus, subtus pone gulam emarginatus. Scutellum oblongum, elevatum. Elytra basi thorace latiora et illo plus ter longiora, humeris productis, reclinatis, in spinam obtusam extensis, posterius sensim angustata, lateribus deflexis, dorso convexa, apice sub-truncata, pygidium obtegentia, tenuiter striata. Pedes longiusculi, validi, antici approximati, reliquis longiores; femoribus clavatis, dentatis; tibiis sub-cylindricis, apice oblique rotundatis, anterioribus unco horizontali armatis; tarsorum articulo primo elongato; secundo breviore, trigono; penultimo dilatato, bilobo, spongioso, ungue parum clavato, bi-unguiculato.

Color piceo-niger, in pedibus dilutior, squamis helvolis plerumque obtegitur. Rostrum pubescens, nigrum. Thorax helvo-squamosus, vitta media grisea. Scutellum album. Elytra grisea, plaga magna laterali, trapezoidali et umbra ante apicem fusco-nigris.

Germar.

Genus 226. AMALUS.

Amalus Schh., Steph. (1). — *Ceutorhynchus* Germ. — *Falciger* Dej., Stev., Sturm. — *Rhynchænus* Gyllenh.

Character generis. — Antennæ longiusculæ, subtenues; funiculo 6-articulato: articulis tribus basalibus longiusculis, sub-obconicis; 1° crasso, reliquis brevibus, nodosis; clava oblongo-ovata.

Rostrum elongatum, subtenue, cylindricum, deflexum, arcuatum.

Oculi laterales, rotundati, modice prominuli.

Thorax basi leviter bi-sinuatus, lateribus modice rotundatus, anterius angustior, apice truncatus.

Scutellum minutissimum, vix conspicuum.

Elytra breviter sub-ovata, supra modice convexa, apice rotundata, abdomine breviora; humeri obtuse angulati.

Pedes mediocres, omnino mutici.

Observ. — Corpus breviter ovatum, sculpturatum, parce pilosum, alatum; minusculæ magnitudinis.

* 1. A. Scortillum.

Niger, convexus, subtus albido-squamosus, pedibus rubris, elytris profunde punctato-striatis, apice rufis, sutura basi albo-squamosa.

Ghl.

(1) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 240. n° 138. — Steph. Brit. Ent. IV. p. 53.

STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 53. n° 1.

Rhynchænus id. GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 135. n° 59.

ZETTERST. *Faun. Ins. Lapp.* I. p. 323. n° 43.

Curculio id. HERBST. *Col.* VI. p. 418. n° 402. T. 92. f. 13.

Ceutorhynchus id. GERM. *Ins. Sp.* I. p. 221. n° 27.

Falciger id. DEJEAN. *Catal. Col.* p. 84.

Curculio hæmorrhœus. HERBST. *Col.* VI. p. 399. n° 377. T. 91. f. 8.

Curculio agricola. PAYK. *Faun. Suec.* III. p. 260. n. 81.

Rhynchænus rubicundus. PANZ. *Faun. Germ.* XCIX. n° 12. *Rhynchænus dumetorum* in textu.

Curculio inflexus. MARSH. *Ent. Brit.* p. 253. n° 43.

VAR. β. Elytris anterius brunneo-rufis, apice dilutioribus.—GHL.

Rhynchænus scortillum, var. b. GYLLENH. *Ins. Suec.* IV. p. 576. n° 59.

Amalus castaneus. STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 54. n° 2.?

Patria : Suecia, Germania, Gallia, Anglia, Volhynia.

GENUS 227. MEGARHINUS. *Nobis.*

Character generis. — Antennæ longiusculæ, minus tenues; funiculo 7-articulato : articulis duobus basalibus brevissime obconicis; reliquis transversis subperfoliatis; clava oblongo-ovata.

Rostrum longum, crassiusculum, arcuatum.

Thorax amplus, postice tri-sinuatus, a medio ad apicem angustatus, apice tubulatus, supra pulvinatus.

Scutellum magnum, sub-elevatum, sub-orbiculatum.

Elytra oblongo-triangularia, antice thoracis basi paulo latiora, a basi ad apicem sensim angustata, abdomine breviora.

Pedes validi; femora antica elongata.

Descriptio. — *Corpus* ovatum, parce squamulosum, minoris magnitudinis, alatum. — *Antennæ* thoracis medium non superantes, pone medium rostri insertæ, minus tenues, fractæ, 12-articulatæ: articulo primo oculos sub-attingente, recto, clavato; 2° et 3° brevissime obconicis, illo majore; 4-8 transversis, subperfoliatis, gradatim paulo latioribus; clava oblongo-ovata, acuminata, 4-articulata, articulis arcte connexis.— *Rostrum* longitudine thoracis, crassiusculum, teres, modice arcuatum; scrobe lineari, curvata, pone canthum oculi inferum in basin rostri subtus exeunte. — *Oculi* laterales, rotundati, parum prominuli, magni. — *Thorax* amplus, posterius longitudine fere latior, anterius valde angustior, pone caput tubulatus, sub-truncatus, lateribus rotundatus, postice profunde tri-sinuatus, lobo medio valde producto, semi-circulariter

emarginato, scutellum amplectente; supra convexus, pulvinatus, subtus pone gulam late sed non profunde emarginatus. — *Scutellum* magnum, sub-elevatum, orbiculatum. — *Elytra* antice thoracis basi manifeste latiora, sed illo modo sesqui-longiora, basi singulatim rotundata; angulis humeralibus productis, obtuse angulatis; lateribus usque ad apicem sensim angustata, apice ipso obtuse rotundata, anum non occultantia. — *Pedes* fortes, antici longi, basi approximati, postici valde distantes; femoribus in medio incrassatis, anterioribus subtus dentatis; tibiis compressis, 4 anticis sub-arcuatis, intus in medio dente obtuso instructis, apice unco deflexo valido intus armatis; pedes postici breviores, mutici; tarsi subtus spongiosi, articulo ultimo clavato, bi-unguiculato, unguiculis brevibus.

Typus. — *Megarhinus firmus.*

A μεγας magnus, ῥιν nasus, rostrum.

Observ. — Generi *Centrino* quoad habitum subsimile est hoc genus, sed quoad situm pedum anteriorum aliarumque partium structuram, abunde distinctum.

1. M. Firmus. *Schh.*

Ovatus, niger, supra lineatim, subtus dense albido-squamulosus, antennis rufescentibus, rostro sub-carinato, thorace confertissime ruguloso, elytris profunde striatis, striis impunctatis, interstitiis planis, subtiliter granulatis.

Habitat in Insula Java. Dom. Mellerborg. Mus. Reg. Acad. Scient. Holm.

Orobitide globoso Schh. duplo major. Caput mediocre, confertim ruguloso-punctatum, nigrum, lateribus et subtus squamulis angustis albidis dense vestitum; fronte depressa, nuda; oculi majusculi, rotundati, nigri, modice prominuli; rostrum capite plus duplo longius, crassum, arcuatum, cylindricum, confertim punctatum, nigrum, lateribus dense squamosum, supra leviter carinatum. Antennæ thoracis medium non superant, basi tenues, glabræ, extrorsum crassiores, cinereo-pubescentes, totæ rufo-ferrugineæ. Thorax amplus, latitudine baseos brevior, antice subito multo angustior, apice sinuato-emarginatus et intra apicem constrictus, lateribus ampliatus, basi profunde bi-sinuatus, lobo medio, nempe, longe producto, semi-circulariter emarginato, scutellum amplectente; supra convexus, pulvinatus, confertissime subtiliter ruguloso-punctatus, niger, subtus et lateribus dense, in

vitta dorsali utrinque parcius albido-squamosus. Scutellum majusculum, sub-elevatum, orbiculatum, rugulosum, nigrum, parce squamosum. Elytra sub-triangularia, antice singulatim rotundato-producta, thoracis basi arcte applicata, illoque ibi multo latiora, humeris elevatis, obtuse angulatis; lateribus obliquis, apicem versus valde attenuatis; apice conjunctim rotundata, thorace vix sesqui-longiora, abdomine multo breviora, supra parum convexa, evidenter striata, striis impunctatis, interstitiis subtiliter rugulosis; nigra, lineis obsoletis albido-squamosis ornata. Abdominis dorsum pone elytra nigrum, læve, nitidum, apice punctatum et carinula brevi instructum. Pygidium rotundatum, punctatum, nigrum, albido-squamosum. Corpus subtus nigrum, confertim punctatum, dense albido-squamosum. Pedes validi, nigri, punctato-scabri, albido-squamosi, antici longiores et robustiores; femoribus clavatis, anterioribus quatuor subtus acute dentatis, posticis submuticis; tibiis anterioribus arcuatis, intus angulatis vel obtuse dentatis, posticis rectis, muticis; tarsis piceo-ferrugineis, subtus cinereo-spongiosis.—Ghl.

Genus 228. CORYSSOMERUS. *Nobis* (1).

Poecilma (subdiv. B.) Germ., Sturm. — *Rhynchænus* Beck.

Character generis. — Antennæ mediocres, subtenues; funiculo 7-articulato: articulis duobus basalibus longiusculis, obconicis: reliquis transversis, lenticularibus, sub-coarctatis: ultimis successive latioribus; clava oblongo-ovata, articulis arcte connexis.

Rostrum longum, validiusculum, lineare, valde arcuatum.

Oculi magni, sub-rotundati, modice convexi, in fronte parum distantes.

Thorax antice emarginatus, postice versus scutellum valde productus, lateribus modice rotundatus.

Elytra ovalia, humeris obtuse rotundatis; apice singulatim obtuse rotundata, abdomine paulo breviora.

Observ. — Corpus oblongo-ovatum, supra minus convexum, squamulatum, alatum; minusculæ magnitudinis.

Patria: Germania.

---

(1) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 241. n° 139.

* 1. C. CAPUCINUS.

Niger, antennis basi, tibiis tarsisque rufis, thorace maculis tribus baseos fulvo-squamosis, coleopteris griseo tessellatis, scutello suturaque fulvis.—GERM.

Rhynchænus id. BECK. *Beit. zur Baiersch. Ins. Faun.* p. 21. n° 31. T. 6. f. 31.

Poecilma capucinum. GERM. *Mag.* IV. p. 299. n° 2.

STURM. *Ins. Cat.* 1826. p. 185.

Patria : Germania.

2. C. ARDEA (1).

Niger, cinereo sub-squamosus, subtus fusco-tomentosus, antennis tibiis tarsisque rufis.—GERM.

Poecilma id. GERM. *Mag.* IV. p. 299. n° 3.

Patria : Germania.

GENUS 229. TYCHIUS.

Tychius GERM., SCHH., LATR., STEPHENS. (2).

Character generis. — Antennæ mediocres, minus tenues ; funiculo 7-in paucis 6-articulato : articulis duobus basalibus longiusculis, obconicis; reliquis brevibus, aut apice truncatis, aut lenticularibus, exterioribus perparum crassioribus; clava oblongo-ovata.

Rostrum elongatum, arcuatum, aut basi crassiusculum, versus apicem paulatim attenuatum, aut subtenue, lineare.

Oculi laterales, sub-rotundati, aut modice convexi, aut sub-depressi.

Thorax transversus, basi apiceque sub-truncatus, lateribus æqualiter sæpius valde rotundato-ampliatus, antice subito angustior.

Elytra sub-ovalia, modice convexa, apice conjunctim rotundata, anum tegentia.

Observ. — Corpus oblongo-ovatum, squamosum, alatum; aut minoris aut minimæ magnitudinis.

Patria : Europa, Asia, Africa et America.

---

(1) Secundum auctoritatem Cel. Germar; mihi invisus.

(2) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 245. n° 142. — Latr. Règne Anim. p. 394. — Steph. Brit. Ent. IV. p. 54.

Tychius vom nomen proprium *Tychius*, einem berühmten Römischen Schuster, wegen der Aehnlichkeit des Rüssels mit einer schusterpfrieme —*Germ.* in Litteris.

STIRPS I. — Rostrum versus basin crassius, apice paululum attenuatum.

Manipulus I. — Femora dentata.

* 1. T. QUINQUEPUNCTATUS.

Niger, supra squamulis purpurascenti-aureis, subtus niveis, tectus, thoracis linea dorsali, elytrorum sutura maculisque quatuor albo-squamosis, antennis tibiisque ferrugineis. — GHL.

STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 54. n° 1. T. 20. f. 3.
Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 482. n° 204.
GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 197. n° 110.
OLIV. *Ent.* V. 83. p. 208. n° 197. T. 23. f. 330.
Curculio id. LINN. *Faun. Suec.* n° 618. — *Syst. nat.* I. II. p. 614. n° 64. — Ed. GMEL. I. IV. p. 1768. n° 64.
FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 435. n° 173. — *Mant.* I. p. 107. n° 123. — *Sp. Ins.* I. p. 178. n° 97. — *Syst. Ent.* p. 140. n° 70.
HERBST. *Col.* VI. p. 274. n° 246. T. 81. f. 3. — *Arch.* p. 75. n° 40. T. 24. f. 18.
PAYK. *Faun. Suec.* III. p. 201. n° 18.— *Mon. Curc.* p. 15. n° 14.
PANZ. *Faun. Germ.* LXXXIV. n° 8. — *Ent. Germ.* p. 313. n° 82.
OLIV. *Enc. méth.* V. p. 513. n° 188.
RAZOUM. *Hist. nat.* I. p. 149. n° 47.
SCHRANK. *in Naturf.* XXIV. p. 16. n° 34.
VILL. *Ent.* I. p. 198. n° 98.
WALKEN. *Faun. Par.* I. p. 240. n° 7.
Sibinia quinquepunctata. DEJ. *Cat. Col.* p. 83.
STURM. *Ins. Cat.* 1826. p. 195.
STEV. *Mus. Mosqu.* II. p. 101.
Curculio 5-maculatus. LINN. *Faun. Suec.* n° 601. — *Syst. nat.* I. II. p. 609. n° 30. — Ed. GMEL. I. IV. p. 1750. n° 30.
OLIV. *Enc. méth.* V. p. 495. n° 108.
ROSSI. *Faun. Etr.* I. p. 119. n° 306. — Ed. HELLW. p. 127. n° 306.
VILL. *Ent.* I. p. 181. n° 26.
Sibinia quinquenotata. MANNERH. *in Humm. Essais Ent.* IV. p. 32. n° 16. (vix differt.)
SCHÆFF. *Icon.* T. 1. f. 12.
HARRER. *Beschr.* I. p. 185. n° 300.
* VAR. β. Supra squamulis cinereo-argenteis tectus. — GHL.
Rhynchænus 5-punctatus, var. b. GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 198.
Curculio 4-maculatus. MULL. *Zool. Dan. Prodr.* p. 89. n° 999.

* VAR. γ. Elytrorum disco et apice ferrugineis.

Observ. — In var. γ, elytri singuli discus et apex totus communis rufo-ferruginea, unde, dum squamulæ detritæ, facies aliena exstat. — GHL.

Patria : Omnis Europa, Sibiria.

* 2. T. VENUSTUS.

Niger, suprà squamulis pilisque brunneo-cinereis, subtus albis tectus, thorace elytrisque albide lineatis, rostri apice, antennis, tibiis tarsisque rufo-ferrugineis. — GHL.

STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 55. nº 2.
Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 456. nº 90.
GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 199. nº 111.
Curculio id. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 413. n 84. — *Mant.* I. p. 102. nº 71. — *Sp. Ins.* I. p. 170. nº 54.
OLIV. *Enc. méth.* V. p. 486. nº 75.
HERBST. *Col.* T. 71. f. 2. (Icon tantummodo neque descriptio.)
PANZ. *Ent. Germ.* p. 306. nº 43.
LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1749. nº 138.
VILL. *Ent.* I. p. 188. nº 53. et IV. p. 269. nº 53.
Sibinia venusta. DEJ. *Cat. Col.* p. 83. — STEV. *Mus. Mosqu.* II. p. 101.
Rhynchænus parallelus. OLIV. *Ent.* V. 83. p. 209. nº 198. T. 34. f. 527.
Curculio id. PANZ. *Faun. Germ.* XVIII. f. 5. — *Ent. Germ.* p. 306. nº 44.
Curculio Pegaso. HERBST. *Col.* VI. p. 103. nº 63. T. 66. f. 7.
Curculio vernalis. REICH. *Mant. Ins.* p. 8. nº 4. T. 1. f. 4.
MARSH. *Ent. Brit.* p. 272. nº 105. (Secund. Cel. KIRBY *in Litteris.*)
Curculio bivittatus. MARSH. *Ent. Brit.* p. 281. nº 129. (Secund. Cel. KIRBY *in Litteris.*
Tychius nervosus. STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 55. nº 3. (Var. forte.)

Observ. — Indumentum paginæ superioris colore valde variat : in elegantioribus individuis dorsum thoracis et elytrorum brunneo-squamosum, thorace vittis tribus, elytrorum sutura vittisque duabus lateralibus utrinque, determinatis albis ; in aliis dorsum luteo aut ochraceo-squamosum, vittis albis ut in priori ; in aliis iterum indumentum album prævalet, lituris obscurioribus valde obsoletis ; in nonnullis demum tota superficies uniformiter albido-squamosa, et aberrationes istæ successive una in alteram transeunt, ut ægre de-

terminari possint. Clava antennarum jam ferruginea, jam nigro-fusca; tibiæ etiam aut ferrugineæ, aut obscurius fuscescentes.

GHL.

Patria: Europa media.

* 3. T. POLYLINEATUS.

Niger, opacus, supra squamulis metallico-nitidis tectus, thoracis elytrorumque vitta media, interstitiis alternis corporeque subtus niveo-squamosis, rostri apice, antennis, tibiis tarsisque ferrugineis.

Sibinia polylineata. GERM. *Ins. Spec.* I. p. 294. n° 433.
Sibinia lineolata. STURM. *Ins. Cat.* 1826. p. 195.

Habitat in Austria. Dom. STURM. Mus. SCHH.

Tychio tomentoso (Herbst.) similis et affinis, sed paulo major et latior, præsertim in thorace, et aliter coloratus. Caput parvum, retractum, nigrum, punctatum, squamulis angustis cinereis, metallico-nitidis, in fronte albidis, tectum; oculi rotundati, brunnei, modice prominuli; rostrum capite cum thorace paulo brevius, basi crassum, nigrum, punctatum et squamosum, apice attenuatum, ferrugineum, læve, glabrum. Antennæ vix medium thoracis attingunt, ferrugineæ, cinereo-pubescentes, clava fusca. Thorax latitudine brevior, anterius angustior, apice truncatus, lateribus valde rotundato-ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra minus convexus, punctulatus, niger, squamulis angustis, depressis, metallico-nitidis tectus; vitta media sub-obsoleta, albo-squamosa. Scutellum breve, triangulare, dense albo-squamosum. Elytra antice thoracis basi non latiora, sed mox pone basin ampliata, humeris sub-elevatis, rotundatis; lateribus non ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace vix triplo longiora, supra modice convexa, sat profunde punctato-striata; nigra, squamulis angustis metallico-nitidis tecta; vitta lata suturali albo-squamosa interstitiisque alternis cinereo-albidis. Corpus subtus nigrum, punctulatum, dense albo-squamosum. Pedes validi, parce cinereo-squamosi; femoribus crassis, nigris, obsolete dentatis; tibiis tarsisque ferrugineis. — GL.

* 4. T. LAUTUS.

Latior, nigro-piceus, supra squamulis piliformibus fusco-metallicis, subtus albidis adspersus, rostri apice, antennis, elytris, tibiis tarsisque ferrugineis, femoribus dentatis.

Habitat in Tauria. Dom. STEVEN. Mus. SCHH.

Magnitudo et statura *Tychii suturalis*. Caput parvum, punctatum, piceum, posterius parce, in fronte densius metallico-squamulosum; oculi semi-globosi, brunnei; rostrum thorace paulo brevius, basi crassum, punctatum, piceum, squamulosum, apice angustius, læve, glabrum, rufo-ferrugineum. Antennæ breviusculæ, ferrugineæ, clava paulo obscuriore. Thorax latitudine media multo brevior, anterius angustior, apice truncatus et intra apicem sat profunde constrictus, lateribus valde rotundato-ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra convexus, punctulatus, nigro-piceus, squamulis piliformibus, depressis, metallico-nitidis, adspersus. Scutellum triangulare, dense squamulosum. Elytra antice thoracis basi latiora, humeris elevatis, angulatis, lateribus non ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace plus duplo longiora, supra convexa, sat profunde punctato-striata, interstitiis subtiliter rugulosis; obscure ferruginea, opaca, squamulis piliformibus sub-metallicis parcius adspersa. Corpus subtus nigro-piceum, punctulatum, densius albido-squamulosum. Pedes validi, albido-squamosi et pubescentes, femoribus clavatis nigris, subtus obtuse dentatis, tibiis tarsisque ferrugineis. — GHL.

* 5. T. SQUAMULATUS. *Schh.*

Ovatus, piceus, squamositate densa, supra stramineo-flava, subtus cretacea tectus, rostri maxima parte, antennis pedibusque rufo-testaceis, femoribus dentatis.

Patria: Tauria. A Dom. STEVEN et ex Austria Dom. SCHUPPEL, benevole communicatus. Mus. SCHH.

Tychio tomentoso plus duplo major, *Tychio lauto* æqualis et affinis, sed aliter coloratus et vestitus. Caput parvum, punctulatum, piceum, dense pallido-squamosum; oculi semi-globosi, brunnei; rostrum thorace paulo brevius, basi crassum, punctatum, piceum, squamulosum, extrorsum attenuatum, læve, glabrum, rufo-testaceum. Antennæ breviusculæ, testaceæ, pubescentes. Thorax latitudine parum brevior, anterius paulo angustior, apice truncatus, intra apicem vix vel obsolete constrictus, lateribus nonnihil ampliatus, basi sinuatus, lobo medio longius producto, rotundato; supra minus convexus, confertim punctatus, piceus, vellere denso stramineo-squamoso tectus. Scutellum triangulare, dense squamosum. Elytra antice thoracis basi parum latiora, humeris elevatis; pone basin versus medium ampliata, posterius attenuata, apice conjunctim rotundata, thorace vix triplo longiora, supra convexa, sat profunde punctato-striata, dilutius picea, squamositate densa

straminea, unicolori, tecta. Corpus subtus punctatum, piceum, squamositate cretacea omnino tectum. Pedes validi, testacei, dense squamosi; femoribus subtus dente obtuso armatis. — GHL.

* 6. T. CILIATUS. *Schh.*

Ovatus, niger, undique dense albo-squamosus, rostri apice, antennis, tibiis tarsisque testaceis, femoribus clavatis piceis, subtus dense ciliatis et dente acuto armatis, thorace lateribus rotundato, antice constricto.

Patria : Tauria meridionalis. Ex Musæo Dom. STEVEN, ad describendum, amice missus.

Tychio tomentoso similis, sed fere duplo major, thorax latior, femora acute dentata, etc. Caput parvum, rotundatum, punctulatum, nigrum, albo-squamulosum, fronte plana; oculi semiglobosi, nigri; rostrum capite cum thorace paulo brevius, arcuatum, basi punctulatum et squamulosum, piceum, extrorsum læve, testaceum. Antennæ mediocres, testaceæ, clava albo-pubescente. Thorax amplus, latitudine medii vix brevior, antice subito angustior, apice truncatus, intra apicem constrictus, lateribus valde rotundato-ampliatus, basi leviter sinuatus, lobo medio producto; supra parum convexus, confertim punctulatus, niger, dense albo-squamulosus. Scutellum tuberculiforme, concolor. Elytra antice conjunctim sub-emarginata, thoracis basi latiora, humeris sub-elevatis, rotundatis; lateribus nonnihil ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace duplo longiora, supra modice convexa, obsolete punctato-striata, interstitiis planis, confertim alutaceis; nigra, opaca, dense albo-squamosa. Corpus subtus punctulatum, nigrum, dense albo-squamosum. Pedes mediocres; femoribus clavatis, piceis, subtus dense cinereo-ciliatis et in medio dente acuto armatis; tibiis arcuatis, tarsisque pallide testaceis. — GHL.

Manipulus II. — Femora mutica.

* 7. T. STRIATULUS.

Nigro-piceus, opacus, supra squamulis densis cinereis, subtus albis, tectus, rostri apice, antennis tibiisque ferrugineis, femoribus muticis, rostro basi crassiore, squamuloso, apice attenuato.

Sibinia striatula. Dom. Com. DEJEAN *in Litteris.*

Habitat in Gallia meridionali. Dom. Com. DEJEAN et Dom. CHEVROLAT. Mus. SCHH.

Magnitudo fere et statura *Tychii venusti.* Caput parvum, orbiculatum, punctatum, nigrum, cinereo-squamosum, fronte sub-depressa, densius squamosa; oculi laterales, rotundati, nigro-brunnei, modice prominuli; rostrum capite cum thorace paulo brevius, a basi ad antennarum insertionem crassum, punctatum, nigrum, dense squamosum, apice tenue, ferrugineum, læve, glabrum. Antennæ thoracis medium vix superant, ferrugineæ, cinereo-pubescentes, clava obscuriore. Thorax latitudine paulo brevior, antice nonnihil angustior, apice sub-truncatus, lateribus modice rotundato-ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra minus convexus, niger, punctatus, squamulis densis, depressis, angustis, cinereis, tectus. Scutellum mediocre, apice rotundatum, dense squamosum. Elytra antice thoracis basi paulo latiora, humeris elevatis, sub-angulatis, lateribus non ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace triplo longiora, supra convexa, profunde striata et in striis obsolete punctata, interstitiis confertim rugulosis; nigra, opaca, squamulis angustis cinereis, in interstitiis condensatis, tecta, striis ipsis magis nudis; squamulæ in vitta suturali paulo albidiores. Corpus subtus nigro-piceum, punctulatum, dense albo-squamosum. Pedes validi, dense albo-squamosi; femoribus crassis, piceis, muticis; tibiis tarsisque obscure ferrugineis. — GHL.

* 8. T. SCHNEIDERI.

Ellipticus, niger, sub-depressus, squamulis angustis, declinatis, cinereo-albidis, in linea dorsali thoracis, sutura elytrorum et corpore subtus magis condensatis vestitus; antennarum basi, tibiis tarsisque ferrugineis, thorace confertim punctulato, elytris punctato-striatis, rostro lineari, arcuato.

Curculio id. HERBST. *Col.* VI. p. 268. n° 238. T. 80. f. 7. Teste Dom. SCHUPPEL.

Sibinia id. STURM. *Cat. Ins.* 1826. p. 195.

VAR. β. Rostri apice pedibusque totis ferrugineis.

Patria : Germania, Gallia. A Dom. SCHUPPEL amice communicatus. Mus. SCHH. et GHL.

Tychio tomentoso major, latior, *Tychio striatulo* sub-æqualis et valde affinis; rostro tenuiore, lineari et squamositate minus densa præcipue distinctus. Caput parvum, sub-globosum, punctulatum, nigrum, parce squamulosum; oculi rotundati, brunnei, modice prominuli; rostrum vix longitudine capitis cum thorace, lineare, arcuatum, punctulatum, nigrum, supra parce squamulosum. An-

tennæ breviusculæ, basi ferrugineæ, extrorsum nigricantes. Thorax latitudine parum brevior, antice subito angustior, apice truncatus, intra apicem constrictus, lateribus rotundato-ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra parum convexus, confertim punctulatus, niger, squamulis angustis, depressis, albidis, adspersus, in linea media dorsali condensatis, præsertim postice. Scutellum triangulare, nigrum, albido-squamulosum. Elytra antice sub-sinuata, thoracis basi paulo latiora, humeris sub-elevatis, fere rectangulatis; lateribus non ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace triplo longiora, supra parum convexa, anguste striata et in striis obsolete punctata, interstitiis planis, subtilissime alutaceis; nigra, squamulis cinereo-albidis lineatim adspersa, in sutura vitta communi densius et albidius squamosa notata, quæ tamen apicem non exacte attingit. Corpus subtus punctulatum, nigrum, dense albido-squamulosum. Pedes mediocres, validi, albido-squamulosi; femoribus sub-clavatis, nigro-piceis, muticis; tibiis tarsisque ferrugineis.

VAR β differt tantum rostri summo apice femoribusque ferrugineis. — GHL.

* 9. T. RUFIROSTRIS. *Schh.*

Ovatus, rufo-piceus, squamositate densa, supra pallida, subtus alba tectus, rostro longo, lineari, antennis pedibusque rufo-testaceis, femoribus muticis.

MÉNÉTRIÉS. *Cat. raisonné.* p. 223. nº 1000.

Patria : Caucasus. A Dom. MÉNÉTRIÉS benevole communicatus. Mus. SCHH.

Tychio striatulo et *squamulato* similis et affinis; a priori rostro longiore, lineari præcipue differt; a posteriori magnitudine majori et femoribus muticis diversus. Caput parvum, sub-globosum, punctatum, piceum, dense pallido-squamulosum; oculi rotundati, nigro-brunnei, modice prominuli; rostrum longitudine fere thoracis, tenue, sub-lineare, parum arcuatum, extrorsum deplanatum, rufum, nitidum, glabrum, basi tantum squamulosum. Antennæ mediocres, rufæ, cinereo-pubescentes. Thorax latitudine baseos vix brevior, antice subito angustior, apice truncatus, lateribus nonnihil ampliatus, basi sub-truncatus, vel obtusissime rotundatus, supra parum convexus, confertim punctulatus, rufo-piceus; squamositate densa, depressa, pallida, vestitus. Scutellum elevatum, rotundatum, concolor, dense pallido-squamulosum. Elytra antice

conjunctim leviter emarginata, thoracis basi paulo latiora, humeris sub-elevatis; lateribus non ampliata, apice singulatim rotundata, thorace vix triplo longiora, supra convexa, tenuiter crenato-striata, interstitiis planis, subtiliter alutaceis; rufo-picea, opaca, squamositate densa pallida vestita. Corpus subtus punctulatum, piceum, dense albido-squamulosum. Pedes longiusculi, validi, dense albido-squamulosi et tomentosi; femoribus clavatis, muticis, saturate ferrugineis; tibiis tarsisque dilutius testaceis. — GHL.

* 10. T. ALBULUS. *Schh.*

Ellipticus, niger, squamositate depressa cretacea undique dense tectus, rostri apice, antennis, tibiis tarsisque testaceis, rostro subtenui, longitudine thoracis, elytris anguste striatis.

Patria: Caffraria. A Dom. ECKLON et ZEYHER detectus et communicatus. Mus. SCHH.

Tychio striatulo statura et facie simillimus, sed paulo major; rostrum longius, magis tenue, striæ elytrorum tenuiores et indumentum squamosum depressum, undique cretaceum. Caput subglobosum, punctulatum, nigrum, squamositate cretacea dense tectum; oculi semi-globosi, nigri; rostrum longitudine fere capitis cum thorace, subtenue, parum arcuatum, extrorsum nonnihil attenuatum, confertim punctulatum, a basi ad antennas nigrum, dense cretaceo-squamosum, apice rufo-testaceum, nitidum, glabrum. Antennæ breviusculæ, rufo-testaceæ, albo-pilosæ. Thorax latitudine baseos paulo brevior, antice dimidio angustior quam basi, apice leviter emarginatus, intra apicem depressus, obsolete constrictus, lateribus pone stricturam subito ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra convexus, pulvinatus, confertim punctatus, niger, squamulis depressis cretaceis dense tectus. Scutellum triangulare, dense cretaceo-squamulosum. Elytra antice sub-sinuata, thoracis basi parum latiora, pone basin oblique ampliata, posterius angustiora, apice conjunctim rotundata, thorace duplo longiora, supra convexa, anguste striata, striis obsolete punctatis; nigra, squamositate depressa cretacea dense tecta. Corpus subtus punctatum, nigrum, squamositate cretacea dense tectum. Pedes mediocres, validi, dense cretaceo-squamulosi; femoribus clavatis, nigris, muticis; tibiis tarsisque obscure testaceis.
GHL.

* 11. T. HÆMATOPUS. *Schh.*

Ovatus, niger, squamositate densa, cretacea, undique tectus, rostro toto, antennis pedibusque pallide testaceis, femoribus clavatis, muticis.

Patria: Tauria. Ex Musæo Dom. STEVEN, ad describendum, amice communicatus.

Tychio squamulato magnitudine æqualis et valde affinis, sed femora mutica et color indumenti paginæ superioris alius, ut et color rostri, antennarum et pedum pallidius testaceus. Caput parvum, sub-globosum, punctulatum, nigrum, dense cretaceo-squamulosum; oculi semi-globosi, nigri; rostrum vix longitudine capitis cum thorace, basi crassum, punctulatum et squamosum, apicem versus attenuatum, nudum, totum testaceum. Antennæ pallide testaceæ, pubescentes. Thorax latitudine brevior, antice subito angustior, apice truncatus, lateribus rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, lobo medio producto; supra parum convexus, punctulatus, niger, squamulis angustis, depressis, cretaceis, dense tectus. Scutellum parvum, concolor, squamulosum. Elytra antice sinuata thoracis, basi latiora, humeris elevatis; pone basin ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace vix triplo longiora, supra modice convexa, obsolete punctato-striata; nigra, squamositate depressa, cretacea, dense tecta. Corpus subtus punctulatum, nigrum, dense cretaceo-squamulosum. Pedes validi, pallide testacei, cretaceo-squamulosi; femoribus clavatis, muticis. — GHL.

* 12. T. SUTURELLUS. *Schh.*

Ellipticus, niger, subtus dense cretaceo-squamosus, supra squamulis pallide aurichalceis vestitus, rostri apice antennisque rufo-testaceis, thorace postice vittis tribus brevibus, scutello elytrorumque sutura cretaceo-squamosis, rostro longiusculo, extrorsum attenuato.

Patria: Caffraria. Ex Museo Dom. ECKLON et ZEYHER descriptus.

Tychio venusto duplo minor. Caput sub-globosum, punctulatum, nigrum, squamositate depressa, sub-argentea, vestitum; oculi rotundati, brunnei, modice convexi; rostrum vix longitudine capitis cum thorace, parum arcuatum, punctulatum, extrorsum attenuatum, a basi ad antennas nigrum, squamulosum, apice saturate rufo-testaceum. Antennæ mediocres, rufo-testaceæ, pilosæ. Thorax latitudine baseos vix brevior, antice dimidio angustior quam basi, apice sub-emarginatus, intra apicem depressus, sub-tubulatus,

lateribus modice ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra convexus, pulvinatus, punctulatus, niger, squamis depressis flavo-aurichalceis vestitus, et in basi vittis tribus brevibus cretaceo-squamosis ornatus. Scutellum breviter triangulare, dense cretaceo-squamulosum. Elytra antice sub-sinuata, thoracis basi paulo latiora, humeris sub-elevatis; lateribus non ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace duplo longiora, supra convexa, obsolete punctato-striata; nigra, squamis flavo-aurichalceis vestita, vittaque suturali integra, cretaceo-squamosa ornata. Corpus subtus punctulatum, nigrum, squamositate densa, cretacea, tectum. Pedes validi, nigri, dense cretaceo-squamulosi; femoribus modice clavatis, muticis. — GHL.

* 13. T. AURICHALCEUS. *Schh.*

Ovatus, niger, supra squamulis depressis, aurichalceis, nitidis, subtus albis tectus, rostri apice, antennis, tibiis tarsisque rufo-piceis, elytris subtiliter punctato-striatis.

Habitat in Lusitania. Dom. SILFWERSWARD. Mus. GHL.

Magnitudo fere et statura *Sibynis viscariæ.* Caput parvum, sub-globosum, confertim granulatum, nigrum, squamulis angustis, depressis, orichalceis, nitidis, adspersum; oculi majusculi, semi-globosi, glauci; rostrum longitudine capitis cum thorace, deflexum, parum arcuatum, basi crassum, nigrum, punctatum, dense orichalceo-squamosum, apice attenuatum, rufo-piceum, glabrum. Antennæ rufo-piceæ, pilosæ, clava nigra, pubescente. Thorax latitudine vix brevior, antice subito angustior, apice truncatus, lateribus nonnihil ampliatus, basi bi-sinuatus, lobo medio longius producto, rotundato, sub-elevato; supra modice convexus, confertim granulatus et punctatus, niger, squamulis lanceolatis, depressis, orichalceis, nitidis, tectus. Scutellum parvum, elevatum, rotundatum, dense squamosum. Elytra antice thoracis basi paulo latiora, humeris elevatis, sub-angulatis; lateribus non ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace plus duplo longiora, supra convexa, subtiliter striata et in striis obsolete punctulata, interstitiis confertissime granulato-rugulosis; nigra, squamulis depressis, lanceolatis, orichalceis, nitidis, omnino tecta. Pygidium non apertum. Corpus subtus nigrum, confertissime granulatum, squamulis latioribus albidis tectum. Pedes mediocres, dense orichalceo-squamulosi; femoribus parum crassis, muticis, nigris; tibiis tarsisque ferrugineo-piceis. — GHL.

14. T. SOREX. *Schh.*

Angustus, niger, undique dense albido-squamulosus, antennis, tibiis tarsisque pallide testaceis rostro longo, basi crasso, arcuato, antrorsum subulato, apice testaceo.

Patria: Russia, Petropoli. Ex Musæo Dom. BARTELS descriptus.

Tychio tomentoso valde similis, sed paulo longior et angustior, rostri forma præcipue distinctus. Caput sub-globosum, confertim punctulatum, nigrum, squamulis piliformibus depressis albis nitidis tectum; oculi rotundati nigri, parum convexi; rostrum longitudine thoracis, basi crassum, arcuatum, punctulatum, nigrum, squamulosum, extrorsum valde attenuatum, fere subulatum, apice testaceum, læve, nitidum. Antennæ breviusculæ, pallide testaceæ, clava albido-pubescente. Thorax latitudine paulo longior, antice subito angustior, apice sub-truncatus, intra apicem obsolete constrictus, lateribus modice ampliatus, basi vix sinuatus, supra parum convexus, confertissime punctatus, niger, squamulis similibus ut caput tectus. Scutellum rotundatum, dense albo-squamulosum. Elytra antice truncata, thoracis basi latiora, humeris fere rectangulatis, callo elevato; lateribus vix ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace plus duplo longiora, supra convexa, punctato-striata, nigra, in disco piceo-relucentia, dense albo-squamosa. Corpus subtus punctulatum, nigrum, squamositate densa nivea tectum. Pedes breviusculi; femoribus clavatis, nigris, muticis, albo-squamosis; tibiis tarsisque pallide testaceis. — GHL.

* 15. T. TOMENTOSUS.

Convexior, nigro-piceus, pube sericea nitida tectus, rostro longiori, attenuato, antennis, pedibus rostrique apice rufo-ferrugineis. — GHL.

STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 56. n° 6.

Curculio tomentosus. HERBST. *Col.* VI. p. 278. n° 250. T. 81. f. 7.

Sibinia tomentosa. DEJ. *Cat. Col.* p. 83.

STURM. *Ins. Cat.* 1826. p. 195.

Rhynchænus picirostris. GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 121. n° 48. α. et IV. p. 573. n° 48.

OLIV. *Ent.* V. 83. p. 139. n° 97. T. 33. f. 507.

Curculio id. PAYK. *Faun. Suec.* III. p. 253. n° 73. — *Mon. Curc.* p. 63. n° 60.

* VAR. β. Elytris posterius rufo-ferrugineis.

Sibinia tomentosa, var. DEJ. *Cat. Col.* p. 83.

Observ.—Elytra posterius dilutiora, rufo-ferruginea aut testacea. Femora interdum obscuriora, infuscata, præsertim supra et hoc in utraque.

Patria : Europa septentrionalis et meridionalis, Ægyptus.

16. T. STEPHENI. *Schh.* (1).

Niger, pallide tomentosus, thorace sub-griseo, antennis pedibusque rufo-testaceis. — STEPH.

Tychius tomentosus. STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 56. n° 7.

Patria : Anglia.

* 17. T. JUNCEUS.

Ellipticus, niger, squamositate densa, supra virescenti-aureo-micante, subtus cretacea vestitus, rostro, antennis pedibusque testaceis, thorace obsolete carinato, rostro longitudine thoracis, apice attenuato.—GHL.

Curc. id. REICH. *Mant. Ins.* p. 15. n° 11. T. 1. f. 11.
Tychius suturalis. MEGERLE *in Litteris*, teste Dom. CHEVROLAT.

Patria : Germania, Borussia.

18. T. CANESCENS (1).

Piceus, capite thoracisque striis tribus obsolete canescentibus, elytris striatis, sutura nigra, pedibus rufo-piceis.

STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 56. n° 8.
Curculio id. MARSH. *Ent. Brit.* p. 259. n° 62.

Patria : Anglia.

19. T. PARVULUS (1).

Piceus, parcius olivaceo-pubescens, sutura basi rufo-fusca, antennis pedibusque rufis.

STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 57. n° 9.
Sibinia parvula. KIRBY *in Litteris.*

Patria : Anglia.

20. T. MELILOTI (1).

Rufo-piceus, pube flavescenti tectus, rostro piceo, femoribus nigricantibus.

STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 55. n° 4.
Sibinia id. KIRBY *in Litteris.*

Patria : Anglia.

---

(1) Mihi invisus.

21. T. FLAVICOLLIS (1).

Rufo-piceus, thorace pube flavescenti tectus, elytris grisescentibus, antennis pedibusque testaceis.

STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 56. n° 5.
Sibinia id. KIRBY *in Litteris.*

Patria : Anglia.

STIRPS 2. — Rostrum subtenue, sublineare.

Manipulus I. — Femora dentata.

* 22. T. STRUMARIUS.

Oblongo-ovatus, nigro-piceus, supra squamulis rotundatis, depressis, cinereis, vestitus, antennis pedibusque rufo-piceis, rostro longiore, valde arcuato, glabro, nitido, thorace lato, transverso, elytris convexis, punctato-striatis, femoribus posticis, dente valido armatis.

Rhynchænus id. Dom. Com. HOFFMANSEGG *in Litteris,* teste Dom. SCHUPPEL.

Patria : Lusitania. A Dom. SCHUPPEL amice donatus. Mus. SCHH.

Major in hoc genere, *Otiorhyncho rauco* sub-æqualis. Caput sub-globosum, concinne punctatum, nigrum, nitidum, glabrum, fronte inter oculos obsolete impressa; oculi ovati, brunnei, depressi; rostrum capite cum thorace longius, valde arcuatum, apice depressum, supra sub-striatim punctulatum, nigrum, nitidum, glabrum. Antennæ thoracis basin superant, rufo-piceæ, cinereo-pubescentes. Thorax amplus, transversus, antice subito angustior, apice leviter emarginatus, intra apicem arcuatim profunde impressus, lobo antico sub-elevato, lævi, glabro, nitido; lateribus valde rotundato-ampliatus, basi sub-truncatus, supra modice convexus, confertim punctatus, nigro-piceus, squamulis rotundatis, depressis, cinereis dense vestitus. Scutellum rotundatum, concolor, squamulosum. Elytra antice conjunctim sub-emarginata, thoracis basi parum latiora, humeris antrorsum prominulis; lateribus non ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace vix triplo longiora, supra convexa, fornicata, sub-remote punctato-striata, punctis squamula ocellatis, interstitiis latis, planis, alutaceis; nigro-picea, opaca, squamulis rotundatis, depressis, cinereis, dense vestita. Corpus subtus confertim punctatum, nigro-piceum, dense cinereo-squamulosum. Pedes

(1) Mihi invisus.

longiusculi, validi, rufo-picei, cinereo-squamulosi; femoribus clavatis, posticis dente valido armatis.—GHL.

23. T. ELONGATUS. *Chevrolat.*

Oblongus, niger, opacus, undique dense cinereo-albido-squamulosus, antennis basi ferrugineis, rostro arcuato, quinque-carinato, thorace transverso, punctato, lateribus valde ampliato, elytris punctato-striatis, fusco variegatis, femoribus posticis dentatis.

Tychius obscurus. Dom. Com. DEJEAN *in Litteris,* secundum Dom. CHEVROLAT.

Patria : Senegalia. Ex Musæo Dom. CHEVROLAT, sub hoc nomine, ad describendum, amice communicatus.

E majoribus generis, *Phyllobio vespertino* sub-æqualis. Caput parvum, sub-globosum, confertim punctulatum, nigrum, albido-squamulosum; oculi ovati, depressi, nigro-brunnei; rostrum longitudine capitis cum thorace, validum, arcuatum, supra carinulis quinque instructum, media basin attingente, lateralibus antice abbreviatis; punctatum, nigrum. Antennæ mediocres, nigræ, albido-pubescentes, scapo obscure ferrugineo. Thorax transversus, antice late emarginatus, lateribus valde rotundato-ampliatus, basi truncatus, supra fere planus, confertim punctatus, antice in medio, obsolete carinatus; niger, squamulis lanceolatis, depressis, albidis, dense vestitus. Scutellum vix observandum. Elytra antice conjunctim emarginata, thoracis basi paulo latiora, humeris antrorsum prominulis; lateribus non ampliata, fere linearia, apice conjunctim obtuse rotundata, thorace quadruplo longiora, supra parum convexa, anguste punctato-striata, interstitiis planis, subtiliter alutaceis; nigra, squamulis angustis, depressis, albidis, dense vestita, liturisque sparsis fuscis sub-variegata. Corpus subtus punctulatum, nigrum, dense albido-squamulosum. Pedes validi, nigri, dense albido-squamulosi, et pubescentes; femoribus clavatis, posticis dente valido armatis.—GHL.

24. T. ARATOR.

Ovatus, nigro-piceus, opacus, supra squamositate densa pallide cinerea, subtus albida vestitus, antennis ferrugineis, rostro supra canaliculato, apice attenuato, thorace sub-transverso, obsolete canaliculato, elytris punctato-striatis, femoribus posticis acute dentatis.

Tychius aratus. SAY, *Descript. of Curcul. of N. Amer.* p. 26. n° 1.

Patria: America borealis, Missuri. Ex Musæo Dom. SAY, ad describendum, amice communicatus.

Statura *Tychii septempunctati,* sed dimidio major. Caput parvum, sub-globosum, disperse punctatum, nigrum, dense cinereo-squamulosum, fronte plana; oculi ovati, brunnei, parum prominuli; rostrum longitudine capitis cum thorace, validum, arcuatum, supra anguste canaliculatum, disperse punctatum, nigro-piceum, dense cinereo-squamulosum, apice ipso angustius, rufo-piceum. Antennæ mediocres, ferrugineæ, clava obscuriore. Thorax latitudine brevior, antice late emarginatus, intra apicem profunde constrictus, lateribus rotundato-ampliatus, basi truncatus, supra convexus, pulvinatus, granulatus et punctatus, in medio obsoleto canaliculatus, nigro-piceus, squamulis angustis, pallide cinereis, dense vestitus. Scutellum rotundatum, dense squamulosum. Elytra antice thoracis basi vix latiora, sed mox pone basin oblique ampliata, humeris elevatis; posterius attenuata, apice conjunctim acute rotundata, thorace triplo longiora, supra convexa, sat profunde striata et in striis obsolete punctata, interstitiis convexis, alutaceis; nigro-picea, opaca, squamositate densa, pallide cinerea, tecta. Corpus subtus punctulatum, nigro-piceum, squamositate densa albida tectum. Pedes validi, nigro-picei, dense albido-squamulosi et pubescentes; femoribus clavatis, posticis subtus dente mediocri armatis.—GHL.

* 25. T. HÆMATOCEPHALUS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, nigro-piceus, capite, rostro, antennis pedibusque ferrugineis, thorace amplo, confertim punctulato, cinereo vittato, elytris anguste striatis, squamulis cinereis sub-variegatis.

Habitat in Gallia, forte. A Dom. CHEVROLAT, e Musæo Dom. OLIVIER benevole communicatus. Mus. SCHH.

Tychio venusto vix brevior, sed multo angustior. Caput sub-orbiculatum, confertim subtiliter punctulatum, saturate ferrugineum, fere nudum; oculi laterales, depressi, nigri; rostrum capite cum thorace fere longius, validum, valde arcuatum, striatum, rufo-ferrugineum, nitidum. Antennæ breves, ferrugineæ, clava cinereo-pubescente. Thorax latitudine paulo brevior, antice late emarginatus, lateribus valde rotundato-ampliatus, basi truncatus, supra parum convexus, confertissime punctulatus, niger, opacus, in dorso parce, versus latera utrinque in vitta arcuata densius cinereo-pu-

bescens. Scutellum triangulare, nigrum. Elytra antice thoracis basi latiora, humeris sub-elevatis, fere rectangulis; lateribus non ampliata, posterius angustata, apice conjunctim sub-acuminata, thorace vix triplo longiora, supra convexa, subtiliter striata, striis vix vel obsoletissime punctatis; brunnea vel picea, squamulis densis, depressis, piliformibus, cinereo-albidis, inæqualiter vestita. Corpus subtus nigrum, punctatum, squamulis albidis adspersum. Pedes validi, ferruginei, dense albido-squamulosi; femoribus clavatis, posticis dente obtuso armatis.—GHL.

Manipulus II. — Femora mutica.

* 26. T. SUBLINEATUS. *Schh.*

Ovatus, niger, supra dense, subtus parcius sub-argenteo-squamosus, rostro, antennis pedibusque obscure ferrugineis, thorace leviter carinato, elytris obsolete punctato-striatis, sutura vittaque intra-marginali denudatis, posterius abbreviatis.

Patria: America meridionalis, Maldonado. A Dom. GUÉRIN benevole communicatus. Mus. SCHH.

Statura *Tychii sparsuti*, sed plus duplo major. Caput sub-globosum, punctatum, nigrum, squamulis lanceolatis albidis, argenteo-micantibus vestitum; oculi rotundati, nigro-brunnei, parum prominuli; rostrum longitudine capitis cum thorace, subtenue, cylindricum, valde arcuatum, leviter striatum, saturate ferrugineum, nitidum. Antennæ longiusculæ, tenues, ferrugineæ, albido-pubescentes. Thorax transversus, antice fere dimidio angustior quam basi, apice emarginatus, intra apicem late et profunde impressus, margine apicis elevato; lateribus rotundato-ampliatus, basi subsinuatus, supra parum convexus, punctatus, in medio leviter carinatus, niger, squamis lanceolatis, depressis, albis, argenteo-micantibus, dense tectus. Scutellum elevatum, tuberculiforme, nigrum, dense albo-squamulosum. Elytra antice conjunctim sub-emarginata, thoracis basi paulo latiora, lateribus modice ampliata, apice conjunctim acute rotundata, thorace vix triplo longiora, supra parum convexa, tenuiter et obsolete punctato-striata, nigra, squamulis angustis albis, argenteo-micantibus, dense vestita, relicta sutura a basi ultra medium, et vitta intra-marginali, etiam postice abbreviata, magis nudis, nigris. Corpus subtus punctatum, nigrum, parcius albo-squamosum. Pedes validi, dense albo-squamosi; femoribus clavatis, muticis, saturate ferrugineis; tibiis tarsisque dilutius testaceis.—GHL.

* 27. T. Sparsutus.

Ovatus, nigro-piceus, squamulis lanceolatis albidis variegatus, thoracis lati dorso nigro-piceo, elytris plagiatim albido nigroque variegatis, rostro striato antennisque rufo-ferrugineis. — Ghl.

Rhynchænus id. Oliv. *Ent.* V. 83. p. 127. n° 78. T. 27. f. 393.
Eurylophus id. Dom. Schuppel *in Litteris.*
Sibinia sparsuta. Dej. *Cat. Col.* p. 83.
Sturm. *Ins. Cat.* 1826. p. 195.

* Var. β. Elytris densius albido-squamosis, lituris fusco-piceis minoribus, obsoletioribus. — Ghl.

Patria : Lusitania, Gallia, Hungaria, Silesia.

* 28. T. Pernix. *Creutzer.*

Ovatus, nigro-piceus, squamulis ovatis albidis tectus, thoracis lati dorso medio, nigro-fusco, elytris non variegatis, rostro striato, antennisque rufo-ferrugineis.

Habitat........ in Hungaria, forte. Mus. Schh.

Tychio venusto non longior, sed multo latior, præsertim in thorace; *Tychio sparsuto* simillimus et valde affinis, sed elytra non nigro variegata, et squamulæ thoracis latera et elytra tegentes, ovatæ, transversim locatæ, cum in illo lanceolatæ et longitudinaliter digestæ. Caput parvum, rotundatum, punctatum, nigrum, posterius parce, in fronte densius albido-squamosum; oculi laterales, ovati, brunnei, minus prominuli; rostrum capite cum thorace fere longius, arcuatum, supra carinatum, lateribus punctatum et striatum, rufo-ferrugineum, basi paulo crassius, albido-squamosum, extrorsum glabrum. Antennæ thoracis medium fere superant, ferrugineæ, extrorsum cinereo-pubescentes. Thorax transversus, latitudine multo brevior, antice sub-emarginatus, lateribus valde rotundato-ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra parum convexus, confertim punctulatus, niger, subtus et lateribus late, squamulis ovatis, depressis, plerisque transversim positis, tectus, dorso medio obscuro, fusco-squamuloso. Scutellum parvum, sub-triangulare, nigrum. Elytra antice thoracis basi parum latiora, humeris sub-prominulis, rotundatis; lateribus non ampliata, apice conjunctim acute rotundata, thorace vix triplo longiora, supra convexa, remote punctato-striata, nigra, squamulis ovatis, depressis, albidis, plerisque transversim positis, tecta, immixtis versus apicem squamulis paucis obscurioribus, fuscis. Corpus subtus nigro-piceum, remote

punctatum, squamulis albidis parcius adspersum. Pedes validi, piceo-ferruginei, dense albido-squamulosi et pubescentes, femoribus clavatis, muticis.—GHL.

29. T. ANCORA. *Schh.*

Ovatus, sub-depressus, nigro-piceus, confertissime alutaceus, rostro valido, arcuato, saturate rufo, thorace amplo, linea dorsali albo-squamosa notato, elytris anguste striatis, plaga magna laterali antica utrinque apiceque dense pallido-squamosis, relicta area communi, ancoræformi, nuda, nigra.

Patria: Caucasus. Ex Musæo Imperiali Russico, ad describendum, communicatus.

Magnitudine fere, statura et partium formatione *Tychio sparsuto* simillimus, sed aliter vestitus, elytrorum striæ vix punctatæ, etc. Caput parvum, sub-globosum, punctulatum, piceum, fronte tenuiter cinereo-squamulosa ; oculi rotundati, nigri, sub-depressi ; rostrum longitudine fere thoracis, validiusculum, cylindricum, valde arcuatum, saturate rufum, nitidum, basi ipsa piceum. Antennæ mediocres, scapo tenui, rufescente, flagello et clava piceis, dense cinereo-pubescentibus. Thorax amplus, sub-orbiculatus, antice leviter emarginatus, lateribus semi-circulariter rotundatus, basi ipsa sub-truncatus, supra perparum convexus, confertissime subtiliter alutaceus, niger, non nitidus, in medio dorsi linea angusta, brevi, albo-squamosa, notatus. Scutellum minutum, concolor. Elytra antice conjunctim emarginata, thoracis basi paulo latiora, humeris sub-elevatis, antrorsum nonnihil prominulis; lateribus non ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace triplo longiora, supra perparum convexa, tenuiter striata, striis vix punctatis, interstitiis confertissime alutaceis; nigra, non nitida, plaga magna, oblongo-quadrata humerali, utrinque a basi ultra medium extensa et apice communi dense pallido-squamosis, remanente sutura fasciaque lata transversa pone medium nudis, nigris, in forma ancoræ. Corpus subtus punctulatum, nigrum, dense cinereo-squamulosum. Pedes validi, picei, densa albido-squamulosi; femoribus clavatis, muticis. — GHL.

* 30. T. SQUAMOSUS. *Dejean.*

Ovatus, niger, nitidus, squamulis orichalceis parce adspersus, antennis pedibusque pallide testaceis, thorace lato, transverso, punctato, elytris remote punctato-striatis.

Tychius hordei. Dom. CHEVROL. *in Litteris.*

* VAR. β. Thorace, elytris anoque fusco-ferrugineis.

Habitat in Gallia. Dom. Com. DEJEAN. Mus. SCHH.

Tychio tomentoso non longior, sed latior, præsertim in thorace. Caput sub-globosum, nigrum, nitidum, læve; oculi laterales, sub-ovati, brunnei, parum prominuli; rostrum capite duplo longius, cylindricum, valde arcuatum, nigrum, nitidissimum, læve. Antennæ thoracis medium attingunt, totæ pallide testaceæ. Thorax transversus, longitudine fere duplo latior, anterius angustior, apice leviter emarginatus, lateribus valde ampliatus, basi truncatus, angulis rotundatis; supra parum, convexus, obsoletius et sub-remote punctatus, niger, nitidus, squamulis angustis, depressis, orichalceis in limbo adspersus, disco fere glabro. Scutellum parvum, punctiforme, nigrum. Elytra antice thoracis basi paulo latiora, humeris sub-elevatis, angulatis, lateribus non ampliata, posterius attenuata, apice conjunctim acute rotundata, thorace plus duplo longiora, supra convexa, remote punctato-striata, interstitiis planis, lævibus; nigra, nitida, squamulis orichalceis nitidis, præsertim in basi, lateribus et apice, adspersa. Corpus subtus nigrum, punctatum, densius pallido-squamosum. Pedes validi, pallide testacei, pubescentes; femoribus crassis, clavatis muticis.

Var. β colore dilutiori tantum differt, immaturus forte. — GHL.

31. T. AMOENUS.

Ovatus, nigro-piceus, parce, inæqualiter albido-squamulosus, rostro pedibusque ferrugineis, thorace confertissime punctulato, vittis arcuatis albido-squamulosis notato, elytris remote punctato-striatis, singulo lineola baseos fasciisque lateralibus obliquis, abbreviatis, albido-squamosis, ornato.

Tychius id. SAY, *Descript. of Curcul. of N. Amer.* p. 26. n° 2.

Patria: America borealis, Missuri. Ex Musæo Dom. SAY, ad describendum, amice missus.

Parvus; *Tychio tomentoso* non longior sed latior, *Tychio squamoso* æqualis et statura similis. Caput parvum, sub-globosum, punctulatum, piceum, fronte ad basin rostri transversim impressa; oculi ovati, nigro-brunnei, parum convexi; rostrum longitudine capitis cum thorace, arcuatum, basi crassius, apicem versus sensim attenuatum, supra sub-striatum et punctatum, saturate ferrugineum. Antennæ mediocres, nigro-piceæ. Thorax latitudine

paulo brevior, antice subito angustior, apice emarginatus, lateribus rotundato-ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra modice convexus, sub-pulvinatus, confertissime subtiliter punctulatus, nigro-piceus, vitta arcuata in ipso margine laterali et alia flexuosa intra marginem utrinque, albo-squamosis notatus. Scutellum minutum, concolor. Elytra antice sinuata, thoracis basi latiora, humeris rotundatis; lateribus modice ampliata, apice conjunctim acute rotundata, thorace vix triplo longiora, supra convexa, sat distincte striata et in striis remote punctata, interstitiis planis, subtiliter alutaceis; nigro-picea, parum nitida; in medio baseos singuli elytri lineola brevis albido-squamosa, et præterea fasciæ tres vel quatuor obliquæ, arcuatæ, suturam non attingentes, ejusdem coloris. Corpus subtus punctatum, piceum, densius albido-squamulosum. Pedes longiusculi, validi, saturate ferruginei, parce albido-pubescentes; femoribus clavatis, muticis. — Ghl.

* 32. T. Auricollis. *Schh.*

Latior, niger, squamulis orichalceis adspersus, rostri apice, antennis, elytris posterius, tibiis tarsisque rufo-testaceis, thorace punctatissimo, femoribus muticis.

Habitat in Tauria. Dom. Steven. Mus. Schh.

Parvus; *Tychio picirostri* Schh. non longior, sed latior, præsertim in thorace; *Tychio lauto* Schh. quoad colores simillimus, sed rostrum tenue, filiforme, et femora mutica. Caput rotundatum, punctatum, nigrum, squamulis angustis, orichalceis nitidis, in fronte condensatis, adspersum; oculi semi-globosi, brunnei; rostrum longitudine capitis cum thorace, tenue, filiforme, parum arcuatum, basi punctatum, piceum, squamosum, apice rufo-testaceum, nitidum, læve, glabrum. Antennæ breviusculæ, rufo-testaceæ, clava fusca. Thorax latitudine multo brevior, anterius angustior, apice truncatus et longe intra apicem profunde constrictus, lateribus valde rotundato-ampliatus, basi truncatus, supra parum convexus, confertissime granulato-punctatus, niger, squamulis angustis, depressis, orichalceis nitidis, sat dense adspersus. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum. Elytra antice thoracis basi multo latiora, humeris elevatis, angulatis; lateribus non ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace plus duplo longiora, supra minus convexa, regulariter striata et in striis obsolete punctata, interstitiis planis, subtiliter rugulosis; basi, ab humero oblique versus medium suturæ, nigra, dein rufo-testacea, squamulis pallide aurichalceis adspersa. Corpus subtus nigrum, confertis-

sime granulatum, squamulis albidis adspersum. Pedes mediocres, pallido-pubescentes, femoribus parum crassis, nigris, muticis; tibiis tarsisque testaceis. — GHL.

* 33. T. SQUALIDUS. *Schh.*

Ellipticus, sub-depressus, piceus, squamositate densa grisea undique tectus, rostro lineari, arcuato, thorace transverso, lateribus valde ampliato, elytris obsolete punctato-striatis, interstitiis convexis, alutaceis.

Patria : Caffraria. A Dom. ECKLON et ZEYHER delectus et communicatus. Mus. SCHH.

Tychio venusto paulo minor et a plerisque hujus generis differens, rostro non attenuato, thorace transverso et elytris sub-depressis. Caput parvum, sub-globosum, punctulatum, piceum, dense griseo-squamulosum; oculi rotundati, nigri, parum convexi; rostrum longitudine capitis cum thorace, cylindricum, arcuatum, punctulatum, piceum, basi squamulosum, extrorsum glabrum, apice non attenuatum. Antennæ mediocres, piceæ. Thorax brevis, latus, antice sub-emarginatus, longe intra apicem constrictus, sub-tubulatus, lateribus valde rotundato-ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra transversim convexus, confertim subtiliter punctulatus, piceus, squamositate cinerea dense tectus. Scutellum triangulare, concolor. Elytra antice sub-sinuata, thoracis basi multo latiora, humeris obtuse angulatis; lateribus non ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace triplo longiora, supra in dorso anterius plana, posterius declivia, obsolete punctato-striata, interstitiis convexis, subtiliter alutaceis; picea, squamositate densa cinerea tecta. Corpus subtus punctulatum, piceum, dense cinereo-squamulosum. Pedes mediocres, validi, picei, dense cinereo-squamulosi; femoribus modice clavatis, muticis. — GHL.

GREX MICCOTROGUS (1).

Heptaphilus MEGERLE. — *Sibinia* GERM. — *Tychius* STEPHEN.

Adumbratio. — Antennæ breviusculæ; funiculo 6-articulato; articulo 1° longiusculo, crassiusculo, reliquis lenticularibus.

Rostrum elongatum, teres, modice arcuatum, lineare.

Thorax basi leviter bi-sinuatus, lateribus modice rotundatus.

Cæterum ut in *Tychiis* genuinis.

---

(1) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 247. Gen. *Tychius*, subgenus *Miccotrogus*.

* 34. T. CUPRIFER.

Oblongus, sub-depressus, niger, subtus dense cretaceo-squamulosus, supra squamulis angustis, depressis cinereo-albidis, cupreo-micantibus, parcius vestitus, antennis, tibiis tarsisque testaceis, thorace longiore, antice constricto, elytris tenuiter punctato-striatis, ferrugineis, sutura limboque nigricantibus. — GHL.

Curculio id. PANZ. *Faun. Germ.* LXI. n° 10.

* 35. T. PICIROSTRIS.

Angustior, niger, convexus, supra parcius cinereo-pubescens, antennarum basi, tibiis tarsisque ferrugineis, rostro apice vix rufescente. — GHL.

Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 449. n° 55.
GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 122. n° 48. var. b.
Sibinia id. GERM. *Ins. Sp.* I. p. 291. n° 4.
Curculio id. FABR. *Ent. Syst.* II. p. 407. n° 58. — *Mant.* I. p. 101. n° 47.
OLIV. *Enc. méth.* V. p. 483. n° 58.
HERBST. *Col.* VI. p. 446. n° 446.
VILL. *Ent.* IV. p 285.
LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1744. n° 108.
Rhynchænus cinerascens. GYLLENH. *Ins. Suec.* IV. p. 573. n° 48-49.
Tychius id. STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 57. n°.
Curculio id. MARSH. *Ent. Brit.* p. 248. n° 28.
Curculio fuscirostris. PAYK. *Mon. Curc.* p. 62. n° 59. — Cfr. PAYK. *Faun. Suec.* III. p. 253. n° 73. obs.
* VAR. β. Thoracis linea media longitudinali elytrorumque sutura densius albido-villosis.
Rhynchænus cinarescens, var. b. GYLLENH. *Ins. Suec.* IV. p. 573.

Patria : Tota Europa.

36. T. LINEATELLUS (1).

Fusco-niger, vellere plumbeo tectus, sutura alba; pedibus rufis.

STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 57. n° 11.

Patria : Anglia.

(1) Mihi invisus

37. T. POSTICUS. *Schh.*

Angustior, niger, parum convexus, subtus dense, supra parcius albido-squamulosus, antennarum basi, rostri apice, pedibus elytrisque postice rufo-testaceis, thorace latitudine sub-longiore, punctulato.

Patria: Gallia, Parisiis. Ex Musæo Dom. CHEVROLAT, ad describendum, amice communicatus.

Tychio cinerascenti nob. (*Rhynchæno picirostri* Fabr.) longitudine æqualis, sed angustior, minus convexus et aliter coloratus, cæterum valde affinis. Caput rotundatum, punctatum, nigrum, parce squamulosum, fronte plana; oculi sub-ovati, nigri, modice prominuli; rostrum longitudine capitis cum thorace, modice arcuatum, basi paulo crassius, punctulatum, nigrum, apice late rufo-testaceum, nitidum, læve. Antennæ validiusculæ, articulis primis rufo-testaceis, reliquis cum clava nigris, albido-pubescentibus. Thorax latitudine vix brevior, antice paulo angustior, apice sub-truncatus, intra apicem constrictus, lateribus modice ampliatus, basi bi-sinuatus, margine reflexo; supra parum convexus, confertissime punctulatus, niger, squamulis minutis, angustis, depressis, albidis, parce adspersus. Scutellum rotundatum, nigrum, squamulosum. Elytra antice thoracis basi latiora, humeris elevatis, fere rectangulatis; lateribus non ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace vix triplo longiora, supra parum convexa, sat profunde striata et in striis obsoletius punctata, interstitiis angustis, convexis; anterius nigra, posterius late, indeterminate rufo-testacea, undique albido-squamulosa. Corpus subtus confertim punctulatum, nigrum, dense albo-squamulosum. Pedes mediocres, rufo-testacei, albido-squamulosi et pubescentes; femoribus sub-clavatis, muticis. — GHL.

GENUS 230. MICRONYX. *Nobis.*

Ellescus DEJEAN. — *Curculio* REICH.

Character generis. — Antennæ mediocres, validiusculæ; funiculo 7-articulato: articulo 1° longiusculo, ob-conico, reliquis brevibus, apice truncatis, sub-coarctatis, sub-æqualibus; clava oblongo-ovata, acuminata.

Rostrum elongatum, teres, modice arcuatum, validiusculum.

Oculi inferi, immersi.

Thorax latitudine longior, lateribus modice rotundatus, anterius angustior, pone oculos sub-lobatus.

Elytra sub-ovata, modice convexa; humeri sub-prominuli, obtuse angulati.

Tarsi parum lati, unguli minuti.

Descriptio. — *Corpus* sub-ovatum, modice convexum, in plerisque parcius squamosum, alatum; minimæ magnitudinis. — *Antennæ* rostro capiteque paulo longiores, pone medium rostri insertæ, validiusculæ, fractæ, 12-articulatæ : articulo 1° oculos non attingente, elevato; 2° longiusculo, ob-conico; 3-8 brevibus, sub-turbinatis, apice truncatis, sub-coarctatis, ultimis perparum crassioribus; clava oblongo-ovata, sub-acuminata, 4-articulata, articulis ægre discernendis. — *Rostrum* capitis thoracisque longitudine, teres, modice arcuatum, validiusculum, deflexum; scrobe infra-oculari, lineari, obliqua. — *Oculi* distantes, infra caput sub-approximati, sub-rotundati, immersi. — *Thorax* latitudine postica parum longior, basi sub-truncatus, lateribus modice rotundato-ampliatus, versus apicem cito angustatus, leviter coarctatus, supra modice convexus, apice sub-emarginatus, pone oculos sub-lobatus, infra pone gulam profunde emarginatus. — *Scutellum* vix observandum. *Elytra* oblongo-subovata, thoracis basi fere dimidio latiora et illo vix triplo longiora, antice junctim leviter emarginata, supra modice convexa, apice rotundata, pygidium tegentia; humeris sub-prominulis, obtuse angulatis. — *Pedes* mediocres, longitudine sub-æquales, antici basi approximati, validiusculi; femoribus clavatis, muticis; tibiis rectis, teretibus, apice unco minuto horizontali intus instructis; tarsis latiusculis, articulo penultimo paulo latiore, bilobo, subtus leviter spongioso, ultimo brevi, crassiusculo, bi-unguiculato, angulis minutis.

TYPUS. — *Micronyx Reichii.*

A μίκρος parvus, ὄνυξ unguis.

Observ. — Statura fere eadem ac generis *Ellesci*, sed abunde adumbratum distinguitur genus : structura antennarum, rostro longiore et paulo tenuiore, oculis demissis, ungulis tarsorum minutis.

Patria : Gallia, Germania.

* 1. M. CYANEUS.

Ovatus, nigro-cyaneus, nitidus, thorace sub-ovato, convexo, punctato, vittis tribus abbreviatis, obsoletis, albido-squamulosis notato, elytris subtilissime, remote punctato-striatis, singulo ad basin lineola brevi albo-squamosa ornato, pedibus densius cinereo-squamosis.

Tychius id. Dom. Com. Dejean *in Litteris.*

Patria : Gallia meridionalis. A Dom. Com. Dejean benevole communicatus. Etiam in Etruria et in Illyria, teste Dom. Schuppel. Mus. Schh.

Congeneribus nobis cognitis major, *Tychio 5-punctato* fere æqualis et statura subsimilis. Caput breve, convexum, obsolete punctulatum, nigrum; oculi laterales, valde demissi, ovati, depressi, brunnei; rostrum longitudine capitis cum thorace, validum, arcuatum, obsolete striatum, punctato-scabrum, nigrum. Antennæ crassæ, pilosæ, nigræ, clava cinereo-pubescente. Thorax subovatus, latitudine fere longior, anterius multo angustior, apice sub-emarginatus, lateribus modice ampliatus, basi sub-truncatus, supra valde convexus, pulvinatus, in disco subtilius et disperse versus latera fortius confertim punctatus, nigro-cyaneus, nitidus; intra latera utrinque vitta longiore et in medio baseos tertia breviore e squamulis albidis notatus, sæpe vero obsoletis vel detritis. Scutellum minutum, depressum, concolor. Elytra ampla, antice thoracis basi multo latiora, humeris sub-elevatis, obtuse angulatis; lateribus ampliata, apice conjunctim obtuse rotundata, thorace plus duplo longiora, supra valde convexa, fornicata, subtilissime punctato-striata, punctis oblongis, remotis; interstitiis latis, planis, sub-lævibus; nigro-cyanea, nitida, glabra; in basi interiori singuli elytri lineola parva, brevis, albo-squamosa conspicitur. Corpus subtus anterius confertim punctatum, nigrum, ventre magis lævi. Pedes validi, nigri, dense cinereo-squamosi; femoribus clavatis, muticis, tarsis dilatatis, cinereo-spongiosis.

Ghl.

* 2. M. Jungermanniæ.

Oblongo-ovatus, niger, supra parce maculatim, subtus dense albido-squamulosus, antennis basi testaceis, thorace sub-globoso, nitido, obsolete punctulato, antice vix constricto, elytris distincte striatis, striis obsolete, remote punctatis, interstitiis planis, punctulatis.

Ghl.

Curculio id. Reich. *Mant.* p. 16. n° 12. T. 1. f. 12.

Patria : Germania.

* 3. M. REICHII. *Schh.*

Oblongo-ovatus, convexus, niger, subtus albo-squamulosus, rostro evidenter punctulato, thorace confertim punctato, obsolete carinato, antice profunde constricto, elytrorum striis obsolete, remote punctatis, humeris elevatis, sub-angulatis.

Habitat in Gallia boreali. A Dom. CHEVROLAT amicissime donatus. Mus. SCHH.

Parvus; *Ceutorhyncho erysimi* non latior, sed paulo longior. Caput breve, valde convexum, semi-globosum, nigrum, sub-nitidum, læve; oculi laterales, demissi, ovati, depressi, brunnei; rostrum capite cum thorace fere longius, validum, arcuatum, cylindricum, confertim punctulatum, nigrum, non nitidum. Antennæ nigræ, pilosæ, clava cinereo-pubescente. Thorax latitudine media vix brevior, anterius multo angustior, apice leviter emarginatus, intra apicem late constrictus, lateribus rotundato-ampliatus, basi truncatus, supra modice convexus, confertissime punctulatus, in medio carinula angusta, parum elevata instructus, niger, vix squamulosus. Scutellum minutum, nigrum. Elytra ampla, antice thoracis basi multo latiora, humeris alte elevatis, sub-rectangulis; lateribus vix ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace vix triplo longiora, supra convexa, anguste striata et in striis punctis oblongis, remotis, sub-obsoletis impressa, interstitiis planis, subtilissime alutaceis; tota nigra, sub-nitida. Corpus subtus nigrum, punctatum, squamulis minutis albis, ad latera magis condensatis, vestitum. Pedes validiusculi, nigri, albo-squamulosi; femoribus sub-clavatis, muticis, tarsis parum dilatatis, subtus fusco-spongiosis.

Obs. — *Micronyci jungermanniæ* magnitudine et statura simillimus, sed thorax minus convexus, confertim et fortius punctatus, antice constrictus, etc. — GHL.

* 4. M. CICUS.

Oblongo-ovatus, niger, sub-nitidus, subtus dense albido-squamulosus, supra parce, maculatim variegatus, thorace modice convexo, confertim punctato, antice constricto, elytrorum striis tenuibus, remote punctatis, interstitiis subtilissime alutaceis.

Doryiomus id. SCHUPPEL, teste Dom. GERMAR.

Patria : Germania. A Dom. GERMAR amice communicatus. Mus. SCHH.

Minutus; *Micronyce jungermanniæ* duplo minor, thorace minus convexo, confertim punctato, antice constricto, etc., distinctus. Caput parvum, sub-globosum, vix punctulatum, nigrum; oculi demissi, valde depressi, nigri, ægre observandi; rostrum longitudine capitis cum thorace, validiusculum, arcuatum, punctatum et sub-striatum, nigrum. Antennæ breves, nigræ. Thorax latitudine baseos brevior, anterius angustior, apice truncatus, intra apicem constrictus, lateribus rotundato-ampliatus, basi vix sinuatus, supra modice convexus, confertim punctatus, niger, sub-nitidus, squamulis minutis albidis, parce, inæqualiter adspersus. Scutellum minutum, nigrum. Elytra antice thoracis basi dimidio latiora, humeris alte elevatis, fere rectangulatis, lateribus non ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace plus triplo longiora, supra convexa, fornicata, anguste striata et in striis remote punctata, nigra, parum nitida, squamositate albida, præsertim in callo humerali et versus latera, maculatim variegata. Corpus subtus punctulatum, nigrum, squamositate densa, albida, æqualiter vestitum. Pedes mediocres, nigri, dense albido-squamulosi et pubescentes; femoribus muticis. — Ghl.

5. M. Fallax. *Schh.*

Oblongus, niger, nitidus, parce albo-squamulosus, thorace longiore, angustiore, convexo, evidentius punctato, antice constricto, elytris anguste striatis, striis versus latera et apicem remote punctatis; callo humerali alte elevato.

Patria: Caffraria. Ex Musæo Dom. Ecklon et Zeyher descriptus.

Minutus; *Micronyci cico* æqualis et similis, sed magis nitidus, parcius squamulosus; thorax longior, angustior, magis convexus, evidentius punctatus. Caput parvum, sub-globosum, in thoracem retractum, nigrum, nitidum, vix punctulatum; oculi demissi, valde depressi, ægre observandi, nigri; rostrum longitudine capitis cum thorace, validum, arcuatum, confertim punctulatum et substriatum, nigrum, basi striga transversa a fronte distinctum. Antennæ breves, nigræ. Thorax latitudine baseos fere longior, anterius parum angustior, apice sub-emarginatus, intra apicem utrinque transversim impressus, margine apicis elevato; lateribus parum ampliatus, basi sub-truncatus, supra convexus, sat evidenter confertim punctatus, niger, nitidus, non carinatus. Scutellum minutum, concolor. Elytra antice sub-truncata, thoracis basi fere duplo latiora, humeris rectangulatis, callo alte elevato instructis; lateribus non ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace

vix triplo longiora, supra convexa, tenuiter striata, striis in disco impunctatis, versus latera et apicem remote punctulatis; nigra, nitida, squamis albis parce adspersa. Corpus subtus punctulatum, nigrum, parce albo-squamulosum. Pedes mediocres, nigri, albo-squamulosi; femoribus sub-clavatis, muticis. — GHL.

* 6. M. VARIEGATUS.

Oblongo-ovatus, niger, subtus squamulis densis cinereo-albidis vestitus, thorace sub-globoso, antice coarctato, supra abrupte albido lineato, elytris remote punctato-striatis, maculis plurimis albido-squamosis adspersis.

Ellescus id. DEJEAN. *Catal. Col.* p. 87.
Ellescus conspersus. CHEVROLAT *in Litteris.*

Habitat in Gallia, Parisiis. A Dom. CHEVROLAT benevole communicatus. Mus. SCHH.

Parvus, *Ceutorhyncho erysimi* vix major; *Micronyci cico* similis, multo magis variegatus, thorax convexior, etc. Caput parvum, semi-globosum, punctulatum, nigrum, parce squamulosum; oculi demissi, plani, nigri, ægre observandi; rostrum longitudine capitis cum thorace, validum, sub-arcuatum, confertim punctatum, nigrum. Antennæ nigræ, dense cinereo-pubescentes. Thorax latitudine paulo brevior, antice subito angustior, coarctatus, apice sub-emarginatus, lateribus, rotundato-ampliatus, basi truncatus, supra valde convexus, pulvinatus, obsoletius punctatus, niger, squamulis cinereo-albidis, in linea, media interrupta et versus latera magis condensatis, adspersus. Scutellum minutum, vix observandum. Elytra antice thoracis basi multo latiora, humeris elevatis, sub-angulatis, lateribus vix ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace plus triplo longiora, supra convexa, anguste striata et in striis remote, obsolete punctata, nigra, maculis plurimis, parvis, absque ordine sparsis, e squamulis cinereo-albidis variegata. Corpus subtus nigrum, punctulatum, squamulis densis, albidis, vestitum. Pedes mediocres, nigri, dense albido-squamulosi et pubescentes.—GHL.

7. M. CÆCUS (1).

Ater, supra nitidus, subtus et ad latera squamulis subtilissimis albidis, elytris striatis longioribus, basi callo obtuso, oculis vix distinctis. — REICH.

---

(1) Mihi invisus.

Curculio id. Reich. *Mant.* p. 12. n° 8. T. 1. f. 8.

Patria : Germania.

Genus 231. PHILERNUS. *Nobis.*

Character generis. — Antennæ longiusculæ, tenues; funiculo 7-articulato : articulo 1° elongato, clavato ; reliquis brevibus lenticularibus; clava oblongo-ovata, acuminata.

Rostrum longum, validiusculum, teres, arcuatum.

Oculi oblongi, demissi, immersi.

Thorax oblongus, lateribus æqualiter rotundatus, supra modice convexus.

Scutellum elevatum, rotundatum.

Elytra oblongo-ovalia, ad latera æqualiter ampliato-rotundata, humeris sub-rotundatis; apice conjunctim obtuse rotundata.

Pedes validi, tarsi angustati.

Descriptio. — *Corpus* oblongum, convexum, squamosum, apterum ; minimæ magnitudinis. — *Antennæ* ad thoracis medium pertingentes, pone medium rostri insertæ, tenues, fractæ, 12-articulatæ: articulo 1° oculum haud attingente, subrecto, clavato; 2° longo, etiam clavato, versus apicem valde incrassato; 3-8 brevibus, lenticularibus, sub-æqualibus; clava oblongo-ovata, apice sub-acuminata, 4-articulata. — *Rostrum* capite thoraceque paulo longius, lineare, teres, modice arcuatum, validiusculum; scrobe pone medium rostri incipiente, ad oculum protensa, lineari, profunda, subrecto. — *Oculi* oblongi, demissi, immersi. — *Thorax* latitudine paulo longior, basi truncatus, lateribus æqualiter rotundatus, apice late sed leviter emarginatus, pone oculos lobis exiguis instructus, infra pone gulam late et profunde emarginatus. — *Scutellum* elevatum, rotundatum, tuberculiforme. — *Elytra* thoracis basi paulo latiora et illo plus triplo longiora, ovalia, basi truncata, angulis humeralibus rotundatis; lateribus usque ad apicem rotundata, medio latiora, supra modice convexa, versus apicem non callosa, anum obtegentia. — *Pedes* mediocres, validi, antici basi approximati, anteriores nonnihil longiores; femoribus in medio valde incrassatis, muticis : tibiis teretibus, subrectis, apice unco horizontali minuto intus instructis: tarsis angustatis, articulis tribus primis sub-æqualibus, subtus haud spongiosis, ultimo elongato, sub-clavato, crassiusculo, bi-unguiculato, ungulis validis.

Typus. — *Philernus farinosus.*

A φιλέω diligere, ἔρνος planta, ramus.

Observ. — Genus habitu quidem generi *Tychio* subsimile; distinguitur tamen facile antennarum, humerorum tarsorumque structura abunde diversa.

* 1. P. FARINOSUS.

Oblongus, piceus, undique dense albido-squamosus, antennis pedibusque testaceis, thorace sub-depresso, punctulato, elytris convexis, punctato-striatis.

Sibinia? farinosa. Dom. GEBLER *in Litteris.*

Habitat in Sibiria. Dom. GEBLER. Mus. Dom. Com. MANNERHEIM et SCHH.

Parvus, *Tychio picirostri* paulo angustior. Caput retractum, rotundatum, convexum, punctulatum, piceum, squamulis minutis albidis omnino tectum; oculi valde distantes, versus latera inferiora capitis locati, oblongi, brunnei, parum prominuli; rostrum capite cum thorace fere longius, crassiusculum, arcuatum, punctatum, nigro-piceum, basi dense albido-squamosum, obsolete carinatum, apice nudum, sub-nitidum. Antennæ thoracis medium fere attingunt, subtenues, pallide testaceæ, albido-pubescentes. Thorax latitudine paulo longior, antice late, sed parum profunde emarginatus, lobis ocularibus nonnihil productis; lateribus rotundato-ampliatus, basi sub-truncatus, supra perparum convexus, confertim punctulatus, piceus, squamulis minutis, albidis, undique tectus. Scutellum parvum, rotundatum, elevatum, dense albido-squamosum. Elytra oblongo-ovata, antice sub-truncata ibique thoracis basi parum latiora, humeris rotundatis, non elevatis; lateribus ampliata, posterius attenuata, apice conjunctim sub-rotundata, thorace plus triplo longiora, supra convexa, æqualia, punctato-striata, picea, squamulis minutis, albidis, tecta. Corpus subtus piceum, punctatum, dense albo-squamosum. Pedes mediocres, pallide testacei, dense albido-squamulosi; femoribus clavatis, muticis; tibiis subrectis; tarsis angustis, non spongiosis.

GHL.

GENUS 232. SIBYNES. *Nobis* (1).

Sibinia GERM., STEPHEN (2), DEJEAN, STEVEN, STURM. — *Rhynchænus* FABR., OLIV., GYLLENH.

Character generis. — Antennæ mediocres, tenues; funiculo 6-ar-

---

(1) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 247. n° 143.

(2) Germ. Ins. Spec. I. p. 289. — Steph. Brit. Ent. IV. p. 58.

ticulato: articulis 1-3 basalibus longiusculis, sub-obconicis: 1 paulo longiore et crassiore; reliquis brevibus, aut apice sub-truncatis, aut lenticularibus; clava oblongo-ovata.

Rostrum elongatum, sublineare, modice arcuatum.

Oculi laterales, sub-rotundati, parum convexi.

Thorax anterius sensim valde augustior, lateribus, parum rotundatus, apice coarctatus, truncatus, in plerisque basi leviter bisinuatus, in medio paulo productus.

Elytra aut oblongo-subquadrata, dorso planiuscula, basi conjunctim perparum emarginata, humeris antrorsum sub-prominulis; aut oblongo-ovata, convexiuscula, humeris obtuse angulatis; apice singulatim rotundata, abdomine breviora.

Observ.—Corpus sub-ovatum, modice convexum, squamulosum, alatum; aut minusculæ aut minimæ magnitudinis.—Generi *Tychio* prope accedit, sed funiculo saltem 6-articulato, elytris postice singulatim rotundatis præcipue dignoscitur.

Patria.—Europa, Sibiria, Africa meridionalis.

Stirps 1. Thorax postice leviter bi-sinuatus, in medio nonnihil productus. Elytra oblongo-subquadrata, planiuscula, basi conjunctim leviter emarginata.

* 1. S. Canus.

Ovatus, niger, supra squamulis piliformibus cinereis aut fusco-ochraceis, subtus albidis tectus, thorace postice leviter sinuato, lobo medio rotundato, elytris punctato-striatis, postice callosis.

Sibinia cana. Germ. *Ins. Sp.* I. p. 291. n° 2.
Curculio canus. Herbst. *Archiv.* p. 73. n° 26. T. 24. f. 14.
Linn. *Syst. nat.* Gmel. I. IV. p. 1754. n° 170.
Oliv. *Enc. méth.* V. p. 498. n° 122.
Rhynchænus id. Oliv. *Ent.* V. 83. p. 134. n° 88. T. 33. f. 503.
Curculio pellucens. Scop. *Ann. Hist. Nat.* V. p. 90. n° 41.
Linn. *Syst. nat.* Gmel. I. IV. p. 1757. n° 198.

Patria: Germania, Gallia, Podolia, Volhynia.

Major in hoc genere, *Tychio venusto* latior, sed non longior. Caput parvum, sub-globosum, nigrum, punctulatum, cinereo-squamulosum; oculi majusculi, rotundati, brunnei, minus convexi; rostrum longitudine capitis cum thorace, validum, parum arcuatum, punctulatum, nigrum, a basi ad antennarum insertionem dense squamulosum, apice glabrum, piceum. Antennæ basi piceæ,

extrorsum nigræ, pubescentes. Thorax latitudine baseos brevior, anterius multo angustior, apice sub-truncatus et intra apicem sat profunde constrictus, lateribus parum ampliatus, basi sinuatus, lobo medio longius producto, rotundato; supra modice convexus, confertim punctulatus, niger, squamulis densis, depressis, cinereis aut fusco-ochraceis, piliformibus, tectus, linea dorsali plerumque pallidiore. Scutellum rotundatum, elevatum, dense squamosum. Elytra antice sinuata, thoracis basi vix latiora, humeris elevatis, rotundatis; lateribus nonnihil ampliata, apice singulatim obtuse rotundata, thorace plus duplo longiora, supra parum convexa, anguste striata et in striis obsolete punctata, interstitiis planis, confertissime rugulosis; nigra, squamulis similibus ut in thorace vestita, vitta communi suturali et macula humerali plerumque pallidioribus. Pygidium breviter conicum, dense squamosum. Corpus subtus nigrum, punctulatum, squamulis depressis, rotundatis, plerumque albis, interdum cinereo-ochraceis omnino tectum. Pedes validi, nigri, dense albido-squamosi; femoribus medio incrassatis, muticis; tarsis sub-dilatatis, subtus ochraceo-spongiosis, articulo unguiculari nudo, piceo, ungulis rufescentibus. — GHL.

* 2. S. VISCARIÆ.

Niger, sub-depressus, pube densa depressa, supra cinereo-virescente, subtus albida tectus, thorace postice sub-angulato. — GHL.

Curculio id. LINN. *Faun. Suec.* n° 598. — *Syst. nat.* I. II. p. 609. n° 27. — Ed. GMEL. I. IV. p. 449. n° 27.

PAYK. *Faun. Suec.* III. p. 261. n° 82.

OLIV. *Enc. méth.* V. p. 495. n° 106.

VILL. *Ent.* I. p. 181. n° 23.

Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 449. n° 56.

GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 132. n° 56.

Sibinia id. GERM. *Ins. Sp.* I. p. 291. n° 1.

STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 58. n° 3.

DEJ. *Catal. Col.* p. 83.

GEOFFR. *Ins.* I. p. 288. n° 23. ?

* VAR. β. Obscurior, pube cinerea tectus. — GHL.

Rhynchænus id. var. b. GYLLENH. *Ins. Suec.* l. c.

Curculio ajugæ. HERBST. *Col.* VI. p. 172. n° 132. (Huc pertinet secundum Cel. ILLIGER.)

Patria: Europa borealis et temperata.

* 3. S. Multiguttatus. *Schh.*

Ovatus, niger, subtus dense cretaceo-squamosus, supra albido variegatus, antennis testaceis, thorace vittis tribus, elytris guttulis numerosis, passim confluentibus, albo-squamosis, ornatis.

Patria: Africa meridionalis. Ex Musæo Dom. Chevrolat, ad describendum, amice missus. E Caffraria. Mus. Ecklon et Zeyher.

Sibyne cano paulo angustior, sed non brevior, adeoque e majoribus generis. Caput parvum, rotundatum, confertim punctatum, nigrum, dense albo-squamosum, fronte sub-impressa; oculi semi-globosi, nigri; rostrum longitudine dimidii corporis, arcuatum, basi crassius, apicem versus sensim attenuatum, punctulatum, nigrum, basi albido-squamulosum, apice ipso ferrugineum, nitidum. Antennæ breviusculæ, subtenues, testaceæ. Thorax latitudine baseos vix brevior, anterius fere dimidio angustior, apice truncatus, intra apicem profunde constrictus, lateribus modice ampliatus, basi sub-truncatus, supra parum convexus, confertim punctulatus, niger, vittis tribus guttulisque quatuor dorsalibus, e squamis lanceolatis albis conflatis, ornatus. Scutellum triangulare, nigrum, dense albo-squamulosum. Elytra antice conjunctim emarginata, thoracis basi paulo latiora, humeris sub-elevatis, antrorsum prominulis; lateribus parum ampliata, apice singulatim obtuse rotundata, thorace duplo longiora, supra parum convexa, anguste striata et in striis obsolete punctata, interstitiis planis, alutaceis; nigra, guttulis numerosis, passim confluentibus, albo-squamosis, adspersa. Corpus subtus ruguloso-punctatum, nigrum, squamositate densa cretacea tectum. Pedes validi, nigri, dense cretaceo-squamulosi; femoribus clavatis muticis; tibiis apice tarsisque piceis.—Ghl.

* 4. S. Lepidotus. *Schh.* ?

Ovatus, sub-depressus, niger, supra squamositate densa ochracea, subtus cinereo-albida tectus, rostro, antennis tarsisque testaceis, thorace vitta dorsali et lateribus scutelloque albo-squamosis, elytrorum striis tenuibus, subtiliter catenato-punctatis.

Patria: Caffraria. A Dom. Ecklon et Zeyher detectus et communicatus. Mus. Schh.

Statura *Sibynis cani*, sed paulo minor, aliter coloratus. Caput sub-globosum, vix punctulatum, squamositate pallide ochracea, nitida, tectum, fronte inter oculos plana, albo-squamulosa; oculi semi-globosi, nigri; rostrum longitudine capitis cum thorace, modice arcuatum, confertim punctulatum, rufo-testaceum, niti-

dum, versus basin infuscatum et albido-squamulosum. Antennæ breviusculæ, subtenues, pallide testaceæ. Thorax latitudine medii brevior, antice subito angustior, apice leviter emarginatus, intra apicem profunde constrictus, lobo antico depresso; lateribus mox pone stricturam valde rotundato-ampliatus, basi sub-sinuatus, lobo scutellari producto; supra perparum convexus, vix punctulatus, niger, squamositate densa pallide ochracea tectus, vitta latiore, arcuata, laterali, utrinque aliaque angusta, recta, dorsali, albo-squamosis, ornatus. Scutellum triangulare, elevatum, dense albo-squamulosum. Elytra antice, conjunctim emarginata, thoracis basi paulo latiora, lateribus non ampliata, apice singulatim rotundata, thorace duplo longiora, supra plana, leviter striata, striis subtiliter catenato-punctatis, interstitiis latis, planis; nigra, squamositate densa pallide ochracea tecta. Pygidium perpendiculare, semi-orbiculatum, squamositate ochracea tectum. Corpus subtus punctulatum, nigrum, squamosisate albida dense tectum. Pedes validi, dense albido-squamulosi; femoribus clavatis, nigris, muticis; tibiis rectis, apice tarsisque totis pallide testaceis. — GHL.

* 5. S. PUNCTIROSTRIS. *Schh.*

Ovatus, sub-depressus, niger, subtus dense albido-squamosus, supra squamositate pallide orichalcea et albida vestitus, antennis, tibiarum maxima parte tarsisque testaceis, thorace amplo, punctato, elytris obsolete punctato-striatis, rostro confertim punctato.

Patria : Caffraria. A Dom. ECKLON et ZEYHER detectus et communicatus. Mus. SCHH.

Magnitudo, statura et summa affinitas *Sibynis lepidoti*, indumento paginæ superioris minus denso, aliter colorato, rostro nigro, evidentius confertim punctato, tamen distinctus videtur. Caput sub-globosum, confertim punctatum, nigrum, squamis aurichalceo-micantibus et albidis parce adspersum; fronte plana, densius argenteo-squamosa; oculi semi-globosi, nigri; rostrum longitudine capitis cum thorace, cylindricum, arcuatum, supra versus basin confertissime evidenter punctatum, nigrum, nitidum, interdum apice ipso ferrugineum. Antennæ mediocres, pallide testaceæ. Thorax latitudine medii brevior, antice subito angustior, apice sub-emarginatus, intra apicem obsolete constrictus, lateribus mox pone stricturam valde rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, supra fere planus, confertissime subtiliter punctulatus, niger, squamis depressis, partim aurichalceo, partim argenteo-micantibus miniatis, sat dense vestitus. Scutellum triangulare, nigrum, parce

squamulosum. Elytra antice conjunctim sub-emarginata, thoracis basi paulo latiora, humeris rectangulatis; lateribus non ampliata, apice singulatim rotundata, thorace duplo longiora, supra fere plana, squamositate detrita sat evidenter punctato-striata, interstitiis planis, confertim alutaceis; nigra, squamositate simili ut thorax vestita. Pygidium semi-orbiculatum, punctatum, pallido-squamosum. Corpus subtus punctulatum, nigrum, dense albo-squamosum. Pedes validi; femoribus clavatis, nigris, muticis, sat dense argenteo-squamosis; tibiis testaceis, basi plus minusve infuscatis; tarsis totis testaceis. — GHL.

* 6. S. ZEBRA. *Steven.*

Niger, supra fusco-cinereo, subtus dense cretaceo-squamosus, tarsis rufo-piceis, thorace longiore, convexo, vittis tribus albo-squamosis, notato, elytris punctato-striatis, sutura tota vittaque laterali utrinque albo-squamosis ornatis.

Patria: Ad Sarepta. Ex Musæo Dom. STEVEN, ad describendum, amice donatus.

Sibyni cano magnitudine æqualis et similis. Caput parvum, sub-globosum, punctulatum, nigrum, dense albo-squamulosum; oculi demissi, rotundati, nigri, parum prominuli; rostrum longitudine capitis cum thorace, subtenue, valde arcuatum, basi punctulatum et sub-striatum, nigrum, nitidum. Antennæ tenues, nigræ, clava cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos parum brevior, antice fere duplo angustior, apice sub-emarginatus, intra apicem profunde constrictus, margine apicis elevato; lateribus obliquis, parum ampliatis; basi leviter bi-sinuatus, supra modice convexus, sub-pulvinatus, confertim punctulatus, niger, squamulis depressis fusco-cinereis, metallico-nitidis vestitus, vittisque tribus dense albo-squamosis ornatus, dorsali recta, lateralibus obliquis, sub-arcuatis. Scutellum rotundatum, elevatum, dense albo-squamosum. Elytra antice sub-sinuata, thoracis basi paulo latiora, humeris elevatis, fere rectangulatis; lateribus nonnihil ampliata, apice singulatim, obtuse rotundata, thorace duplo longiora, supra convexa, obsolete punctato-striata, nigra, squamositate densa fusco-cinerea, metallico-micante, vestita; sutura tota vittaque utrinque ab humero ad apicem oblique ducta, dense albo-squamosis. Corpus subtus punctulatum, nigrum, squamositate densa cretacea omnino tectum. Pedes validi, nigri, dense albo-squamulosi; femoribus crasse clavatis, muticis; tibiis rectis, scabris; tarsis dilatatis, rufo-piceis. — GHL.

* 7. S. Vittatus. *Schüppel.*

Ovatus, supra brunneo-subtus albo-squamosus, thorace elytrisque vittis tribus albis. — Germ.

Sibinia vittata. Germ. *Ins. Sp.* I. p. 291. n° 428.
Ahrens. *Faun. Ins. Eur.* VIII. f. 12.
Curculio ellipticus, var. Herbst. *Col.* VI. p. 171. n° 131. T. 71. f. 14. ? (Cfr. *Gymnætr. netus.*)

Patria: Germania, Italia.

* 8. S. Attalicus. *Schh.*

Ovatus, niger, supra dense aureo-pallidoque squamosus, subtus squamositate nivea omnino tectus, antennis tarsisque testaceis, thorace vittis tribus pallidis, elytris obsolete punctato-striatis, interstitiis planis, alutaceis.

Patria: Italia. A Dom. Schuppel benevole communicatus. Mus. Schh.

Statura *Sibynis viscariæ*, sed paulo major, *Sibyni vittato* æqualis et valde affinis, vix nisi colore squamularum paginæ superioris distinctus. Caput parvum, punctatum, nigrum, postice dense aureo-squamulosum, fronte inter oculos elevatiore, dense pallido-squamosa; oculi semi-globosi, brunnei; rostrum vix longitudine capitis cum thorace, validum, modice arcuatum, supra punctulatum, nigrum, dense pallido-squamosum, apice subito attenuatum, nudum, piceum. Antennæ breviusculæ, testaceæ, clava fusca. Thorax latitudine postica brevior, antice dimidio angustior, apice leviter emarginatus, intra apicem profunde constrictus, lateribus rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, supra modice convexus, sub-pulvinatus, confertim punctulatus, niger, squamositate densa aureo et cupreo-micante tectus, vittisque tribus pallido-squamosis ornatus, lateralibus latioribus, arcuatis. Scutellum elevatum, tuberculiforme, dense pallido-squamosum. Elytra antice sinuata, thoracis basi parum latiora, pone basin nonnihil ampliata, humeris elevatis, rotundatis; apice singulatim obtuse rotundata, thorace duplo longiora, supra modice convexa, anguste et obsolete punctato-striata, interstitiis planis, confertim alutaceis; nigra, squamositate densa pallida et aureo-micante sub-lineatim vestita, callo humerali albido-squamoso. Pygidium acute rotundatum, dense pallido-squamosum. Corpus subtus punctulatum, nigrum, squamulis niveis omnino tectum. Pedes mediocres, validi, nigri,

dense pallido-squamulosi; femoribus clavatis, muticis; tarsis dilatatis, testaceis. — GHL.

9. S. RUFIROSTRIS. *Schh.*

Ovatus, niger, sub-depressus, supra squamositate flavo-virente, subtus cretacea densissime tectus, rostro longo, tenui, antennis pedibusque rufo-testaceis, thorace antice angustato, constricto, elytrorum striis tenuissimis, subtiliter, catenato-punctatis.

Patria : Caffraria. Ex Musæo Dom. ECKLON et ZEYHER descriptus.

Sibyne viscariæ paulo minor, angustior. Caput sub-globosum, punctatum, nigrum, dense flavo-virenti squamulosum; oculi semi-globosi, nigro-brunnei; rostrum longitudine dimidii corporis, subtenue, arcuatum, basi punctulatum et squamulosum, extrorsum læve, nitidum, totum rufo-testaceum. Antennæ tenues, pallide testaceæ, clava saturatiore. Thorax latitudine baseos paulo brevior, antice duplo angustior quam basi, apice emarginatus, longe intra apicem sat profunde constrictus, lobo antico convexo, elevato; lateribus pone stricturam oblique ampliatus, basi leviter sinuatus, supra sub-planus, subtilissime punctulatus, niger, squamulis angustis luteo-virentibus, metallico-micantibus, dense vestitus. Scutellum triangulare, nigrum, parce squamulosum. Elytra antice conjunctim sub-emarginata, thoracis basi paulo latiora, humeris elevatis, fere rectangulatis; lateribus non ampliata, apice singulatim rotundata, thorace vix triplo longiora, supra parum convexa, subtilissime striata, striis concinne catenato-punctatis, interstitiis planis; nigra, squamositate luteo-virenti dense tecta. Pygidium semi-orbiculatum, punctatum, nigrum, luteo-virenti squamulosum. Corpus subtus confertissime subtiliter punctulatum, nigrum, squamositate cretacea densissime tectum. Pedes mediocres, rufo-testacei; femoribus clavatis, muticis, cretaceo-squamulosis; tibiis tarsisque dilutioribus, sub-nudis. — GHL.

10. S. JUCUNDUS. *Schh.*

Ovatus, sub-depressus, niger, supra squamositate ochraceo-pallescente, subtus cretacea dense tectus, rostro, antennis pedibusque testaceis, thorace brevi, subtilissime punctulato, elytris tenuiter striatis, striis subtilissime catenato-punctatis.

Patria : Caffraria. Ex Musæo Dom. ECKLON et ZEYHER descriptus.

Statura et magnitudo *Sibynis viscariæ* : *Sibyni rufirostri* in multis

similis, sed thorax brevior, color indumenti alius. Caput subglobosum, punctulatum, nigrum, pallido-squamulosum, fronte inter oculos plana, albido-squamosa; oculi rotundati, nigro-brunnei, modice prominuli; rostrum longitudine capitis cum thorace, subtenue, parum arcuatum, basi punctulatum et squamulosum, extrorsum læve, nitidum, totum rufo-testaceum. Antennæ testaceæ, clava obscuriore. Thorax latitudine baseos multo brevior, antice duplo angustior quam basi, apice emarginatus, intra apicem sat profunde constrictus, margine apicis elevato; lateribus pone stricturam oblique ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra parum convexus, confertim subtilissime punctulatus, niger, squamositate densa pallide ochracea tectus. Scutellum triangulare, nigrum, squamulosum. Elytra antice conjunctim emarginata, thoracis basi latiora, humeris elevatis, fere rectangulatis; lateribus non ampliata, apice singulatim rotundata, thorace plus triplo longiora, supra in dorso antico plana, tenuissime striata, striis subtilissime catenato-punctatis, interstitiis latis, planis, subtiliter alutaceis; nigra, squamositate pallida, ochraceo tincta, dense vestita. Pygidium semi-orbiculatum, punctatum, nigrum, pallido-squamulosum. Corpus subtus punctulatum, nigrum, squamositate cretacea dense tectum. Pedes validi; femoribus clavatis, muticis, saturate testaceis; tibiis tarsisque pallidioribus. — GHL.

* 11. S. POTENTILLÆ. *Koch.*

Ovatus, supra brunneo-tomentosus, subtus albo-squamosus, thorace obsolete tri-lineato, elytris albido-striatis. — GERM.

Sibinia id. GERM. *Ins. Sp.* I. p. 292. n° 430.

DEJ. *Catal. Col.* p. 83.

Curculio villosus. MARSH. *Ent. Brit.* p. 260. n° 66. Secundum Dom. KIRBY *in Litteris.*

Patria : Germania, Borussia, Anglia, Burgardia.

12. S. FUGAX. *Schüppel* (1).

Ovatus, supra virescenti-tomentosus, subtus albido-squamosus, antennis tibiisque piceis, elytris striatis. — GERM.

Sibinia id. GERM. *Ins. Sp.* I. p. 293. n° 431.

Patria : Berolini.

---

(1) Mihi invisus.

13. S. FEMORALIS. *Megerle* (1).

Ovatus, supra tomentosus, subtus albo-squamosus, rostro, antennis tibiisque rufis, thorace brunneo, lineis tribus griseis, elytris griseis, plaga oblonga brunnea. — GERM.

Sibinia id. GERM. *Ins. Sp.* I. p. 292. n° 429.

Patria : Austria.

* 14. S. TIBIALIS. *Schh.*

Breviter ovatus, sub-depressus, niger, undique dense cretaceo-squamosus, tibiis tarsisque testaceis, rostro arcuato, supra carinato, thorace punctulato, antice constricto, elytris amplis, anguste, obsolete punctato-striatis, callo humerali, alte elevato.

Patria : Astrachan forte. Ex Musæo Dom. STEVEN, ad describendum, amice missus.

Statura et fere magnitudo *Sibynis viscariæ.* Caput parvum, sub-globosum, confertim punctulatum, nigrum, cretaceo-squamulosum ; oculi rotundati, nigri, medice prominuli ; rostrum longitudine capitis cum thorace, arcuatum, supra carinatum, punctulatum, nigrum, basi paulo crassius, squamulosum, apicem versus nudum. Antennæ mediocres, nigræ. Thorax latitudine baseos paulo brevior, antice dimidio angustior, apice sub-truncatus, intra apicem constrictus, lateribus obliquis, parum ampliatis ; basi leviter bi-sinuatus, supra fere planus, confertim punctulatus, niger, dense cretaceo-squamosus. Scutellum elevatum, tuberculiforme, dense cretaceo-squamulosum. Elytra antice sinuato-emarginata, thoracis basi latiora, callo humerali oblongo, alte elevato ; lateribus nonnihil ampliata, apice singulatim obtuse rotundata, thorace vix duplo longiora, supra convexa, anguste et obsolete punctato-striata, interstitiis planis, alutaceis ; nigra, opaca, squamositate densa cretacea vestita. Corpus subtus punctulatum, nigrum, dense cretaceo-squamulosum. Pedes mediocres, dense cretaceo-squamulosi ; femoribus clavatis, muticis, nigris ; tibiis subrectis tarsisque testaceis. — GYLL.

(1) Mihi invisus.

* 15. S. TIBIELLUS. *Schh.*

Breviter ovatus, parum convexus, niger, subtus dense albo-squamosus, supra squamulis fulvis et albis variegatus, antennis, tibiis tarsisque obscure ferrugineis, rostro arcuato, tereti, thorace confertim punctulato, antice subito angustato, constricto, elytris punctato-striatis.

Patria: Europa meridionalis. A Dom. CHEVROLAT amice communicatus. Mus. SCHH.

E minoribus, *Sibyne tibiali* plus duplo minor; *Sibyne sodali* fere brevior, sed latior. Caput parvum, sub-globosum, punctulatum, nigrum, fulvo-squamosum; oculi rotundati, brunnei, modice prominuli; rostrum longitudine fere capitis cum thorace, validum, arcuatum, teres, non carinatum, sed punctulatum, fulvo-squamosum, nigrum, apice attenuatum, nudum. Antennæ mediocres, obscure ferrugineæ, clava nigra. Thorax latitudine baseos paulo brevior, antice subito fere duplo angustior, apice sub-truncatus, intra apicem constrictus, lateribus pone stricturam subito ampliatus, basi bi-sinuatus, supra parum convexus, confertissime punctulatus, niger, squamis lanceolatis, depressis, in dorso fulvis, nitidis, versus latera albis, vestitus. Scutellum triangulare, nigrum, squamulosum. Elytra antice sub-sinuata, thoracis basi latiora, humeris elevatis, obtuse angulatis; lateribus nonnihil ampliata, apice singulatim rotundata, thorace duplo longiora, supra parum convexa, punctato-striata, interstitiis planis, alutaceis; nigra, squamulis lanceolatis, in dorso fulvis, versus latera et apicem albis, vestita. Corpus subtus confertim punctulatum, nigrum, dense albo-squamosum. Pedes mediocres, albido-squamulosi; femoribus clavatis, nigris, muticis; tibiis tarsisque obscure ferrugineis. — GHL.

* 16. S. PHALERATUS. *Schh.*

Ovatus, niger, squamulis albido-miniaceis tectus, antennarum basi, elytris, tibiis tarsisque testaceis, thorace vittis duabus latis, elytris litura communi baseos clavata, nigris.

Sibinia phalerata. STEV. *Mus. Mosqu.* II. p. 101.
Sibinia primita, var.? Dom. SCHUPPEL *in Litteris.*

Habitat in Tauria. Dom. STEVEN; in Germania. Dom. STURM. et SCHUPPEL. Mus. SCHH.

Parvus, *Sibyne sodali* Schüpp. vix major. Caput parvum, posterius convexum, punctulatum, nigrum, fronte plana, dense albo-

squamosa; oculi semi-globosi, brunnei; rostrum tenue, longitudine capitis cum thorace, parum arcuatum, nigrum, basi punctatum et albido-squamosum, apice nudum, læve, nitidum. Antennæ basi testaceæ, extrorsum fuscæ, cinereo-pubescentes, clava magna, ovata. Thorax latitudine baseos fere longior, anterius multo angustior, apice truncatus et longe intra apicem transversim profunde impressus vel constrictus, lateribus parum ampliatus, basi bi-sinuatus, lobo scutellari longius producto; supra in medio convexus, sub-pulvinatus, subtiliter punctulatus, niger, subtus, lateribus late et in linea media, postice latiore, squamulis densis albido-miniaceis tectus, unde exstant in dorso vittæ duæ, latæ, nigræ. Scutellum parvum, rotundatum, dense albo-squamosum. Elytra antice sinuata, thoracis basi latiora, humeris elevatis, sub-angulatis, lateribus non ampliata, apice conjunctim obtuse rotundata, thorace duplo longiora, supra minus convexa, punctato-striata, testacea, squamulis densis albido-miniaceis tecta, relicta litura communi baseos, anterius angustiore, in medio suturæ rotundato-ampliata, nuda, nigra. Corpus subtus nigrum, punctulatum, dense albido-squamosum. Pedes mediocres, albido-squamulosi, et pubescentes; femoribus clavatis, nigris, muticis, tibiis tarsisque testaceis. — GHL.

17. S. ARENARIÆ (1).

Ater, pube supra grisescente, subtus albida tectus, suturæ basi plaga fusco-ferruginea, antennis pedibusque obscure testaceis.

STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 58. n° 1.

Patria: Anglia.

* 18. S. PRIMITUS.

Niger, sub-depressus, pube squamulisque supra ferrugineo-aureis, subtus albidis omnino tectus, thorace postice bi-sinuato, elytris litura media fusca albaque. — GHL.

Curculio id. HERBST. *Col.* VI. p. 104. n° 64. T. 66. f. 8.
Sibinia primita. GERM. *Ins. Sp.* I. p. 291. n° 3.
STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 58. n° 2.
DEJ. *Cat. Col.* p. 83.
Rhynchænus signatus. GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 133. n° 57.
PANZ. *Faun. Germ.* XCIX. n° 10. var. forte.

Patria: Suecia, Germania.

(1) Mihi invisus.

19. S. VARIATUS. *Chevrolat.*

Oblongo-ovatus, niger, pectore ventreque dense niveo-squamulosis, capite thoraceque undique elytrisque tomento pallide testaceo tectis, rostro, antennis pedibusque rufo-testaceis, elytris obsolete punctato-striatis, parce nigro irroratis.

Patria : Gallia. Ex Musæo Dom. CHEVROLAT, ad describendum, amice communicatus.

Sibyni primito similis, sed longior et aliter coloratus. Caput punctulatum, nigrum, tomento tenuissimo pallide testaceo undique tectum; fronte inter oculos elevata; oculi semi-globosi, nigri; rostrum longitudine fere capitis cum thorace, arcuatum, basi crassius, apicem versus sensim attenuatum, rufo-ferrugineum, supra posterius squamulosum, apice nudum, nitidum. Antennæ breviusculæ, rufo-testaceæ, clava fusca. Thorax latitudine fere longior, apice sub-emarginatus, intra apicem profunde constrictus, basi sinuatus, lobo medio longius producto, rotundato; supra parum convexus, punctulatus, niger, tomento pallide testaceo supra et infra dense tectus. Scutellum rotundatum, concolor. Elytra antice sinuata, thoracis basi paulo latiora, humeris elevatis, antrorsum prominulis; lateribus parum ampliata, apice singulatim rotundata, thorace vix triplo longiora, supra parum convexa, obsolete punctato-striata, interstitiis planis; nigra, tomento pallide testaceo dense vestita, punctisque sparsis nigris irrorata. Corpus subtus punctulatum, nigrum, pectore ventreque dense niveo-squamulosis. Pedes longiusculi, rufo-testacei, albo-squamulosi; femoribus clavatis, muticis, medio infuscatis. — GYLL.

STIRPS 2. — Thorax postice sub-truncatus. Elytra oblongo-ovata, convexiuscula, basi sub-truncata.

* 20. S. URBANUS. *Schh.*

Ovatus, piceus, supra brunneo-subtus cretaceo-squamosus, rostro, antennis pedibusque testaceis, thoracis linea dorsali angusta, elytrorum sutura, margine apiceque cretaceo-squamosis.

Patria: Nepal. Ex Musæo Dom. STEVEN, ad describendum, amice missus.

Minor, *Sibyni potentillæ* æqualis. Caput rotundatum, modice convexum, punctulatum, dilute piceum, brunneo-squamulosum; oculi rotundati, nigri, modice prominuli; rostrum vix longitudine capitis cum thorace, modice arcuatum, basi crassius, punctulatum, apicem versus attenuatum, læve, nitidum, rufo-testaceum. An-

tennæ mediocres, testaceæ. Thorax latitudine baseos vix brevior, antice duplo angustior, sub-conicus, apice sub-emarginatus, intra apicem constrictus, lateribus obliquis, vix ampliatis; basi leviter sinuatus, supra modice convexus, confertim punctulatus, piceus, brunneo-squamulosus, linea dorsali angusta cretaceo-squamosa notatus. Scutellum elevatum, tuberculiforme, dense cretaceo-squamulosum. Elytra antice conjunctim emarginata, thoracis basi paulo latiora, humeris rotundatis; apice singulatim rotundata, thorace plus duplo longiora, supra modice convexa, obsolete punctato-striata, interstitiis sub-convexis, alutaceis; picea, brunneo-squamulosa, sutura apiceque latius, margineque laterali angustius cretaceo-squamulosis. Corpus subtus punctulatum, piceum, dense cretaceo-squamulosum. Pedes mediocres; tibiis tarsisque testaceis; femoribus saturatioribus, cretaceo-squamulosis, muticis.—GHL.

* 21. S. SODALIS. *Schüppel.*

Oblongus, supra fuscus, subtus albo-squamosus, rostro, antennis pedibusque piceis, elytris albo adspersis. — GERM.

Sibinia id. GERM. *Ins. Sp.* I. p. 294. n° 432.

Patria: Germania.

* 22. S. LUTEOVIRIDIS. *Schh.*

Ovatus, sub-convexus, niger, supra squamositate flavo-virente, subtus cretacea dense tectus, rostro, antennis pedibusque testaceis, thorace sub-convexo, antice profunde constricto, vittis tribus obsoletis albidis notato, elytris tenuissime striatis, striis subtiliter punctulatis.

Patria: Caffraria. Ex Musæo Dom. ECKLON et ZEYHER descriptus.

Minutus, *Sibyne primito* Herbstii fere minor. Caput sub-globosum, punctulatum, nigrum, squamositate flavo-virente tectum; oculi rotundati, nigri, modice prominuli; rostrum longitudine capitis cum thorace, arcuatum, basi punctulatum et squamulosum, extrorsum læve, nitidum, totum rufo-testaceum. Antennæ breviusculæ, totæ pallide testaceæ. Thorax latitudine baseos vix brevior, antice dimidio angustior quam basi, apice sub-emarginatus, intra apicem profunde constrictus, margine apicis elevato, calloso; lateribus pone stricturam oblique ampliatus, basi sub-sinuatus, lobo scutellari producto; supra modice convexus, confertim punctulatus, niger, squamositate luteo-virenti tectus, vittisque tribus obsoletis albido-squamosis notatus. Scutellum trian-

gulare, dense albido-squamulosum. Elytra antice conjunctim sub-emarginata, thoracis basi paulo latiora, humeris fere rectangulatis; lateribus non ampliata, apice singulatim rotundata, thorace duplo longiora, supra modice convexa, anguste striata, striis subtilissime punctulatis, interstitiis anterius planis, versus apicem convexis, elevatis; nigra, squamositate luteo-virente dense tecta. Pygidium semi-orbiculatum, punctulatum, luteo-virenti-squamosum. Corpus subtus confertim punctulatum, nigrum, dense cretaceo-squamulosum. Pedes mediocres, pallide testacei, parce albido-squamulosi.

GHL.

GENUS 233. DORASOMUS. *Nobis.*

Character generis. — Antennæ longiusculæ, tenues; funiculo 7-articulato : articulis duobus basalibus longiusculis, reliquis successive brevioribus, omnibus sub-obconicis; clava ovata.

Rostrum longum, subtenue, lineare, arcuatum, inflexum.

Oculi rotundati, convexi.

Thorax transversus, antice late emarginatus, basi truncatus, lateribus obliquis, posterius ampliatis, anterius valde angustior.

Scutellum elongatum, angustum.

Elytra breviter sub-ovata, basi truncata, humeris sub-rotundatis; apice singulatim rotundata, pygidium haud obtegentia.

Descriptio. — *Corpus* sub-ovale, breviusculum, parum convexum, squamosum, hirtum, alatum; minoris magnitudinis. — *Antennæ* ad thoracis medium pertingentes, in medio rostri insertæ, tenues, fractæ, 12-articulatæ : articulo 1° oculum sub-attingente, subrecto, clavato; 2° et 3° longiusculis, obconicis, illo longiore; 4-8 gradatim valde brevioribus, etiam sub-obconicis; clava sub-ovata, acuminata, 4-articulata. — *Rostrum* capite thoraceque longius, lineare, teres, subtenue, modice arcuatum, inflexum; scrobe in medio rostri incipiente, ad oculum protensa, lineari. — *Oculi* sub-laterales, rotundati, paulo convexi. — *Thorax* longitudine latior, basi truncatus, lateribus postice rotundatus, anterius valde angustior, apice late emarginatus, infra pone gulam profunde emarginatus, supra parum convexus. — *Scutellum* mediocre, elongatum, angustum. — *Elytra* thoracis basi paulo latiora et illo plus triplo longiora, breviter sub-ovata, basi truncata, angulis humeralibus sub-rotundatis; versus apicem angustiora, apice ipso singulatim rotundata, anum haud obtegentia, supra modice convexa. — *Pygidium* apertum, semi-orbiculatum. — *Pedes* mediocres, validiusculi, sub-æquales, antici basi approximati; femoribus clavatis.

muticis; tibiis teretibus, rectis, apice truncatis, muticis; tarsis subtus spongiosis, articulo penultimo profunde bilobo, apicali biunguiculato.

TYPUS. — *Dorasomus candidulus.*

A δορὰ pelliceus, σῶμα corpus.

Observ. — Facies quodammodo generis *Sibynis.*

* 1. D. CANDIDULUS. *Schh.*

Ellipticus, parum convexus, niger, undique squamositate candida tectus et supra præterea dense albido tinctus, rostro, antennis pedibusque flavo-testaceis, thorace transverso, antice angustiore, constricto, elytrorum striis obsolete punctatis.

Patria : Caffraria. Ex Musæo Dom. ECKLON et ZEYHER descriptus.

Mas *Sibyne cano* dimidio, femina duplo major, ejusdemque fere staturæ. Caput sub-globosum, vix punctulatum, nigrum, squamositate candida dense tectum; vertice anguste carinato, fronte inter oculos impressa; oculi rotundati, nigri, modice prominuli; rostrum capite cum thorace fere longius, subtenue, cylindricum, arcuatum, inflexum, basi subtiliter punctulatum et albo-squamulosum, extrorsum, læve, nitidum, flavo-testaceum, apice ipso infuscatum. Antennæ longiusculæ, tenues, flavo-testaceæ. Thorax brevis, transversus, antice fere duplo angustior quam basi, apice late emarginatus, intra apicem obsolete constrictus, lateribus obliquis, posterius ampliatis; basi sub-truncatus, elevato-marginatus, supra transversim modice convexus, disperse punctulatus, in medio obsolete canaliculatus, squamositate densa candida tectus, pilisque suberectis cinereo-albidis adspersus. Scutellum oblongum, angustum, elevatum, dense albo-squamulosum. Elytra antice truncata, elevato-marginata, thoracis basi ibi non latiora, sed mox pone basin ampliata, callo humerali elevato; lateribus dein non ampliata, apice singulatim rotundata, thorace plus triplo longiora, supra parum convexa, prope basin transversim impressa, anguste striata, striis obsolete punctatis, in impressione basali profunde insculptis; nigra, squamositate candida tecta, pilisque vel setulis suberectis cinereo-albidis dense adspersa. Pygidium semi-orbiculatum, convexum, punctatum, nigrum, albo-squamulosum et pilosum. Corpus subtus obsolete punctatum, nigrum, squamositate densa candida tectum. Pedes validi, pallide testacei, albo-squamulosi et pilosi, femoribus clavatis, muticis. — GYLL.

GENUS 234. ACALYPTUS. *Nobis.*

Ellescus DEJEAN. — *Sibinia* STURM. — *Rhynchænus* GYLLENH.

Character generis. — Antennæ mediocres, subtenues; funiculo 7-articulato : articulis duobus basalibus elongatis, ob-conicis, primo longiore et crassiore; reliquis brevibus, apice truncatis, coarctatis, gradatim parum latioribus; clava ovalis.

Rostrum elongatum, subtenue, lineare, arcuatum.

Oculi laterales, rotundati, parum convexi.

Thorax basi leviter bi-sinuatus, antrorsum angustior, lateribus parum rotundatus, apice truncatus.

Elytra quadrato-ovata, supra parum convexa, apice singulatim rotundata, pygidium haud obtegentia.

Descriptio. — *Corpus* sub-ovatum, minus convexum squamulis piliformibus obtectum, alatum; minusculæ magnitudinis. — *Antennæ* rostri capitisque longitudine, in medio rostri insertæ, subtenues, fractæ, 12-articulatæ : articulo 1° clavato, oculos sub-attingente; 2° longo, crassiusculo, ob-conico; 3° duplo minore, etiam ob-conico; 4-8 brevibus, apice truncatis, coarctatis, gradatim crassitudine paulo crescentibus; clava ovalis, sub-acuminata, 4-articulata, articulis connexis. — *Rostrum* capitis thoracisque longitudine, teres, lineare, subtenue, arcuatum, deflexum; scrobe lineari, in basi rostri subtus desinente. — *Oculi* laterales, rotundati, parum convexi. — *Thorax* latitudine postica vix longior, basi sub-bisinuatus, angulis subacutis, antrorsum angustior, lateribus parum rotundatus, apice truncatus, supra modice convexus. — *Scutellum* sub-triangulatum, distinctum. — *Elytra* oblonga, quadrato-ovata, thoracis basi dimidio latiora et illo quadruplo longiora, humeris obtuse angulatis; supra minus convexa, apice singulatim rotundata, pygidium haud obtegentia. — *Pedes* breviusculi, longitudine sub-æquales, validiusculi, basi approximati; femoribus in medio valde incrassatis, muticis; tibiis brevibus, rectis, sub-teretibus, apice truncatis, muticis; tarsis subtus spongiosis, articulo unguiculari parum clavato, bi-unguiculato.

TYPUS. — *Acalyptus carpini.*

Ab ἀκάλυπτος patens, non tectus.

Patria : Europa septentrionalis et temperata.

Observ. — Habitu haud dissimile generi *Sibyni.* Quibusdam in partibus hoc quidem genus cum genere *Tychio* convenit; cum vero articuli funiculares, coarctati, gradatim latiores, rostrum semper

subtenue, lineare, thorax et elytra longe sint aliter constructa, ut peculiare genus proposui.

* 1. A. Sericeus. *Dahl.*

Niger, parum convexus, squamulis piliformibus argenteo-sericeis, nitidis tectus, antennis pedibusque pallide rufo-testaceis, rostro longo, arcuato, confertim punctulato.

Ellescus id. Dejean. *Catal. Col.* p. 87.
Sibinia sericea. Sturm. *Ins. Cat.* 1826. p. 195.

Habitat in Germania. Dom. Sturm. Mus. Schh. et Ghl.

Acalypto carpini simillimus et nimis affinis, sed duplo major. Caput sub-orbiculatum, punctulatum, nigrum, sericeo-squamulosum; oculi rotundati, brunnei, parum prominuli; rostrum capite cum thorace fere longius, lineare, arcuatum, confertim punctulatum, nigrum, opacum. Antennæ rufo-ferrugineæ, clava obscuriore. Thorax latitudine baseos parum brevior, anterius angustior, apice sub-truncatus, lateribus perparum ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra minus convexus, confertim punctulatus, niger, squamulis angustis, piliformibus, depressis, argenteo-sericeis, nitidis, tectus. Scutellum parvum, rotundatum, sericeo-squamosum. Elytra antice thoracis basi multo latiora, humeris elevatis, sub-angulatis; lateribus non ampliata, posterius vix attenuata, apice conjunctim obtusissime rotundata, fere truncata, thorace plus duplo longiora, supra minus convexa, obsolete punctato-striata, nigra, squamositate densa, longiore, pubeformi, decumbente, argenteo-sericea, nitida, in sutura adhuc magis condensata, undique tecta. Corpus subtus nigrum, punctulatum, squamositate subtiliore cinereo-argentea, adspersum. Pedes validiusculi, rufo-ferruginei, parce pubescentes; femoribus modice clavatis, muticis. — Ghl.

* 2. A. Carpini.

Niger, sub-depressus, pube cinereo-sericea nitida tectus, antennis pedibusque testaceis, rostro longissimo, arcuato. — Ghl.

Curculio id. Herbst. *Col.* VI. p. 204. n° 105. T. 74. f 3. a. b.
Rhynchænus id. Gyllenh. *Ins. Suec.* III. p. 120. n° 47.
(Fabr. *Syst. El.* II. p. 452. n° 71. — Vide *Apion id.*)
Ellescus id. Dej. *Cat. Col.* p. 87.
Sturm. *Ins. Cat.* 1826. p. 138.

Patria : Suecia, Norwegia, Lapponia, Germania.

* 3. A. RUFIPENNIS. *Schh.*

Ovatus, niger, sub-depressus, tomento denso cinereo-sericeo vestitus, antennis pedibusque pallide testaceis, thorace lateribus vix ampliato, elytris punctato-striatis rufo-testaceis, basi, sutura margineque laterali infuscatis.

Patria : Gallia, Parisiis. A Dom. CHEVROLAT amice communicatus. Mus. SCHH.

Acalypto carpini simillimus et valde affinis, sed paulo major; thoracis structura elytrorumque colore tamen distinctus videtur. Caput parvum, depressum, punctulatum, nigrum, sat dense cinereo-tomentosum; oculi rotundati, brunnei, parum prominuli; rostrum longitudine capitis cum thorace, cylindricum, arcuatum, nigrum, sub-nitidum, apice piceum. Antennæ breviusculæ, pallide testaceæ, clava obscuriore. Thorax latitudine baseos vix brevior, anterius multo angustior, apice truncatus, margine elevato; lateribus obliquis, vix ampliatis; basi sub-truncatus, elevato-marginatus, supra fere planus, confertim punctulatus, niger, tomento depresso, cinereo, vestitus. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum, tomentosum. Elytra antice thoracis basi paulo latiora, humeris elevatis, obtuse angulatis; lateribus parum ampliata, apice singulatim obtuse rotundata, thorace triplo longiora, supra anterius fere plana, sub-remote punctato-striata, interstitiis planis, subtiliter alutaceis; rufo-testacea, albido-tomentosa, basi, sutura margineque laterali anterius infuscatis. Corpus subtus punctulatum, nigrum, densius albido-tomentosum. Pedes mediocres, toti pallide testacei, parce albido-pubescentes; femoribus medio crassioribus, muticis.

GHL.

GENUS 235. CONORHINUS. *Nobis.*

Character generis. — Antennæ mediocres, subtenues; funiculo 7-articulato : articulis duobus basalibus longiusculis, sub-turbinatis, reliquis sensim brevioribus, lenticularibus, apice truncatis, ultimo clavæ adsperso; clava ovalis.

Rostrum longiusculum, validum, conicum, inflexum.

Oculi sub-laterales, sub-ovati, parum convexi.

Thorax basi bi-sinuatus, lateribus subrectis, apicem versus subito angustior, angulis rotundatis, apice in medio distincte emarginatus, supra parum convexus.

Elytra oblongo-ovata, basi leviter tri-sinuata, apicem versus sensim attenuata, conjunctim rotundata.

Descriptio. — *Corpus* oblongum, sub-ovale, modice convexum,

squamulis piliformibus obtectum, alatum; minoris magnitudinis. — *Antennæ* ad thoracis medium partingentes, pone medium rostri insertæ, subtenues, fractæ, 12-articulatæ: articulo 1° oculum sub-attingente, recto, clavato; 2° et 3° longiusculis, sub-turbinatis, illo longiore et paulo crassiore; 4-8 sensim gradatim brevioribus et nonnihil crassioribus, lenticularibus, ultimo clavæ adpresso; clava majuscula, ovalis, 4-articulata. — *Rostrum* capite sesqui-longius, teres, validum, rectum, sub-inflexum, apicem versus paulo attenuatum, apice ipso rotundatum, sub-conicum; scrobe pone medium rostri incipiente, ad oculum protensa, lineari, obliqua. — *Oculi* sub-laterales, sub-ovati, modice prominentes. — *Thorax* longitudine vix latior, basi leviter bi-sinuatus, lateribus posterius subrectis, versus apicem cito angustior, angulis rotundatis, apice in medio distincte emarginatus, supra parum convexus, infra pone gulam profunde emarginatus. — *Scutellum* minutum, triangulare. — *Elytra* thoracis basi paulo latiora et illo fere quadruplo longiora, oblongo-ovata, basi leviter tri-sinuata, angulis humeralibus rotundatis, apicem versus sensim attenuata, apice ipso conjunctim sub-rotundata, anum obtegentia. — *Pedes* mediocres, sub-æquales, validi, antici basi approximati; femoribus in medio valde incrassatis, muticis; tibiis teretibus, rectis, apice unco horizontali minuto instructis; articulo penultimo tarsorum latiore, bilobo, subtus spongioso, ultimo bi-unguiculato.

TYPUS. — *Conorhinus vestitus.*

A κῶνος conus, ῥὶν nasus.

Observ. — Statura fere eadem ac generis *Acalypti*, sed abunde distinguitur genus forma rostri valde aliena.

Patria : Caffraria.

1. C. VESTITUS. *Schh.*

Ellipticus, convexus, niger, squamulis piliformibus cinereo-albidis undique vestitus, antennis, tibiis tarsisque obscure testaceis, thorace æquali, confertim punctato, elytris obsolete punctato-striatis, interstitiis planis alutaceis.

Patria : Caffraria. A Dom. ECKLON et ZEYHER detectus et ad describendum communicatus.

Magnitudo et fere facies *Byturi tomentosi* Dej. — Caput parvum, sub-globosum, punctatum, nigrum, parce cinereo-squamulosum, fronte inter oculos lineata parva impressa; oculi sub-ovati, nigri, parum prominuli; rostrum capite dimidio longius, validum, deflexum, vix arcuatum, sub-conicum, subtilissime punctulatum,

basi squamulosum, nigrum, extrorsum glabrum, nitidum, apice ipso rufo-piceum. Antennæ ferrugineæ, clava magna nigricante. Thorax latitudine baseos parum brevior, antice fere duplo angustior quam basi, apice in medio distincte emarginatus; lateribus antice oblique ampliatis, dein rectis; basi leviter bi-sinuatus; supra modice convexus, æqualis, confertim punctatus, niger, squamulis depressis, piliformibus, cinereo-albidis sat dense vestitus. Scutellum parvum, triangulare, nigrum, squamulosum. Elytra antice sinuata, thoracis basi paulo latiora, humeris antrorsum subprominulis, callo elevato instructis; lateribus non ampliata, posterius attenuata, apice conjunctim acute rotundata, thorace plus triplo longiora, supra convexa, obsolete punctato-striata, interstitiis planis, alutaceis; nigra, opaca, squamositate simili ac thorax tecta. Corpus subtus punctulatum, nigrum, æque ac supra squamosum. Pedes validi, dense cinereo-albido-squamulosi; femoribus crassis, muticis, nigris; tibiis tarsisque obscure testaceis. — GHL.

GENUS 236. ANCHYLORHYNCHUS. *Klug.*

Character generis. — Antennæ longiusculæ, minus tenues; funiculo 6-articulato: articulis tribus basalibus longiusculis, sub-obconicis intermedio longiore, reliquis sub-turbinatis; clava elongata, ovalis, acuminata.

Rostrum elongatum, validum, sub-deplanatum, versus apicem dilatatum.

Oculi magni, laterales, sub-ovati.

Thorax transversus, antrorsum multo angustior, angulis posticis sub-acuminatis; supra parum convexus.

Elytra lata, sub-ovalia, supra nonnihil convexa, apice conjunctim rotundata, abdomine longiora.

Pedes breviusculi, validi; femora valde incrassata, subtus unidentata; tibiæ sub-compressæ.

Descriptio. — *Corpus* breviusculum, sub-ovatum, depressiusculum, squamosum, alatum; mediocris magnitudinis. — *Antennæ* thoracis basin attingentes, versus apicem rostri insertæ, minus tenues, fractæ, 11-articulatæ: scapo oculos attingente, clavato; articulis tribus basalibus funiculi longiusculis, sub-obconicis, intermedio longiore, reliquis tribus brevibus, sub-turbinatis, gradatim crassitudine parum crescentibus; clava elongata sub-angustata, ovalis, acuminata, 4-articulata. — *Rostrum* longitudine capitis cum thorace, validum, deflexum, fere rectum, versus apicem paulo dilatatum, sub-deplanatum, supra et lateribus multi-costatum; scrobe

versus apicem incipiente, mox vero subtus flexa, in inferiore parte rostri connivente. — *Oculi* magni, laterales, sub-ovati, sub-depressi. — *Thorax* longitudine latior, basi inæqualiter sub-sinuatus, angulis sub-acuminatis; lateribus parum ampliatus, antrorsum valde angustior, antice truncatus, angulis compressis; supra parum convexus, infra pone gulam vix emarginatus. — *Scutellum* distinctum, apice rotundatum. — *Elytra* thoracis basi vix latiora, et latitudine duplo longiora, sub-ovalia, basi conjunctim introrsum emarginata, angulis humeralibus obtuse rotundatis; lateribus subrecta, apice conjunctim sub-rotundata, abdomen obtegentia, supra parum convexa. — *Pedes* breviusculi, validi, longitudine sub-æquales; femoribus anticis basi approximatis, omnibus valde incrassatis, subtus denticulo acuto armatis; tibiis sub-compressis, intus in medio paulo latioribus, anticis nonnihil arcuatis, apice haud armatis; tarsis subtus spongiosis, articulo penultimo profunde bilobo, ungue bi-unguiculato.

TYPUS. — *Anchylorhynchus variabilis.* Klug.

Observ. Facies quodammodo generis *Mycteri* Oliv. corpore parum convexo.

1. A. VARIABILIS. *Klug.*

Ovatus, parum convexus, inæqualiter sulphureo-squamosus, antennis piceis, rostro septem-costato, elytris obsolete crenato-striatis, interstitiis subtiliter alutaceis.

* α. Niger, thorace supra dense sulphureo-squamoso, vitta abbreviata apicis denudata, nigra, lineaque laterali brunneo-squamosa utrinque notato; elytris testaceis, dense sulphureo-squamosis, vitta marginali nigra, pedibus testaceis, genibus tarsisque nigro-fuscis.

* VAR. β. Omnino ut a, sed femora tota nigra.

* VAR. γ. Dimidio minor, thoracis vitta denudata nigra apicali latiore, triangulari, elytris testaceis, sulphureo-squamosis, macula magna rotundata, communi, baseos, aliaque in singulo elytro posterius, juxta suturam, nigris; pedibus ut in α.

* VAR. δ. Magnitudo et pictura thoracis ut in var. γ; elytra atra, fascia media arcuata apiceque late testaceis, sulphureo-squamosis, femoribus totis tibiarumque basi nigris.

* VAR. ε. Capite, elytris, corpore pedibusque totis nigris, scutello thoraceque, supra dense pallido-squamosis, hoc vitta media triangulari denudata nigra, antice latiore, margineque laterali utrinque nigro-squamoso.

Patria : Brasilia. A Dom. SCHUPPEL benevole communicatus. Mus. SCHH.

Myctero umbellatarum Oliv. paulo brevior et latior; sed magnitudine variat. Caput parvum, rotundatum, convexum, confertim punctulatum, nigrum, fronte inter oculos foveola profunda impressa; oculi magni, sub-ovati, brunnei, parum prominuli; rostrum longitudine capitis cum thorace, deflexum, vix arcuatum, apice nonnihil ampliatum, punctulatum, nigrum, costis septem elevatis instructum, media apice bi-furcata, ultimis lateralibus obliquis. Antennæ nigræ, clava cinereo-pubescente. Thorax brevis, transversus, antice fere dimidio angustior, truncatus, lateribus obliquis, parum ampliatis, basi leviter sinuatus, angulis sub-rectis; supra perparum convexus, subtiliter punctulatus, niger, squamulis angustis, depressis, sulphureis dense vestitus, relicta vitta dimidiata triangulari, nuda, nigra, anterius, et in quovis latere linea abbreviata brunneo-squamosa notatus. Scutellum majusculum, rotundatum, nigrum, dense sulphureo-squamosum. Elytra antice conjunctim leviter emarginata, thoracis basi non latiora, humeris rotundatis, pone basin ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace quintuplo longiora, supra parum convexa obsoletius crenato-striata, interstitiis confertim alutaceis; nigra squamositate densa, depressa, sulphurea, vestita, vitta marginali nigro-squamosa. Thorax subtus et pectus punctulata, nigra, tenuiter cinereo-squamulosa; venter piceus, segmentorum marginibus testaceis. Pedes validi, testacei; genibus tarsisque nigro-fuscis; femoribus, præsertim anterioribus crasse clavatis, omnibus subtus dente mediocri armatis.

Varietates tantum colore et magnitudine differunt, secundum diagnoses datas. — GHL.

GENUS 237. ACALLOPISTUS. *Nobis* (1).

Character generis. — Antennæ breviusculæ, validiusculæ, pone medium rostri insertæ; funiculo 7-articulato : articulis 1, 2 breviusculis, sub-obconicis, illo crassiusculo, reliquis transversis sub-perfoliatis, valde coarctatis, exterioribus gradatim multo crassioribus, ultimis clavam fere æquantibus; clava sub-ovata.

Rostrum longiusculum, validum, sub-teres, lineare, parum curvatum.

Oculi distantes, sub-rotundati, haud prominentes.

---

(1) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 249. n° 144.

Thorax latitudine postica paulo brevior, basi bi-sinuatus, lateribus modice rotundatus, anterius valde angustior.

Elytra thoracis basi paulo latiora, oblongo-subquadrata, humeris obtuse sub-angulatis; apice conjunctim obtuse rotundata.

Femora antica subtus in medio dentata et pone dentem serrata; tibiæ anticæ intus curvatæ.

Observ. Corpus breviusculum, ovato-subquadratum, supra modice convexum, squamulis piliformibus obtectum, alatum : minusculæ magnitudinis.

* 1. A. VELLICOSUS. *Ghl.*

Sub-ovatus, niger, pube densa depressa, cinereo-fulvescente tectus, antennis, tibiis tarsisque rufo-ferrugineis, elytris subtilissime punctato-striatis, interstitiis obsoletissime coriaceis.

Patria : Tranquebaria. Dom. TOENDER LUND. Mus. GHL. et SCHH.

Primo intuitu *sybini viscariæ* similis, sed paulo major et magis convexus. Caput rotundatum, nigrum, subtiliter crebre punctulatum, pube densa cinereo-flavescente tectum, inter oculos foveola parva insculptum; oculi oblongi, transversi, depressi, nigri; rostrum thorace multo brevius, validum, fere rectum, nigrum, punctulatum, pube cinerea tectum. Antennæ pone medium rostri insertæ, rostro cum capite fere longiores, minus tenues, rufo-ferrugineæ, clava oblongo-ovata, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos brevior, antice multo angustior, apice sub-truncatus, lateribus modice rotundato-ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, angulis baseos acutis retrorsum nonnihil productis; niger, pube densa depressa cinereo-flavescente tectus. Scutellum mediocre, sub-rotundatum, nigrum, cinereo-pubescens. Elytra oblongo-sub-quadrata, basi singulatim perparum rotundato-producta, antice thoracis basi, paulo latiora, sed illo vix triplo longiora, humeris obtuse sub-angulatis; lateribus inflexa, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra modice convexa, nigra subtiliter punctato-striata, interstitiis planis, obsoletissime coriaceis; tota pube densa cinereo-flavescente, depressa, undique tecta. Corpus subtus nigrum punctulatum, squamulis cinereo-albidis, subnitidis, omnino tectum. Pedes breviusculi, robusti, dense cinereo-pubescentes; femoribus nigris, anticis valde incrassatis, subtus in medio dente valido, acuto, denticulis parvis 4 vel 5 adjectis instructis; posterioribus muticis, minus incrassatis; tibiis rufo-ferrugineis, sub-compressis, anticis arcuatis, reliquis rectis; tarsis elongatis, rufo-ferrugineis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

* 2. A. GUTTATUS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, pube cinereo-virescente dense tectus, antennis, tibiis tarsisque ferrugineis, rostro breviore, modice arcuato, thorace cinereo variegato, elytris evidenter subtiliter punctato-striatis, interstitiis alternis cinereo tessellatis.

Patria: Caffraria. A Dom. ECKLON et ZEYHER benevole communicatus. Mus. SCHH.

Longitudo fere *Acallopisti vellicosi*, sed dimidio angustior; rostro breviore, magis arcuato, elytris cinereo tessellatis, ab illo bene distinctus. Caput parvum, rotundatum, nigrum, subtiliter crebre punctulatum, pube densa cinereo-virescente tectum; fronte non foveolata; oculi oblongi, transversi, nigri, haud prominuli; rostrum capite vix dimidio longius, validum, teres, modice arcuatum, nigrum, punctulatum, pube cinereo-virescente dense obsitum. Antennæ non procul ab apice rostri insertæ, minus tenues, rufo-ferrugineæ, clava ovata, nigra, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos multo brevior, apice sub-truncatus, anterius subito angustatus, lateribus modice rotundato-ampliatus, postice leviter bi-sinuatus, angulis baseos retrorsum nonnihil productis, supra parum convexus, niger, punctulatus, pube cinereo-virescente dense tectus, lateribus albido variegatus. Scutellum mediocre, sub-rotundatum, nigrum, pube cinereo-virescente tectum. Elytra oblongo-ovata, basi singulatim perparum rotundato-producta, antice thoracis basi paulo latiora, humeris sub-angulatis, rotundatis; pone medium apicem versus angustata, thorace triplo longiora, apice ipso conjunctim rotundata, supra modice convexa, subtiliter etsi evidenter punctato-striata, interstitiis planis; nigra, pube depressa cinereo-virescente dense tecta; in singulo elytro series quinque e maculis parvis albido-pubescentibus, quarum prima juxta suturam, reliquæ in interstitiis alternis locatæ. Corpus subtus nigrum, punctulatum, pube grisea sat dense obsitum. Pedes breviusculi, robusti, dense cinereo-pubescentes; femoribus nigris, anticis valde incrassatis, subtus in medio dente valido, acuto, denticulis parvis adjectis instructis; posterioribus muticis, minus incrassatis; tibiis rufo-ferrugineis, sub-compressis, anticis curvatis, reliquis rectis; tarsis elongatis, ferrugineis, subtus griseo-spongiosis. — BHN.

3. A. Fallax. *Schh.*

Oblongus, niger, pube cinerea dense obsitus, antennis, tibiis tarsisque ferrugineis, rostro longiore, crassiore, modice arcuato, thorace dorso obscuriore, elytris subtiliter evidenter punctato-striatis, vix vel obsoletissime albido tessellatis.

Patria: Caffraria. A Dom. Ecklon et Zeyher, ad describendum, benevole communicatus.

Habitus et summa similitudo *Acallopisti guttati*, nonnihil tamen major, præsertim oblongior; rostro nonnihil longiore et crassiore, elytrorum interstitiis alternis vix albo tessellatis ab illo distinctus videtur. Caput parvum, rotundatum, nigrum, subtiliter crebre punctulatum, pube densa cinerea tectum; fronte foveola obsoletissima impressa; oculi oblongi, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum longitudine fere thoracis, validum, sub-teres, modice arcuatum, nigrum, punctulatum, parce cinereo-pubescens. Antennæ non procul ab apice rostri insertæ, minus tenues, rufo-ferrugineæ, clava ovata, obscuriore, cinereo-pubescente. Thorax omnino ut in *Acallopisto guttato*, pube cinerea dorso parciore tectus. Scutellum rotundatum, nigrum, cinereo-pubescens. Elytra oblonga, antice singulatim perparum rotundato-producta, thoracis basi paulo latiora, illoque plus triplo longiora, humeris sub-angulatis, rotundatis; lateribus inflexa, apice ipso conjunctim rotundata, supra modice convexa, nigra, evidenter etsi subtiliter punctato-striata, interstitiis planis, obsoletissime coriaceis, pube densa cinerea tecta, interstitiis alternis vix vel obsoletissime albo tessellatis. Corpus subtus nigrum, punctulatum, pube cinereo-albida sat dense obsitum. Pedes breviusculi, robusti, parce cinereo-pubescentes; femoribus nigris, anticis valde incrassatis, subtus in medio dente valido acuto, denticulis parvis adjectis armatis; posterioribus muticis, minus clavatis; tibiis rufo-ferrugineis, sub-compressis, anticis arcuatis, reliquis rectis; tarsis elongatis, ferrugineis, subtus griseo-spongiosis.— Bhn.

4. A. Curvirostris. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, tenuissime cinereo-pubescens, antennis, capite, tibiis tarsisque ferrugineis, rostro capite parum longius, arcuato, thorace subtilissime confertim punctulato, elytris obsolete punctato-striatis, interstitiis subtilissime coriaceis.

Patria: Caffraria. A Dom. Ecklon et Zeyher, ad describendum, communicatus.

Præcedentibus valde affinis et statura subsimilis, pube tenuissima adpersus; rostro breviore, magis arcuato, elytris obsoletius punctato-striatis, fere unice distinctus. Caput parvum, rotundatum, ferrugineum, subtiliter crebre punctulatum, denudatum; oculi oblongi, transversi, depressi, nigri; rostrum capite parum longius, validum, teres, arcuatum, nigrum, glabrum, subtiliter crebre punctulatum. Antennæ non procul ab apice rostri insertæ, minus tenues, ferrugineæ, clava oblongo-ovata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos multo brevior, anterius subito angustatus, apice truncatus, lateribus modice rotundato-ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, angulis baseos retrorsum nonnihil productis; supra parum convexus, niger, subtilissime crebre punctulatus, pube cinerea tenuissime adpersus. Scutellum mediocre, sub-rotundatum, nigrum, parce pubescens. Elytra oblongo-ovata, basi singulatim perparum rotundato-producta, antice thoracis basi paulo latiora, humeris sub-angulatis, rotundatis; lateribus inflexa, thorace triplo longiora, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra modice convexa; obsolete punctato-striata, interstitiis planis, subtilissime coriaceis; tota nigra, pube cinerea dorso parce, apicem versus densiore, adspersa. Corpus subtus nigrum, subtiliter crebre punctulatum, pube cinerea parce adspersum. Pedes breviusculi, robusti, parce cinereo-pubescentes; femoribus nigris, anticis valde incrassatis, subtus in medio dente valido, acuto, denticulis parvis adjectis armatis; posterioribus muticis, minus incrassatis; tibiis rufo-ferrugineis, sub-compressis, anticis curvatis, reliquis rectis; tarsis elongatis, ferrugineis, subtus griseo-spongiosis.—BHN.

GENUS 238. PELOROPUS. *Nobis.*

Character generis. — Antennæ breviusculæ, subtenues; funiculo 7-articulato; articulis duobus basalibus longiusculis, sub-obconicis; 1° crassiore, reliquis sub-transversis, valde coarctatis; clava ovata.

Rostrum longiusculum, validum, parum arcuatum.

Oculi magni, sub-approximati, modice convexi.

Thorax basi bi-sinuatus, angulis sub-acutis; lateribus parum rotundatus, anterius angustior.

Elytra breviter ovata; humeris sub-rotundatis; apice singulatim obtuse rotundata, pygidium haud obtegentia.

Pedes breviusculi, fortes; femora crassa, subtus dentata; tibiæ compressæ, extus dentatæ.

Descriptio. — *Corpus* breve, latiusculum, ovato-subquadratum, supra modice convexum, squamulis piliformibus obtectum, ala-

tum ; minoris magnitudinis.—*Antennæ* rostri capitisque longitudine, in medio rostri sitæ, subtenues, fractæ, 12-articulatæ; articulo 1° oculos haud attingente, clavato; 2° et 3° longiusculis, sub-obconicis, illo crassiore; 4-8 sub-linearibus, sub-transversis, apice truncatis, valde coarctatis, ultimis gradatim parum crassioribus; 8° clavæ adpresso; clava ovata, acuminata, 4-articulata, articulis arcte connexis.— *Rostrum* capite duplo longius, validum, deflexum, parum arcuatum, supra versus apicem sub-deplanatum ; scrobe curvata, in inferiore parte rostri connivente.— *Oculi* magni, sub-rotundati, modice convexi, in fronte approximati. — *Thorax* latitudine postica vix longior, basi bi-sinuatus, angulis sub-acuminatis, lateribus perparum rotundatus, anterius angustior, versus apicem paulo constrictus, apice sub-truncatus, infra pone gulam late sed non profunde emarginatus.—*Scutellum* majusculum, oblongum, apice sub-acuminatum. *Elytra* antice thoracis basi vix latiora et illo duplo longiora, breviter ovata, angulis humeralibus sub-rotundatis; posterius angustiora, apice singulatim obtuse rotundata, supra convexa, pygidium haud obtegentia.—*Pedes* breviusculi, validi, longitudine sub-æquales; femoribus anticis basi approximatis, in medio valde incrassatis, subtus dentatis; tibiis compressis, extus dentibus duobus armatis, apice unco valido perpendiculari instructis ; tarsis subtus spongiosis, articulo penultimo lato, bilobo, ultimo parvo, bi-unguiculato.

TYPUS. — *Peloropus Ulula.*

A πέλωρος monstrosus, ingens, ποῦς pes.

1. P. ULULA. *Schh.*

Breviter ovatus, convexus, niger, squamulis lanceolatis albidis inæqualiter adspersus, antennis testaceis, rostro rugoso, basi carinato, thorace inæquali, elytris sub-remote punctato-striatis, interstitiis alternis elevatioribus, tuberculis oblongis brunneo-fasciculatis adspersis.

Nov. Genus *Echinopus*. Dom. CHEVROLAT *in Litteris.*

Patria: Senegalia. Ex Musæo Dom. CHEVROLAT, ad describendum, amice missus.

Statura brevis, convexa et facies fere *Byrrhi*, *B. murino* magnitudine sub-æqualis. Caput parvum, rotundatum, punctatum, nigrum, albido-squamulosum ; oculi magni, semi-globosi, nigri, in fronte approximati ; rostrum capite duplo longius, validum, parum arcuatum, supra anterius deplanatum, ruguloso-punctatum,

basi carina alte elevata, inter oculos adscendente, instructum. Antennæ breviusculæ, subtenues, totæ rufo-testaceæ. Thorax latitudine brevior, anterius paulo angustior, apice leviter emarginatus, intra apicem constrictus, margine elevato; lateribus sub-obliquis, fere rectis; basi sinuatus, angulis lateralibus subrectis; supra anterius transversim convexus, posterius deplanatus, rugis nonnullis elevatis, transversis, brunneo-fasciculatis instructus; niger, squamulis lanceolatis, depressis albidis dense vestitus. Scutellum majusculum, ovatum, nigrum, dense albo-squamulosum. Elytra antice sinuata, thoracis basi non latiora, sed pone basin versus medium ampliata, posterius angustiora, apice singulatim rotundata, thorace duplo longiora, supra convexa, fornicata, sub-remote punctato-striata, interstitiis confertim tuberculatis, alternis paulo elevatioribus, dorsalibus tuberculis nonnullis majoribus brunneo-fasciculatis instructis; nigra, undique squamulis albidis vestita, margine apicali rufo-piceo. Pygidium rotundatum, convexum, punctulatum, nigrum, albido-squamulosum. Corpus subtus punctulatum, nigrum, dense albo-squamosum. Pedes breviusculi, validi, nigri, dense albo-squamulosi; femoribus clavatis, subtus dente acuto armatis; tibiis sub-arcuatis, compressis, externe dentibus duobus remotis instructis, superiore majore; tarsis dilatatis, articulo unguiculari parvo, testaceo. — GHL.

GENUS 239. PHYTOBIUS. *Schmidt.*

Hydaticus SCHH. olim. (1). — *Pachyrhinus* KIRBY, STEPH. (2). — *Ceutorhynchus* FABR., 3. GERM. (3). — *Rhynchænus* GYLLENH., BECK., *Campylirhynchus* DEJEAN.

Character generis. — Antennæ mediocres, subtenues; funiculo 6-articulato; articulis tribus basalibus longiusculis, sub-obconicis, reliquis sub-nodosis, sub-coarctatis; clava oblongo-subovata.

Rostrum breviusculum, crassum, teres, arcuatum.

Oculi magni, rotundati, valde prominuli.

Thorax sub-transversus, basi bi-sinuatus, anterius angustior, apice sub-truncatus, supra bi aut 4-tuberculatus.

Elytra ampla, breviter ovata, supra parum convexa, abdomine breviora; humeris obtuse angulatis.

---

(1) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 242. n° 140. — Nomen *Hydaticus* alii generi inter *Hydrocantharos* (*Dyticus fuscus*, *Hybneri*, *stagnalis* et *transversalis*) dudum a Cel. Leach usitatum.—Observ. Cel. Schmidt in litteris.

(2) Steph. Brit. Ent. IV. p. 50.

(3) Germ. Ins. Sp. I. p. 230.

Patria : Europa omnis ; America septentrionalis.

Observ. — Corpus breviter ovatum, squamosum, durum, alatum ; minusculæ magnitudinis.

Visus sum mihi apud quasdam species hujus generis, scil. *Phytobium 4-tuberculatum*, *4-cornem* et *4-spinosum*, deprehendere funiculum antennarum, qui septimum, etsi ambiguum, haberet articulum, arctissime clavæ antennarum adhærentem. Dubitavi igitur nonnihil an hæ species ad genus *Ceutorhynchum*, stirpem 2am referendæ essent ; at attentius si examinaverimus in *Ceutorhyncho pericarpio*, detegitur ejusmodi articulus octavus, qui quidem, velut septimus ille in tribus primum nominatis speciebus, proprie nihil aliud est quam stipula quædam basalis clavæ antennarum. Etsi haud minus forma habitualis quam cæterarum partium accuratior similitudo specierum, sub genere *Phytobio*, stirpe 2a, positarum intimum habeant nexum cum stirpe 2a generis *Ceutorhynchi*, tamen haud satis mihi probatum est, omnes hasce species ad idem genus posse referri, præcipue quoniam thorax in his subtus antice canaliculatus est.

Stirps i. — (Genuini.) Tarsi longiusculi, angustati, articulo penultimo subtus haud spongioso, unguiculari longo.

* i. P. Velatus.

Niger, opacus, subtus et lateribus dense cinereo-squamulosus, antennis pedibusque testaceis, his nigro-geniculatis, thorace tuberculis quatuor acutis instructo, elytris amplis, profunde punctato-striatis, interstitiis convexis, quarto a sutura elevatiore ; sutura tota lineolisque disci cinereo-albido-squamosis. — Ghl.

Rhynchænus id. Germ. *Mag.* III. p. 369. lin. 6.

Rhynchænus velatus. Beck. *Beitr. zur Baiersch. Ins. Faun.* p. 20. n° 29. T. 6. f. 29.

Patria : Germania, Illyria, Anglia.

* 2. P. Myriophylli.

Sub-depressus, niger, opacus, subtus dense albo-squamosus, supra fuliginoso-squamosus, albido irroratus, pedibus testaceis, thorace inæquali tuberculato. — Ghl.

Rhynchænus id. Gyllenh. *Ins. Suec.* III. p. 152. n° 73.

Rhynchænus id. Steph. *Brit. Ent.* IV. p. 52. n° 6.

* Var. β. Paulo minor, capite thoraceque nigris, opacis, elytro-

rum disco et apice obscure ferrugineis, linea scutellari corporeque subtus cinereo-squamosis, rostro paulo breviore; forte mas.—GHL.

Rhynchænus id. var. b. GYLLENH. *Ins. Suec.* IV. p. 581. n° 73.

Patria : Suecia, Anglia.

* 3. P. LEUCOGASTER.

Niger, opacus, subtus et lateribus dense pallescenti-squamulosus, pedibus testaceis, geniculis tarsisque nigricantibus, thorace bi-tuberculato, elytris amplis, convexis, profunde striatis, striis obsolete punctatis. — GHL.

Curculio id. MARSH. *Ent. Brit.* p. 253. n° 45.
Rhynchænus id. STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 50. n° 1.

Observ. — *Phytobio myriophylli* simillimus et valde affinis, sed tubercula in margine antico thoracis desunt, et elytra magis convexa, illorum striæ profundiores, obsoletius punctatæ, unde speciė distinctus videtur.

STIRPS 2. — (SPURII.) Tarsi minus longi, articulo penultimo latiore, bilobo, subtus spongioso, unguiculari mediocri.

* 4. P. GRANATUS. *Schh.*

Breviter ovatus, niger, sub-depressus, subtus et lateribus dense, supra parcius albido-squamosus, tibiis testaceis, thorace canaliculato, quadri-tuberculato, elytris macula didyma alba versus basin suturæ notatis, interstitiis discoidalibus granulatis.

Patria : Austria. A Dom. SCHUPPEL amice communicatus. Mus. SCHH.

Ceutorhyncho 4-tuberculato latior, sed non longior. Caput rotundatum, confertim punctatum, nigrum, parce squamulosum, fronte impressa, callo supra oculos elevato: oculi rotundati, nigri, modice prominuli; rostrum vix capite longius, crassum, arcuatum, supra planum, confertim punctulatum, nigrum. Antennæ breves, nigræ. Thorax latitudine baseos brevior, antice angustior, apice sinuatus, margine in medio elevato, obtuse bi-tuberculato, tuberculis approximatis; intra marginem constrictus, lateribus obliquis, posterius ampliatis; basi profunde bi-sinuatus, lobo medio triangulari; supra in dorso planus, canaliculatus, pone medium utrinque tuberculo acuto instructus, confertim punctulatus, niger, subtus et lateribus squamositate densa albida vestitus, in dorso parce squamulosus. Scutellum minutum, demersum, nigrum. Elytra ampla,

antice singulatim rotundata, thoracis basi multo latiora, humeris elevatis, obtuse angulatis; lateribus inflexa, apice singulatim rotundata, thorace vix plus quam duplo longiora, supra anterius depressa, obsoletius punctato-striata, interstitiis convexis, alutaceis, discoidalibus, singulo elytro granulis seu tuberculis parvis, numerosis, adsperso; nigra, lateribus dense, in dorso parcius albido-squamulosa; antice in sutura macula communi biloba dense albo-squamosa notata. Corpus subtus confertim punctatum, nigrum, squamositate densa albida tectum. Pedes mediocres, albido-squamulosi; femoribus clavatis, nigris, muticis; tibiis testaceis, tarsis fuscis. — GHL.

* 5. P. VELARIS.

Niger, subtus et lateribus dense albido-squamosus, supra squamulis virescenti-aureis tectus, thorace depresso, acute quadri-tuberculato, pedibus testaceis, tarsis nigris. — GHL.

Rhynchænus id. GYLLENH. *Ins. Suec.* IV. p. 581. n° 75-76.

Patria : Dalecarlia Sueciæ.

* VAR. β. Obscurior, supra squamulis cinereo-albidis vestitus. GHL.

Patria : Norvegia, ad Alp. Dowre. Dom. BOHEMAN.

* 6. P. NOTULA.

Brevis, niger, subtus et lateribus dense albido-squamosus, supra fere nudus, thorace brevi, 4-tuberculato, elytris maculis sparsis albido-squamosis, pedibus testaceis, femoribus medio infuscatis. — GHL.

Ceutorhynchus id. GERM. *Ins. Sp.* I. p. 240. n° 370.
Rhynchænus id. GYLLENH. *Ins. Suec.* IV. p. 582. n° 75-76.

Observ. — In sutura elytrorum, paulo pone scutellum plerumque macula communis pallido-squamosa conspicitur.

Patria : Norvegia, Gallia, Suecia meridionalis.

* 7. P. QUADRINODOSUS.

Niger, suturæ basi corporeque albido-squamosis, pedibus rufis, thorace profunde punctato, elytris tuberculatis. — GHL.

Rhynchænus id. GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 155. n° 76.
Pachyrhinus id. STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 51. n° 5.
Ceutorhynchus mucronulatus. GERM. *Ins. Sp.* I. p. 239. n° 369.

Patria : Germania, Suecia.

* 8. P. COMARI.

Breviter ovatus, niger, thoracis lateribus corporeque subtus densius albido-squamulosis, antennis tibiisque testaceis, thorace canaliculato, obsolete bi-tuberculato, elytris profunde striatis, maculis numerosis cinereo-squamosis adspersis. — GHL.

Rhynchænus id. GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 156. n° 77.
ZETTERST. *Faun. Ins. Lapp.* I. p. 327. n° 51.
Curculio id. HERBST. *Col.* VI. p. 411. n° 393. T. 92. f. 6.
PANZ. *Ent. Germ.* p. 303. n° 25.
Pachyrhinus id. STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 51. n° 3.
* VAR. β. Thoracis margine antico tuberculis duobus parvis instructis. — GHL.

Patria : Europa septentrionalis et intermedia.

* 9. P. QUADRITUBERCULATUS.

Niger, supra cinereo-nebulosus, subtus albido-squamosus, tibiis testaceis, thorace depresso, foveolato, quadri-tuberculato — GHL.

Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 448. n° 49.
GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 153. n° 74.
Rhinoncus id. STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 44. n° 11.
Curculio id. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 406. n° 53.— *Mant.* I. p. 100. n° 39.
HERBST. *Col.* VI. p. 409. n° 390. T. 92. f. 3.
PAYK. *Faun. Suec.* III. p. 258. n° 79.
OLIV. *Enc. méth.* V. p. 482. n° 50.
VILL. *Ent.* IV. p. 285.
LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1744. n° 110.
PANZ. *Ent. Germ.* p. 302. n° 16.
Campylirhynchus id. DEJ. *Cat. Col.* p. 85.
Curculio 4-cornis. PAYK. *Mon. Curc.* p. 71. n° 69.
Curculio ribis. STROEM. *in N. Acta Hafn.* II. p. 58. n° 31.
Patria : Germania, Suecia, Anglia.
* VAR. β. Dimidio minor ; tibiis sæpe in medio infuscatis.
Phytobius tibialis. Nob. olim *in Litteris.*

Patria : Suecia.

* 10. P. QUADRICORNIS.

Niger, subtus albido-squamosus, antennis pedibusque totis testaceis, sutura basi alba, thorace convexiori, 4-tuberculato. — GHL.

Rhynchœnus id. Gyllenh. *Ins. Suec.* III. p. 154. n° 75.

Rhinoncus id. Steph. *Brit. Ent.* IV. p. 43. n° 12.

Curculio 4-tuberculatus, var. Herbst. *Col.* VI. p. 409. n° 390.

Patria : Suecia, Anglia.

Var. β. Femoribus nigricantibus.

Patria : Gallia meridionalis.

* 11. P. Quadrispinosus.

Breviter ovatus, sub-depressus, niger, subtus et lateribus dense, supra parcius cinereo-albido-squamulosus, antennis pedibusque ferrugineis, thorace obsolete canaliculato, tuberculis quatuor acutis armato, elytris punctato-striatis, interstitiis angustis, elevatis, alutaceis ; vertice carinato.

Rhynchœnus id. Dom. Say, *in Journ. Acad. Nat. Sc. Philad.* III. p. 310.

Ceutorhynchus cretura. Say, *Descript. of Curcul. of N. Amer.* p. 20. n° 2. (Vix *Curculio cretura.* Herbst. *Col.* VII. p. 70. T. 100. f. 5. c.)

Patria : America borealis, Mississipi. A Dom. Say benevole communicatus. Mus. Schh.

Phytobio 4-corni simillimus, sed dimidio major, supra densius squamosus ; vertex evidenter carinatus, thorax sub-canaliculatus et sutura non basi alba. Caput rotundatum, confertim punctatum, nigrum, cinereo-squamulosum, fronte foveola rotunda impressa, vertice evidenter carinato ; oculi rotundati, nigri, parum prominuli ; rostrum vix capite longius, validum, arcuatum, apice dilatatum, supra carinatum, punctatum, nigrum. Antennæ mediocres, ferrugineæ, clava fusca. Thorax latitudine baseos multo brevior, anterius angustior, apice sub-truncatus, margine non reflexo, sed tuberculis duobus parvis, acutis, distantibus, armato ; lateribus obliquis, parum ampliatis ; basi bi-sinuatus, elevato-marginatus ; supra parum convexus, inæqualis, in medio obsolete canaliculatus, posterius utrinque versus marginem tuberculo validiore acuto instructus, confertim punctatus, niger, supra parce, lateribus et subtus dense albido-squamulosus. Scutellum minutum, demersum, nigrum. Elytra antice singulatim rotundata, thoracis basi multo latiora, humeris elevatis, obtuse angulatis ; lateribus inflexa, apice singulatim obtuse rotundata, thorace vix triplo longiora, supra parum convexa, punctato-striata, interstitiis elevatis, alutaceis ; nigra, squamositate sat densa cinereo-albida inæqualiter adspersa. Corpus

subtus confertim punctatum, nigrum, dense albido-squamosum. Pedes mediocres, ferruginei, albido-squamulosi, femoribus parum crassis, muticis. — GHL.

12. P. RUFESCENS (1).

Obscure rufo-piceus, subtus cinerascens, thorace carinula dorsali squamis albidis tecta, elytris latis immaculatis, sutura basi albida, antennis pedibusque piceo-rufescentibus. — STEPH.

Rhynchænus id. STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 50. n° 2. — Id. *Catal.* p. 159. n° 1609.

Patria : Anglia.

13. P. QUADRIDENTATUS (1).

Niger, supra cinereo, subtus albido-squamosus, thorace obsolete canaliculato, acute quadri-tuberculato, tibiis rufis. — STEPH.

Pachyrhinus id. STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 51. n° 4. — Id. *Catal.* p. 159. n° 1612.

Patria : Anglia.

GENUS 240. ANOPLUS.

Anoplus SCHUPPEL, GERM. *in Litteris*, DEJEAN, LATR., STEPH., SCHH. (2). — *Rhynchænus* GYLLENH. — *Orchestes* STEV., ZETTERST.

Character generis. — Antennæ mediocres, minus tenues; funiculo 7-articulato : articulo 1° longiusculo, crassiusculo, sub-obconico, reliquis brevibus, sub-perfoliatis, coarctatis, exterioribus successive perparum crassioribus ; clava ovata.

Rostrum longiusculum, validum, teres, parum arcuatum.

Oculi sub-laterales, rotundati, parum convexi.

Thorax sub-transversus, basi bi-sinuatus, lateribus modice rotundatus, anterius valde angustior, apice truncatus, supra convexus.

Elytra ovata, humeris obtuse angulatis; supra convexa.

Tarsi mutici, unguli omnino nulli.

Observ. — Corpus parvum, breviter ovatum, convexum, alatum.

(1) Mihi invisus.

(2) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 244. n° 141. — Latr. Règne Anim. p. 395. — Steph. Brit. Ent. IV. p. 52.

♂♀ 1. A. PLANTARIS.

Ovatus, niger, convexus, antennis basi testaceis, scutello pectorisque lateribus albidis, rostro brevi, crasso. — GHL.

STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 52. n° 1.
DEJ. *Cat. Col.* p. 85.
STURM. *Ins. Cat.* 1826. p. 93.
Rhynchænus id. GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 252. n° 152.
Orchestes id. ZETTERST. *Faun. Ins. Lapp.* I. p. 330. n° 5.
Curculio id. NÆZEN. *in Acta Holm.* 1794. IV. p. 270. n° 5.
Curculio brevis. MARSH. *Ent. Brit.* p. 265. n° 82.
Anoplus nitidulus. STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 53. n° 2. var.
Anoplus atratus. STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 53. n° 3. var.
Patria : Europa septentrionalis et intermedia.

GENUS 241. THAMNOBIUS. *Nobis.*

Character generis. — Antennæ mediocres, subtenues; funiculo 7-articulato : articulis duobus basalibus longiusculis, sub-obconicis, primo multo crassiore, reliquis brevibus, lenticularibus; clava oblongo-ovata.

Rostrum longiusculum, validiusculum, teres modice arcuatum.

Oculi laterales, rotundati, modice convexi.

Thorax basi leviter bi-sinuatus, lateribus parum rotundatus, anterius angustior, apice oblique truncatus, supra convexus.

Elytra ovata, humeris obtuse angulatis; supra convexa.

Femora subtus dentata ; tarsi mediocres, subtus spongiosi, articulo apicali bi-unguiculato.

Descriptio. — *Corpus* breviter ovatum, convexum, hirtum, alatum; minimæ magnitudinis. — *Antennæ* thoracis medium paulo superantes, pone medium rostri insertæ, subtenues, fractæ, pilosæ, 12-articulatæ : articulo 1° oculum attingente, recto, clavato; 2° et 3° longiusculis, sub-obconicis, illo multo crassiore; 4-8 brevibus, lenticularibus, sub-æqualibus; clava oblongo-ovata, 4-articulata, articulis arcte connexis. — *Rostrum* capite duplo longius, validiusculum, teres, modice arcuatum. — *Oculi* laterales, rotundati, nonnihil prominentes. — *Thorax* latitudine postica haud longior, basi leviter bi-sinuatus, lateribus modice rotundatus, anterius manifeste angustior, pone apicem paulo coarctatus, apice oblique truncatus, subtus integer. — *Scutellum* punctiforme, sub-elevatum. — *Elytra* ovata, thoracis basi paulo latiora et illo fere triplo longiora, basi sub-truncata, humeris obtuse angulatis; apice conjunctim rotundata, anum haud exacte obtegentia, supra convexa. — *Pedes* me-

diocres, validiusculi, antici basi approximati; femoribus clavatis, subtus acute dentatis; tibiis teretibus, paulo flexuosis, apice unco minuto instructis; tarsis latiusculis, articulo penultimo bilobo, subtus spongioso, ultimo bi-unguiculato.

TYPUS. — *Thamnobius Eckloni.*

A θάμνος frutex, βίω vivo.

Observ. Habitu et statura generi *Anoplo* fere simile.

Patria : Caffraria.

1. T. ECKLONI. *Schh.*

Ovatus, rufo-testaceus, cinereo-pubescens, rostro modice arcuato, striolato, thorace sat profunde crebre punctato, lateribus albido-squamoso, elytris sat profunde punctato-striatis, regione scutellari fasciaque transversa, media, infuscatis; subtus parce albido-squamosus.

Patria : Caffraria. A Dom. ECKLON et ZEYHER, ad describendum, benevole communicatus.

Magnitudo fere *Anopli plantaris.* Caput parvum, oblongum, rufo-testaceum, crebre punctatum, tenue albido-pubescens, subtus squamosum; oculi laterales, rotundati, nigri, modice prominuli; rostrum longitudine thoracis, crassiusculum, teres, modice arcuatum, rufo-testaceum, tenue albido-pubescens, longitudinaliter striolatum; ore nigro. Antennæ pone medium rostri sitæ, subtenues, rufo-testaceæ, cinereo-pubescentes, clava oblongo-ovata, dilutiore. Thorax latitudine baseos nonnihil brevior, apice oblique truncatus, mox intra apicem obsolete constrictus, lateribus modice rotundatus, postice leviter bi-sinuatus, supra modice convexus; totus rufo-testaceus, crebre sat profunde punctatus, pube cinereo-albida parce adspersus, lateribus et subtus sat dense albido-squamosus. Scutellum punctiforme, sub-elevatum, dense albido-squamosum. Elytra thoracis basi paulo latiora, antice sub-truncata, humeris parum prominulis, obtuse angulatis; pone medium apicem versus angustata, apice ipso conjunctim rotundata, thorace vix triplo longiora, supra convexa, postice declivia, sat profunde punctato-striata, interstitiis sub-convexis, lævibus; rufo-testacea, regione scutellari fasciaque in medio, transversa, communi, utrinque in medio disci extensa, nigris; pube sat densa, depressa, cinerea, adspersa. Corpus subtus piceum, nitidum, ano dilutiore; totum subtiliter minus crebre punctulatum, squamulis albidis in pectore dense in ventre parce adspersum. Pedes mediocres, validi,

toti rufo-testacei, pube albida adspersi; femoribus clavatis, subtus dente acuto armatis; tibiis basi tenuioribus, arcuatis, apice uncinatis; tarsis modice dilatatis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

In memoriam Celeberrimi detectoris *Ecklon.*

2. T. ZEYHERI. *Schh.*

Ovatus, coracinus, sub-nitidus, pube cinereo-albida adspersus, tibiis tarsisque ferrugineis, rostro tenuiore, confertim punctulato, thorace profunde sub-remote punctato, scutello albido-squamoso, elytris profunde punctato-striatis.

Patria: Caffraria. A Dom. ECKLON et ZEYHER, ad describendum, communicatus.

Magnitudo et fere statura *Thamnobii Eckloni*, aliter coloratus, rostro tenuiore, confertim punctulato, thorace minus crebre profundius punctato. Caput parvum, oblongum, supra modice convexum, nigro-cyaneum, sat crebre punctatum, pube albida tenuissime adspersum; oculi laterales, rotundati, prominuli, nigri; rostrum capite duplo longius, subtenue, teres, arcuatum, nigrum, sub-nitidum, subtiliter confertim basi evidenter punctulatum, pube cinerea parce adspersum. Antennæ pone medium rostri insertæ, subtenues, nigræ, cinereo-pubescentes, clava oblongo-ovata, parum acuminata. Thorax latitudine postica haud longior, apice oblique truncatus, mox intra apicem evidenter constrictus et transversim impressus, tum lateribus modice rotundatus, basi leviter bi-sinuatus, supra modice convexus, coracinus vel nigro-cyaneus, sub-nitidus, profunde sub-remote punctatus, pube cinereo-albida basi ante scutellum densiore adspersus. Scutellum punctiforme, sub-elevatum, albido-squamosum. Elytra antice sub-sinuata, thoracis basi paulo latiora, et illo fere triplo longiora, humeris parum prominulis, obtuse angulatis; pone medium apicem versus angustata, apice ipso conjunctim rotundata, supra modice convexa, postice declivia, sat profunde punctato-striata, interstitiis sub-convexis, lævibus; tota coracina vel nigro-cyanea, nitida, pube cinereo-albida adspersa. Corpus subtus nigro-cyaneum, sub-nitidum, subtiliter punctulatum, pube cinereo-albida adspersum. Pedes mediocres, validi, pube cinereo-albida obsiti; femoribus clavatis, nigro-cyaneis, subtus dente acuto armatis; tibiis teretibus, basi tenuioribus, arcuatis, apice uncinatis, obscure ferrugineis; tarsis dilutius ferrugineis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

In memoriam Celeberrimi detectoris *Zeyher.*

GENUS 242. STENOPELMUS. *Nobis.*

Character generis. — Antennæ breviusculæ, subtenues; funiculo 7-articulato; articulo basi longiusculo, sub-obconico, reliquis brevibus, sub-perfoliatis, coarctatis; clava ovata.

Rostrum breviusculum, validum, teres, parum arcuatum.

Oculi rotundati, modice convexi.

Thorax sub-conicus, basi bi-sinuatus, apice oblique truncatus.

Elytra breviter ovata, humeris obtuse angulatis; supra convexa, versus apicem subito parum attenuata.

Tarsi angustati, articulo apicali sub-obconico, bi-unguiculato.

Descriptio. — *Corpus* breviter ovatum, convexum, squamulosum, alatum; minutissimæ magnitudinis. — *Antennæ* rostri capitisque longitudine, in medio rostri insertæ, subtenues, fractæ, 12-articulatæ: scapo oculos superante, clavato; articulo 1° funiculi longiusculo, crassiusculo, sub-obconico, reliquis brevioribus, sub-perfoliatis, coarctatis, exterioribus gradatim perparum latioribus; clava ovata, sub-acuminata, 4-articulata, articulis ægre discernendis. — *Rostrum* longitudine capitis, validum, teres, deflexum, parum curvatum; scrobes curvatæ, a medio ad basin inferam rostri flexæ. — *Oculi* laterales, rotundati, modice convexi. — *Thorax* latitudine fere longior, sub-conicus, basi leviter bi-sinuatus, lateribus subrectus, apice oblique truncatus, infra pone gulam emarginatus. — *Scutellum* rotundatum, tuberculiforme, distinctum. — *Elytra* thoracis basi dimidio latiora et illo quadruplo longiora, breviter ovata, basi singulatim paulo rotundata, humeris obtuse angulatis, sub-elevatis; supra convexa, versus apicem subito sub-attenuata, conjunctim sub-rotundata, anum obtegentia. — *Pedes* breviusculi, validi, antici basi approximati; femoribus in medio incrassatis, muticis; tibiis teretibus, rectis, in apice unguiculo minutissimo intus instructis; tarsorum articulis omnibus angustatis, ultimo sub-obconico, bi-unguiculato.

TYPUS. — *Stenopelmus rufinasus.*

A στενὸς angustus, πέλμα planta pedis.

Observ. Habitu et statura fere generi *Anoplo* simile, differt vero forma thoracis tarsorumque, etc.

1. S. RUFINASUS.

Niger, undique sat dense albido-squamulosus, rostri apice, antennis, genibus tibiisque rufo-ferrugineis, thorace confertim punctulato, leviter carinato, elytris amplis, distincte punctato-striatis, interstitiis sub-planis, alutaceis.

Curculio id. Dom. SAY *in Litteris.*

Patria: America borealis, Florida. A Dom. SAY benevole communicatus.

Minutus; *Anoplo plantari* parum major et facie subsimilis. Caput sub-convexum, confertim punctulatum, nigrum, parce squamulo sum; oculi rotundati, brunnei, modice prominuli; rostrum capite parum longius nec angustius, valde crassum, teres, basi punctulatum, nigrum, ante attennarum insertionem læve, rufum, nitidum. Antennæ breviusculæ, rufo-ferrugineæ. Thorax parvus, latitudine baseos fere longior, anterius paulo angustior, apice oblique truncatus, intra apicem obsolete transversim impressus, lateribus nonnihil obliquis, fere rectis; basi bi-sinuatus, supra modice convexus, in medio leviter carinatus, undique confertim punctulatus, niger, squamositate albida sat dense vestitus. Scutellum parvum, tuberculiforme, dense albo-squamulosum. Elytra ampla, antice singulatim sub-rotundata, thoracis basi fere dimidio latiora, humeris obtuse angulatis, elevato-callosis; lateribus vix ampliata, postice subito angustiora, apice conjunctim acute rotundata, thorace fere quadruplo longiora, supra modice convexa, distincte punctato-striata, interstitiis fere planis, subtiliter alutaceis; nigra, squamositate albida sat dense vestita. Corpus subtus punctulatum, nigrum, dense albido-squamulosum. Pedes breviusculi, validi; femoribus medio crassioribus, nigris, muticis, apice rufis; tibiis rectis, rufis; tarsis elongatis, angustis, nigro-fuscis, subtus albo-pubescentibus.

GYL.

GENUS 243. ENDÆUS. *Nobis* (1).

Character generis. — Antennæ breviusculæ, minus tenues; funiculo 7-articulato; articulo 1° brevissimo, ob-conico, crassiusculo; 2° elongato, angustiore, etiam ob-conico; reliquis brevioribus, apice truncatis, coarctatis, gradatim latioribus, ultimo clavæ arcte adpresso; clava breviter ovata.

Rostrum parum elongatum, validum, lineare, arcuatum, supra sub-planum.

(1) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 250. n° 140.

Thorax sub-rotundatus, basi apiceque truncatus, lateribus subæqualiter valde rotundato-ampliatus, anterius sub-angustior.

Elytra oblongo-subquadrata, antice conjunctim leviter emarginata, humeris sub-rotundatis; apice obtuse rotundata, supra parum convexa.

Observ.—Corpus minoris magnitudinis, latiusculum, minus convexum, pubescens, alatum.

♂♀ 1. E. CASTUS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, rufo-testaceus, pallide pubescens, oculis nigris, thorace sub-rotundato, rugoso-punctulato, elytris regulariter punctato-striatis, femoribus incrassatis, subtus valide dentatis.

Habitat in Sierra Leona. Dom. AFZELIUS. Mus. SCHH.

Orcheste viminali paulo major et angustior. Caput oblongum, rufo-testaceum, subtiliter punctulatum, fronte inter oculos longitudinaliter impressa; oculi rotundati parum prominuli, nigri; rostrum in femina capite fere duplo longius, in masculis paulo brevius, crassiusculum, lineare, parum arcuatum, rufo-testaceum, profunde striolato-rugosum. Antennæ in medio rostri insertæ, sub-tenues, rufo-testaceæ, clava parva, breviter ovata, cinereo-pubescente. Thorax sub-rotundatus, latitudine media multo brevior, anterius nonnihil angustatus, lateribus æqualiter valde rotundato-ampliatus, antice posticeque sub-truncatus, angulis baseos rotundatis, supra parum convexus, rufo-testaceus, confertim rugoso-punctatus, pube depressa, cinereo-albida, adspersus. Scutellum minutum, apice rotundatum, rufo-testaceum. Elytra oblongo-ovata, basi conjunctim introrsum leviter emarginata, thoracis basi dimidio latiora, humeris rotundatis, lateribus inflexa, thorace triplo longiora, apice obtuse rotundata, supra parum convexa, rufo-testacea, regulariter sat profunde punctato-striata, interstitiis planis, pube tenui depressa, pallida, adspersa. Corpus subtus rufo-testaceum, pectore fortius, ventre subtilius punctulatis. Pedes breviusculi, robusti, rufo-testacei, pallido-pubescentes; femoribus omnibus incrassatis, subtus in medio dente valido, acuto, armatis; tibiis crassiusculis, compressis, rectis; tarsis subtus fulvo-spongiosis.

BHN.

GENUS 244. PIAZORHINUS. *Nobis.*

Character generis. — Antennæ breviusculæ, subtenues, parum fractæ; funiculo 7-articulato; articulo 1° sub-quadrato, crasso, 2° angustiore, sub-obconico, reliquis brevibus, apice truncatis, coarctatis; clava ovalis.

Rostrum breviusculum, crassiusculum, versus apicem sensim paulo ampliatum, supra deplanatum.

Thorax sub-conicus, basi leviter bi-sinuatus, apice truncatus.

Elytra breviter sub-ovata, basi conjunctim leviter emarginata, humeris sub-angulatis; apice conjunctim rotundata.

Descriptio. — *Corpus* breviter ovatum, sculpturatum, parce pilosum, alatum; minimæ magnitudinis. — *Antennæ* rostro capiteque haud longiores, in medio rostri insertæ, subtenues, minus fractæ, 12-articulatæ; scapo oculos attingente, basi tenui, apice valde clavato, arcuato; articulo 1° funiculi sub-quadrato, crasso; 2° angustiori, brevissime obconico; 3-7 brevioribus, lenticularibus, coarctatis, exterioribus gradatim perparum latioribus; clava sub-ovalis, acuminata, 4-articulata, articulis arcte connexis. — *Rostrum* longitudine capitis, crassiusculum, deflexum, fere rectum, latiusculum, versus apicem sensim paulo ampliatum, supra deplanatum; scrobe curvata, in medio incipiente, sensim subtus flexa. — *Oculi* laterales, rotundati, modice convexi. — *Thorax* latitudine postica vix longior, basi leviter bi-sinuatus, lateribus aliquantum rotundatus, anterius angustior, apice truncatus, supra convexus. — *Scutellum* distinctum, elongatum, sub-elevatum. — *Elytra* thoracis fere duplo latiora, et latitudine duplo longiora, breviter sub-ovata, basi conjunctim leviter emarginata; angulis humeralibus obtusis, sub-elevatis; apice conjunctim obtuse rotundata, anum obtegentia, supra modice convexa. — *Pedes* breviusculi, validi, longitudine sub-æquales; femoribus anticis basi approximatis, in medio incrassatis; tibiis teretibus, rectis, in apice unguiculo minutissimo perpendiculari instructis; tarsis mediocribus, subtus minus spongiosis; articulo penultimo latiore, bilobo, ultimo bi-unguiculato.

TYPUS. — *Piazorhinus scutellaris.*

A πιάζω premo, ῥὶν nasus.

Observ. — Quoad habitum primo intuitu generi *Rhynchiti* subsimile, sed, præter alias discrepantias, in hoc genere antennæ fractæ, aliter constructæ, etc.

* 1. P. SCUTELLARIS.

Niger, sub-nitidus, parce inæqualiter albido-squamulosus, antennis tarsisque pallide testaceis, thorace confertim punctato, elytris punctato-sulcatis, interstitiis transversim rugulosis.

Momonus id. SAY, *in Journ. Acad. Nat. Sc. Philad.*

Patria: America borealis. A Dom. SAY benevole communicatus. Mus. SCHH.

Minutus; *Orchesti rusci* æqualis et statura subsimilis. Caput oblongum, fere planum, punctatum, nigrum; oculi rotundati brunnei, modice prominuli; rostrum vix capite longius, validum, basi capite angustius, versus apicem sensim ampliatum, supra planum, punctatum, nigrum. Antennæ breves, totæ testaceæ. Thorax latitudine baseos vix longior, anterius angustior, apice truncatus, lateribus obliquis, posterius nonnihil ampliatis; basi leviter sinuatus, supra convexus, pulvinatus, confertim punctatus, niger, parce albido-squamulosus, in medio baseos foveola rotunda impressus. Scutellum oblongum, elevatum, dense albo-squamulosum. Elytra thoracis basi multo latiora, humeris obtuse angulatis; lateribus nonnihil ampliata, apice conjunctim obtuse rotundata, thorace plus duplo longiora, supra convexa, sat profunde sulcata, sulcis punctatis, interstitiis sub-convexis, transversim rugulosis; nigra, sub-nitida, squamulis albidis, plagiatim condensatis, adspersa. Corpus subtus punctatum, nigrum, inæqualiter albido-squamulosum. Pedes breviusculi, nigri; tarsis pallide testaceis.
GHL.

GENUS 245. STERNECHUS. *Nobis* (1).

Orobitis GERM. — *Brachysoma* DEJEAN.

Character generis. — Antennæ breviusculæ, validæ; funiculo 7-articulato: articulis duobus basalibus longiusculis, sub-obconicis, primo longiore; reliquis brevibus, apice truncatis, coarctatis, successive valde latioribus, ultimo clavæ arcte adnexo; clava sub-ovata, acuminata.

Rostrum thorace haud longius, crassiusculum, cylindricum, subrectum.

Oculi sub-connexi, ovati, transverse positi, depressi.

Thorax basi leviter bi-sinuatus, antice subito angustior, coarctatus, in medio apicis paulo productus.

---

(1) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 251. n° 146.

Elytra sub-ovata, pone humerum inferne producta, angulato-dentata.

Pedes robusti; tibiæ angulatæ, sub-compressæ, intus in medio denticulo acute armatæ.

Observ. — Corpus sub-ovatum, convexum, parce squamosum; majusculæ magnitudinis. — Solummodo in *Sternecho trachyptomo* sternum porrectum.

Patria : Brasilia, Cayenna.

* 1. S. TRACHYPTOMUS.

Nigro-piceus, opacus, thorace disperse, inæqualiter punctato, elytris anterius seriatim remote tuberculatis, versus apicem pari modo punctatis, lateribus pone humerum bidentatis, sterno breviter porrecto. — GHL.

Orobitis id. GERM. *Ins. Spec.* I. p. 247. 376.

* VAR. β. Fere duplo minor, antennis inferne dilutius testaceis, elytro singulo plaga marginali rufescente, sub-trigona, pone humerum notato. — GHL.

Patria : Brasilia.

* 2. S. HAMATUS. *Schh.*

Sub-ovatus, nigro-piceus, thorace minus remote vage punctato, lateribus tuberculato-rugoso, elytris striato-punctatis, valide tuberculatis, margine laterali baseos dilatatis, uni-spinosis, apice obtuse mucronatis, tibiis anticis arcuatis, intus crenulatis.

Habitat in Brasilia. A Dom. Com. MANNERHEIM amice donatus. Mus. SCHH.

Sternecho trachyptomo paulo major. Caput rotundatum, nigro-piceum, profunde sed minus crebre punctatum, fronte inter oculos longitudinaliter impressa; oculi oblongi, transversi, nigri; rostrum thorace brevius, crassiusculum, sub-teres, rectum, nigro-piceum, remote punctatum. Antennæ pone medium rostri insertæ, crassiusculæ, nigro-piceæ, cinereo-pubescentes, clava oblongo-ovata, acuminata. Thorax latitudine media multo brevior, anterius angustior, sub-coarctatus, apice truncatus, lateribus rotundato-ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, marginatus, supra parum convexus, nigro-piceus, dorso minus crebre sed satis profunde punctatus, versus latera tuberculato-rugosus, setulis depressis pallidis temere adspersus. Scutellum ovatum, nigro-piceum, remote punctulatum. Elytra basi sub-truncata, antice thoracis medio paulo

latiora et illo triplo longiora, humeris obtusis, rotundatis; infra humerum lateribus dilatata, acute valide uni-dentata, apicem versus sensim angustata, apice ipso dehiscentia, singulatim mucrone parvo, instructa, supra convexa, nigro-picea, setulis raris pallidis adspersa, striatim punctata; singulo elytro ad basin intra humerum et suturam tuberculis duobus, parum elevatis, in medio dorsi inter striam a sutura primam tertiamque etiam tuberculis duobus magis elevatis, atque intra apicem inter striam a sutura quartam quintamque tuberculo valido, acuto. Corpus subtus nigrum, obscurum, remote punctulatum, setulis pallidis depressis, parce adpersum. Pedes validi, punctati, nigro-picei, setulis pallidis adspersi; femoribus modice incrassatis, anticis pone medium subtus dente parvo, acuto, instructis; tibiis sub-compressis, intus denticulatis, anticis arcuatis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

* 3. S. TUBERCULATUS.

Sub-ovatus, piceus, rostro brevi, crasso, thorace minus profunde crebre rugoso-punctato, lateribus bi-tuberculato, elytris convexis, postice uni-tuberculatis, rude punctato-striatis, interstitiis sub-costatis, margine laterali baseos dilatatis, uni-spinosis, apice obtuse rotundatis, femoribus muticis.

Brachysoma tuberculata. DEJ. *Cat. Col.* p. 96.

Habitat in Cayenna. A Dom. DUPONT benevole communicatus. Mus. SCHH.

Statura fere *Sternechi trachyptomi*, sed duplo major, magis convexus; rostro lato, crasso, thorace lateribus tuberculato, elytris profunde rude punctato-striatis, etc., ab illo abunde distinctus. Caput crassum, rotundatum, nigro-piceum, crebre sed parum profunde rugoso-punctatum, inter oculos longitudinaliter impressum, squamulis pallidis adspersum; oculi laterales, ovati, depressi, brunnei; rostrum longitudine capitis, crassum, latum, inflexum, nigro-piceum, rugoso-punctatum, longitudinaliter canaliculatum, et in canalicula obsolete carinatum. Antennæ in medio rostri insertæ, vix longitudine capitis cum rostro, nigro-piceæ, clava oblongo-ovata, acuminata, fusco-pubescente. Thorax latitudine baseos multo brevior, anterius angustatus, sub-coarctatus, apice truncatus, lateribus modice rotundato-ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra parum convexus, nigro-piceus, dorso minus crebre sed ad latera profunde confertim rugoso-punctatus, lateribus tuberculis duobus instructis, setulis pallidis parce adspersus. Scutel-

lum rotundatum, nigro-piceum. Elytra ampla, basi sub-truncata, antice thoracis medio multo latiora et illo plus triplo longiora, humeris prominulis, obtuse rotundatis; infra humerum lateribus dilatata, acute valide uni-dentata, apicem versus sensim angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra valde convexa, postice declivia, nigro-picea, rude profunde punctato-striata, interstitiis angustis, sub-costatis, transversim rugulosis, postice tuberculo sat valido, instructa. Corpus subtus nigrum, obsolete punctulatum. Pedes validi, rude punctati, nigro-picei, setulis pallidis adspersi; femoribus modice incrassatis, omnibus muticis; tibiis sub-compressis, intus denticulatis, anticis arcuatis; tarsis dilatatis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

4. S. RUSSATUS. *Chevrolat.*

Sub-ovatus, convexus, niger, pube depressa fulvescenti dense adspersus, antennis ferrugineis, rostro brevi, crasso, medio impresso, thorace crebre rugoso-punctato, lateribus valde rotundato-ampliato, elytris profunde punctato-striatis, interstitiis granulatis, margine laterali baseos dilatatis, uni-spinosis, apice obtuse rotundatis, dorso squamulis albidis variegatis; femoribus denticulatis.

Habitat in Brasilia. Mus. Dom. CHEVROLAT.

Sternecho tuberculato magnitudo æqualis. Caput crassum, rotundatum, nigrum, sat profunde sed minus crebre rugoso-punctatum, setulis fulvescentibus adspersum; fronte striata, infra oculos impressa; oculi magni, in fronte sub-approximati, ovati, transversi, modice prominuli, nigri; rostrum longitudine capitis, crassum, deflexum, rectum, nigrum, nitidum, minus crebre punctulatum, supra in medio longitudinaliter late, sed parum profunde impressum. Antennæ in medio rostri sitæ, longitudine thoracis, crassiusculæ, ferrugineæ, parce pallido-pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, fusco-pubescente. Thorax latitudine media multo brevior, apice truncatus, mox pone apicem coarctatus, tum lateribus valde rotundato-ampliatus, postice leviter bi-sinuatus, supra modice convexus, niger, sat crebre rugoso-punctatus, undique setulis crassis, depressis, fulvescentibus, sat dense adspersus. Scutellum parvum, triangulare, sub-elevatum, nigro-piceum, punctulatum. Elytra ampla, basi truncata, antice thorace latiora et illo plus triplo longiora, humeris prominulis, oblique angulatis, infra humerum lateribus dilatata, valide uni-dentata, apicem versus sensim angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra valde convexa, postice declivia, ante apicem callo vel gib-

bere obtuso notata, nigra, profunde punctato-striata, interstitiis sub-convexis, granulatis et transversim rugulosis; tota squamulis piliformibus fulvescentibus, sat dense vestita, dorso squamulis albidis maculatim condensatis, variegata. Corpus subtus nigrum, punctatum, squamulis piliformibus fulvescentibus obsitum. Pedes validi, punctati, nigri, pube fulvescenti obsiti; femoribus modice incrassatis, omnibus subtus pone medium dente parvo, acuto, instructis; tibiis sub-compressis, medio intus ampliatis, apice uncinatis; tarsis dilatatis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

5. S. SUBSIGNATUS. *Schh.*

Sub-ovatus, convexus, niger, sub-nitidus, pube silacea adspersus, rostro brevi, crasso, confertim punctato, apicem versus leviter impresso, thorace sub-triangulari, subtiliter punctulato, silaceo quadri-lineato, elytris sat profunde striato-punctatis, interstitiis punctulatis, margine laterali baseos dilatatis, uni-spinosis, silaceo subfasciatis, femoribus anterioribus obsolete dentatis.

Habitat in America meridionali. Mus. Imp. Russ.

Habitu et magnitudine *Tylomo gonoptero* subsimilis. Caput crassum, rotundatum, nigrum, crebre subtiliter punctulatum, pube silacea parce obsitum, inter oculos leviter impressum; oculi laterales, ovati, modice prominuli, nigri; rostrum longitudine fere capitis, deflexum, crassum, teres, rectum, nigrum, crebre punctulatum, apicem versus leviter impressum, basi squamulis dilute silaceis adspersum. Antennæ in medio rostri insertæ, ad dimidium thoracis pertingentes, crassiusculæ, nigro-piceæ, parce pilosæ, clava sub-ovata, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos multo brevior, sub-triangularis, apice truncatus, a basi apicem versus sensim angustatus, postice leviter bi-sinuatus, supra parum convexus, niger, sub-nitidus, subtiliter minus crebre punctulatus, squamulis silaceis temere adspersus, utrinque lineis duabus, dense silaceo-squamosis, ornatus, una dorsali, sub-impressa, altera laterali. Scutellum parvum, ovatum, nigrum, subtiliter punctulatum. Elytra sub-ovata, basi fere truncata, antice thoracis basi latiora, quam lata dimidio longiora, humeris parum prominulis, obtuse rotundatis; infra humerum lateribus dilatata, valide et acute uni-dentata, apicem versus sensim angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra valde convexa, ante apicem vix callosa, nigra, sub-nitida, sat profunde striato-punctata, interstitiis subtiliter punctulatis, squamulis piliformibus silaceis parce adspersa, hinc inde in fasciis transversis, obsoletis, magis

condensatis. Corpus subtus nigrum, nitidum, subtiliter punctulatum, pube silacea parce obsitum. Pedes validi, nigri, pube pallida adspersi; femoribus modice incrassatis, anterioribus subtus obsoletissime obtuse dentatis; tibiis sub-compressis, rectis, apice uncinatis; tarsis modice dilatatis, subtus fulvo-spongiosis.—BHN.

6. S. UNCIPENNIS (1).

Femoribus muticis, ovatus, fusco-niger, fulvo-setosus, elytris striato-punctatis, uncinatis, apice muricatis. — GERM.

Liparus id. GERM. *Ins. Sp.* I. p. 310. nº 448.

Patria : Brasilia.

GENUS 246. TYLOMUS. *Nobis* (2).

Orobitis GERM.

Character generis. — Antennæ mediocres, subtenues; funiculo 7-articulato : articulis duobus basalibus longiusculis, obconicis; 3-7 brevibus, lenticularibus, exterioribus gradatim nonnihil crassioribus; clava ovalis.

Rostrum longiusculum, validum, cylindricum, deflexum, rectum.

Oculi sub-approximati, ovati, sub-transverse positi, depressi.

Thorax basi leviter bi-sinuatus, lateribus rotundatus, antrorsum valde attenuatus, sub-tubulatus.

Elytra sub-ovata, convexa, in margine pone humerum angulo sub-spinoso instructa, deinde sensim attenuata.

Pedes validi; tibiæ teretes, lineares, rectæ.

Observ. — Corpus ovale, breviusculum, convexum, sub-pubescens; mediocris magnitudinis. Habitus et statura *Sternechi* generis est, sed antennarum tibiarumque forma valde diversa.

1. T. SAHLBERGI. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, squamulis cervinis sat dense adspersus, rostro basi rugoso-punctato, thorace remote profunde sine ordine punctato, elytris punctato-striatis, singulo elytro plaga magna a basi ad callum apicalem extensa, inæqualiter dentata, dense niveo-squamosa; femoribus tibiisque dentatis.

Patria : . . . Ex Musæo Acad. Imp. Alexandrin. a Dom. SAHLBERG, ad describendum, communicatus.

Longitudo *Amerhini Dufresnii*, sed dimidio latior, magis convexus. Caput mediocre, rotundatum, convexum, nigrum, remote rugoso-punctatum, squamulis piliformibus cervinis sat dense obsi-

(1) Forte hujus generis; mihi invisus.

(2) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 253. nº 147.

tum, inter oculos foveola parum profunda insculptum; oculi laterales, ovati, transversi, parum prominuli, obscure brunnei; rostrum capite parum longius eodemque dimidio angustius, crassiusculum, subrectum, supra fere planum, apicem versus nonnihil angustatum, basi evidenter rugoso-punctatum, nigrum, squamulis cervinis adspersum, dein apicem versus subtiliter punctatum, ferrugineum, denudatum. Antennæ crassiusculæ, obscure ferrugineæ, parce cervino-pubescentes, clava ovata, valde acuta, dense pubescente. Thorax latitudine baseos nonnihil brevior, apice truncatus, mox intra apicem valde coarctatus, tum lateribus rotundato-ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra parum convexus, valde remote sat profunde sine ordine punctatus, niger, squamulis piliformibus cervinis adspersus, in linea angusta dorsali et alia utrinque laterali latiore magis condensatis. Scutellum parvum, sub-rotundatum, elevatum, nigrum, cervino-squamosum. Elytra oblongo-ovata, basi vix rotundato-producta, thorace dimidio latiora et illo triplo longiora, humeris prominulis, elevatis, obtuse rotundatis: infra humerum lateribus nonnihil dilatata, dente parvo armata, tum apicem versus perparum angustata, apice ipso conjunctim rotundata, supra valde convexa, postice declivia, ante apicem callo valido obtuso instructa, sat profunde punctato-striata, punctis crebris, oblongis, transversis, interstitiis lævibus, basi obsolete transversim rugulosis; tota nigra, squamulis cervinis adspersa, plaga utrinque lata a basi usque ad callum apicalem extensa, irregulariter excisa et dentata, anterius attenuata, dense niveo-squamosa, ornata. Corpus subtus nigrum, sub-remote punctatum, punctis squamulis cervinis repletis; ventre medio parcius et subtilius, punctulato, squamulis pallidioribus adsperso. Pedes longiusculi, validi, picei, remote punctulati, squamulis cervinis adspersi; femoribus parum clavatis, subtus dente parvo, acuto, armatis; tibiis compressis, anterioribus basi nonnihil arcuatis, omnibus apicem propius dente acuto instructis; tarsis dilatatis, subtus fulvo-spongiosis, articulo ultimo ferrugineo.—BHN.

Dom. C. R. SAHLBERG, Professor, Eques Ordinis St. Wladimiri 4[tæ] classis. Species novas familiam Curculionidum spectantes ex Musæo Acad. Imp. Alexandrin. ad describendum nobis benevole communicare ei placuit, quare animalculum hocce amœnum indicium gratiæ nostræ nominare voluimus.—SCHH. et BHN.

* 2. T. GONOPTERUS.

Ellipticus, castaneus, nitidus, pallido-pubescens, flavescenti-pollinosus; thorace confertim punctulato, elytris profunde, remote striatim punctatis, margine laterali pone humerum angulatim producto.—GHL.

Orobitis id. GERM. *Ins. Sp.* I. p. 246. nº 375.

Brachysoma pulverulenta. Dom. Com. DEJEAN *in Litteris.* Teste Dom. CHEVROLAT.

VAR. β. Colore elytrorum dilutiore, sub-testaceo.

Patria : Brasilia.

GENUS 247. OMOPHORUS. *Nobis.*

Character generis.—Antennæ breviusculæ, validæ; funiculo 7-articulato : articulis duobus basalibus longiusculis, sub-obconicis ; reliquis brevibus, perfoliatis, coarctatis, gradatim latioribus, ultimo clavæ arcte adpresso ; clava oblongo-ovata, sub-spongiosa.

Rostrum capite dimidio longius, validum, teres, rectum.

Oculi laterales, ovati, parum convexi.

Thorax transversus, breviter conicus, basi bi-sinuatus, apice truncatus.

Elytra ampla, breviter ovata, convexa, humeris obtuse angulatis, alte elevatis.

Descriptio.—Corpus breve, oblongo-subquadratum, convexum, sculpturatum, parce pubescens, alatum.—*Antennæ* thoracis medium non superantes, in medio rostri insertæ, validæ, fractæ, 12-articulatæ : articulo 1º oculos attingente, clavato ; 2º et 3º sub-obconicis ; 4-8 brevioribus, perfoliatis valde coarctatis, extrorsum successive crassioribus, ultimo clavæ arcte adpresso; clava oblongo-ovata, acuminata, sub-spongiosa, articulis ægre discernendis. — *Rostrum* longitudine thoracis, validum, teres, rectum, deflexum; scrobe in medio incipiente, lineari, obliqua, pone canthum inferum oculi excurrente.—*Oculi* laterales, ovati, perparum convexi. —*Thorax* latitudine postica brevior, basi bi-sinuatus, lateribus obliquis, antice duplo angustior basi, sub-conicus, apice truncatus. —*Scutellum* majusculum, oblongo-trigonum, apice rotundatum. —*Elytra* ampla, breviter ovata, basi thoracis parte postica fere duplo latiora, et illo triplo longiora, singulatim sinuata, humeris obtuse angulatis, alte elevatis ; lateribus versus apicem sensim angustata, apice conjunctim rotundata, anum occultantia, supra convexa, versus apicem callosa. — *Pedes* validi, sub-æquales, antici basi approximati ; femoribus clavatis, muticis; tibiis teretibus, rectis, apice sub-truncatis, muticis; tarsis latis, subtus spongiosis, articulo ultimo clavato, bi-unguiculato.

TYPUS. — *Omophorus stomachosus.*

Ab ὠμοφόρος, humeros gestans.

1. O. STOMACHOSUS. *Schh.*

Breviter ovatus, pube grisea et polline flavescente parce adspersus, antennis pedibusque obscure ferrugineis, rostro basi sulcato, thorace inæquali, subtiliter sat crebre punctulato, elytris profunde punctato-striatis, striis ad basin profunde insculptis, interstitiis sat crebre rugoso-punctatis.

Patria : Caffraria. A Dom. ECKLON et ZEYHER, ad describendum, amice communicatus.

Statura fere *Cioni* et *Ciono scrophulariæ* quadruplo major. Caput mediocre, oblongum, supra parum convexum, inter oculos transversim impressum, undique subtiliter confertim punctulatum, pube depressa, grisea dense obsitum; fronte canalicula tenui insculpta; oculi laterales, transversi, ovati, parum prominuli, nigri; rostrum capite vix dimidio longius, eodemque paulo angustius, validum, teres, rectum, basi evidenter sat crebre punctulatum, late sulcatum et in sulco tenuiter canaliculatum, apicem versus sublæve; totum nigrum, parce cinereo-pubescens, apice ipso piceo. Antennæ breviusculæ, validæ, ferrugineæ, parce pilosæ, clava sat magna, oblongo-ovata, dense cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos multo brevior, a basi apicem versus angustatus, apice truncatus, longe intra apicem constrictus et impressus, basi bisinuatus, lobo ante-scutellari leviter emarginato; supra modice convexus, valde inæqualis, utrinque in dorso antico gibbo modice elevato instructus, subtiliter sat crebre punctulatus, canalicula longitudinali in medio dorsi valde abbreviata insculptus; totus niger, pube depressa, cinerea et polline flavescente adspersus. Scutellum magnum, oblongo-trigonum, apice rotundatum, nigrum, subtiliter crebre punctulatum, pube cinerea adspersum. Elytra ampla, breviter ovata, antice singulatim sinuata, sub-retusa, thoracis basi arcte applicata, ibique illi duplo latiora, quam lata paulo longiora, humeris alte elevatis, obtuse angulatis; lateribus parum angustata, apice ipso conjunctim rotundata, supra convexa, pone scutellum in tuberculum transversum, modice elevatum, compressa, ante apicem callo obtuso instructa, sat profunde punctato-striata, punctis sub-approximatis, hinc inde confluentibus; in ipsa basi profunde sulcata, interstitiis planis, basi carinatis, undique sat crebre rugoso-punctatis; tota picea, pube grisea et polline flavescente parce adspersa. Corpus subtus nigrum, subtiliter punctulatum, pube depressa grisea dense, polline flavescente parce obsitum. Pedes validi, obscure ferruginei, punctulati, pube grisea sat dense obsiti; femo-

ribus modice clavatis, muticis; tibiis teretibus rectis, apice subtruncatis, muticis; tarsis dilatatis, subtus griseo-spongiosis.—BHN.

GENUS 248. RHINARIA. *Kirby* (1).

Character generis. — Antennæ longiusculæ, subtenues, prope basin rostri insertæ; scapo breviusculo, clavato; funiculo 7-articulato: articulis sub-obconicis, sub-æqualibus; clava oblonga, sub-ovata.

Rostrum longiusculum, validum, sub-teres, deflexum.

Oculi laterales, sub-rotundati, convexi.

Thorax basi truncatus, lateribus rotundato-ampliatus, anterius angustior, apice in medio productus.

Elytra oblongo-ovata, supra convexa, humeris obtuse angulatis, lateraliter extensis. *Descriptio.* — *Corpus* oblongo-ovatum, convexum, sculpturatum, granulatum, parce squamulosum, alatum; majusculæ magnitudinis. — *Antennæ* thoracis basin attingentes, prope basin rostri insertæ, subtenues, fractæ, 12-articulatæ; scapo berviusculo, oculos attingente, clavato; articulis funiculi longiusculis, primo paulo longiore, sub-clavato, sequentibus sub-obconicis, sub-æqualibus; clava oblonga, sub-ovata, acuminata, 4-articulata, articulis distinctis. — *Caput* convexum, in fronte inter oculos bi-cristatum. — *Rostrum* capite paulo longius, deflexum, validum, sub-teres, in basi parum arcuatum; scrobe lineari, brevi, profunda, ante medium rostri incipiente, subito flexa, sub-angulata, deinde transversa. — *Oculi* laterales, breviter ovati, modice convexi.—*Thorax* latitudine vix brevior, basi sub-truncatus, lateribus modice rotundato-ampliatus, anterius angustior, antice in medio modice rotundato-productus, infra pone gulam emarginatus.—*Scutellum* mediocre, apice rotundatum.- *Elytra* ampla, thoracis parte postica fere duplo latiora, et illo plus triplo longiora, oblongo-ovata, humeris obtuse angulatis, lateraliter extensis, sub-elevatis; supra convexa, non callosa, apice conjunctim rotundata, anum occultantia.—*Pedes* validi, antici basi approximati; femoribus clavatis, muticis; tibiis rectis, anticis interne ampliatis, apice sub-truncatis, muticis; tarsis dilatatis, subtus spongiosis, articulo ultimo clavato, bi-unguiculato.

TYPUS. — *Rhinaria lopha.* Hope.

A ῥὶν nasus.

Patria : Nova Hollandia.

---

(1) Kirby in Linn. Soc. Trans. XII. p. 430.

Observ.—Speciebus generis *Hypsonoti* quoad habitum quodammodo, simile est hoc genus, evidenter tamen distinctum: loco insertionis antennarum, etc., abunde diverso.

1. R. CRISTATA.

Oblongo-ovata, nigra, supra griseo-subtus pallido-squamulosa, capite cristato, rostro glabro, tetragono, basi constricto, thorace sub-globoso, scabro, elytris punctato-subsulcatis, interstitiis alternatim granulatis et setosis.

KIRBY *in Linn. Soc. Trans.* XII. p. 431. n° 69. T. 2. f. 9.

Patria : Nova Hollandia.

2. R. LOPHA. *Hope.*

Oblongo-ovata, nigra, opaca, undique cinereo-squamulosa, fronte profunde sulcata, rostro glabro, carinato, thorace confertim varioloso-punctato, ruguloso, elytris magnis, profunde, remote punctato-striatis, interstitiis convexis, granulatis.

Patria : Nova Hollandia. A Dom. FALDERMANN et HOPE benevole communicatus. Mus. SCHH.

Magnitudo, statura et fere facies *Hylobii pineti.* Caput rotundatum, ruguloso-punctatum, nigrum, cinereo-squamulosum, fronte sulco profundo, inæquali impressa, utrinque callo elevato, scabro incluso; oculi majusculi, semi-globosi, nigri; rostrum longitudine capitis, deflexum, crassum, obsolete, disperse punctulatum, fere glabrum, nigrum, nitidum, supra carina alte elevata, versus os bifida, instructum. Antennæ thoracis basin attingunt, totæ nigræ et nigro-pilosæ. Thorax latitudine vix brevior, anterius angustior, apice bi-sinuatus, lateribus rotundato-ampliatus, basi sub-truncatus, supra minus convexus, sub-pulvinatus, punctis majusculis, variolæ-formibus, sub-ocellatis, elevato-marginatis, confertissime obsitus; niger, in cavitatibus squamulis rotundatis cinereis parce adspersus. Scutellum mediocre, rotundatum, nigrum, dense cinereo-squamulosum. Elytra magna, antice sub-sinuata, ibique thoracis basi parum latiora, sed pone basin oblique valde ampliata, humeris elevatis, rotundatis; lateribus inflexa, apice conjunctim rotundata, thorace plus triplo longiora, supra convexa, sat profunde striata et in striis remote punctata, interstitiis convexis, granulatis, seu tuberculis numerosis parvis adspersis; nigra, squamulis, rotundatis, cinereis, sat dense vestita. Corpus subtus, granulatum et punctatum, punctis sub thorace et

in pectore ocellatis; nigrum, dense cinereo-squamulosum. Pedes mediocres, validi, nigri, dense cinereo-squamulosi; femoribus sub-clavatis, muticis; tibiis rectis, scabris, anticis interne ampliatis; tarsis dilatatis, subtus brunneo-spongiosis.—GHL.

GENUS 249. OXYOPS.

Oxyops DALM., SCHH. (1). — *Rhynchænus* FABR., OLIV.

Character generis. — Antennæ longiusculæ, minus tenues; scapo sensim incrassato; funiculo 7-articulato: articulo basali breviusculo, reliquis longiusculis, sub-æqualibus; clava oblonga, ovalis.

Rostrum capite vix longius, crassiusculum, lineare, teretiusculum.

Oculi laterales, rotundati, modice prominuli.

Thorax latitudine baseos brevior, basi bi-sinuatus, lateribus nonnihil rotundatus, anterius angustior, intra apicem sub-coarctatus, apice sub-truncatus, pone oculos indistincte lobatus.

Scutellum oblongum, apice rotundatum.

Elytra oblongo-ovata, antice singulatim rotundato-producta; humeris obtuse rotundatis, parum elevatis; supra convexa, versus apicem callosa, apice ad suturam singulatim sub-producta.

Sternum porrectum, apice acuminatum.

Observ. — Corpus oblongo-subovatum, valde inæquale, alatum; majusculæ magnitudinis. — Forte hoc genus potius ad divisionem *Pachyrhynchidum* referendum est?

Patria: Nova Hollandia.

* 1. O. HOPEI. *Schh.*

Ovalis, niger, setulis griseis parce adspersus, rostro breviore, lato, bi-sulcato, thorace remote rugoso, dorso evidenter carinato, profunde lateribus obsolete longitudinaliter impresso, elytris profunde punctato-striatis, sub-cancellatis, basi tuberculatis, interstitium secundum a sutura pone medium reliquis magis elevatum.

Patria: Nova Hollandia. Mus. Dom. HOPE et SCHH.

Statura *Oxyopis clathrati* sed duplo major; rostro lato, bi-sulcato, thorace rude rugoso, evidenter impresso elytris basi tuberculatis, etc., ab illo facile distinctus. Caput mediocre, crassum, supra parum convexum, nigrum, sub-nitidum, remote sat pro-

(1) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 61. n° 22.

funde punctatum, setulis pallidis adspersum; fronte inter oculos foveola oblonga, profunda, insculpta; oculi parvi, rotundati, modice prominuli, nigri; rostrum longitudine et fere latitudine capitis, crassum, rectum, supra planum, remote rugoso-punctatum, sulcis duobus sat profundis, latis, exaratum, in fundo setulis pallidis adspersis; totum nigrum. Antennæ minus tenues, nigræ, pube cinerea dense adspersæ, clava oblongo-ovata, acuminata. Thorax latitudine baseos brevior, apice truncatus, mox intra apicem coarctatus, lateribus nonnihil rotundatus, basi bi-sinuatus, supra parum convexus, punctis impressis, profundis, remotis, hinc inde confluentibus rugosus, dorso late et profunde impressus, et in impressione sat alte carinatus, utrinque magis obsolete longitudinaliter impressus, niger, setulis pallidis parce adspersus. Scutellum minutum, oblongum, nigrum, punctulatum. Elytra magna, antice thorace dimidio latiora et illo plus triplo longiora, basi sinuata, humeris prominulis, elevatis, obtuse rotundatis; apice parum angustiora, rotundata, obsolete et obtuse mucronata; supra depressa, foveolis magnis, profundisque, sub-quadratis impressa, interstitiis angustis remote rugulosis, unde cancellata apparent; in singulo elytro plica elevata basalis et tuberculum ante apicem sat elevatum, obtusum; interstitium secundum a sutura pone medium reliquis magis elevatum, tuberculum oblongum mentiens; tota nigra, pube pallida parce obsita. Corpus subtus nigrum, crebre rugoso-punctatum, pube grisea densius adspersum. Pedes validi, mutici, nigri, punctati, pube grisea dense obsiti; femoribus parum clavatis; tarsis dilatatis, subtus griseo-spongiosis.—BHN.

Dom. FREDER. C. HOPE, Anglus. Possessor majoris Collectionis Entomologicæ, ex qua plures novas species mihi impertivit, quod grato animo tester.—SCHH.

* 2. O. SQUAMULOSUS. *Schh.*

Ovalis, niger, squamulis niveis parce adspersus, rostro latiore, carinato, utrinque obsolete sulcato, thorace crebre profunde rugoso, dorso late lateribus minus evidenter longitudinaliter impresso, impressione dorsali carinula antice posticeque abbreviata notato, elytris profunde punctato-striatis, sub-cancellatis, ante apicem tuberculo acuto instructis.

Patria: Nova Hollandia. A Dom. DUPONT benevole communicatus. Mus. SCHH.

Statura *Oxyopis Hopei*, nonnihil tamen major; rostro obsolete bisulcato, thorace profundius rugoso-punctato, aliter impresso, ely-

tris basi non callosis, tuberculo postico magis producto, valde acuto, etc., ab illo facile distinctus. Caput mediocre crassum, supra parum convexum, nigrum, sub-nitidum, crebre profunde punctatum, squamulis parvis, niveis, parce adspersum, inter oculos foveola oblonga, profunda, insculptum; oculi parvi, rotundati modice prominuli, nigri; rostrum capite parum longius et angustius, crassiusculum, rectum, supra planum, minus crebre rugoso-punctatum, carinula media modice elevata, a basi ad medium extensa, et sulculo utrinque parum profunde notatum; totum nigrum, sub-nitidum, setulis nonnullis albidis adspersum. Antennæ nigræ, parce griseo-pubescentes. Thorax latitudine baseos nonnihil brevior, apice truncatus, mox intra apicem coarctatus, lateribus nonnihil rotundato-ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra parum convexus, profunde crebre rugoso-punctatus, dorso postico late et profunde impressus, et in impressione carinula antice posticeque abbreviata instructus, utrinque magis obsolete impressus; niger, squamulis parvis, rotundis, niveis, parce adspersus. Scutellum oblongum, nigrum, punctulatum. Elytra magna, antice singulatim nonnihil rotundato-producta, thoracis basi dimidio latiora, quam lata vix duplo longiora, humeris modice prominulis, elevatis, obtuse rotundatis; pone medium apicem versus sensim angustata, apice ipso singulatim obtuse mucronata, supra modice convexa, dorso sub-depressa ante apicem tuberculo acuto sat valido instructa; foveolis magnis profundisque sub-quadratis impressa, interstitiis angustis, sub-carinatis, transversim rugosis; tota nigra, sub-nitida, squamulis niveis parce adspersa. Corpus subtus nigrum, sat crebre rugoso-punctatum, squamulis et setulis albidis parce adspersum. Pedes validi, nigri, punctulati, setulis cinereis dense obsiti; femoribus parum clavatis, muticis; tarsis dilatatis, subtus fulvo-spongiosis.—BHN.

3. O. FOVOSUS. *Schh.*

Ovalis, niger, setulis pallidis parce adspersus, rostro angustiori, longiori, bi-sulcato, thorace verrucoso-rugoso, dorso late impresso, obsolete carinato, elytris foveolis majoribus minoribus interjectis seriatim impressis, fascia ante et alia pone medium e setulis pallidis.

Rhynchænus gibbus. FABR. *Syst. El.* II. p. 471. n° 163. ?
Curculio id. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 431. n° 157. ?
HERBST. *Col.* VI. p. 307. n° 280. T. 84. f. 4. ?
Rhynchænus convexus. OLIV. *Ent.* V. 83. p. 176. n° 152. T. 8. f. 88. ?

Curculio id. OLIV. *Enc. méth.* V. p. 507. n° 167. ?

Patria : Nova Hollandia. Mus. HOPEI.

Statura et summa similitudo *Oxyopis Hopei*, paulo tamen major; rostro longiori, thorace verrucoso-rugoso, obsolete carinato ut et punctura elytrorum, etc., ab illo abunde distinctus. Caput mediocre, crassum, nigrum, remote punctatum, setulis depressis, pallidis, sat dense obsitum; foveola inter oculos profunde insculptum; oculi rotundati, prominuli, nigri, nitidi; rostrum capite dimidio longius et illo parum angustius, crassum, rectum, apicem versus nonnihil ampliatum, supra planum, sulcis duobus minus profundis insculptum; nigrum, remote rugoso-punctatum, setulis pallidis sat dense adspersum. Antennæ minus tenues, nigræ, pube grisea adspersæ, clava oblongo-ovata, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax quam longus nonnihil latior, apice truncatus, mox pone apicem leviter constrictus, lateribus modice rotundatus, basi bi-sinuatus, supra parum convexus, undique rugulis verrucisque sat crebris scabrosus, dorso late et sat profunde impressus, in impressione carinula parum elevata, antice posticeque abbreviata, præditus; niger, setulis pallidis parce obsitus. Scutellum minutum, oblongum, nigrum, punctulatum, setulis pallidis adspersum. Elytra magna, antice thorace fere duplo latiora illoque triplo longiora, basi sinuata, humeris oblique angulatis, prominulis; apice paulo angustiora, rotundata, obsolete mucronata, supra depressa, foveolis magnis profundis, sub-quadratis minoribus ante et pone medium transversim positis interjectis, interstitiis angustis, remote rugulosis, unde cancellata apparent; in singulo elytro tuberculum ante apicem sat elevatum, interstitium a sutura secundum basi et postice nonnihil elevatum; tota nigra, ante et pone medium fascia transversa e setulis pallidis, ornata. Corpus subtus nigrum, rugoso-punctatum, setulis pallidis adspersum. Pedes validi, mutici, nigri, crebre punctati, setulis pallidis sat dense obsiti; tarsis dilatatis, subtus fulvo-spongiosis.—BHN.

4. O. CANCELLATUS. *Schh.*

Ovalis, niger, setulis albidis parce adspersus, rostro breviori, tri-carinato, thorace confertim rude rugoso, dorso late sed parum profunde impresso, evidenter carinato, elytris profunde punctatis, sub-cancellatis, humeris prominulis.

Habitat in Nova Hollandia. Mus. HOPEI.

Statura *Oxyopis clathrati* sed dimidio major; ab illo rostro latiori,

tri-carinato, thorace rude rugoso ut et humeris elytrorum magis prominulis, distinctus. Caput mediocre, crassum, nigrum, sub-nitidum, sat profunde punctatum, setulis albidis adspersum, foveola inter oculos profunda insculptum; oculi rotundati, prominuli, nigri; rostrum longitudine et fere latitudine capitis, crassum, subrectum, supra planum, tri-carinatum, carinulæ laterales abbreviatæ, obsoletæ; totum nigrum, profunde sed minus crebre punctatum, setulis albidis adspersum. Antennæ minus tenues, nigræ, griseo-pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax longitudine nonnihil latior, apice truncatus, angustior, lateribus nonnihil rotundatus, basi bi-sinuatus, supra parum convexus, dorso late sed minus profunde impressus, carinula dorsali modice elevata, antice abbreviata, punctis impressis magnis, confertissimis et interstitiis sub-reticulatis, scabrosus, niger, setulis albidis parce adspersus. Scutellum minutum, oblongum, nigrum, punctulatum. Elytra magna, thorace fere duplo latiora, et illo plus triplo longiora, basi sinuata, humeris prominulis, oblique angulatis, apice paulo angustiora, rotundata, cum mucrone parvo apicali; supra depressa, foveolis magnis profundisque sub-quadratis sculpturata, interstitiis angustis, granulatis, unde cancellata apparent; in singulo elytro tuberculum ante apicem acutum, interstitium secundum postice modice elevatum; tota nigra, sub-nitida, setulis albidis parce obsita. Corpus subtus nigrum, subtiliter rugosum, setulis albidis adspersum. Pedes validi, mutici, nigri, punctati, setulis albidis sat dense obsiti; tarsis dilatatis, subtus fulvo-spongiosis.—Bhn.

5. O. Clathratus. *Dalman.*

Ovalis, niger, setulis albis parce adspersus, rostro angustiore uni-carinato, thorace confertim rugoso, dorso obsolete impresso et carinato, elytris profunde punctatis, sub-cancellatis, humeris parum prominulis.

Habitat in Brasilia (?). Mus. Reg. Acad. Scient. Holm. et Mus. Acad. Imp. Alexandr.

Oxyope Hopei duplo minor. Caput mediocre, crassum, nigrum, sat crebre punctatum, setulis albis adspersum, inter oculos foveola profunda, oblonga insculptum; oculi rotundati, modice prominuli, nigri; rostrum longitudine capitis, sed illo angustius, crassum, sub-rectum, teretiusculum, apice rotundatum, carinula dorsali præditum; totum nigrum, rugoso-punctatum, setulis albidis adspersum. Antennæ minus tenues, nigræ, parce griseo-pi-

losæ, clava oblongo-ovata, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax quam longus latior, apice angustior, truncatus, lateribus modice rotundatus, basi bi-sinuatus, supra parum convexus, dorso leviter impressus, cum carinula abbreviata, punctis impressis, magnis, confertissimis et interstitiis sub-reticulatis scabrosus, niger, setulis albidis parce adspersus. Scutellum minutum, oblongum, nigrum. Elytra magna, thorace fere duplo longiora et illo plus triplo longiora, basi sinuata, humeris modice prominulis, rotundatis, apice paulo angustiora, rotundata, cum mucrone parvo apicali; supra depressa, foveolis magnis profundisque, sub-quadratis, sculpturata, interstitiis angustis, unde cancellata apparent; in singulo elytro plica elevata basalis et tuberculum ante apicem parvum; interstitium a sutura secundum postice magis elevatum; tota nigra, setulis albis parce adspersa. Corpus subtus nigrum, rugulosum, setulis albis adspersum. Pedes validi, mutici, concoloribus, punctati, setulis albis sat dense obsiti; femoribus modice clavatis; tibiis teretiusculis, anticis apicem versus nonnihil arcuatis; tarsis subtus fusco-spongiosis.—BHN.

6. O. OBLIQUATUS. *Schh.*

Ovalis, nigro-piceus, setulis pallidis parce adspersus, rostro angustiore, uni-carinato, thorace confertim rugoso-punctato, dorso obsolete impresso et carinato, elytris profunde punctato-striatis, interstitiis rugulosis, humeris vix prominulis, singulo elytro pone medium fascia obliqua, transversa, dentata, niveo-squamosa.

Patria :......Ex Musæo Acad. Imp. Alexandrin. a Dom. SAHLBERG, ad describendum, benevole communicatus.

Statura fere *Oxyopis clathrati*, sed dimidio minor, humeris vix prominulis, elytris ante apicem non callosis, pone medium fascia obliqua, niveo-squamosa, etc., ab illo facile distinctus. Caput mediocre, crassum, supra parum convexum, nigrum, crebre punctatum, setulis albidis adspersum, inter oculos foveola sat profunda, oblonga insculptum; oculi laterales, parvi, rotundati, modice prominuli, nigri; rostrum longitudine capitis sed illo dimidio angustius, crassum, subrectum, teretiusculum, apice rotundatum, carinula dorsali apicem versus abbreviata præditum; totum nigrum, basi rugoso-punctatum, apice subtiliter confertim punctulatum, setulis albidis adspersum. Antennæ minus tenues, nigræ, parce griseo-pilosæ, clava oblonga, acuta, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos brevior, apice angustior, truncatus, mox intra apicem leviter coarctatus, lateribus modice rotun-

datus, basi bi-sinuatus, supra parum convexus, dorso obsolete impressus, cum carinula parum elevata, abbreviata, punctis impressis, magnis, confertissimis scabrosus; niger, setulis albidis adspersus. Scutellum minutum, oblongum, nigro-piceum, griseo-pubescens. Elytra oblongo-ovata, antice sinuata, thoracis basi dimidio latiora, humeris vix prominulis, obtuse rotundatis, apice paulo angustiora, thorace triplo longiora, apice ipso rotundata, cum mucrone parvo apicali; supra modice convexa, rude et profunde punctato-striata, interstitiis angustis, confertim rugulosis: ante apicem non callosa; interstitium a sutura secundum postice magis elevatum; tota nigro-picea, setulis albidis adspersa, pone medium fascia transversa, obliqua, irregulariter dentata et excisa dense niveo-squamosa, ornata. Corpus subtus obscure ferrugineum, crebre rugulosum, setulis albidis sat dense obsitum. Pedes validi, mutici, obscure ferruginei, punctati, setulis albis sat dense vestiti; femoribus modice clavatis, muticis; tibiis teretiusculis, anticis apicem versus nonnihil arcuatis, intus crenulatis; tarsis dilatatis, subtus griseo-spongiosis.—BHN.

GENUS 250. ORCHESTES.

Orchestes ILLIG., OLIV., CUVIER, SCHH., STEPH., ZETTERST. (1), DEJEAN, CREUTZ., STEV., STURM. — *Salius* SCHRANK., GERM. (2). *Rhynchænus* CLAIRV., LATR., OKEN (3), FABR., GYLLENH. — *Ramphus* THUNB. (4).

Character generis. — Antennæ mediocres, subtenues; funiculo 6-(in nonnullis 7-)articulato: articulis tribus basalibus longiusculis, ob-conicis; 1° longiore et crassiore, reliquis brevibus, sub-nodosis; clava crassiuscula, oblongo-ovata.

Rostrum elongatum, validiusculum, sub-teres, arcuatum, inflexum.

Oculi magni, rotundati, prominuli, approximati (5).

Thorax parvus, sub-conicus.

Elytra oblongo-ovata, thorace latiora, apice obtuse rotundata, in plerisque pygidium haud obtegentia.

---

(1) Illig. Mag. III. p. 105. n° 176. — Oliv. Ent. V. p. 71. n° 2. — Cuvier. Règne Animal. III. p. 307. — Latr. in Dict. Class. d'Hist. Nat. XIV. p. 601. — Zetterst. Faun. Ins. Lapp. I. p. 328. — Schh. Curc. Disp. Meth. p. 254. n° 148.

(2) Germ. Mag. IV. p. 326.

(3) Clairv. Ent. Helv. I. p. 70. — Lat. Gen. Cr. et Ins. II. p. 267. — *Id.* Regne Anim. p. 395. — *Id.* Consid. génér. p. 222. n° 227. — Oken. Naturg. p. 770. n° 3.

(4) Thunb. in Acta Ups. Nov. VII. p. 107.

(5) Oculi non numquam paulo distantes: ex gr. in *Orchest. scutellari* et *pratensi*.

Pedes validiusculi ; femora postica crassa, saltatoria.

Observ.—Corpus sub-ovatum, alatum, in plerisque squamulosum et pilosum, alatum ; minusculæ magnitudinis.

Patria: Omnis Europa.

STIRPS I. — Femora postica denticulata.

* 1. O. QUERCUS.

Rufo-testaceus, pubescens, oculis pectoreque nigris, elytris plaga antica, triangulari, cinereo-pubescente, femoribus posticis serrato-dentatis. — GHL.

Curculio id. LINN. *Faun. Suec.* n° 596. — *Syst. nat.* I. II. p. 609. n° 25. — Ed. GMEL. I. IV. p. 1760. n° 25.

VILL. *Ent.* I. p. 180. n° 21.

Orchestes id. STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 59. n° 1.

Salius id. GERM. *Mag.* IV. p. 329. n° 4.

Rhynchænus viminalis. FABR. *Syst. El.* II. p. 494. n° 265.

GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 237. n° 139.

OKEN. *Naturg.* III. p. 771. n° 1.

Curculio id. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 447. n° 223. — *Mant.* I p. 110. n° 155.—*Sp. Ins.* I. p. 184. n° 126.—*Syst. Ent.* p. 145. n° 92.

HERBST. *Col.* VI. p. 420. n° 405. T. 93. f. 1. — *Arch.* p. 79. n° 56.

OLIV. *Enc. méth.* V. p. 523. n° 230.

PAYK. *Faun. Suec.* III. p. 269. n° 91.

ROSSI. *Faun. Etr.* I. p. 126. n° 322.—Ed. HELLW. p. 134. n° 322.

WALCKEN. *Faun. Par.* I. p. 242. n° 16.

CEDERH. *Faun. Ing.* n° 339.

PANZ. *Ent. Germ.* p. 319. n° 116.

GOEZE. *Eur. Faun.* VIII. p. 473. n° 1.

Orchestes id. OLIV. *Ent.* V. 83. p. 98. n° 35. T. 32. f. 480. a. b.

DEJEAN. *Catal. Col.* p. 82.

Curculio saltator ulmi. DE GEER. *Ins.* V. p. 260. n° 48. T. 8. f. 5-11.

Curculio saltator. FOURCR. *Ent. Par.* I. p. 121. n° 19.

Curculio setosus. MULL. *Zool. Dan. Prod.* p. 90. n° 1008.

Curculio alni. HERBST. (BOROWS.) *Naturg.* VI. p. 110. n° 6.

BECHST. *Naturg.* I. II. p. 850. n° 5.

Curculio multidentatus. LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1760. n° 572.

Curculio rufus. DONOVAN. *Brit. Ins.* XI. T. 389. f. 3.

REAUM. *Mém. d. Ins.* III. p. 31. T. 3. f. 17. 18.

GEOFFR. *Ins.* I. p. 286. n° 19.

UDDM. *Dissert.* p. 13. n° 25.

LESKE. *Mus.* p. 20. n° 441.

* VAR. β. Pallidior, thorace subtus testaceo.

Patria : Tota Europa.

* 2. O. SCUTELLARIS.

Rufo-ferrugineus, oculis, rostri apice, thorace subtus, pectore abdomineque nigris, scutello albido-piloso, femoribus posticis uni-dentatis. — GHL.

OLIV. *Ent.* V. 83. p. 98. n° 36. T. 32. f. 481.

STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 59. n° 2.

DEJEAN. *Catal. Col. p.* 82.

Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 495. n° 268.

GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 240. n° 141.

Curculio rufus. SCHRANK. *Enum.* p. 116. n° 220.

MARSH. *Ent. Brit.* p. 261. n° 69.

VILL. *Ent.* I. p. 193. n° 86. et IV. p. 273. n° 86.

DONOV. *Brit. Ins.* VI. T. 249. f. 1.

MULL. *Zool. Dan. Prodr.* p. 90. n° 1007.

Curculio viminalis. BECHST. et SCHARFENB. *Forstins.* I. p. 159. n° 12.

Curculio alni, var. γ. PAYK. *Faun. Suec.* III. p. 221. n° 39.—*Mon. Curc.* p. 20. n° 19.

* VAR. β. Rostro, thorace, elytris pedibusque pallidis. — GHL.

Rhynchænus scutellaris, var. b. GYLLENH. l. c.

Orchestes flavus. STURM. *Ins. Cat.* 1826. p. 180.

Curculio testaceus. MULL. *Zool. Dan. Prodr.* p. 90. n° 1006.

Patria : Omnis Europa.

3. O. CARNIFEX (1).

Rufus, sub-pubescens, oculis, thorace subtus, pectore, abdomine scutelloque nigris, femoribus posticis uni-dentatis.—GERM.

Salius id. GERM. *Mag.* IV. p. 329. n° 3.

SCHRANK. *Faun. Boica.* I. p. 510. n° 583.

Patria : Germania.

* 4. O. HÆMATICUS.

Rufus, sub-pubescens, oculis, pectore abdomineque nigris, femoribus posticis serratis.—GERM.

(1) Mihi invisus.

Salius id. GERM. *Mag.* IV. p. 329. n° 4.
Orchestes mollis. STURM. *Ins. Cat.* 1826. p. 180.

Patria : Germania.

* 5. O. RUFUS.

Oblongus, sub-convexus, rufo-testaceus, cinereo-pubescens et pilosus, oculis pectoreque nigris, thorace convexo, punctulato, scutello concolore, sub-nudo, elytris amplis, distincte, sub-remote punctato-striatis. — GHL.

OLIV. *Ent.* V. 83. p. 101. n° 40. T. 32. f. 485.
DEJEAN. *Catal. Col.* p. 82.
Curculio betuleti. PANZ. *Ent. Germ.* p. 318. n° 10. forte.
* VAR. β. Pectore corporis concolore, testaceo.

Patria : Gallia.

* 6. O. SEMIRUFUS.

Oblongus, niger, pubescens, scutello albido-piloso, elytris, antennis pedibusque rufo-ferrugineis. — GHL.

STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 60. n° 3.
Rhynchænus id. GYLLENH. *Ins. Suec.* IV. p. 597. n° 141-2.
Orchestes rufipennis. STURM. *Ins. Cat.* 1826. p. 180.

Patria : Germania, Anglia, Gothlandia.

* 7. O. MELANOCEPHALUS.

Oblongus, sud-depressus, niger, cinereo-pubescens, thorace, elytris, antennis, ano pedibusque rufo-testaceis, his nigro-geniculatis. — GHL.

OLIV. *Ent.* V. 83. p. 100. n° 38. T. 32. f. 483.
DEJ. *Cat. Col.* p. 82.
Curculio ferrugineus. MARSH. *Ent. Brit.* p. 260. n° 68.
Orchestes id. STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 60. n° 4.
Curculio atricapillus. MARSH. *Ent. Brit.* p. 261. n° 71.
Orchestes id. STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 60. n° 5.
* VAR. β. Rostri apice etiam rufescente.
* VAR. γ. Femoribus basi dimidiato-nigris.

Patria : Gallia, Anglia.

8. O. NIGRICOLLIS (1).

Niger, pilosus, antennis, elytris, ano pedibusque ferrugineis. — MARSH.

(1) Mihi invisus.

STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 61. n° 6.
Curculio id. MARSH. *Ent Brit.* p. 261. n° 70.

Patria : Anglia.

* 9. O. ALNI.

Niger, pubescens, thorace, elytris, ano tarsisque rufo-testaceis, elytris maculis quatuor nigris, femoribus posticis serrato-ciliatis. -- GHL.

OLIV. *Ent.* V. 83. p. 99. n° 37. T. 32. f. 482.
STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 61. n° 7.
DEJ. *Catal. Col.* p. 82.
Rhynchænus id. FAB. *Syst. El.* II. p. 492. n° 256.
LAT. *Gen. Cr.* et *Ins.* II. p. 267. n° 1. — *Hist. Nat. des Cr. et des Ins.* XI. p. 189.
GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 238. n° 140.
OKENS *Naturg.* III. p. 771. n° 2.
Salius id. GERM. *Mag.* IV. p. 329. n° 5.
SCHRANK. *Faun. Boic.* I. p. 509. n° 580.
Curculio id. LINN. *Faun. Suec.* n° 608. — *Syst. nat.* I. II. p. 411. n° 42. — Ed. GMEL. I. IV. p. 1760. n° 42.
FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 445. n° 216. — *Mant.* I. p. 110. n° 151. — *Sp. Ins.* I. p. 183. n° 123.
HERBST. *Col.* VI. p. 525. n° 411. T. 93. f. 7.
PAYK. *Faun. Suec.* III. p. 220. n° 39. *Mon. Cur.* p. 20. n° 19.
OLIV. *Enc. méth.* V. p. 522. n° 226.
MARSH. *Ent. Brit.* p. 260. n° 67.
ROSSI. *Faun. Etr.* I. p. 126. n° 321. — Ed. HELLW. p. 134. n° 321.
THUNB. *in Acta. Ups. Nov.* V. p. 95. n° 14.
WALCKEN. *Faun. Par.* I. p. 243. n° 17.
VILLERS. *Ent.* I. p. 192. n° 82.
BECHST. et SCHARFENB. *Forstins.* I. p. 158. n° 10.
PANZ. *Ent. Germ.* p. 318. n° 109.
GOEZE. *Eur. Faun.* VIII. p. 457. n° 2.
FOURCR. *Ent. Par.* I. p. 122. n° 10.
GLEDITSCH. *Einl. in d. Forst.* I. p. 425. n° 21.
MULL. LINN. *Nat. Syst.* V. I. p. 227. n° 42.
Curculio saltator alni. DE GEER. *Ins.* V. p. 262. n° 49.
Curculio inquinatus. VOET. *Col.* ed. PANZ. IV. p. 71. n° 51. T. 40. f. 51.
GEOFFR. *Ins.* I. p. 286. n° 20.

VAR. β. Testaceus, capite, pectore femoribusque nigris, elytrorum maculis fuscis, obsoletis. — GHL.

Rhynchænus alni, var. b. GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 239. n° 140.

Curculio alni, var. β. PAYK. *Faun. Suec.* III. p. 221. n° 39. — *Mon. Curc.* p. 20. n° 19.

Patria : Tota Europa.

10. O. DEPRESSUS (1).

Nigro-fuscus, tenue pilosus, rostro rubro, antennis tibiis tarsisque rufescentibus, thorace lineola dorsali impressa obsolete.

STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 61. n° 8.
Curculio id. MARSH. *Ent. Brit.* p. 262. n° 73.

Patria : Anglia.

* 11. O. ILICIS.

Oblongo-ovalis, niger, pube cinereo-albida variegatus, antennis tarsisque testaceis, femoribus posticis magnis, serrato-dentatis.—GHL.

OLIV. *Ent.* V. 83. p. 101. n° 41. T. 32, f. 486.
STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 62. n° 10.
Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 494. n° 266.
GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 241. n° 142.
Curculio id. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 447. n° 224. — *Mant.* I. p. 110. n° 156.
OLIV. *Enc. méth.* V. p. 523. n° 231.
HERBST. *Col.* VI. p. 431. n° 420.
PAYK. *Faun. Suec.* III. p. 219. n° 37. — *Mon. Curc.* p. 18. n° 17.
VILLERS. *Ent.* IV. p. 288.
PANZ. *Ent. Germ.* p. 320. n° 117.
LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1760. n° 220.
Salius id. GERM. *Mag.* IV. p. 330. n° 6.
Curculio saltator segetis. DE GEER. *Ins.* V. p. 264. n° 50.
Curculio pilosus. HERBST. *Col.* VI. p. 426. n° 412. T. 93. f. 8.
MARSH. *Ent. Brit.* p. 262. n° 72.
Curculio alni. STROEM. *in Acta Hafn. Nova.* II. p. 58. n° 31.?

Patria : Tota Europa.

12. O. PILOSUS (2).

Niger, cinereo-variegatus. — FABR.

OLIV. *Ent.* V. 83. p. 102. n° 42. T. 32. f. 487.

---

(1) Mihi invisus.

(2) *Idem* cum *Orcheste ilicis*, secundum sententiam Cel. Illigeri, in ejus Mag. VI. p. 311. n° 258.

Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 493. n° 258.

Curculio id. FAB. *Ent. Syst.* I. II. p. 446. n° 217.—*Mant.* I. p. 110. n° 152. — *Spec. Ins.* I. p. 183. n° 124.

OLIV. *Enc. méth.* V. p. 522. n° 227.

VILLERS. *Ent.* I. p. 194. n° 87. T. 1. f. 21. et IV. p. 273. n° 87.

LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1761. n° 222.

Patria : Anglia, Gallia.

* 13. O. PUBESCENS. *Schh.*

Oblongo-ovalis, niger, dense cinereo-pubescens, antennis basi testaceis, scutello pectorisque margine albidis, elytris maculis quinque denudatis, femoribus posticis uni-dentatis. — GHL.

STEV. *Mus. Mosqu.* II. p. 101.

Rhynchænus pilosus. GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 242. n° 143.

Curculio id. PAYK. *Faun. Suec.* III. p. 218. n° 36.

Salius id. GERM. *Ins. Sp.* I. p. 330. n° 7.

Orchestes id. STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 62. n° 9.

STURM. *Ins. Cat.* 1826. p. 180.

Curculio calcar, var. Scutello albo. PAYK. *Mon. Curc.* p. 18. n° 17.

* VAR. β. Elytris undique pubescentibus, immaculatis. GYLLENH. l. c. var. b.

VAR. γ. Dimidio major, elytris rufescentibus, basi brunneis. GHL.

Rhynchænus pilosus, var. c. GYLLENH. *Ins. Suec.* IV. p. 598. n° 143.

Patria : Suecia, Germania, Anglia.

* 14. O. FAGI.

Elongato-ovalis, niger, immaculatus, tenue pubescens, antennis tarsisque pallide testaceis, femoribus omnibus uni-dentatis, posticis crassis, angulatis. — GHL.

STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 62. n° 11.

STEV. *Mus. Mosq.* II. p. 101.

Rhynchænus id. GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 243. n° 144.

FABR. *Syst. El.* II. p. 495. n° 270.

Curculio id. LINN. *It. Scan.* p. 111.—*Faun. Suec.* n° 609. (Solummodo diagnosis non vero descript.) —*Syst. nat.* I. II. p. 611. n° 44. — Ed. GMEL. I. IV. p. 1766. n° 44.

FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 448. n° 226.—*Mant.* I. p. 100. n° 158.— *Spec. Ins.* I. p. 184. n° 127. — *Syst. Ent.* p. 145. n° 93.

HERBST. *Col.* VI. p. 432. n° 422.

OLIV. *Enc. méth.* V. p. 524. n° 233.
BECHST. et SCHARFENB. *Forstins.* I. p. 160. n° 13.
GOEZE. *Eur. Faun.* VIII. p. 478. n° 4.
PANZ. *Ent. Germ.* p. 320. n° 119.
VILLERS. *Ent.* I. p. 193. n° 84.
Salius id. GERM. *Ins. Sp.* I. p. 330. n° 8.
SCHRANK. *Faun. Boic.* I. p. 508. n° 579.
Rhynchænus fragariæ. FABR. *Syst. El.* II. p. 495. n° 271.
Curculio fragariæ. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 448. n° 227.
HERBST. *Col.* VI. p. 423. n° 407. T. 93. f. 3.
PAYK. *Faun. Suec.* III. p. 217. n° 35.
MARSH. *Ent. Brit.* p. 263. n° 75.
PANZ. *Ent. Germ.* p. 320. n° 120.
Orchestes calcar. OLIV. *Ent.* V. 83. p. 103. n° 43. T. 32. f. 488.
DEJEAN. *Cat. Col.* p. 82.
Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 493. n° 261.
ILLIG. *Mag.* IV. p. 149. n° 261. et VI. p. 311. n° 261.
Curculio id. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 446. n° 219. — *Mant.* I. p. 110. n° 153.
OLIV. *Enc. méth.* V. p. 522. n° 228.
HERBST. *Col.* VI. p. 431. n° 419.
PAYK. *Mon. Curc.* p. 18. n° 16.
PREYSL. *in Mayers Aufs. Böhm. Naturg.* III. p. 352. n° 2.
PANZ. *Ent. Germ.* p. 319 n° 112.
VILLERS. *Ent.* IV. p. 288.
LINN. *Syst nat.* GMEL. I. IV. p. 1761. n° 223.
Curculio subater. MULL. *Zool. Dan. Prodr.* p. 90. n° 1005.
Curculio rhododactylus. MARSH. *Ent. Brit.* p. 262. n° 74.

Patria : Tota Europa.

15. O. RHODOPUS.

Rugosus, fuscus, sub-pubescens, antennis pedibusque rufis, elytris obsoletissime striatis.

STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 63. n° 12.
Curculio id. (1). MARSH. *Ent. Brit.* I. p. 263. n° 76.

Patria : Anglia.

---

(1) Mihi invisus. — *Orchest. fagi* var. teste Dom. Spence *in Litteris.*

* 16. O. PRATENSIS (1).

Oblongo-ovalis, niger, cinereo-pubescens, antennis tarsisque rufescentibus, elytris punctato-striatis, femoribus posticis angulo-dentatis. — GERM.

Salius id. GERM. *Mag.* IV. p. 331. n° 9.
Curculio segetis. HERBST. *Col.* VI. p. 429. n° 415. T. 93. f. 11.?
OLIV. *Enc. méth.* V. p. 524. n° 234.

Patria : Germania.

* 17. O. TOMENTOSUS. *Vougt.*

Oblongus, niger, squamulis piliformibus, albidis, undique dense adspersus, antennis testaceis, tarsis ferrugineis, rostro longo, tenui, femoribus posticis subtus serrulatis.

Ramphus id. DEJ. *Cat. Col.* p. 82.
STURM. *Ins. Cat.* 1826. p. 190.

Habitat in Austria. Mus. SCHH.

Orcheste fagi paulo major, convexior. Caput punctatum, nigrum, albido-squamosum; oculi magni, semi-globosi, brunnei, in fronte approximati; rostrum longitudine capitis cum thorace, cylindricum, arcuatum, punctulatum, nigrum, nitidum, glabrum. Antennæ pallide testaceæ, clava ovata, fusca. Thorax brevis, transversus, anterius angustior, apice truncatus et intra apicem constrictus, lateribus nonnihil ampliatus, basi profunde bi-sinuatus, lobo scutellari longiore, apice emarginato; supra parum convexus, confertim punctulatus, niger, opacus, squamulis angustis albidis sat dense adspersus. Scutellum rotundatum, nigrum, squamosum. Elytra oblongo-ovata, antice singulatim rotundata, thoracis basi paulo latiora, humeris elevatis; lateribus non ampliata, apice conjunctim obtuse rotundata, thorace quadruplo longiora, et ultra; supra modice convexa, crenato-striata, interstitiis transversim rugulosis; nigra, squamulis piliformibus, abidis, sat dense adspersa. Corpus subtus nigrum, punctatum, dense albido-squamulosum. Pedes validi, nigri, albido-squamulosi et pubescentes, tarsis elongatis ferrugineis; femora quatuor anteriora parum crassa, mutica; postica magna, crassa, subtus angulata et subtiliter multi-denticulata.

Observ. — Antennæ evidenter fractæ et in ipso rostro insertæ, quare ad genus *Ramphum* referri non possit. — GYLL.

(1) Differt a reliquis hujus generis oculis distantibus, paulo prominulis

* 18. O. IOTA.

Ovatus, niger, scaber, hirtus, thorace brevi canaliculato, elytrorum sutura basi niveo-pilosa, antennis tarsisque piceo-ferrugineis, femoribus posticis subtus angulatis, seriato-dentatis. — GHL.

OLIV. *Ent.* V. 83. p. 105. n° 46. T. 32. f. 491.
DEJ. *Cat. Col.* p. 82.
Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 495. f. 269.
GYLLENH. *Ins. Suec.* IV. p. 598. n° 144-145.
ILLIG. *Mag.* VI. p. 312. n° 269.
Curculio id. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 448. n° 225. — *Mant.* I. p. 110. n° 157.
OLIV. *Enc. méth.* V. p. 524. n° 232.
HERBST. *Col.* VI. p. 432. n° 421.
PANZ. *Ent. Germ.* p. 320. n° 118.
VILLERS. *Ent.* IV. p. 289.
LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1760. n° 221.
Salius id. GERM. *Mag.* IV. p. 334. n° 18.
Curculio rosæ. HERBST. *Col.* VI. p. 428. n° 414. T. 93. f. 10.
Rhynchænus rosæ. ZETTERST. *in Acta Holm.* 1818. p. 255. n° 7.

Patria: Suecia, Germania, Gallia.

* 19. O. SUBFASCIATUS. *Schh.*

Ovatus, ater, hirsutus, antennis tarsisque pallide testaceis, thorace brevi, obsolete canaliculato, elytris macula suturali baseos nivea fasciaque communi albida intra apicem ornatis; femoribus posticis subtus obsolete denticulatis.

Patria: Tauria. A Dom. STEVEN amice donatus. Mus. SCHH.

Orchesti iota magnitudine æqualis et valde similis, distinctus tamen antennis totis tarsisque pallide testaceis, thorace convexiore, obsolete canaliculato, elytrisque fascia postica albida notatis. Caput sub-globosum, punctatum, atrum, hirtum; oculi magni, semi-globosi, nigri, in fronte fere connexi; rostrum vix longitudine capitis cum thorace validum, arcuatum, supra carinatum, punctatum, atrum. Antennæ breves, totæ pallide testaceæ. Thorax transversus, antice dimidio angustior, apice truncatus, lateribus obliquis, parum ampliatis; basi bi-sinuatus, supra modice convexus, obsolete canaliculatus, confertim et sat profunde punctatus, ater, hirsutie fusco-cinerea vestitus. Scutellum tuberculiforme, atrum. Elytra ampla, antice singulatim rotundata, thoracis basi multo latiora,

humeris rotundatis; lateribus ampliata, apice etiam singulatim rotundata, thorace triplo longiora, supra minus convexa, profunde punctato-striata, interstitiis convexis, rugosis; atra, hirsutie fusca adspersa; in basi suturæ macula oblongo-quadrata, niveo-tomentosa, et intra apicem fascia communis, utrinque abbreviata, albido-tomentosa, conspiciuntur. Corpus subtus confertim punctulatum, atrum, magis nitidum, parce cinereo-hirtum. Pedes breviusculi, validi, atri, cinereo-hirti; tarsis pallide testaceis; femora postica valde crassa, subtus seriatim obsoletius denticulata.—GHL.

20. O. RUFESCENS (1).

Niger, obscurus, rostro tibiisque rufis. — FABR.

Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 493. n° 260.

Patria : America meridionalis.

STIRPS. 2.—Femora postica mutica.

* 21. O. LONICERÆ.

Ovalis, luteo-ferrugineus, pubescens, oculis, pectore, abdomine femorumque posticorum fascia nigris; elytris puncto humerali fasciaque media dentata nigro-fuscis. — GHL.

OLIV. *Ent.* V. 83. p. 100. n° 39. T. 32. f. 484.
STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 63. n° 13.
Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 495. n° 267.
GYLLENH. *Ins. Suec.* IV. p. 599. n° 144-145.
Curculio id. HERBST. *Col.* VI. p. 427. n° 413. T. 93. f. 9.
Salius id. GERM. *Mag.* IV. p. 331. n° 10.
Rhynchænus xylostei. CLAIRV. *Ent. Helv.* I. p. 70. n° 1. T. 4. f. 1. 2.
Patria : Italia, Helvetia, Germania, Finlandia.

* 22. O. POPULI.

Oblongo-ovatus, niger, antennis pedibusque pallide testaceis, femoribus posticis fascia nigra, pectore albido-pubescente. — GHL.

OLIV. *Ent.* V. 83. p. 105. n° 47. T. 32. f. 492.
DEJ. *Catal. Col.* p. 83.
Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 495. n° 272.
CLAIRV. *Ent. Helv.* I. p. 72. T. 4. f. 3. 4.
GYLLENH. *Ins. Suec.* III. 249. n° 149.

---

(1) Forte hujus generis; mihi invisus.

Curculio id. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 448. n° 228.
HERBST. *Col.* VI. p. 423. n° 408. T. 93. f. 4.
PAYK. *Faun. Suec.* III. p. 268. n° 90.
PANZ. *Faun. Germ.* XVIII. n° 17. — *Ent. Germ.* p. 320. n° 121.
CEDERH. *Faun. Ingr.* n° 340.
WALKEN. *Faun. Par.* I. p. 247. n° 34.
Salius id. GERM. *Mag.* IV. p. 334. n° 20.
Tachyerges id. STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 67. n° 4.
Curculio fagi. PAYK. *Mon. Curc.* p. 64. n° 61.
MULL. *Zool. Dan. Prodr.* p. 90. n° 1009.

Patria : Tota Europa.

* 23. O. SALICIS.

Ovalis, niger, antennis tibiis tarsisque testaceis, thorace toto, coleopteris plaga cordata baseos fasciaque postica, abbreviata, ferrugineo aut griseo-hirtis. — GERM.

Curculio id. LINN. *Faun. Suec.* n° 610. — *Syst. nat.* I. II. p. 611. n° 43. — Ed. GMEL. I. IV. p. 1761. n° 43.
FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 447. n° 222. — *Mant.* I. p. 110. n° 154. *Spec. Ins.* I. p. 183. n° 125. — *Syst. Ent.* p. 144. n° 91.
ROSSI. *Faun. Etr.* I. p. 125. n° 320. — Ed. HELLW. p. 134. n° 320.
VILLERS. *Ent.* I. p. 193. n° 83.
PANZ. *Ent. Germ.* p. 319. n° 115.
CEDERH. *Faun. Ingr.* n° 338.
GLEDITSCH. *Einleit.* II. p. 63. n° 96.
MULL. LINN. *Nat. Syst.* V. I. p. 227. n° 43.
Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 494. n° 264. (Secundum ejus Musæum.)
Salius id. GERM. *Mag.* IV. p. 332. n° 12.
Orchestes signifer. CREUTZ. *Ent. Vers.* p. 125. n° 17. T. 3. f. 29.
DEJEAN. *Cat. Col.* p. 83.
STURM. *Ins. Cat.* 1826. p. 180.
Rhynchænus id. GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 246. n 146.
Orchestes hortorum. OLIV. *Ent.* V. 83. p. 103. n° 44. T. 32. f. 489.
Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 446. n° 218. ?
HERBST. *Col.* VI. p. 430. n° 417. ?
PANZ. *Ent. Germ.* p. 319. n° 111. ?
Orchestes avellanæ. STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 64. n° 14.
Curculio id. MARSH. *Ent. Brit.* p. 263. n° 78.
DONOVAN. *Brit. Ins.* VI. T. 205. f. 3.
Orchestes X-album. STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 64. n° 11.

Rhynchænus scapularis. BECK. *Beytr. zur Baier. Ins. Faun.* p. 23. n° 35. T. 7. f. 35.

Curculio bifasciatus, var. β. PAYK. *Faun. Suec.* III. 270. n° 92. — *Mon. Curc.* p. 65. n° 62.

FRISCH. *Ins.* III. p. 33. T. 7. f. 1-5.

Patria : Europa septentrionalis et media.

24. O. FOEDATUS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, dense pallido-tomentosus, antennis pedibusque læte flavis, thorace transverso, punctato, elytris sub-remote punctato-striatis, interstitiis planis, alutaceis; femoribus dente subtili armatis.

Patria : Gallia, Parisiis. Ex Musæo Dom. CHEVROLAT, ad describendum, amice missus.

Minutus; *Orchesti saliceti* æqualis. Caput sub-globosum, punctulatum, nigrum, pallido-tomentosum; oculi magni, convexi, nigri, in fronte valde approximati; rostrum longitudine capitis cum thorace, parum arcuatum, nigrum, nitidum, basi supra pallido-tomentosum. Antennæ breviusculæ, flavescentes, clava saturatius testacea. Thorax brevis, transversus, antice dimidio angustior, apice truncatus, intra apicem constrictus, margine elevato; lateribus obliquis, parum ampliatis; basi bi-sinuatus, supra transversim modice convexus, confertim punctatus, niger, tomento denso, depresso, pallido, vestitus. Scutellum triangulare, nigrum, pallido-tomentosum. Elytra antice sinuata, thoracis basi multo latiora, humeris sub-elevatis, rotundatis; lateribus non ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace quadruplo longiora, supra parum convexa, sub-remote punctato-striata, interstitiis planis, punctulatis; nigra, tomento sat denso pallido vestita. Corpus subtus punctulatum, nigrum, sat dense pallido-tomentosum. Pedes validiusculi, toti pallide flavescentes; femoribus medio crassioribus, subtus in medio dente subtili, acuto, armatis; tibiis compressis: tarsis parum dilatatis, subtus vix spongiosis. — GHL.

* 25. O. RUSCI.

Ovalis, niger, antennis tarsisque rufis, coleopteris sulcatis, stria suturali baseos, fasciisque duabus macularibus, approximatis, albido-pilosis. — GERM.

Salius id. GERM. *Mag.* IV. p. 333. n° 16.
Curculio id. HERBST. *Col.* VI. p. 424. n° 410. T. 93. f. 16.?

Rhynchænus bifasciatus. GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 247. n° 147.

ILLIG. *Mag.* VI. p. 310. n° 78.

Orchestes id. STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 64. n° 16.

DEJEAN. *Catal. Col.* p. 83.

STURM. *Ins. Catal.* 1826. p. 180.

Curculio id. PAYK. *Faun. Suec.* III. p. 270. n° 92.

Ramphus id. THUNB. *in Nova Acta Ups.* VII. p. 112.

Salius salicis. SCHRANK. *Faun. Boic.* I. p. 510. n° 584.

Patria : Suecia, Germania, Anglia.

GREX TACHYERGES.

Subgenus *Tachyerges* SCHH. — Genus id. STEPH. (1). — *Orchestes* et *Rhynchænus* auctorum. *Adumbratio.*—Funiculus antennarum 7-articulatus; femora semper mutica.—Cæterum ut in *Orchestibus* genuinis.

* 26. O. BIFASCIATUS.

Ovalis, niger, antennis basi rufis, elytris striatis, fasciis duabus undato-flexuosis, albidis; antica ad suturam dilatata, flavescente, posteriore angustiore, alba. — GERM.

Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 454. n° 78.

Curculio id. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 410. n° 74.—*Mant.* I. p. 102. n° 61. — *Spec. Ins.* I. p. 169. n° 45. — *Gen. Ins. Mant.* p. 225. n° 31-32.

HERBST. *Col.* VI. p. 451. n° 454.

OLIV. *Enc. méth.* V. p. 485. n° 66.

VILLERS. *Ent.* I. p. 188. n° 50. et IV. p. 268. n° 50.

PANZ. *Ent. Germ.* p. 305. n° 34.

LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1749. n° 141.

Salius id. GERM. *Mag.* IV. p. 332. n° 13.

Orchestes salicis. OLIV. *Ent.* V. 83. p. 104. n° 45. T. 32. f. 490.

ZETTERST. *Faun. Ins. Lapp.* I. p. 328. n 1.

DEJEAN. *Cat. Cal.* p. 83.

Rhynchænus id. GYLLENH. *Ins.* III. p. 245. n° 145. et IV. p. 600. n° 145.

OKENS *Naturg.* III. p. 771.

Tachyerges id. STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 66. n° 1.

Curculio id. OLIV. *Enc. méth.* V. p. 522. n° 229.

PAYK. *Faun. Suec.* III. p. 269. n° 91. — *Mon. Cur.* p. 64. n° 62. a.

---

(1) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 256. — Steph. Brit. Ent. p. 65.

HERBST. *Col.* VI. p. 442. n° 406. T. 93. f. 2.
MARSH. *Ent. Brit.* p. 264. n° 79.
WALCKEN. *Faun. Par.* I. p. 159. n° 11.
ROEM. *Gen. Ins.* T. 34. f. 20.
GOEZE. *Eur. Faun.* VIII. p. 477. n° 3.
Curculio saltator salicis. DE GEER. *Ins.* V. p. 264. n° 51.
Curculio scrutator. HERBST. *Col.* VI. p. 191. n° 152. T. 73. f. 4. et VII. p. 4.
Rhynchænus capreæ (1). FABR. *Syst. El.* II. p. 452. n° 69.
Curculio id. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 409. n° 67.—*Mant.* I. p. 101. n° 51. — *Spec. Ins.* I. p. 168. n° 39.
OLIV. *Enc. méth.* V. p. 484. n° 62.
HERBST. *Col.* VI. p. 449. n° 450.
VILLERS. *Ent.* I. p. 187. n° 48. et IV. p. 268. n° 48.
DONOV. *Brit. Ent.* T. 121. f. 5. 6. 7.
LINN. *Syst. nat.* I. IV. p. 1750. n° 154.

Patria : Tota Europa.

* 27. O. RUFITARSIS. *Dejean.*

Ovalis, niger, antennis tarsisque rufis, elytris striatis, fasciis duabus abbreviatis ; antica sinuata latiore flavescente, postica angustiore, alba. — GERM.

DEJ. *Catal. Col.* p. 82.
GYLLENH. *Ins. Suec.* IV. p. 601. Obs.
Salius id. GERM. *Mag.* IV. p. 333. n° 14.

Patria : Germania, Gallia.

28. O. CONFUNDATUS. *Schh.* (2).

Oblongo-ovatus, niger, scutello concolore, antennis tarsisque rufo-testaceis. — STEPH.

Tachyerges rufitarsis. STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 67. n° 5.

Patria : Anglia.

* 29. O. DECORATUS. *Schüppel.*

Ovalis, niger, antennis tarsisque rufo-testaceis, scutello albo, elytris fasciis duabus obsoletis, e lineolis albidis compositis. — GYLL.

STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 65. n° 17.

---

(1) Huc pertinet secundum Mus. Dom. Banks, teste D. Spence *in Litteris.*
(2) Mihi invisus

Salius id. GERM. *Mag.* IV. p. 333. n° 15.
Rhynchænus id. GYLLENH. *Ins. Suec.* IV. p. 601. n° 145-6.
Orchestes confinis. DEJ. *Cat. Col.* p. 83.
Curculio salicis. BECKST. et SCHARFENB. *Forstins.* I. p. 159. n° 11.
Orchestes affinis. STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 65. n° 18. var. forte.

Patria : Germania, Gallia, Suecia.

* 30. O. STIGMA.

Oblongo-ovatus, niger, thorace oblongo, conico, coleopteris punctato-sulcatis, scutello albido. — GERM.

Salius id. GERM. *Mag.* IV. p. 334. n° 19.
Tachyerges id. STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 67. n° 6.
Rhynchænus iota. GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 248. n° 148.
Curculio iota. PAYK. *Faun. Suec.* III. p. 271. n° 93. — *Mon. Curc.* p. 66. n° 63.
Orchestes iota. ZETTERST. *Faun. Ins. Lapp.* I. p. 329. n° 2.
Orchestes alboscutellatus. DEJ. *Cat. Col.* p. 82.
STURM. *Ins. Cat.* 1826. p. 179.
Orchestes aterrimus. STURM. *Ins. Cat.* 1826. p. 179.

Patria : Germania, Gallia, Suecia.

* 31. O. SALICETI.

Oblongus, niger, sub-pubescens, antennarum basi tibiisque testaceis, elytris convexis, profunde punctato-striatis, pectore albido-pubescenti. — GHL.

ZETTERST. *Faun. Ins. Lapp.* I. p. 329. n° 3.
DEJEAN. *Catal. Col.* p. 83.
Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 496. n° 262.
GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 250. n° 150.
Curculio id. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 446. n° 220.
PAYK. *Faun. Suec.* III. p. 271. n° 94. — *Mon. Curc.* p. 66. n° 64.
HERBST. *Col.* VI. p. 430. n° 418.
PANZ. *Ent. Germ.* p. 319. n° 113.
Salius id. GERM. *Mag.* IV. p. 335. n° 21.
Tachyerges id. STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 66. n° 2.
Curculio foliorum. MULL. *Zool. Dan. Prodr.* p. 90. n° 1010.
Tachyerges scutellatus. STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 69. n° 3. var. forte.
SWAMMERD. *Bibl. Nat.* II. p. 743. T. 44. f. 8-13.
* VAR. β. Femoribus anterioribus obscure testaceis.
Rhynchænus saliceti, var. b. GYLLENH. l. c.

Patria : Suecia, Anglia.

Ad hoc genus referendæ species mihi invisæ.

32. O. ERYTHROPUS.

Ater, antennis pedibusque fulvis, thorace, elytrorum basi, fascia abbreviata postica apiceque ferrugineo aut griseo-hirtis. — GERM.

Salius id. GERM. *Mag.* IV. p. 331. n° 11.

Patria : Germania.

33. O. CALCEATUS.

Oblongo-ovatus, niger, dense cinereo-tomentosus, scutello albo, antennis, tibiis tarsisque rufis. — GERM.

Salius id. GERM. *Mag.* IV. p. 334. n° 17.

Patria : Curonia.

34. O. MONEDULA.

Niger, rostro ferrugineo, capite thoraceque obsolete fuscis, pedibus obscure ferrugineis. — HERBST.

Curculio id. HERBST. *Col.* VI. p. 424. n° 409. T. 93. f. 5.

Patria : Germania.

35. O. EPHIPPIATUS.

SAY, *Descript. of Curcul. of N. Amer.* p. 16. n° 1.

Patria : Indiana Americæ borealis.

36. O. PALLICORNIS.

SAY, *Descript. of Curcul. of N. Amer.* p. 16. n° 2.

Patria : Indiana.

37. O. CRASSUS (1).

Supra fuscus, thorace quadri-tuberculato, elytris striatis. — FABR.

Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 492. n° 257.

Patria : America meridionalis.

---

(1) Vix hujus generis.

GENERA ET SPECIES
CURCULIONIDUM,

CUM

SYNONYMIA HUJUS FAMILIÆ;

A

C. J. SCHOENHERR.

SPECIES NOVÆ AUT HACTENUS MINUS COGNITÆ,

DESCRIPTIONIBUS

A Dom. LEONARDO GYLLENHAL, C. H. BOHEMAN,
ET ENTOMOLOGIS ALIIS

ILLUSTRATÆ.

TOMUS TERTIUS. — PARS SECUNDA.

PARISIIS,
Apud RORET, via hautefeuille, N° 10 bis.
LIPSIÆ,
Apud Fred. FLEISCHER.
1836.

FAMILIA

CURCULIONIDES.

ORDO SECUNDUS.

GONATOCERI.

LEGIO II. MECORHYNCHI. (*Rhynchænides* FABR.)

Rostrum cylindricum vel filiforme, plus minusve elongatum, raro thorace brevius. Antennæ ante vel prope medium rostri, nec juxta sinum oris insertæ.

SECTIO I. — *Antennæ articulis* 11, 12; *clava 4-articulata.*

Divisio I. ERIRHINIDES.

Pedes antici basi approximati.

SUBDIVISIO I. — *Thorax subtus integer; h. e. ante pedes anticos haud canaliculatus.*

(CONTINUATIO.)

COHORS 2. — *Exscutellati.* — *Apteri.*

GENUS 251. ANCHONUS. *Nobis* (1).

Rhynchænus FABR., DEJEAN, STURM.

Character generis.—Antennæ mediocres, validiusculæ; funiculo 8-articulato: articulo 1° brevissimo, 2° elongato, obconico, 4-8 brevibus, sub-perfoliatis, exterioribus successive perparum crassioribus; clava breviter ovata.

Rostrum elongatum, validum, teres, arcuatum, in basi profunde constrictum.

Oculi valde remoti, inferi sub lobo thoracis fere occultati, immersi.

---

(1) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 257. n° 150.

Thorax oblongus, basi truncatus, lateribus rotundatus, intra apicem coarctatus, pone oculos lobatus, infra pone gulam profunde emarginatus.

Elytra oblonga, sub-ovata, convexa.

Observ. — Corpus sub-ovatum, rigidum, scabrosum, apterum; minoris magnitudinis.

Patria: Americæ meridionalis Insulæ.

* 1. A. SUILLUS.

Ovatus, niger, fusco-pubescens, thorace varioloso, antice leviter constricto, lateribus modice ampliato, elytris punctato-striatis, interstitiis seriatim granulatis et pilosis. — GHL.

GUÉRIN. *Iconogr. du Règne animal.* T. 39 bis. f. 1.?
Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 442. n° 22.
DEJEAN. *Cat. Col.* p. 87.
STURM. *Ins. Cat.* 1826. p. 190.
Curculio id. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 402. n° 35.
HERBST. *Col.* VI. p. 437. n° 429.
Rhynchænus sordidus. FABR. *Syst. El.* II. p. 442. n° 21. idem forte.
Curculio id. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 402. n° 34. idem forte.
HERBST. *Col.* VI. p. 437. n° 428. idem forte.

Patria: Americæ meridionalis Insulæ.

* 2. A. SUBSPINOSUS.

Ovatus, niger, parce fusco-pubescens, thorace varioloso, antice profunde constricto, lateribus anterius abrupte ampliato, elytris remote punctato-striatis, interstitiis tuberculis sub-acuminatis, interrupte seriatis, instructis. — GHL.

Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 444. n° 28.

Patria: America meridionalis.

* 3. A. CALLOSUS. *Schh.*

Oblongus, niger, opacus, cinereo-pubescens et setosus, antennis, pygidio tarsisque rufo-piceis, rostro striato, thorace sub-depresso, valde rugoso, elytris tuberculis numerosis, inæqualibus, adspersis.

Patria: Antioquia Columbiæ. A Dom. NISSER communicatus. Mus. SCHH.

Longitudo *Anchoni suilli*, sed fere dimidio angustior. Caput parvum, retractum, obsolete punctatum, nigrum, indumento denso, cinereo, vestitum, relicta plaga transversa denudata in postico

frontis; oculi sub-depressi, nigri; rostrum thorace brevius, validum, arcuatum, basi constrictum, supra striis pluribus punctatis exaratum, nigrum, dense cinereo-squamulosum et setosum. Antennæ rufo-piceæ, clava obscuriore, albido-pubescente. Thorax latitudine vix brevior, antice subito angustior, apice emarginatus, intra apicem late et profunde constrictus; lateribus pone stricturam rotundato-ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra fere planus, confertim rude rugosus, niger, squamositate setulisque cinereis adspersus. Scutellum nullum. Elytra antice sub-sinuata, thoracis basi paulo latiora, humeris antrorsum prominulis; lateribus ampliata, posterius valde attenuata, apice conjunctim acute rotundata, thorace triplo longiora, supra convexa, fornicata, disperse punctata, tuberculis numerosis adspersa, aliquot majoribus, obtusis, setulosis, reliquis minoribus, conicis; nigra, indumento cinereo vestita. Pygidium rotundatum, sub-læve, planum, rufo-piceum. Corpus subtus disperse punctatum, nigrum, parce setulosum. Pedes mediocres, nigri, setulosi et pilosi; tarsis rufo-piceis. — GHL.

4. A. SERRATUS (1).

Ferrugineus, thorace varioloso, elytris striatis; striis sub-serratis. — FABR.

Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 442. n° 18.

Patria: America meridionalis.

GENUS 252. STYPHLUS. *Nobis* (2).

Comasinus MEGERLE, DEJEAN.

Character generis. — Antennæ longiusculæ, subtenues; funiculo 7-articulato: articulo 1° elongato, clavato, reliquis brevibus, rotundatis, setosis, æqualibus; clava sub-ovata, evidenter 4-articulata.

Caput retractum, frons depressa.

Rostrum elongatum, validum, teres, modice arcuatum, in basi sub-constrictum.

Thorax latitudine longior, linearis, ante apicem sub-coarctatus.

Elytra oblongo-ovalia, basi conjunctim emarginata, humeris antrorsum acutangulis.

Tibiæ latiusculæ, sub-compressæ, intus sinuatæ, apice unco minutissimo, vix conspicuo, instructæ.

---

(1) Hujus generis; secundum Mus. Toend. Lund, Hafniæ.

(2) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 258. n° 151.

Observ. — Corpus oblongum, rigidum, scabrosum, hispidum, apterum; minimæ magnitudinis.

1. S. PENICILLUS. *Schh.*

Elongatus, niger, antennis tarsisque ferrugineis, thorace lineari-elongato, varioloso, inæquali, elytris profunde punctato-striatis, sutura interstitiisque alternis elevatis, seriatim setosis.

Habitat in Gallia meridionali. Mus. Reg. Acad. Scient. Holm.

Magnitudo, statura et fere facies *Sarrotrii mutici*. Caput parvum, retractum, punctatum, nigrum, setulis depressis cinereis adspersum, fronte depressa; oculi laterales, ovati, nigro-brunnei, depressi; rostrum longitudine fere capitis cum thorace, crassum, convexum, arcuatum, nigro-piceum, basi sub-constrictum, carinula media paulo altiore, et alia utrinque laterali, instructum. Antennæ ferrugineæ, cinereo-pubescentes. Thorax latitudine multo longior, linearis, basi apiceque truncatus, lateribus non ampliatus, supra parum convexus, inæqualis, longe intra apicem transversim, obsoletius impressus et in utroque latere foveola oblonga notatus; confertim variolosus, niger, indumento denso cinereo obductus. Scutellum nullum. Elytra oblonga, antice thoracis basi non latiora, humeris angulatis; lateribus posterius ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace plus duplo longiora, supra convexa, profunde punctato-striata, sutura interstitiisque alternis elevatis, setis erectis, rigidis, albidis, seriatim adspersis; nigra, indumento cinereo obducta. Corpus subtus nigrum, profunde punctatum, indumento denso cinereo tectum. Pedes breviusculi, validi, nigri, cinereo-setulosi et pubescentes; femoribus clavatis muticis; tarsis ferrugineis.— GHL.

GREX A. STRENES. *Nobis.*

Adumbratio. — *Antennæ* mediocres, subtenues; funiculo 6-articulato: articulis 1-2 obconicis, illo crassiore, 3-6 rotundatis; clava sub-ovata, minus distincte 4-articulata. — *Caput* retractum; frons convexa.— *Rostrum* longiusculum, validum, teres, modice arcuatum, non carinatum, basi sub-constrictum. — *Thorax* latitudine vix longior, sub-cylindricus, anterius sub-angustior, ante apicem coarctatus. — *Elytra* oblongo-ovalia, basi conjunctim emarginata. — *Tibiæ* teretiusculæ, sub-lineares, apice oblique truncatæ, unco horizontali minuto intus instructæ.

TYPUS. *Styphlus* (*Strenes*) *setulosus*.

A στρηνής asper.

Observ. — Quamvis numerus articulorum antennalium in *Styphlo* nostro et *Orthochæte* Cel. Germari, non idem, suadent tamen summa horum insectorum similitudo et affinitas, ut sub eodem genere collocentur, æque ac *Comasinus* (*Strenes*) *setulosus* Dom. Com. Dejean; singuli tamen in peculiari subdivisione seu Grege. — In *Styphlo* funiculus antennarum quidem evidenter 7-articulatus, cum in Gregibus *Strene* et *Orthochæte* sex tantum gaudet articulis : sed ejusmodi discrepantia etiam in Generibus *Orchestide* et *Tychio* occurrit, quorum prioris Grex *Tachyerges* et posterioris *Miccotrogus* pari modo a genuino genere aberrant. — Greges *Strenes* et *Orthochætes* ambo quidem funiculum 6-articulatum gerunt, sed articulorum proportiones aliæ et clavæ constructio diversa, quare illos distinguere necessum fuit.

Dom. Chevrolat, Entomologus Parisiensis eximius, et scientiæ progressus administrandos ardenter cupiens, summa cum munificentia Curculionides ingentis suæ collectionis, etiam unicos, ut describerentur et illustrarentur, benevole communicavit, et inter hos etiam *Styphlum* (*Strenem*) *setulosum*, qualem ejus liberalitatem in gratissima mente conservo.

2. S. Setulosus.

Oblongo-ovatus, piceo-ferrugineus, cinereo-tomentosus, antennis pedibusque dilutius ferrugineis, rostro lato, arcuato, non carinato, thorace sub-quadrato, elytris ovatis, punctato-sulcatis, interstitiis alternis elevatioribus, seriatim setosis.

Comasinus id. Com. Dejean *in Litteris*, teste Dom. Chevrolat.

Habitat in Gallia, Roani. Mus. Dom. Chevrolat.

Parvus; facie quodammodo *Dryophthoro Lymexyloni* similis, sed plus duplo minor. Caput brevissimum, retractum, obsolete punctulatum, piceum, opacum, fronte inter oculos transversim impressa; oculi parvi, laterales, demissi, nigri, parum prominuli; rostrum longitudine fere thoracis, latum, arcuatum, supra parum convexum, minime carinatum, obsolete punctulatum, fusco-piceum, opacum, pubescens. Antennæ thoracis medium vix superant, dilutius ferrugineæ, clava nigricante. Thorax latitudine vix longior, sub-quadratus, antice perparum angustior, truncatus, longe intra apicem transversim impressus, lateribus fere rectis; basi bi-sinuatus, supra parum convexus, rugoso-punctatus, piceus, opacus, cinereo-tomentosus. Elytra oblongo-ovata, antice sinuata, humeris sub-prominulis; lateribus æqualiter ampliata, apice conjunctim rotun-

data, thorace plus triplo longiora, supra convexa, punctato-subsulcata, sutura interstitiisque alternis paulo elevatioribus, seriatim setosis; piceo-ferruginea, tomento cinereo, præsertim ad basin et suturam sub-fasciculatim vestita. Corpus subtus obscure piceum, punctatum, cinereo-pubescens. Pedes mediocres, dilutius ferruginei, pubescentes; femoribus sub-clavatis, muticis.—GHL.

GREX B. ORTHOCHÆTES.

Genus *Orthochætes*. MULL., GERM., LATR. (1).

Adumbratio.—*Antennæ* mediocres, subtenues; funiculo 6-articulato: articulo 1° longiore, clavato, reliquis lenticularibus, sub-æqualibus; clava crassa, ovato-globosa, sub-solida.—*Caput* parvum, rotundatum.—*Rostrum* longiusculum, crassiusculum, arcuatum, rugosum, supra sub-carinatum.—*Thorax* latitudine vix longior, cylindricus, ante apicem coarctatus, antice marginatus.—*Elytra* oblongo-ovalia, thorace paulo latiora, medio adhuc latiora.—*Tibiæ* latiusculæ, compressæ, intus sinuatæ, apice truncatæ, muticæ.

TYPUS. — *Orthochætes setiger.* Germar.

Ab ὀρθοχαίτης comam habens erectam.

Observ.—*Orthochætes setiger* Cel. Germari, mihi quidem invisus, sed descriptio nominati Auctoris accuratissima ausam præbuit, hoc Insectum sub genere *Styphlo*, ut gregem peculiarem assumendum. — Characteres hujus Gregis ex descriptione Cel. Germari desumsi.

3. S. SETIGER.

Rufescens, elytris subpunctato-sulcatis, interstitiis alternis elevatioribus, carinatis, seriatim setosis. — GERM.

Orthochætes id. GERM. *Ins. Spec.* I. p. 304. n° 443.

Rhynchænus id. BECK. *Beytr. zur Baiers. Ins. Faun.* p. 21. n° 30. T. 6. f. 50.

Comasinus setosus. DEJEAN. *Cat. Col.* p. 85.

Patria : Bavaria, Gallia borealis.

---

(1) Germ. Ins. Spec. I. p. 302. — Latr. Règ. Anim. p. 394.

GENUS 253. TRACHODES.

Trachodes SCHUPP., GERM., SCHH. (1). — *Rhynchænus* GYLLENH., BECK. — *Curculio* LINN., PAYK.

Character generis.—Antennæ mediocres, subtenues; funiculo 7-articulato : articulis duobus basalibus obconicis, 1° paulo crassiore, reliquis sub-nodosis, exterioribus gradatim perparum latioribus; clava breviter ovata.

Rostrum elongatum, subtenue, teres, lineare, arcuatum.

Thorax basi apiceque truncatus, lateribus rotundatus, antice coarctatus.

Elytra sub-ovata, basi sub-truncata, angulis humeralibus sub-rotundatis; versus apicem attenuata, supra modice convexa.

Observ.—Corpus ovatum, convexum, hispidum, apterum; minusculæ magnitudinis.

* 1. T. PTINOIDES.

Femoribus muticis, piceo-niger, thorace oblongo, carinato, elytris punctato-striatis, hispidis, griseo irroratis.

GERM. *Ins. Sp.* I. p. 327. n° 466.

Patria : Unalaschka.

* 2. T. HYSTRIX. *Sch.*

Ellipticus, nigro-piceus, subtus dense, supra inæqualiter cinereo-albido-squamosus, rostro, antennis pedibusque ferrugineo variegatis, thorace postice latiore, quadrifariam setoso, elytrorum striis obsolete punctatis, interstitiis alternis seriatim setosis.

Patria : Tauria. Dom. STEVEN. Mus. SCHH.

Magnitudo et fere statura *Erirhini acriduli; Trachodi hispido* valde affinis, sed plus duplo major, posterius magis attenuatus, thorax postice latior, etc. Caput parvum, rotundatum, punctatum, nigro-piceum, fronte dense albo-argenteo-squamulosa; oculi rotundati, depressi, nigri; rostrum longitudine capitis cum thorace, arcuatum, basi crassius, punctatum et striatum, piceum, extrorsum attenuatum, rufo-ferrugineum, nitidum, sub-læve. Antennæ mediocres, ferrugineæ, funiculo saturatius piceo. Thorax latitudine baseos brevior, antice duplo angustior, apice truncatus, intra apicem obsolete constrictus, lateribus anterius obliquis, dein parum ampliatis; basi leviter bi-sinuatus, supra modice convexus, sub-pulvinatus,

(1) Germ. Ins. Spec. I. p. 325. — Schh. Curc. Disp. Meth. p. 260. n° 151.

confertissime et sat profunde punctatus, niger, in medio fere nudus, versus latera cinereo-squamulosus, setis validis, erectis, nigris, nonnullis spiniformibus, acutis, reliquis clavatis seu apice latioribus, in seriebus quatuor digestis, obsitus, dorsalibus postice abbreviatis. Scutellum nullum. Elytra antice singulatim obtuse rotundata, thoracis basi latiora, humeris fere rectangulatis; lateribus ampliata, posterius valde attenuata, apice conjunctim acute rotundata, thorace vix triplo longiora, supra anterius parum convexa, posterius declivia, sat distincte striata, striis in dorso remote punctatis, versus latera et apicem fere simplicibus; interstitiis sub-convexis, alternis seriatim setosis, setis ejusmodi ut in thorace; nigra, plagiatim cinereo-albido-squamosa. Pygidium pone elytra exsertum, semi-ellipticum, ferrugineum. Corpus subtus confertim punctatum, nigro-piceum, dense cinereo-albido-squamosum. Pedes longiusculi, validi; femoribus crasse clavatis, piceis, albido-squamosis, subtus dente valido, triangulari, armatis; tibiis compressis, arcuatis, basi piceis, apice ferrugineis, albido-squamosis; tarsis parum dilatatis, piceis, apice ferrugineis.—GHL.

* 3. T. HISPIDUS.

Femoribus dentatis, fusco-brunneus, convexus, cinereo-squamulosus, antennis pedibusque rufescentibus; supra squamis erectis nigris, exasperatus, elytris connatis, profunde striatis, rostro tenui arcuato. — GHL.

GERM. *Ins. Spec.* I. p. 326.

Curculio id. LINN. *Faun. Suec.* n° 619. — *Syst. nat.* I. II. p. 614. n° 65. — Ed. GMEL. I. IV. p. 1769. n° 65.

OLIV. *Enc. méth.* V. p. 521. n° 220.

VILLERS. *Ent.* I. p. 199. n° 99.

Pissodes id. STURM. *Ins. Cat.* 1826. p. 184.

Rhynchænus squamifer. GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 200. n° 112.

Curculio id. PAYK. *Faun. Suec.* III. p. 206. n° 22.

Rhynchænus acanthion. BECK. *Beit. zur Baierisch. Ins. Faun.* p. 22. n° 32. T. 6. f. 32.

Patria : Suecia, Finlandia, Germania, Gallia.

GENUS 254. PACHYTRICHIUS. *Nobis.*

Character generis.—Antennæ mediocres, tenues; funiculo 7-articulato : articulis duobus basalibus longiusculis, sub-obconicis, reliquis brevibus, sub-turbinatis, gradatim perparum latioribus; clava oblongo-ovata, acuminata.

Rostrum longiusculum, validiusculum, teres, lineare, parum arcuatum.

Thorax basi truncatus, lateribus vix rotundatus, apice subito angustatus, pone oculos lobatus, supra modice convexus.

Elytra breviter sub-ovata, basi sub-truncata, angulis humeralibus sub-rotundatis; apice conjunctim rotundata, supra convexa.

Pedes robusti; tibiæ teretes, rectæ, crassæ; tarsi subtenues.

Descriptio. — *Corpus* breviusculum, ovale, convexum, durum, villosum, apterum; minusculæ magnitudinis. — *Antennæ* versus apicem rostri insertæ, thoracis basin vix attingentes, tenues, setosæ, fractæ, 12-articulatæ: articulo 1° longo, oculos attingente, recto, clavato; 2° et 3° longiusculis, sub-obconicis; reliquis brevissime sub-obconicis, successive nonnihil latioribus, ultimo clavæ adpresso; clava oblongo-ovata, acuminata, 4-articulata, articulis arcte connexis.—*Rostrum* longitudine capitis cum thorace, validiusculum, inflexum, teres, lineare, parum arcuatum; scrobe lineari, totum rostrum percurrente, sensim subtus flexa, in basi rostri subtus cum opposita connivente.—*Oculi* demissi, ovati, depressi.—*Thorax* longitudine latior, basi truncatus; lateribus subrectis; apicem versus subito angustatus, non coarctatus, apice ipso modice rotundato-productus, pone oculos lobatus, infra pone gulam profunde emarginatus, supra modice convexus.—*Scutellum* haud observandum.—*Elytra* antice thoracis basi vix latiora et illo duplo longiora, breviter sub-ovata, basi truncata; humeris obtuse angulatis, fere rotundatis; supra convexa, apice conjunctim rotundata, anum obtegentia.—*Pedes* robusti, sub-æquales, basi approximati; femoribus in medio incrassatis, muticis; tibiis crassis, sub-teretibus, basi tenuioribus, apicem versus sensim latioribus, apice ipso muticis; tarsis minus latis; articulo penultimo bilobo, subtus vix spongioso, ultimo clavato, bi-unguiculato.

TYPUS. — *Pachytrichus ursus.*

A παχύτριχος qui crassis est pilis.

1. P. URSUS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, dense griseo-squamosus, pilis longissimis, erectis, cinereis, sat dense obsitus, antennis tarsisque ferrugineis, thorace longitudinaliter remote rugoso, elytris subtiliter punctato-striatis, interstitiis sub-convexis.

Patria: Caffraria. A Dom. ECKLON et ZEYHER, ad describendum, amice communicatus.

Longitudo fere *Phytonomi trifolii*, sed latior. Caput parvum,

breve, sub-rotundatum, supra parum convexum, nigrum, dense griseo-squamulosum, pilis longis, cinereis, adspersum; oculi laterales, ovati, depressi, nigri; rostrum longitudine fere capitis cum thorace minus crassum, lineare, teres, modice arcuatum, nigrum, squamulis griseis dense tectum, pilis longis adspersum. Antennæ versus apicem rostri insertæ, tenues, rufo-testaceæ, parce cinereo-pubescentes, clava parva, oblongo-ovata, acuminata. Thorax latitudine media multo brevior, apice ipso nonnihil rotundato-productus, lobis ocularibus parum prominulis, rotundatis; apice subito angustatus, lateribus fere rectis; basi truncatus, supra parum convexus, longitudinaliter remote, profunde rugosus; totus niger, squamulis griseis densissime tectus, pilis longissimis, erectis, cinereis, obsitus. Scutellum vix observandum. Elytra sub-ovata, antice fere truncata, thoracis basi paulo latiora et illo duplo longiora, humeris parum prominulis, obtuse angulatis, fere rotundatis, pone medium apicem versus sensim augustata, apice ipso conjunctim rotundata, supra modice convexa, postice declivia, subtiliter punctato-striata, interstitiis sub-convexis, squamulis griseis tecta, pilisque longissimis, erectis, cinereis, sat dense adspersa. Corpus subtus nigro-piceum, dense squamosum, pube longa cinerea adspersum. Pedes mediocres, robusti, nigri, griseo-squamosi et cinereo-pilosi; femoribus modice clavatis, muticis; tibiis crassis, subteretibus, basi tenuioribus, apice muticis; tarsis angustis, ferrugineis.—Bhn.

Genus 255. HYPSOMUS. *Nobis.*

Character generis. — Antennæ longiusculæ, tenues, prope apicem rostri insertæ; funiclo 7-articulato: articulis duobus basalibus longiusculis, obconicis, primo paulo crassiore, reliquis brevibus, lenticularibus; clava oblonga, ovalis.

Rostrum longiusculum, subtenue, teres, lineare, arcuatum; scrobs linearia, curvata, jam mox subtus flexa.

Thorax basi paulo producto-rotundatus, lateribus parum rotundatus, anterius subito angustior, pone oculos lobatus.

Elytra oblonga, sub-ovata, basi conjunctim profunde emarginata; humeris antrorsum prominulis.

Descriptio. — *Corpus* oblongum, ellipticum, modice convexum, squamulosum, apterum; minusculæ magnitudinis. *Antennæ* thoracis basin vix attingentes, prope apicem rostri insertæ, tenues, fractæ, 12-articulatæ: articulo 1° oculos attingente, tenui, clavato; 2° et 3° longiusculis, obconicis; 2° paulo crassiore; 4-8 brevibus, lenticularibus, sub-æqualibus; clava oblongo-ovali, acuminata,

4-articulata, articulis arcte connexis. — *Rostrum* thorace longius, inflexum, subtenue, teres, lineare, modice arcuatum; scrobe angusta, lineari, subito subtus flexa, in medio rostri subtus cum opposita connivente. — *Oculi* demissi, ovati, depressi. — *Thorax* longitudine latitudinem baseos vix superante, basi lateribusque modice rotundatis, versus apicem cito angustatus, antice rotundato-productus, pone oculos lobatus, supra modice convexus, infra pone gulam profunde emarginatus. — *Scutellum* haud observandum. — *Elytra* oblonga, sub-ovata, basi conjunctim profunde emarginata, thoracis parte postica vix latiora, humeris antrorsum prominulis, acuminatis; lateribus versus apicem sensim angustata, apice ipso acuminata, anum obtegentia. — *Pedes* mediocres, validi, antici parum longiores, basi approximati; femoribus clavatis, muticis; tibiis sub-teretibus, apice muticis; tarsis subtus spongiosis, articulo ultimo clavato, bi-unguiculato.

TYPUS. — *Hypsomus scapha*.

Ab ὑψὸς altitudo, ὦμος humerus.

Observ. — Statura et facies fere similis *Tanyrhyncho* generi, sed thorax postice productus, rostri antennarumque structura alia est.

Patria: Caffraria.

1. H. SCAPHA. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, squamulis cinereis tectus, rostro pedibusque obscure ferrugineis, thorace latiore, breviore, confertim punctulato, cinereo tri-lineato, elytris evidenter punctato-striatis, apice ipso dehiscentibus, singulatim obtuse mucronatis.

Patria: Caffraria. A Dom. ECKLON et ZEYHER, ad describendum, benevole missus.

Magnitudo et fere statura *Phytonomi variabilis*. Caput breve, rotundatum, nigrum, punctulatum, squamulis cinereis, sub-argenteo-micantibus, sat dense obsitum; oculi laterales, ovati, depressi, nigri; rostrum thorace nonnihil longius, subtenue, teres, apicem versus perparum incrassatum, modice arcuatum, nigrum, punctulatum, squamulis sub-argenteis, apicem versus cupreo-micantibus, obsitum. Antennæ tenues, ferrugineæ, parce cinereo-pubescentes, clava oblongo-ovata, acuminata. Thorax latitudine baseos multo brevior, apice ipso modice rotundato-productus, pone oculos lobatus, lobis modice prominulis, rotundatis, mox intra apicem constrictus et leviter transversim impressus, tum ampliatus, lateribus et postice modice rotundatus, supra parum

convexus, confertim punctulatus, niger, fusco-squamosus, linea dorsali recta et alia utrinque laterali dense cinereo-squamosis, ornatus. Scutellum vix observandum, demersum. Elytra oblongo-ovata, basi conjunctim introrsum emarginata, thorace paulo latiora et illo triplo longiora, humeris antrorsum prominulis, acuminatis; pone medium apicem versus attenuata, apice ipso dehiscentia, singulatim obtuse mucronata, supra modice convexa, sat profunde punctato-striata, interstitiis planis; tota nigra, squamulis cinereis fuscis mixtis dense tecta. Corpus subtus piceum, punctulatum, squamulis cinereis sat dense vestitum. Pedes mediocres, validi, obscure ferruginei, squamulis cinereis sub-argenteis sat dense obsiti; femoribus clavatis, muticis; tibiis sub-teretibus, rectis, apice vix uncinatis; tarsis modice dilatatis, subtus griseo-spongiosis. — BHN.

2. H. LEMBUNCULUS. *Schh.*

Oblongus, piceus, squamulis cinereis dense obsitus, antennis pedibusque ferrugineis, thorace angustiore, confertim punctulato, cinereo trilineato, elytris subtiliter punctato-striatis, setulosis, apice ipso conjunctim sub-acuminatis.

Patria : Caffraria. A Dom. ECKLON et ZEYHER, ad describendum, benevole communicatus.

Præcedenti duplo minor, præsertim angustior; thorace angustiore, elytris apice non mucronatis, ab illo mox distinctus. Caput parvum, breve, rotundatum, piceum, punctulatum, squamulis cinereo-albidis, sub-argenteo-micantibus, vestitum; oculi laterales, ovati, haud prominuli, nigri; rostrum longitudine thoracis, sub-tenue, teres, modice arcuatum, piceum, punctulatum, squamulis sub-argenteis tectum. Antennæ non procul ab apice rostri insertæ, tenues, ferrugineæ, parce cinereo-pubescentes, clava oblongo-ovata, parum acuminata. Thorax latitudine baseos parum brevior, apice vix rotundato-productus, lobis ocularibus paulo prominulis, rotundatis; mox intra apicem leviter constrictus, lateribus et postice modice rotundatus, supra parum convexus, crebre punctulatus, niger, fusco-squamosus, linea dorsali recta et alia utrinque laterali, dense sub-argenteo-squamosis, ornatus. Scutellum haud observandum, demersum. Elytra oblonga, basi conjunctim introrsum emarginata, thorace paulo latiora et illo triplo longiora, humeris antrorsum prominulis, acuminatis; pone medium apicem versus attenuata, apice ipso conjunctim sub-acuminata, supra modice convexa, evidenter at subtiliter punctato-striata, intersitiis planis;

picea, squamulis cinereis basi magis argenteo-micantibus dense tecta, setulis cinereis præsertim apicem versus adspersa. Corpus subtus piceum, punctulatum, squamulis sub-argenteis dense vestitum. Pedes mediocres, validi, ferruginei, dense cinereo-squamosi et pubescentes; femoribus clavatis, muticis; tibiis sub-teretibus, apice muticis; tarsis modice dilatatis, subtus fusco-spongiosis.—Bhn.

Genus 256. TANYRHYNCHUS. *Nobis.*

Tanyrhynchus et *Solenorhinus.* Nobis (1).

Character generis. — Antennæ longæ, tenues, prope medium rostri insertæ; scapo oculos superante, clavato; funiculo 7-articulato: articulis duobus basalibus elongatis; reliquis successive brevioribus, omnibus sub-obconicis; clava elongata, ovalis.

Rostrum elongatum, validum, sub-lineare, arcuatum, versus apicem sensim deplanatum; scrobs latiuscula, basi profunda, subrecta, ante canthum oculi exeunte.

Oculi laterales, ovati, parum convexi.

Thorax sæpissime transversus, basi truncatus, lateribus ampliato-rotundatus, anterius angustior, pone oculos sub-lobatus.

Elytra oblongo-ovata, basi conjunctim leviter emarginata, humeris antrorsum sub-prominulis, rotundatis; versus apicem sub-attenuata, sæpissime conjunctim acuminata.

Observ.—Corpus oblongum, sub-ovatum, convexum, squamulosum, apterum; mediocris et minoris magnitudinis.

Patria: Cap. Bonæ Spei, Caffraria.

1. T. Porifer.

Oblongus, niger, vittis albido-squamulosis ornatus, thorace tuberculis plurimis setiferis obsito, dorsalibus valde elevatis, cylindricis, seriatis; elytris obsolete punctato-striatis, interstitiis alternis elevatioribus, nodulosis.

Curculio id. Sparrm. *in Acta Holm.* 1785. p. 41. n° 2. T. 2. f. 2.
Oliv. *Enc. méth.* V. p. 562. n° 8.
Linn. *Syst. nat.* Gmel. I. IV. p. 1753. n° 162.
Solenorhinus id. hujus Operis. I. p. 21. n° 226.—Schh. *Curc. Disp. Meth.* p. 256. n° 149.

Habitat ad Cap. Bonæ Spei. Dom. Sparrman. Mus. Reg. Acad. Scient. Holm. E Mus. Payk.

---

(1) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 212. n° 118 et p. 256. n° 149

Magnitudo et fere statura *Hylobii pinastri*. Caput convexum, profunde punctatum, nigrum, squamulis depressis cinereis parce adspersum, fronte foveola oblonga impressa; oculi perpendiculares, ovati, brunnei, parum prominuli; rostrum longitudine capitis cum thorace, validum, arcuatum, canalicula media latiore et duabus utrinque lateralibus exaratum, punctatum, nigrum. Antennæ ferrugineæ, pilosæ, clava cinereo-pubescente. Thorax latitudine media vix longior, basi apiceque truncatus, lateribus paulo ante medium modice ampliatus, supra convexus, tuberculis plurimis, apice poro setifero instructis, obsitus, lateralibus minoribus, vage sparsis, dorsalibus valde elevatis, cylindricis, in serie triplici utrinque digestis; niger, squamulis piliformibus cinereis parce adspersus, vittis quinque angustis, dense albo-squamosis, notatus, una nempe in medio et duæ laterales utrinque. Scutellum nullum. Elytra oblongo-ovata, antice thoracis basi multo latiora, humeris sub-angulatis; lateribus parum ampliata, apicem versus attenuata, apice singulatim sub-acuminata, thorace quadruplo longiora, supra convexa, obsolete et remote punctato-striata, interstitiis alternis elevatioribus, nodulosis vel tuberculatis, præsertim versus basin; nigra, opaca, cinereo-squamulosa, margine laterali late, vitta intra-marginali fere integra et macula oblonga posterius versus suturam, dense albido-squamulosis. Corpus subtus nigrum, punctatum, cinereo-squamulosum. Pedes elongati, validi, nigri, punctulati, cinereo-squamulosi et pubescentes; femoribus clavatis, muticis; tibiis rectis, tarsis dilatatis, subtus cinereo-spongiosis.

GHL.

2. T. AFFABER. *Schh.*

Oblongo-ovatus, ferrugineus, squamulis cinereo-albidis sat dense obsitus, thorace transverso, obtuse verrucoso-coriaceo, linea angusta dorsali albido-squamosa ornato, elytris punctato-striatis, interstitiis planis coriaceis; femoribus anticis valde clavatis, omnibus dentatis.

Patria: Caffraria. A Dom. ECKLON et ZEYHER, ad describendum, benevole communicatus.

Magnitudo et summa similitudo *Tanyrhynchi tibialis* ♀; elytrorum interstitiis planis, non tuberculatis, tibiis anticis medio parum ampliatis, ab illo distinctus. Caput breve, rotundatum, ferrugineum, subtiliter sat crebre punctulatum, squamulis cinereis sub-argenteis dense obsitum, inter oculos canalicula tenui insculptum; oculi laterales, ovati, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum longitudine capitis cum thorace, crassiusculum, valde arcuatum, a basi

ultra medium nonnihil compressum, gibbum, basi vix carinatum, crebre punctulatum, cinereo-squamulosum, apicem versus dilutius ferrugineum, subtilissime punctulatum, denudatum. Antennæ fere in medio rostri sitæ, tenues, ferrugineæ, parce griseo-pubescentes, clava elongata, acuminata. Thorax longitudine fere duplo latior, apice late sed parum profunde emarginatus, anterius subito angustatus, lateribus valde rotundato-ampliatus, basi sub-truncatus, tenue marginatus, angulis baseos rotundatis; supra parum convexus, undique verrucis parum elevatis, coriaceis, dense obsitus; piceus, squamulis cinereis dense adpersus, linea angusta dorsali e squamulis albidis ornatus. Scutellum vix conspicuum, demersum. Elytra basi introrsum conjunctim leviter emarginata, antice thoracis medio vix latiora, humeris sub-prominulis, rotundatis; pone medium apicem versus attenuata, thorace plus triplo longiora, apice ipso conjunctim acuminata, supra in dorso parum convexa, posterius sub-compressa, sat profunde punctato-striata, interstitiis sub-planis, coriaceis; ferruginea, squamulis parvis, cinereo-albidis, sat dense adspersa. Corpus subtus piceum, sat crebre punctulatum, squamulis cinereis adspersum. Pedes validi, ferruginei, squamulis cinereis adspersi; femoribus valde clavatis, præsertim anticis, omnibus subtus dente parvo armatis; tibiis teretibus, intus ante medium vix angulato-ampliatis; tarsis modice dilatatis, subtus brunneo-spongiosis.—BHN.

♂ 3. T. TIBIALIS. *Schh.*

Oblongus, obscure ferrugineus, squamulis cinereis adspersus, thorace lato, obsolete canaliculato, obtuse verrucoso-coriaceo, linea dorsali lateribusque albido-squamoso, elytris sulcato-punctatis, interstitiis sub-convexis, subtiliter, seriatim, remote tuberculatis; femoribus anticis valde elevatis, omnibus distincte dentatis; tibiis anticis arcuatis, medio ampliatis.

Mas: angustior, elytris apice minus compressis, magis obtusis.
Femina: dimidio latior, elytris apice compressis, acuminatis.

Patria: Cap. Bonæ Spei. Dom. LALANDE. Mus. SCHH. Caffraria. D. ECKLON et ZEYHER.

Brachydero incano vix latior, sed dimidio brevior. Caput breve, rotundatum, obscure ferrugineum, subtiliter crebre rugoso-punctatum, squamulis cinereis, præsertim inter oculos adspersum; fronte canalicula tenui insculpta; oculi ovati, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum longitudine thoracis cum capite, crassiusculum, valde arcuatum, a basi ultra medium compressum, gibbum,

dilutius ferrugineum, basi obsolete carinatum, cinereo-squamulosum, lineola inter antennas longitudinali, abbreviata, tenuiter impressa notatum, apicem versus subtilissime crebre punctulatum. Antennæ in medio rostri insertæ, tenues, ferrugineæ, parce pilosæ, clava elongata, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax longitudine fere duplo latior, basi apiceque truncatus, anterius angustatus, lateribus valde rotundato-ampliatus, postice marginatus, angulis baseos rotundatis, supra parum convexus, undique verrucis nonnihil elevatis, crebris, poriferis, obsitus, dorso obsolete canaliculatus; totus piceus, squamulis cinereis adspersus, linea angusta, dorsali, lateribusque albido-squamosis. Scutellum immersum. Elytra basi introrsum conjunctim leviter emarginata, antice thoracis medio fere angustiora, humeris sub-prominulis, rotundatis; pone medium apicem versus sensim attenuata, thorace plus triplo longiora, apice ipso in mare sub-rotundata, in femina acuminata; supra convexa, obscure ferruginea, sulcata, sulcis in fundo evidenter punctatis, interstitiis convexis, tuberculis parvis, seriatim instructis; tota squamulis cinereis adspersa. Corpus subtus piceum, punctulatum, squamulis cinereis obsitum. Pedes longiusculi, robusti, obscure ferruginei, squamulis cinereis adspersi; femoribus valde clavatis, præsertim anticis, omnibus subtus pone medium dente acuto armatis; tibiis teretibus, anticis intus ante medium angulato-ampliatis, apice muticis; tarsis modice dilatatis, subtus fulvo-spongiosis.—BHN.

* 4. T. TIBIELLUS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, ferrugineus, squamulis albidis parce adspersus, rostro basi carinato, apicem versus arcuato, compresso, sub-elevato, canaliculato, thorace lato, obtuse granulato, elytris sulcato-punctatis, interstitiis tuberculis obsoletis instructis; apice attenuatis; femoribus modice clavatis, dentatis; tibiis anterioribus intus ante medium ampliatis.

Patria: Cap. Bonæ Spei. A Dom. FALDERMANN benevole missus. Mus. SCHH.

Tanyrhyncho tibiali ♀ proximus, nonnihil minor; rostro parum arcuato, antennis non procul ab apice rostri insertis, thorace minus lato, femoribus modice clavatis ab illo facile distinctus. Caput mediocre, rotundatum, rufo-piceum, subtiliter crebre rugoso-punctatum, squamulis albidis parce adspersum; oculi ovati, haud prominuli, nigri; rostrum thorace nonnihil longius, crassiusculum, compressum, apicem versus sub-elevatum, arcuatum,

a basi ad medium carinatum, tum canalicula angusta insculptum; totum ferrugineum, subtiliter crebre rugoso-punctatum, squamulis albidis parce obsitum. Antennæ non procul ab apice rostri sitæ, longitudine dimidii corporis, tenues, ferrugineæ, parce cinereo-pilosæ, clava elongata, angusta, acuminata. Thorax latitudine media multo brevior, antice posticeque angustatus, apice late, sed parum profunde emarginatus, mox pone apicem coarctatus, lateribus valde rotundato-ampliatus, basi truncatus, tenue marginatus, supra parum convexus, ferrugineus, undique tuberculis poriferis, parum elevatis, supra fere planis, crebre obsitus, squamulis albidis adspersus. Scutellum nullum. Elytra basi conjunctim introrsum leviter emarginata, antice thoracis basi vix latiora, et illo triplo longiora, humeris prominulis, rotundatis; pone humeros ultra medium nonnihil ampliata, tum apicem versus citius angustata, apice ipso attenuata, supra modice convexa, ferruginea, minus profunde sulcata, sulcis in fundo evidenter punctatis, interstitiis convexis, minus crebre obsolete tuberculatis, squamulis albidis sat dense adspersa. Corpus subtus piceum, obsolete punctulatum, squamulis dilute virescentibus minus crebre obsitum. Pedes mediocres, validi, dilutius ferruginei, squamulis albidis adspersi; femoribus modice clavatis, omnibus subtus valide et acute dentatis; tibiis subrectis, anterioribus intus in medio ampliatis; tarsis parum dilatatis, subtus fulvo-spongiosis.—Bhn.

5. T. Strigirostris.

Oblongo-ovatus, nigro-piceus, squamulis cinereis adspersus, rostro breviore, modice arcuato, basi carinato, apice canaliculato, thorace lato, granulato, elytris obsolete sulcato-punctatis, insterstitiis tuberculis parvis instructis; apice leviter emarginatis; pedibus piceis, femoribus modice clavatis, anterioribus obsolete dentatis; tibiis intus non ampliatis.

Curculio id. Sparrm. *in Acta Holm.* 1785. I. p. 42. n° 5. T. 2. f. 5.
Oliv. *Enc. méth.* V. p. 565. n° 36.
Linn. *Syst. nat.* Ed. Gmel. I. IV. p. 1770. n° 268.
Tanyrhynchus terranus. Schh. *Curc. Disp. Meth.* p. 213.

Habitat ad Cap. Bonæ Spei. Mus. Reg. Acad. Scient. Holm.

Quoad habitum similis est generi *Otiorhyncho* et *Otiorhyncho sulcato* magnitudine fere æqualis. Caput breve, crassum, nigro-piceum, subtiliter crebre rugoso-punctatum, squamulis cinereis adspersum; fronte inter oculos depressa; oculi ovati, depressi, nigri;

rostrum longitudine thoracis, capite multo angustius, sub-lineare, modice arcuatum, rufo-piceum, subtiliter creberrime rugoso-punctatum, dorso a basi ultra medium carinatum, apicem versus canalicula angusta exaratum. Antennæ non procul ab apice rostri insertæ, valde tenues, rufo-piceæ, parce pilosæ, clava elongata, angusta, acuminata. Thorax longitudine multo latior, antice angustior, coarctatus, late sed parum profunde emarginatus, pone oculos sub-lobatus, lateribus valde rotundato-ampliatus, basi truncatus, tenue marginatus, supra minus convexus, niger, undique tuberculis crebris, modice elevatis, sub-nitidis, obsitus, squamulis cinereis parce adspersus. Scutellum vix conspicuum. Elytra antice thoracis basi fere angustiora et vix triplo longiora, basi conjunctim introrsum sub-emarginata, humeris parum prominulis, rotundatis; apicem versus angustata, apice ipso simultaneæ sub-acuminata, conjunctim leviter emarginata, supra valde convexa, nigro-picea, minus profunde sulcata, sulcis in fundo obsolete punctatis, interstitiis sub-convexis, creberrime tuberculato-rugosis præsertim pone medium; tota squamulis cinereis parce adspersa. Corpus subtus piceum, obsolete crebre punctulatum, squamulis cinereis parce obsitum. Pedes mediocres, validi, obscure ferruginei; femoribus modice clavatis, anterioribus subtus obsolete dentatis; tibiis teretibus, medio non ampliatis, apice sub-arcuatis, muticis; tarsis modice dilatatis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

6. T. ALBIDULUS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, obscure ferrugineus, squamulis albidis dense obsitus, rostro modice arcuato, thorace lato, crebre granulato, elytris sulcatis, sulcis in fundo punctulatis, interstitiis convexis, obsolete seriatim tuberculatis; apice acuminatis; femoribus clavatis, omnibus dentatis, tibiis intus non ampliatis.

Patria: Caffraria. A Dom. ECKLON et ZEYHER, ad describendum, communicatus.

Magnitudo *Tanyrhynchi strigirostris*, nonnihil tamen angustior; rostro non carinato, femoribus omnibus dentatis, elytris apice acuminatis, ab illo distinctus. Caput breve, crassum, rotundatum, posterius convexum, obscure ferrugineum, subtiliter sat crebre punctulatum, squamulis albidis sub-argenteis dense obsitum; oculi ovati, haud prominuli, nigri; rostrum thorace nonnihil longius, capite multo angustius, crassiusculum, sub-lineare, apicem versus arcuatum, deplanatum, totum nigro-piceum, subtiliter creberrime punctulatum, basi parce albido-squamosum, apicem versus denudatum. Antennæ non procul ab apice rostri sitæ, tenues, ferru-

gineæ, griseo-pubescentes, clava elongata, angusta, acuminata. Thorax latitudine multo brevior, antice angustior, basi apiceque truncatus, lateribus modice rotundato-ampliatus, supra parum convexus, nigro-piceus, confertim granulatus, granulis nitidis, superficie reliqua squamulis cinereo-albidis tecta. Scutellum vix conspicuum, demersum. Elytra antice leviter conjunctim introrsum emarginata, thoracis basi paulo latiora, humeris antrorsum prominulis, rotundatis; pone medium apicem versus angustata, apice ipso conjunctim acuminata, thorace triplo longiora, supra convexa, postice declivia, sub-compressa, obscure ferruginea, sat profunde sulcata, sulcis in fundo subtiliter punctatis, interstitiis convexis, seriatim obsolete tuberculatis; squamulis cinereo-albidis dorso parce, disco dense obsita. Corpus subtus rufo-piceum, crebre punctulatum, squamulis cinereo-albidis sat dense obsitum. Pedes longiusculi, validi, ferruginei, squamulis cinereo-albidis dense obsiti; femoribus clavatis, omnibus subtus dente parvo acuto instructis; tibiis teretibus, rectis, intus non ampliatis; tarsis modice dilatatis, subtus griseo-spongiosis. — Bhn.

* 7. T. Pulverulentus. *Schh.*

Oblongus, dilute ferrugineus, squamulis argenteis adspersus, rostro breviore, modice arcuato, bi-sulcato, thorace angustiore, granulato, elytris subtiliter sulcato-punctatis, interstitiis tuberculatis; femoribus modice clavatis, omnibus acute dentatis.

Patria : Cap. Bonæ Spei. Dom. Lalande. Mus. Schh.

Tanyrhyncho strigirostri nonnihil brevior, sed dimidio angustior. Caput breve, rotundatum, dilute ferrugineum, subtiliter confertim punctulatum, squamulis albidis adspersum; frons deflexa; oculi ovati, transversi, sub-depressi, nigri; rostrum vix longitudine thoracis, crassiusculum, modice arcuatum, a basi ultra medium compressum, dorso elevatum, tenue, bi-sulcatum, ferrugineum, crebre subtiliter rugoso-punctatum, squamulis albidis adspersum, apice nitidum. Antennæ versus apicem rostri insertæ, dimidio corpore longiores, subtenues, ferrugineæ, albido-pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine media brevior, basi apiceque truncatus, antice posticeque angustatus, lateribus rotundato-ampliatus, basi emarginatus, supra modice convexus, ferrugineus, tuberculis sat crebris, modice elevatis, granulatus, squamulis sub-argenteis adspersus. Scutellum vix conspicuum. Elytra basi introrsum conjunctim leviter emarginata, antice thorace paulo latiora et illo fere triplo longiora, humeris vix

prominulis, rotundatis, a basi ultra medium perparum ampliata, tum apicem versus angustata, apice ipso conjunctim acuminata, supra convexa, postice declivia, sub-compressa, dilute ferruginea, parum profunde sulcata, sulcis in fundo subtiliter punctulatis, interstitiis convexis, evidenter sat crebre seriatim tuberculatis, postice setulis brevissimis, albidis adspersis; tota squamulis argenteis ad suturam et versus latera magis condensatis adspersa. Corpus subtus piceum, punctulatum, squamulis cinereis parce obsitum. Pedes mediocres, dilute ferruginei, squamulis albidis adspersi; femoribus modice clavatis, omnibus subtus pone medium dente parvo, acuto, instructis; tibiis teretibus, intus in medio vix ampliatis, apice muticis; tarsis modice dilatatis, subtus fulvo-spongiosis. — Bhn.

8. T. Bardus. *Schh.*

Oblongo-ovatus, ferrugineus, squamulis cinereis sat dense adspersus, rostro parum arcuato, tenue carinato, thorace angustiore, crebre granulato, elytris evidenter sulcato-punctatis, interstitiis sub-convexis, lævibus; femoribus modice clavatis, anticis obtuse dentatis, posterioribus muticis.

Patria: Caffraria. A Dom. Ecklon et Zeyher communicatus.

Magnitudo *Sciaphili muricati.* Caput breve, rotundatum, obscure ferrugineum, subtiliter confertim punctulatum, squamulis cinereis dense obsitum, inter oculos foveola parva impressum; oculi laterales, ovati, haud prominuli, nigri; rostrum thorace nonnihil longius, crassiusculum, sub-compressum, apicem versus nonnihil deplanatum, supra in dorso tenue carinatum, rufo-ferrugineum, punctulatum, basi squamulis cinereis adspersum. Antennæ non procul ab apice rostri insertæ, tenues, ferrugineæ, clava elongata, acuminata. Thorax latitudine baseos multo brevior, basi apiceque truncatus, antice posticeque angustatus, lateribus modice rotundato-ampliatus, supra modice convexus, rufo-piceus, sat crebre granulatus, squamulis cinereis adspersus. Scutellum vix conspicuum. Elytra antice conjunctim introrsum leviter emarginata, thoracis medio paulo latiora, et illo triplo longiora, humeris antrorsum nonnihil prominulis, rotundatis; pone humeros parum ampliata, apicem versus attenuata, apice ipso conjunctim acuminata, supra convexa, postice declivia, sub-compressa, sulcata, sulcis in fundo subtiliter punctatis, interstitiis convexis, lævibus; tota ferruginea, squamulis cinereis sat dense obsita. Corpus subtus piceum, subtiliter punctulatum, squamulis cinereis virescentibus

mixtis parce adspersum. Pedes longiusculi, validi, ferruginei, squamulis cinereis adspersi, femoribus modice clavatis, anticis obtuse dentatis, posterioribus muticis; tibiis teretibus, intus in medio vix ampliatis; tarsis modice dilatatis, subtus brunneo-spongiosis.—Bhn.

♀ 9. T. Suturalis. *Schh.*

Oblongo-ovatus, ferrugineus, squamulis griseis tectus, rostro modice arcuato, thorace lato, confertim verrucoso-coriaceo, linea dorsali argentea notato, elytris subtiliter punctato-striatis, interstitiis parum convexis, lævibus; sutura lineaque longitudinali disci argenteo-squamosis, ornatis; femoribus anticis obsolete dentatis.

Mas: dimidio angustior, gracilior.

Femina: elytris latioribus, oblongo-ovatis.

Patria: Caffraria. A Dom. Ecklon et Zeyher amice communicatus. Mus. Schh.

Tanyrhyncho bardo paulo major, aliter coloratus; thorace confertim verrucoso-coriaceo, ab illo distinctus. Caput parvum, rotundatum, crassum, ferrugineum, subtiliter sat crebre punctulatum, squamulis cinereis dense obsitum, foveola obsoleta inter oculos impressum; oculi laterales, ovati, haud prominuli, nigri; rostrum thorace nonnihil longius, validiusculum, apicem versus modice arcuatum, ibique deplanatum, totum sub-compressum, ferrugineum, subtiliter punctulatum, basi squamulis cinereis adspersum, apice denudatum. Antennæ non procul ab apice rostri sitæ, tenues, ferrugineæ, griseo-pubescentes, clava elongata, acuminata. Thorax latitudine media multo brevior, basi apiceque truncatus, antice posticeque angustatus, lateribus modice rotundato-ampliatus, supra modice convexus, verrucis supra coriaceis, parum elevatis dense obsitus, ferrugineus, squamulis cinereis vestitus, linea dorsali argenteo-squamosa ornatus. Scutellum vix conspicuum. Elytra antice conjunctim introrsum leviter emarginata, thoracis basi paulo latiora, et illo triplo longiora, humeris antrorsum nonnihil prominulis, rotundatis; pone medium apicem versus angustata, apice ipso conjunctim acuminata, supra convexa, postice declivia, sub-compressa, subtiliter punctato-striata, interstitiis parum convexis, sub-lævibus; tota ferruginea, squamulis cinereis dense tecta, sutura lineaque longitudinali disci dense argenteo-squamosis. Corpus subtus ferrugineum, crebre punctulatum, squamulis cinereis sat dense vestitum. Pedes longiusculi, validi, ferruginei, cinereo-squamulosi; femoribus modice clavatis, anticis subtus obsolete

dentatis, reliquis muticis; tibiis teretibus, rectis, intus non ampliatis; tarsis parum dilatatis, subtus griseo-spongiosis.— BHN.

10. T. LONGULUS. *Schh.*

Oblongus, testaceus, squamulis cinereo-albidis adspersus, rostro tenue canaliculato, thorace angustiore, confertim verrucoso-coriaceo, elytris evidenter punctato-striatis, interstitiis lævibus, apicem versus attenuatis, conjunctim acuminatis; femoribus omnibus dente minuto armatis.

Patria: Caffraria. A Dom. ECKLON et ZEYHER, ad describendum, benevole communicatus.

Reliquis gracilior. Longitudo *Phyllobii mali* sed dimidio angustior. Caput breve, rotundatum, convexum, subtiliter confertim punctulatum, rufo-testaceum, squamulis cinereo-albidis minus dense adspersum; oculi ovati, haud prominuli, nigri; rostrum longitudine capitis cum thorace validiusculum, sub-compressum, apicem versus nonnihil incrassatum, apice ipso deplanatum, dorso tenue canaliculatum, canalicula inter antennas latiore; rufo-testaceum, vix punctulatum, squamulis cinereo-albidis versus basin præsertim adspersum. Antennæ non procul ab apice rostri sitæ, subtenues, testaceæ, parce cinereo-pubescentes, clava angusta, elongata, acuminata. Thorax latitudine media multo brevior, apice late sed parum profunde emarginatus, antice posticeque angustatus, lateribus modice rotundato-ampliatus, basi truncatus, supra modice convexus, verrucis supra coriaceis parum elevatis, dense obsitus; rufo-testaceus, squamulis cinereo-albidis sat dense adspersus; in ipsa basi ante scutellum macula parva argentea notatus. Scutellum vix conspicuum. Elytra antice conjunctim introrsum leviter emarginata, thoracis basi vix latiora, humeris antrorsum nonnihil prominulis, rotundatis; mox pone humeros perparum ampliata, pone medium apicem versus attenuata, apice ipso conjunctim acuminata, supra parum convexa, regulariter evidenter punctato-striata, interstitiis fere planis, lævibus; tota rufo-testacea, squamulis cinereo-albidis hinc inde magis condensatis adspersa, unde tessellata apparent. Corpus subtus rufo-testaceum, subtiliter punctulatum, parce cinereo-squamosum. Pedes longiusculi, validi, testacei, squamulis cinereo-albidis adspersi; femoribus modice clavatis, omnibus subtus dente minuto armatis; tibiis teretibus, rectis, intus non ampliatis, anticis apicem versus nonnihil arcuatis; tarsis modice dilatatis, subtus brunneo-spongiosis.— BHN.

♂♀ 11. T. CARINATUS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, piceus, squamulis cinereo-albidis adspersus, rostro utrinque obsolete carinato, medio longitudinaliter tenue sulcato, thorace angustiore, confertim granulato, elytris sat profunde punctato-striatis, posterius ad suturam valde compressis, alte carinatis; femoribus omnibus dente minuto armatis.

Mas : gracilior, elytris elongatis, apice sub-acuminatis.

Femina : latior, elytris sub-ovatis, apice ipso acute acuminatis.

Patria : Caffraria. A Dom. ECKLON et ZEYHER amice communicatus. Mus. SCHH.

Mas : magnitudo *Phyllobii argentati ;* femina duplo latior, statura fere *Otiorhynchi rauci.* Caput breve, rotundatum, convexum, piceum, subtiliter punctulatum, squamulis cinereo-albidis adspersum, inter oculos foveola parva, oblonga, impressum; oculi laterales, ovati, haud prominuli, nigri; rostrum longitudine fere capitis cum thorace, validiusculum, sub-compressum, apicem versus nonnihil incrassatum, apice ipso deplanatum, dorso late sed parum profunde sulcatum, utrinque obsolete carinatum, ferrugineum, subtiliter punctulatum, squamulis cinereo-albidis adspersum. Antennæ apicem rostri propius insertæ, tenues, ferrugineæ, parce griseo-pubescentes, clava angusta, elongata, acuminata. Thorax latitudine media multo brevior, basi apiceque truncatus, antice posticeque angustatus, lateribus modice rotundato-ampliatus, supra parum convexus, granulis parum elevatis, sat dense obsitus, piceus vel obscure ferrugineus, squamulis cinereo-albidis in linea obsoleta dorsali magis condensatis adspersus. Scutellum vix observandum. Elytra antice conjunctim introrsum leviter emarginata, thoracis basi vix latiora, sed illo fere quadruplo longiora, humeris antrorsum nonnihil prominulis, rotundatis; mox pone basin ampliata, pone medium apicem versus attenuata, apice ipso in mare sub-acuminata, in femina valde acuta, supra modice convexa, posterius declivia, valde compressa et ad suturam alte carinata, sat profunde punctato-striata, interstitiis parum convexis, obsolete rugulosis; tota picea vel ferruginea, squamulis minutissimis, cinereo-albidis, in linea marginali condensatis, adspersa. Corpus subtus obscure ferrugineum, punctulatum, squamulis cinereo-albidis parce obsitum. Pedes longiusculi, validi, ferruginei, parce cinereo-squamulosi; femoribus modice clavatis, omnibus subtus dente minuto armatis; tibiis teretibus, rectis, intus vix ampliatis; tarsis parum dilatatis, subtus brunneo-spongiosis. — PEN

GENUS 257. MYORHINUS. *Nobis* (1).

Apsis GERM. *in Litteris*, LATR. (2), DEJEAN, STURM, STEVEN. — *Curculio* FABR., OLIV.

Character generis. — Antennæ longæ, tenues; scapo clavato, oculos superante; funiculo 7-articulato : articulis duobus basalibus longiusculis, ob-conicis, reliquis brevissime sub-obconicis; clava oblonga, ovalis.

Rostrum capite plus duplo longius, validum, arcuatum, basi alte carinatum ; scrobs superna, recta, lata, basi profunda.

Oculi ad basin rostri superne locati, fere connexi, sub-rotundati, depressi.

Thorax transversus, basi apiceque truncatus, lateribus æqualiter rotundato-ampliatus, anterius angustior, supra pulvinatus.

Elytra ovata, valde convexa, versus apicem attenuata, declivia, angulis humeralibus rotundatis.

Observ. — Corpus breviter ovatum, valde convexum, squamulosum, apterum; minoris magnitudinis.

* 1. M. STEVENI. *Schh.*

Ovatus, niger, sub-pubescens, squamulis densis cretaceo-sub-argenteis tectus, antennis rufo-piceis, elytris obsoletius punctato-striatis, interstitiis convexis, sub-rugosis.

Apsis incrassata. STURM. *Ins. Cat.* 1826. p. 97.

Habitat in Tauria. A Dom. STEVEN amicissime donatus. Mus. SCHH.

Myorhino albolineato Fabr. simillimus et valde affinis, sed fere dimidio major; *Thil. coryli* mediocri æqualis, striis elytrorum obsoletioribus et interstitiis illarum convexis, rugulosis, præcipue distinctus. Caput breviter conicum, posterius valde convexum, subtilissime punctulatum, nigrum, squamulis depressis, albis, certo situ argenteo-micantibus tectum; oculi sub-ovati, perparum prominuli, ad basin rostri superne locati et fere connexi, brunnei; rostrum capite dimidio longius, validum, deflexum, valde arcuatum, punctulatum, nigrum, basi albo-squamosum, supra alte carinatum, carina apice bifida. Antennæ thoracis basin superant, tenues, scapo dilutius ferrugineo, flagello piceo, piloso, clava

(1) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 213. n° 119.

(2) Latr. Règne anim. p. 394.

oblongo-ovata, fusca, cinereo-pubescente. Thorax latitudine media multo brevior, antice angustior, basi apiceque truncatus, lateribus rotundato-ampliatus, supra valde convexus, pulvinatus, æqualis, subtiliter punctulatus, niger, squamulis depressis, albis, sub-argenteo-micantibus tectus, relicta vitta media, antice abbreviata et plaga utrinque laterali, indeterminatis, nudis, nigris. Scutellum minutum, ægre observandum. Elytra antice thoracis basi arcte applicata illoque non latiora, sed lateribus valde ampliata, versus apicem attenuata, apice conjunctim acuminata, thorace plus triplo longiora, supra convexa, obsoletius striata, striis sub-remote punctatis, interstitiis, præsertim internis, convexis, sub-rugosis; nigra, squamulis depressis albidis, versus latera magis condensatis, tecta, pilisque parvis, erectis, albidis, adspersa. Corpus subtus nigrum, punctulatum, dense albo-squamosum. Pedes validi, nigri, dense albo-squamosi et pilosi; femoribus crassis, clavatis, subtus dente valido, acuto, armatis. — GHL.

* 2. M. ALBOLINEATUS.

Ovatus, niger, sub-pubescens, antennis rufo-piceis, thorace elytrisque vittis albo et cinereo-squamosis alternantibus ornatis, elytris evidenter punctato-striatis, interstitiis planis.

GUÉRIN. *Iconogr. du Règne anim.* T. 38. f. 7. a.

Curculio id. FABR. *Syst. El.* II. p. 544. n° 225. — *Ent. Syst.* I. II. p. 490. n° 403.

OLIV. *Ent.* V. 83. p. 423. n° 523. T. 23. f. 322.

HERBST. *Col.* VI. p. 518. n° 562.

PANZ. *Ent. Germ.* p. 335. n° 209.

Apsis complicata. GERM. *in Allgem. Encycl. v. Ersch u. Gruber. Artikel* Apsis, *cum icone.*

DEJ. *Catal. Col.* p. 89.

STURM. *Ins. Cat.* 1826. p. 97.

STEV. *Mus. Mosqu.* IV. p. 96.

Habitat in Germania, Gallia.

Myorhino Steveni, ut ibi dictum, dimidio minor. Thorax squamulis densis, albidis, tectus, relictis vittis tribus, antice abbreviatis, sub-nudis, aut squamulis obscurioribus parce adspersis. Elytra evidenter punctato-striata, punctis approximatis, interstitiis latioribus planis; supra squamulis cinereis tecta, vitta media postice abbreviata in singulo, lateribusque albo-squamosis, cætera ut in *Myorhino Steveni.* — GHL.

3. M. LIMIS. *Schh.*

Ovatus, niger, squamositate cinereo-albida undique vestitus, rostro, antennis, pedibus anoque testaceis; capite triangulari, punctulato; thorace transverso, antice constricto; elytris anguste punctato-striatis.

Patria: Caffraria. Ex Musæo Dom. ECKLON et ZEYHER descriptus.

Statura *Myorhini albolineati*, sed duplo minor et ultra. Caput sub-triangulare, supra parum convexum, punctulatum, nigrum, albido-squamulosum, subtus testaceum; oculi in ipso apice capitis superne locati, valde approximati, sub-ovati, nigri, parum convexi; rostrum capite paulo longius, validum, valde arcuatum, compressum, supra granulatum, testaceum, apice infuscatum. Antennæ longiusculæ, subtenues, testaceæ, cinereo-pubescentes. Thorax brevis, transversus, basi apiceque truncatus, intra apicem striga transversa impressus, lateribus rotundato-ampliatus, supra modice convexus, obsolete punctulatus, niger, squamositate cinereo-albida vestitus. Scutellum vix observandum. Elytra ampla, antice conjunctim emarginata, thoracis basi ibi parum latiora, sed lateribus rotundato-ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace triplo longiora, supra convexa, fornicata, anguste striata et in striis obsolete punctata, nigra, squamositate cinerea vestita. Corpus subtus punctulatum, nigrum, parce cinereo-squamulosum, ano late testaceo. Pedes validi, testacei, cinereo-squamulosi; femoribus clavatis, muticis; tibiis rectis, scabris; tarsis brevibus, valde dilatatis. — GHL.

* 4. M. INCISIROSTRIS. *Schh.*

Ovatus, niger, squamositate cinereo-albida undique vestitus, rostro basi striga transversa inciso, antennis, pedibus anoque rufo-testaceis; capite antice valde angusto, elongato; thorace transverso, antice constricto; elytris fortius, sub-remote punctato-striatis.

Patria: Caffraria. Ex Musæo Dom. ECKLON et ZEYHER descriptus.

Myorhino limi simillimus et valde affinis, plerumque paulo major. Caput antice magis elongatum et attenuatum, striga transversa, impressa, a rostro distinctum; striæ elytrorum etiam evidentius, sub-remote punctatæ. Caput basi latum, convexum, punctulatum, nigrum, squamulosum, extrorsum subito valde angustatum, elongatum, piceum; oculi sub-ovati, depressi, nigri, in ipso apice capitis superne locati; rostrum capite vix dimidio longius, validum, valde arcuatum, supra fornicatum, lateribus compressum, rufo-ferru-

gineum, basi striga transversim insculpta a capite distinctum. Antennæ longiusculæ, subtenues, testaceæ, cinereo-pubescentes. Thorax brevis, transversus, anterius angustior, basi apiceque truncatus, intra apicem striga transversa impressus, lateribus pone strigam oblique ampliatus, supra modice convexus, confertim punctulatus, niger, squamositate cinereo-albida vestitus. Scutellum vix observandum. Elytra ampla, antice conjunctim sub-emarginata, thoracis basi ibi parum latiora, sed lateribus rotundato-ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace fere quadruplo longiora, supra convexa, fornicata, sat distincte, sub-remote punctato-striata, nigra, cinereo-albido squamulosa. Corpus subtus punctulatum, nigrum, anterius dense albido-squamulosum, ventris apice late rufo-testaceo, nudo, nitido. Pedes validi, rufo-testacei, albido-squamulosi; femoribus clavatis, muticis, posticis interdum infuscatis; tibiis rectis, scabris; tarsis brevibus, valde dilatatis.

Ghl.

Subdivisio 2. — *Thorax subtus, ante pedes anticos plus minusve distincte canaliculatus.*

Genus 258. ARTHROSTENUS. *Nobis* (1).

Character generis. — Antennæ longiusculæ, tenues; funiculo 7-articulato : articulis 1-4 longiusculis, ob-conicis, 5-7 brevibus, apice truncatis, ultimis gradatim paululum latioribus; clava elongata, fusiformis.

Rostrum longiusculum, subtenue, teres, paulo arcuatum.

Oculi laterales, rotundati, modice convexi.

Thorax sub-oblongus, sub-conicus, antice coarctatus, in medio nonnihil rotundato-productus; canalis inferus profundus.

Elytra oblongo-ovata, humeris obtuse angulatis; supra versus apicem non callosa.

Pedes longiusculi, antici longiores; tibiæ intus crenulatæ, apice unco horizontali armatæ; tarsi longi, latiusculi, subtus spongiosi.

Observ. — Corpus oblongo-ovatum, convexum, squamosum, alatum; minoris magnitudinis. Facies generis *Erirhini.*

Patria : Caucasus.

---

(1) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 287. n° 166.

* 1. A. FULLO.

Elongatus, niger, supra squamulis fusco-griseis, subtus cretaceis tectus, fronte impressa; rostro mediocri, parum arcuato, thorace oblongo, antice coarctato, elytris obsolete punctato-striatis, interstitiis confertim granulatis, versus latera sordide cretaceo lineatis, tibiis rufo-testaceis.

Curculio id. Dom. BOEBER *in Litteris.*

Cryptorhynchus id. STEV. *Mus. Mosqu.* II. p. 99.

Habitat in Caucaso. Dom. STEVEN; ad litus orientale maris Caspii. Dom. BARTELS. Mus. SCHH.

Facies *Erirhini festucæ*, sed fere triplo, imo quadruplo major; magnitudine valde variat. Caput parvum, rotundatum, nigrum, squamulis griseo-albidis tectum, fronte inter oculos impressa; oculi laterales, rotundati, modice prominuli, nigri; rostrum vix longitudine thoracis, subtenue, parum arcuatum, nigrum, pube et squamulis griseo-albidis tectum. Antennæ pone medium rostri insertæ, ultra thoracis medium pertingentes, tenues, rufo-testaceæ, parum pilosæ, clava elongata, fusiformi, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos longior, sub-conicus, apice in medio nonnihil productus, anterius angustatus, ibique coarctatus, lateribus parum rotundatus, basi leviter bi-sinuatus, supra parum convexus, niger, lateribus et subtus squamulis cinereo-albidis tectus, dorso fusco-griseo-squamoso. Scutellum minutum, triangulare, cinereo-albido-squamosum. Elytra thoracis basi paulo latiora, et illo quadruplo longiora, humeris prominulis, obtuse rotundatis; lateribus inflexa, a basi longe ultra medium fere linearia, versus apicem attenuata, apice ipso singulatim sub-acuminata, supra modice convexa, obsolete subtiliter punctato-striata, interstitiis planis, subtilissime coriaceis; nigra, dorso squamulis fusco-griseis tecta, versus latera sordide cretaceo lineata. Corpus subtus nigro-fuscum, squamulis densis sub-argenteis tectum. Pedes elongati, subtenues, squamulis et pilis cinereo-albidis obsiti; femoribus parum clavatis, muticis, nigro-fuscis; tibiis intus crenulatis, testaceis; tarsis elongatis, fuscis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

* 2. A. SPADICEUS. *Schh.*

Oblongo ovatus, niger, rostro modice arcuato, striolato-rugoso, thorace subtiliter confertim punctulato, basi ferrugineo, elytris rufo-ferrugineis, punctato-striatis, interstitiis confertim subtiliter granulatis, tibiis tarsisque rufo-ferrugineis.

Habitat in Caucaso. Dom. Steven. Mus. Schh.

Habitus et fere statura *Erirhini acriduli*, sed triplo major. Caput rotundatum, nigrum, confertim punctulatum, inter oculos planum; oculi laterales, rotundati, prominuli, obscure brunnei; rostrum longitudine thoracis, subtenue, modice arcuatum, nigrum, striolato-rugosum. Antennæ pone medium rostri insertæ, ultra dimidium thoracis pertingentes, rufo-testaceæ, parum pilosæ, clava elongata, acuminata, fusca, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos vix longior, apice in medio nonnihil rotundato-productus, anterius angustior, ibique coarctatus, lateribus modice rotundato-ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra modice convexus, confertim subtiliter punctatus, niger, plaga sat magna, ante-scutellari, ferruginea, notatus. Scutellum parvum, apice rotundatum, nigrum. Elytra antice thoracis basi paulo latiora et illo plus triplo longiora, humeris prominulis, obtuse rotundatis, lateribus inflexa, pone medium apicem versus sensim angustata, apice ipso conjunctim sub-rotundata, supra modice convexa, sat profunde punctato-striata, interstitiis planis, confertim subtiliter granulatis; tota rufo-ferruginea, sutura anguste infuscata. Corpus subtus nigrum, crebre subtiliter punctulatum, squamulis nonnullis albidis adspersum. Pedes elongati, punctati; femoribus modice clavatis, nigro-piceis; tibiis rufo-ferrugineis, intus crenulatis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. — Bhn.

* 3. A. Cinereus. *Schh.*

Elongatus, niger, squamulis unicoloribus cinereis dense adspersus, fronte impressa, rostro modice arcuato, striolato-rugoso, thorace obsolete punctulato, elytris subtiliter punctato-striatis, tibiis tarsisque rufo-testaceis.

Habitat in Caucaso. Dom. Steven. Mus. Schh.

Arthrosteno fulloni valde affinis, sed fere quadruplo minor, et facile distinctus. Caput parvum, rotundatum, nigrum, punctulatum, squamulis densis, cinereo-albidis, tectum, inter oculos impressum; oculi laterales, rotundati, modice prominuli, nigri; rostrum longitudine thoracis, subtenue, modice arcuatum, nigro-piceum, striolato-rugosum, pube squamulisque cinereo-albidis adspersum, apice glabrum. Antennæ pone medium rostri insertæ, ultra dimidium thoracis pertingentes, tenues, rufo-testaceæ, parum pilosæ, clava elongata, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos nonnihil longior, apice in medio rotundato-productus, anterius angustior, ibique coarctatus, lateribus parum rotundatus,

basi leviter bi-sinuatus, supra parum convexus, subtiliter punctulatus, nigro-fuscus, squamulis cinereo-albidis adspersus, versus latera magis condensatis. Scutellum rotundatum, nigrum, albido-squamosum. Elytra antice thoracis basi nonnihil latiora, humeris prominulis obtuse rotundatis; thorace fere quadruplo longiora, lateribus inflexa, apicem versus attenuata, apice ipso sub-acuminata, supra modice convexa, subtiliter punctato-striata, interstitiis planis obsolete coriaceis; tota nigra, sub-nitida, squamulis unicoloribus cinereo-albidis, dense adspersa. Corpus subtus nigrum, punctulatum, squamulis sub-argenteis, dense obsitum. Pedes elongati, subtenues, punctati, pube squamulisque sub-argenteis adspersi; femoribus parum clavatis, muticis, nigro-piceis; tibiis rufo-ferrugineis, intus crenulatis. Tarsi elongati, subtus fulvo-spongiosi.

BHN.

GENUS 259. LYPRUS.

Lyprus SCHH., STEPHEN. (1). — *Lixus* AHRENS. — *Bagous* DEJEAN, STURM. — *Rhynchænus* GYLLENH.

Character generis. — Antennæ breviusculæ, subtenues; funiculo 6-articulato : articulis duobus basalibus longiusculis, obconicis, 1° crassiore; 3-6 brevibus, sub-perfoliatis, valde coarctatis, exterioribus gradatim latioribus, ultimo clavæ adpresso; clava ovalis, magna.

Rostrum elongatum, subtenue, cylindricum, arcuatum.

Oculi laterales, rotundati, parum convexi.

Thorax oblongus, sub-cylindricus, lateribus æqualiter paulo rotundatus, basi apiceque truncatus, sulco pro receptione rostri lato, non profundo.

Elytra elongata, cylindrica, versus apicem attenuata, compressa.

Tibiæ teretes, intus bi-sinuatæ, apice unco acuto, valido armatæ; tarsi longi, angustati, compressi.

Observ. — Corpus angustum, cylindricum, squamosum, parvum; alæ abbreviatæ.

* 1. L. CYLINDRUS.

Lineari-elongatus, nigricans, cinereo-squamulosus, antennis, tibiisque fusco-ferrugineis, rostro mediocri, arcuato, atro, elytris postice compressis. — GHL.

Rhynchænus id. GYLLENH. *Ins. Suec.* IV. p. 78. n° 13.

---

(1) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 288. n° 167. — Steph. Brit. Ent. IV. p. 49. n° 291.

Curculio id. PAYK. *Faun. Suec.* III. p. 241. n° 60.
Lyprus id. STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 49. n° 1.
Bagous id. GERM. *Mag.* II. p. 340. n° 15.
STURM. *Ins. Cat.* 1826. p. 99.
Bagous attenuatus. DEJ. *Cat. Col.* p. 89.
Lixus id. AHRENS. *in Nova Acta Hal.* II. 11. p. 18. n° 9. T. 1. f. 9.

Patria : Germania, Gallia, Suecia meridionalis.

GENUS 260. BAGOUS.

Bagous GERM., SCHH., LATR., DEJEAN, STEPHEN. (1), STEV., STURM. —*Rhynchænus* GHL., OLIV. — *Curculio* FABR.

Character generis. — Antennæ breviusculæ, subtenues; funiculo 7-articulato : articulis duobus basalibus longiusculis, ob-conicis, 1° crassiore; 3-7 brevibus, sub-perfoliatis, coarctatis, 6° et 7° valde latioribus quorum hic clavæ arcte adpressus; clava ovata, magna.

Rostrum longiusculum, validum, sub-teres, modice arcuatum.

Oculi laterales, ovati, parum convexi, majusculi.

Thorax sub-cylindricus, anterius paulo angustior, antice transversim coarctatus, late emarginatus, pone oculos valde lobatus; canalis inferus latus, non profundus.

Elytra oblongo-ovata, humeris obtuse angulatis; versus apicem attenuata, supra in dorso antico sub-depressa, posterius declivia, callosa.

Tibiæ longæ, versus apicem arcuatæ, apice ipso unco acuto valido armatæ; tarsi angustati.

Observ. — Corpus oblongo-subovatum, supra parum convexum, squamulis; sæpius etiam luto adglutinato obductum, alatum; aut minoris, aut minusculæ magnitudinis.

Patria : Omnis Europa, America, Sibiria, India Orientalis.

* 1. B. LONGULUS. *Schh.*

Elongatus, niger, squamositate subtili cinerea undique tectus, antennis pedibusque testaceis, fronte foveola profunda impressa, thorace sublineari, oblongo, elytris elongatis, obsolete punctato-striatis, interstitiis confertissime subtiliter alutaceis.

Patria : Caffraria. A Dom. ECKLON et ZEYHER captus et communicatus. Mus. SCHH.

---

(1) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 289. n° 168. — Latr. Règne anim. p. 394. — Steph. Brit. Ent. IV. p. 47. n° 290.

Bagoo binodulo longior sed angustior, sub-linearis. Caput rotundatum, retractum, convexum, punctulatum, nigrum, dense cinereo-squamulosum, fronte fovea ovata, profunda, impressa; oculi rotundati, nigri, sub-depressi; rostrum capite dimidio longius, validum, punctulatum, nigrum, cinereo-squamulosum. Antennæ rufo-testaceæ, clava apice nigricante. Thorax latitudine dimidio longior, antice profunde emarginatus, lobis ocularibus prominulis; intra apicem obsolete constrictus, margine antico elevato, calloso, testaceo; lateribus vix ampliatus, basi leviter sinuatus, supra parum convexus, confertim punctulatus, niger, squamositate subtili cinerea dense tectus. Scutellum minutum, concolor. Elytra antice sub-truncata, thoracis basi paulo latiora, pone basin oblique nonnihil ampliata, callo humerali elevato; posterius valde attenuata, apice conjunctim acuminata, thorace quadruplo longiora, supra parum convexa, sat evidenter striatá, striis obsolete, subtiliter punctulatis, interstitiis planis, confertissime subtiliter alutaceis; in ipso apice singuli elytri carinula parva elevata conspicitur; nigra, squamositate subtili cinerea dense tecta. Corpus subtus confertim subtiliter punctulatum, nigrum, cinereo-squamulosum. Pedes longiusculi, rufo-testacei; femoribus parum crassis, muticìs; tarsis elongatis, articulo penultimo vix dilatato. — Ghl.

* 2. B. Binodulus.

Niger, dense fusco-squamosus, elytris interstitiis alternis elevatioribus, posterius acute callosis, tibiis apice ferrugineis. — Ghl.

Rhynchænus id. Gyllenh. *Ins. Suec.* III. p. 84. n° 18.
Curculio id. Herbst. *Col.* VI. p. 247. n° 211. T. 77. f. 15.
Bagous id. Steph. *Brit. Ent.* IV. p. 47. n° 1.
Rhynchænus atrirostris. Oliv. *Ent.* V. 83. p. 141. n° 99. T. 33. f. 501.
Curculio id. var. major. Payk. *Faun. Suec.* III. p. 227. n° 45. — *Mon. Curc.* p. 40. n° 37.

Patria: Suecia, Germania, Anglia.

* 3. B. Nodulosus. *Schh.*

Niger, dense cinereo-squamosus, thorace brevi, vix canaliculato, elytris punctato-striatis, interstitiis inæqualiter granulatis, alternis elevatioribus, quarto a sutura postice calloso.

Bagous binodulus. Sturm. *Ins. Cat.* 1826. p. 92.
Curculio binodulus. Illig. *in Litteris.* Teste Dom. Sturm.

Bagous sibiricus. Dom. GEBLER *in Litteris.*

Habitat in Germania. Dom. STURM ; in Sibiria occidentali. Dom. GEBLER. Mus. SCHH.

Bagoo binodulo simillimus et magnitudine fere æqualis , sed thorax vix canaliculatus, elytrorum interstitia granulata, et secundum a sutura non posterius callosum. Caput convexum , punctatum, nigrum, cinereo-squamulosum; oculi rotundati, brunnei, parum prominuli; rostrum vix longitudine thoracis, crassum, arcuatum, sub-cylindricum, nigrum, dense cinereo-squamulosum. Antennæ piceæ, clava nigra. Thorax latitudine brevior, antice late emarginatus, lobis ocularibus rotundatis, longe intra apicem transversim impressus, lateribus modice ampliatus, basi truncatus, supra parum convexus, sub-inæqualis, confertim punctatus, ante scutellum canalicula brevi, obsoleta, impressus, niger, squamulis obscure cinereis adspersus. Scutellum parvum, concolor. Elytra antice conjunctim sub-emarginata, thoracis basi latiora, callo humerali oblongo, valde elevato, lateribus non ampliata, posterius attenuata, apice conjunctim acute rotundata, thorace plus triplo longiora, supra anterius parum convexa, posterius declivia, sub-remote punctato-striata, interstitiis inæqualiter granulato-rugulosis, sutura interstitiisque alternis elevatioribus, quarto a sutura longe intra apicem in callum elevatum terminante; nigra, squamulis obscure cinereis sub-variegata. Corpus subtus nigrum, punctulatum, dense cinereo-squamulosum. Pedes elongati, nigri; femoribus clavatis, cinereo-squamulosis; tibiis arcuatis, intus setosis; tarsis angustis, elongatis. — GHL.

* 4. B. MAMILLATUS.

Oblongus, niger, dense fusco-squamosus, albido variegatus, antennarum basi, tibiis tarsisque obscure testaceis; rostro brevi, arcuato, elytris posterius quadri-tuberculatis, interstitiis dorsalibus planis.

SAY, *Descript. of Curcul. of N. Amer.* p. 28. n° 1.

Patria : America borealis, Missuri. A Dom. SAY, ad describendum, amice missus.

Bagoo binodulo similis, sed plus duplo minor, elytrorum interstitia dorsalia plana, etc. Caput parum convexum, punctulatum, nigrum, dense cinereo-squamulosum, fronte obsolete impressa; oculi nigri, modice prominuli; rostrum capite parum longius, validum, arcuatum, nigrum, dense cinereo-squamulosum. Antennæ

breves, obscure testaceæ, apice nigræ. Thorax latitudine brevior, anterius subito angustior, apice late emarginatus, intra apicem profunde constrictus; lateribus pone stricturam fere rectis; basi bi-sinuatus, supra parum convexus, inæqualis, in medio canaliculatus, confertim punctulatus, niger, dense fusco-squamosus, immixtis lituris albidioribus. Scutellum parvum, tuberculiforme, concolor. Elytra antice thorace dimidio latiora, humeris elevatis, obtuse angulatis; lateribus non ampliata, apice conjunctim acute rotundata, thorace plus triplo longiora, supra anterius fere plana, postice valde declivia, tenuiter striata et in striis obsolete, remote punctata, interstitiis subtiliter alutaceis, dorsalibus planis, lateralibus partim convexis, elevatis; in interstitio secundo a sutura, pone medium, tuberculum majusculum, sub-conicum, et in quarto posterius alterum, adhuc majus; nigra, dense fusco-squamulosa, versus latera et in tuberculis albido variegata. Corpus subtus confertim alutaceum, dense cinereo-albido squamulosum. Pedes longiusculi, cinereo-squamulosi; femoribus modice clavatis, nigris; tibiis arcuatis, interne ciliatis, tarsisque obscure testaceis. — Ghl.

* 5. B. Pyrrhocnemis. *Schh.*

Elongatus, angustus, niger, squamositate densa cinereo-albida undique tectus, antennis, tibiis tarsisque rufescentibus, thorace sub-depresso, confertissime ruguloso-punctato, basi apiceque alte elevato-marginato; elytris punctato-striatis, interstitiis convexis, subtilissime alutaceis.

Patria: Calcutta. A Dom. Doct. Sundewall amice donatus. Mus. Schh.

Bagoo lutoso non brevior, sed fere dimidio angustior. Caput sub-globosum, confertim punctatum, nigrum, dense cinereo-albido-squamosum; oculi ovati, sub-depressi, nigri; rostrum capite dimidio longius, validum, modice arcuatum, punctulatum, nigrum, parce squamulosum, apice rufo-piceum. Antennæ saturate rufæ, clava infuscata. Thorax latitudine fere longior, sub-quadrangularis, apice emarginatus, intra apicem late et profunde constrictus, margine apicis alte elevato; lateribus vix ampliatus, basi bi-sinuatus, elevato-marginatus; supra planus vel sub-depressus, confertissime subtiliter ruguloso-punctatus, niger, squamositate cinereo-albida undique dense tectus. Scutellum oblongo-triangulare, acutum, nigrum, dense albido-squamulosum. Elytra antice sinuata, pone basin oblique ampliata, versus apicem subito valde attenuata, apice conjunctim obtuse rotundata, thorace plus

triplo longiora, supra anterius sub-depressa, punctato-striata, interstitiis convexis, subtilissime alutaceis; callus posticus satis elevatus et sutura versus apicem carinata; tota nigra, squamositate densa cinereo-albida tecta. Corpus subtus confertissime punctulatum, nigrum, dense albido-squamulosum. Pedes longiusculi; femoribus clavatis, nigris, basi rufo-piceis; tibiis tarsisque tenuibus, læte rufis. — GHL.

* 6. B. LUTOSUS.

Niger, cinereo-squamosus, pedibus ferrugineis, elytris apice attenuatis, callo unico obtuso.—GHL.

Rhynchænus id. GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 85. n° 19.
Bagous id. STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 48. n° 2.

Patria : Suecia, Anglia, Gallia.

* 7. B. COENOSUS. *Schh.*

Brevior, niger, squamositate cinerea undique dense tectus, antennarum basi, tibiis tarsisque obscure testaceis; thorace antice profunde constricto, dorso obsolete fusco bivittato; elytris sub-remote punctato-striatis, sutura interstitiisque alternis elevatioribus; tarsis non dilatatis.

Patria : Caffraria. Ex Musæo Dom. ECKLON et ZEYHER descriptus.

Bagoo lutoso similis, sed dimidio minor, thorax brevior, antice profundius constrictus, interstitia alterna elytrorum magis elevata et tarsorum articulus penultimus non dilatatus. Caput rotundatum, retractum, confertim punctulatum, nigrum, dense cinereo-squamulosum, fronte sub-impressa; oculi rotundati, nigri, parum prominuli; rostrum capite paulo longius, validum, arcuatum, punctulatum, nigrum, maris dense cinereo-squamulosum, feminæ magis nudum. Antennæ breviusculæ, sub-testaceæ, scapi apice et clava infuscatis. Thorax latitudine brevior, apice profunde emarginatus, intra apicem profundissime constrictus, lobo apicali alte elevato, calloso; lateribus pone stricturam nonnihil ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra parum convexus, in medio obsolete canaliculatus, confertim subtiliter alutaceus, dense cinereo-squamulosus, relictis vittis duabus dorsalibus obscurioribus, parcius squamulosis, in masculo distinctioribus. Scutellum minutum, concolor. Elytra antice conjunctim sub-emarginata, pone basin subito ampliata, callo humerali elevato; posterius attenuata, apice conjunctim acute rotundata, thorace fere quadruplo longiora, supra anterius

parum convexa, postice declivia, sub-remote punctato-striata, sutura interstitiisque alternis distincte elevatioribus, convexis, quarto a sutura, longe ante apicem callo alte elevato terminato; nigra, squamositate densa cinerea vestita, interstitiis elevatioribus in masculo punctis albido-squamosis alternantibus notatis. Corpus subtus confertissime subtiliter alutaceum, nigrum, squamositate densa cinerea tectum. Pedes longiusculi, cinereo-squamulosi; femoribus clavatis, nigris, muticis; tibiis arcuatis tarsisque obscure testaceis, tarsorum articulo tertio non dilatato. — GHL.

* 8. B. ARGILLACEUS. *Schh.*

Niger, dense cinereo-squamosus, thorace unicolore, canaliculato, elytris punctato-striatis, obsolete variegatis, callo postico obtuso; tibiis tarsisque ferrugineis.

Habitat in Tauria et Caucaso. Dom. STEVEN. Mus. SCHH.

Magnitudo et statura *Bagoi lutosi*, sed thorax unicolor, non lineatus, elytra obsolete variegata, callus posticus minor, obtusus, etc. Caput parvum, obsolete punctulatum, nigrum, dense cinereo-squamulosum; oculi brunnei, parum prominuli; rostrum vix longitudine thoracis, crassiusculum, arcuatum, supra planum, nigrum, cinereo-squamulosum. Antennæ breves, ferrugineæ, clava nigro-fusca. Thorax latitudine vix brevior antice late et profunde emarginatus, lobis ocularibus prominulis, intra apicem transversim impressus, lateribus parum ampliatus, basi truncatus, supra parum convexus, in medio evidenter canaliculatus, punctulatus, niger, squamulis densis cinereis unicoloribus tectus. Scutellum parvum, concolor. Elytra antice conjunctim emarginata, thoracis basi latiora, humeris elevatis, rotundatis; lateribus non ampliata, posterius attenuata, apice conjunctim sub-acuminata, thorace triplo longiora, supra in dorso antico fere plana, subtiliter punctato-striata, interstitiis planis; nigra, squamulis cinereis inæqualiter et obsolete variegata; callus posticus obtusus, parum elevatus, apici propior quam in *Bagoo lutoso.* Corpus subtus nigrum, punctulatum, cinereo-squamulosum. Pedes validiusculi; femoribus clavatis nigris, cinereo-squamulosis; tibiis arcuatis, setosis, tarsisque ferrugineis.—GHL.

* 9. B. SUBCARINATUS. *Schh.*

Niger, squamulis cinereis variegatus, tibiis ferrugineis, thorace subcarinato, obsolete constricto, dorso nigro bilineato, elytris puncto discoidali albo, tarsorum articulo penultimo parum dilatato.

Bagous frit. DEJ. *Cat. Col.* p. 89. teste Dom. CHEVROLAT.

Habitat in Gallia, Parisiis. Dom. CHEVROL. Mus. SCHH.

Bagoo lutoso proximus, sed paulo minor, thorax obsolete tantum constrictus, non canaliculatus, sed potius sub-carinatus, tarsorum articulus penultimus minus dilatatus, unde distinctus videtur. Caput rotundatum, parum convexum, punctulatum, nigrum, dense cinereo-squamulosum, fronte lineola impressa; oculi ovati, nigro-brunnei, modice prominuli; rostrum thorace brevius, crassum, arcuatum, punctulatum, nigrum, nitidum, basi squamulosum. Antennæ crassiusculæ, piceæ, clava nigra, cinereo pubescente. Thorax latitudine baseos parum brevior, antice late emarginatus, intra apicem obsolete constrictus, lateribus parum ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra minus convexus, antice in medio sub-carinatus, undique confertim punctulatus, niger, squamulis densis cinereis vestitus, relictis vittis duabus latis dorsalibus approximatis, nudis, nigris. Scutellum parvum, concolor. Elytra antice sinuata, thoracis basi multo latiora, callo humerali alte elevato; lateribus non ampliata, posterius attenuata, apice conjunctim rotundata, thorace triplo longiora, supra modice convexa, tenuiter, sub-remote punctato-striata, interstitiis confertim alutaceis, alternis nonnihil elevatioribus; nigra, squamulis cinereis vestita, dorsi medio et apice magis nudis; in interstitio tertio a sutura, paulo pone medium, punctum rotundatum albo-squamosum. Corpus subtus nigrum, punctulatum, dense cinereo-squamulosum. Pedes longiusculi; femoribus clavatis, nigris, squamosis; tibiis arcuatis tarsisque fusco-ferrugineis, tarsorum articulo penultimo parum dilatato, bilobo.—GYL.

* 10. B. HÆMATOPUS. *Schh.*

Oblongus, niger, dense cinereo-albido squamulosus, antennis pedibusque obscure ferrugineis; thorace angustiore, oblongo, elytris distincte striatis, fusco albidoque variegatis, rostro longiore, arcuato.

Patria : Caucasus ad Kislar. A Dom. STEVEN amice missus.

Statura et fere magnitudo *Bagoi lutosi*, ab illo et *Bagoo incerato* thorace angustiore et longiore præcipue distinctus. Caput sub-

depressum, punctulatum, nigrum, dense cinereo-albido squamulosum; oculi ovati, nigri, parum prominuli; rostrum capite plus duplo longius, validum, arcuatum, basi punctulatum et squamulosum, apice nudum, nitidum. Antennæ breviusculæ, ferrugineæ, clava nigra. Thorax latitudine paulo longior, antice late emarginatus, intra apicem profunde constrictus, lateribus parum ampliatus, basi leviter sinuatus, supra minus convexus, confertim punctulatus, niger, dense cinereo-albido-squamulosus, posterius maculis duabus ovatis obscurius squamulosis notatus. Scutellum minutum, tuberculiforme, concolor. Elytra antice sub-truncata, thoracis basi fere duplo latiora, humeris elevatis, sub-rectangulatis; lateribus non ampliata, apice conjunctim acute rotundata, thorace vix triplo longiora, supra anterius fere plana, postice declivia, distincte striata, striis obsolete, remote punctatis, interstitiis planis, alutaceis; nigra, squamositate densa, albida, nitida, quoad maximam partem vestita, liturisque sparsis fusco-squamosis variegata; ante apicem callus obtusus, parum elevatus conspicitur et apex ipse etiam callosus. Corpus subtus punctulatum, nigrum, squamositate densa albida, nitida, vestitum. Pedes mediocres, ferruginei; femoribus clavatis, basi apiceque infuscatis; tibiis arcuatis, tarsis tenuibus, non dilatatis.— GHL.

* 11. B. INCERATUS. *Schh.*

Oblongus, niger, dense cinereo-albido squamulosus, antennis pedibusque obscure ferrugineis, thorace latitudine breviore, sub-quadrato, elytris distincte striatis, albido fuscoque variegatis, rostro longiore, arcuato.

Patria : Caucasus ad Kislar. A Dom. STEVEN amice missus.

Bagoo hæmatopo magnitudine æqualis et simillimus, thorace breviore et latiore fere unice distinctus. Caput, oculi, rostrum et antennæ omnino ut ad illum descripta. Thorax latitudine brevior, antice subito angustior, apice late emarginatus, intra apicem profunde constrictus, lateribus pone stricturam subrectis; basi vix sinuatus, supra parum convexus, sub-pulvinatus, in medio obsolete canaliculatus, confertim punctulatus, niger, squamositate densa albida vestitus, maculisque quatuor dorsalibus fusco-squamosis notatus, posterioribus magnis, ovatis, distinctioribus, anticis obsoletis. Scutellum tuberculiforme, nigrum. Elytra antice subtruncata, ibique thoracis basi parum latiora, sed mox pone basin oblique ampliata, humeris elevatis, rotundatis; apice conjunctim acute rotundata, thorace plus triplo longiora, supra parum con-

vexa, distincte striata, striis obsolete, remote punctatis, interstitiis alutaceis, suturæ proximis sub-convexis, exterioribus planis; nigra, squamositate densa albida, nitida, vestita, liturisque sparsis fuscis variegata. Corpus subtus punctulatum, nigrum, squamositate albida, nitida, dense tectum. Pedes mediocres; femoribus clavatis piceis, medio dilutioribus; tibiis tarsisque ferrugineis, ut in priori formatis.— GHL.

* 12. B. LUTULENTUS.

Niger, squamulis cinereis variegatus, tibiis ferrugineis, elytris apice obtusis, callo obsolete; articulus penultimus tarsorum dilatatus, bilobus. — GHL.

Rhynchaenus id. GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 86. n° 20. et IV. p. 565. n° 20.

Bagous id. STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 48. n° 3.

Curc. Collignensis. HERBST. *Col.* VII. p. 50. n° 608. T. 98. f. 7.

* VAR. β. fusco-niger, unicolor, tibiis solis ferrugineis. — GHL. l. c. var. b.

Curculio atrirostris, var. pygmæa. PAYK. *Faun. Suec.* III. p. 227. n° 45. — *Mon. Curcul.* p. 40. n° 37.

* VAR. γ. Cinereo variegatus, antennis inferne ferrugineis. — GHL. l. c. var. c. et IV. p. 566. var. c.

Bagous tibialis. STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 49. n° 5.

Patria : Suecia, Anglia, Germania, Sibiria.

13. B. BINOTATUS (1).

Niger, elytris macula rotundata albida, apice sub-attenuatis, callo obsoleto, pedibus fuscis.

STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 48. n° 4.

Patria : Anglia.

* 14. B. INQUINAMENTUS. *Schh.*

Brevior, niger, dense cinereo-squamulosus, tibiis ferrugineis, thorace unicolore, antice non constricto, elytris obsolete punctato-striatis, puncto discoidali albido calloque postico instructis, rostro longiori, atro.

Patria : Sibiria. A Dom. Prof. GEBLER benevole communicatus. Mus. SCHH.

Bagoo lutulento simillimus et nimis affinis, thorace antice vix

(1) Mihi invisus.

constricto, concolore, nec albidius lineato, ut et indumento densiore unice distinctus. Caput convexum, punctatum, nigrum, cinereo-squamulosum; oculi oblongi, brunnei, depressi; rostrum longitudine fere thoracis, validum, arcuatum, punctulatum, nigrum, nitidum. Antennæ breviusculæ, nigræ. Thorax latitudine brevior, apice late et profunde emarginatus, intra apicem vix vel obsoletissime constrictus, lateribus parum ampliatus, basi truncatus, supra minus convexus, punctulatus, niger, crusta densa, cinerea, unicolore, tectus. Scutellum parvum, concolor. Elytra antice thoracis basi latiora, humeris elevatis, fere rectangulis; lateribus non ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace fere triplo longiora, supra convexa, obsolete punctato-striata, nigra, crusta densa, cinerea, vestita; in interstitio tertio a satura, longe pone medium, macula rotunda, dense albidius squamosa, et callus posticus sat elevatus. Corpus subtus punctulatum, nigrum, crusta densa, cinerea, tectum. Pedes longiusculi, tenues; femoribus clavatis nigris, cinereo-squamosis; tibiis arcuatis ferrugineis; tarsis elongatis, tenuibus, fuscis.—GHL.

* 15. B. LUTULOSUS.

Angustior, niger, squamulis cinereo-albidis variegatus, tibiis sub-arcuatis, ferrugineis, thorace profunde constricto, antice elevato, elytrorum interstitiis elevatioribus, tarsorum articulo penultimo angusto. GHL.

Rhynchænus id. GYLLENH. *Ins. Suec.* IV. p. 568. n° 20-21.

Patria : Suecia meridionalis et Berolinum, teste Dom. BARTELS.

* 16. B. TEMPESTIVUS.

Elongatus, angustior, niger, cinereo-squamulosus, antennis inferne tibiisque ferrugineis, thorace postice angustato, vittis duabus dorsalibus nigris, elytris punctato-striatis, sutura interstitiisque alternis elevatioribus, tarsorum articulo penultimo angusto.

Curculio id. HERBST. *Col.* VI. p. 246. n° 210. T. 77. f. 14. (teste Dom. SCHUPP.)

Curculio cnemerythrus. MARSH. *Ent. Br.* p. 268. n° 92. (teste Dom. SPENCE.)

Habitat in Anglia. Dom. SPENCE; in Gallia. Dom. CHEVROLAT; in Borussia. Dom. SCHUPP. Mus. SCHH.

Bagoo lutuloso similis, ejusdemque longitudinis, sed multo an-

gustior, thorax posterius magis angustatus, etc. Caput, oculi, rostrum, omnino ut apud *Bagoum tophyosum* descripta. Antennæ ferrugineæ, clava nigra. Thorax latitudine vix brevior, antice emarginatus et intra apicem sat profunde constrictus, margine elevato, lateribus ante medium ampliatus, posterius angustior, basi truncatus, supra modice convexus, punctulatus, niger, squamulis densis cinereis vestitus, relictis in medio vittis duabus approximatis magis nudis, nigris. Scutellum triangulare, concolor. Elytra antice sub-truncata, thoracis basi multo latiora, humeris elevatis, rotundatis; lateribus non ampliata, posterius attenuata, apice conjunctim acute rotundata, thorace plus triplo longiora, supra convexa, evidenter striata, sutura interstitiisque alternis elevatioribus; nigra, squamulis cinereis vestita, relictis punctis nudioribus sparsis. Corpus subtus nigrum, punctulatum, dense cinereo-squamulosum. Pedes longiusculi; femoribus sub-clavatis nigris; tibiis arcuatis ferrugineis; tarsis elongatis piceis, articulo penultimo bilobo, sed non dilatato.—Ghl.

* 17. B. Limosus.

Niger, cinereo-squamosus, antennis inferne tibiisque ferrugineis, thorace brevi, variegato, elytris profunde sulcato-punctatis; tarsorum articulo penultimo angusto. — Ghl.

Rhynchænus id. Gyllenh. *Ins. Suec.* IV. p. 566. n° 20-21.

Patria : Dalekarlia Sueciæ, Caucasus.

* 18. B. Tophyosus. *Schh.*

Elongatus, niger, squamulis densis cinereis vestitus, thorace longiore, non constricto, elytris obsolete punctato-striatis, apice acuminatis, supra albido maculatis.

Habitat ad Barnaul in Sibiria. A Dom. Com. Mannerheim communicatus. Mus. Schh.

Longitudo *Bagoi lutosi*, sed multo angustior. Caput rotundatum, convexum, punctulatum, nigrum, dense cinereo-squamosum; oculi ovati, sub-depressi, brunnei; rostrum thorace brevius, crassum, arcuatum, supra punctulatum, lateribus striatum, nigrum, basi supra squamulosum, cæteroquin nudum. Antennæ nigræ, clava cinereo-pubescente. Thorax latitudine vix brevior, antice late et profunde emarginatus, intra apicem non constrictus, lateribus in medio modice ampliatus, basi sub-truncatus et intra basin transversim depressus, supra parum convexus, punctulatus,

niger, squamositate densa cinerea unicolore tectus. Scutellum parvum, concolor. Elytra antice conjunctim emarginata, ibique thoracis basi parum latiora, sed pone basin oblique ampliata, callo humerali alte elevato; lateribus non ampliata, posterius valde angustata, apice conjunctim sub-acuminata, thorace fere quadruplo longiora, supra in dorso fere plana, posterius declivia, obsolete punctato-striata, nigra, squamositate densa cinerea tecta, maculisque nonnullis albidius squamosis, paulo pone medium ornata. Corpus subtus nigrum, punctatum, dense cinereo-squamosum. Pedes elongati, subtenues; femoribus clavatis nigris, cinereo-squamulosis; tibiis arcuatis piceis; tarsis elongatis, nigris, articulo penultimo sub-latiore, bilobo.—GHL.

* 19. B. LATICOLLIS. *Schh.*

Nigro-piceus, dense cinereo-squamosus, tibiis obscure ferrugineis, thorace brevi, ante medium dilatato, elytris sub-remote punctato-striatis, interstitiis convexis.

Bagous atrirostris. DEJ. *Cat. Col.* p. 89. teste Dom. CHEVROLAT.

Habitat in Gallia, Parisiis. A Dom. CHEVROLAT benevole communicatus. Mus. SCHH.

Bagoo limoso, Ins. Suec., proximus, paulo major, thorax adhuc latior, aliter coloratus, etc. Caput majusculum, rotundatum, convexum, punctatum, piceum, dense cinereo-squamosum; oculi sub-ovati, nigro-brunnei, modice prominuli; rostrum thorace brevius, crassum, arcuatum, supra punctatum, lateribus striatum, nigrum, basi supra squamosum, cæteroquin nudum. Antennæ piceæ, clava majuscula nigra. Thorax latitudine fere dimidio brevior, antice late emarginatus, intra apicem profunde constrictus, margine elevato; lateribus pone stricturam rotundato-ampliatus, dein angustior, basi sub-sinuatus, supra transversim convexus, confertim punctatus, piceus, dense cinereo-squamosus, punctis duobus nudis, sub-approximatis, in margine antico, maculisque duabus majoribus, magis remotis, in basi notatus. Scutellum parvum, concolor. Elytra antice sub-truncata, thoracis basi latiora, humeris obliquis, callo elevato instructis; lateribus non ampliata, posterius attenuata, apice conjunctim acute rotundata, thorace fere quadruplo longiora, supra in disco parum convexa, posterius declivia, obsoletius striata, et in striis punctis majusculis, sub-remotis impressa, interstitiis convexis, alutaceis; nigropicea, inæqualiter cinereo-squamosa. Corpus subtus piceum, punc-

tulatum, dense cinereo-squamosum. Pedes elongati, subtenues; femoribus sub-clavatis, nigro-piceis, tenuiter squamulosis; tibiis arcuatis, dilutius piceo-ferrugineis; tarsis elongatis, tenuibus, piceis.—GHL.

* 20. B. EGENUS. *Dejean.*

Brevior, niger, undique dense olivaceo-squamulosus, antennis testaceis, thorace sub-quadrato, antice profunde constricto, elytris punctato-striatis, interstitiis convexis, posterius tuberculatis, rostro brevi.

Bagous simplex. SAY, *Descript. of Curc. of N. Amer.* p. 29. n° 2.

Patria : America borealis. A Dom. Com. DEJEAN et Dom. SAY benevole communicatus. Mus. SCHH.

Bagoo lutulento paulo minor, brevior. Caput parvum, retractum, parum convexum, punctulatum, nigrum, indumento olivaceo tectum; oculi laterales, oblongi, nigri, parum prominuli; rostrum vix capite longius, crassum, parum arcuatum, colore et indumento ut in capite. Antennæ tenues, totæ testaceæ. Thorax subquadratus, antice late emarginatus, intra apicem profunde constrictus, lateribus pone stricturam nonnihil ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra parum convexus, obsolete punctatus, niger, squamositate densa olivacea tectus. Scutellum vix observandum. Elytra antice singulatim rotundata, thoracis basi multo latiora, humeris valde elevatis, obtuse angulatis; lateribus non ampliata, apice conjunctim acute rotundata, thorace vix triplo longiora, supra modice convexa, striata, striis subtiliter confertim punctatis, interstitiis convexis, alternis elevatioribus; posterius tuberculis pluribus seriatis instructis; nigra, olivaceo-squamulosa. Corpus subtus punctulatum, nigrum, olivaceo-squamulosum. Pedes longiusculi, tenues, nigri, squamulosi; femoribus vix clavatis; tibiis arcuatis, longius pilosis vel ciliatis.—GHL.

* 21. B. FRIT.

Niger, squamulis cinereis variegatus, antennis inferne tibiisque ferrugineis, thorace brevi, constricto; tarsorum articulo penultimo angusto. GHL.

Rhynchænus frit. GYLLENH. *Ins. Suec.* IV. p. 567. n° 20-21.
Curculio frit. HERBST. *Col.* VI. p. 256. n° 223. T. 78. f. 12.

Patria : Suecia, Germania.

* 22. B. BREVIS. *Schh.*

Niger, opacus, undique cinereo-squamulosus, antennis inferius, tibiarum, apice tarsisque ferrugineis, thorace canaliculato, intra apicem foveis tribus profundis impresso, elytris obsolete punctato-striatis, interstitiis alternis elevatioribus; tarsorum articulo penultimo non dilatato.

Patria : Sueciæ provincia Scania. A Dom. ZETTERST. detectus et Musæo Schœnherri amice donatus.

Bagoo limoso magnitudine æqualis et similis, sculptura thoracis et elytrorum tamen distinctus. Caput breve, supra planum, punctulatum, nigrum, dense cinereo-squamulosum; oculi rotundati, nigri, parum convexi; rostrum capite paulo longius, crassum, arcuatum, confertim punctulatum, nigrum, nitidum, glabrum. Antennæ breves, ferrugineæ, clava ovata, nigra. Thorax latitudine brevior, antice subito angustior, apice late et profunde emarginatus, lobis ocularibus productis, intra apicem constrictus, foveis tribus profundis, transversim positis, impressus, margine apicis elevato, calloso; lateribus mox pone stricturam ampliatis, dein subrectis; basi leviter bi-sinuatus, supra inæqualis, in medio profunde canaliculatus, confertim punctatus, niger, squamositate obscure cinerea tectus. Scutellum minutum, nigrum. Elytra antice truncata, thoracis basi multo latiora, humeris obtuse angulatis; lateribus non ampliata, posterius attenuata, apice conjunctim acute rotundata, thorace triplo longiora, supra in dorso anteriore fere plana, posterius declivia, sat distincte striata, sed in striis obsolete punctata, interstitiis convexis, alternis cum sutura elevatioribus, tertio a sutura postice callo mediocri instructo; nigra, opaca, squamositate cinerea dense tecta. Corpus subtus confertim punctulatum, nigrum, dense cinereo-squamulosum. Pedes subtenues, cinereo-squamulosi, femoribus sub-clavatis, nigris, muticis; tibiis arcuatis, basi nigris, apice ferrugineis; tarsis totis ferrugineis, articulo penultimo bilobo, sed non dilatato.—GHL.

GENUS 261. ITHYPORUS. *Nobis.*

Cryptorhynchus DEJ., SCHH. olim (1).

---

(1) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 284. *Cryptorhynchus*, subgenus *Camptorhinus*, Stirps 2.

Character generis. — Antennæ mediocres, validæ; funiculo 7-articulato : articulis duobus basalibus longiusculis, sub-obconicis, reliquis brevibus, lenticularibus, gradatim paulo latioribus; clava sub-ovata, fere spongiosa.

Rostrum longiusculum, validum, teres, modice arcuatum.

Oculi demissi, ovati, sub-depressi.

Thorax oblongus, lateribus æqualiter rotundatus, anterius angustior, antice rotundato-productus, pone oculos eximie lobatus.

Elytra oblongo-ovata, basi introrsum leviter emarginata, humeris obtuse angulatis; supra convexa.

Pygidium apertum, inflexum, ventri contiguum, extra elytra non prominens.

Pedes robusti; femora clavata, subtus dentata; tibiæ intus bi-sinuatæ, apice unco valido arcuatæ.

Descriptio.—*Corpus* oblongum, convexum, durum, squamosum, obscurum, alatum; mediæ magnitudinis.—*Antennæ* ad thoracis medium pertingentes, pone medium rostri insertæ, validæ, fractæ, 12-articulatæ; articulo 1° oculum sub-atingente, recto, clavato; 2° et 3° longiusculis, sub-obconicis; 4-8 brevibus, lenticularibus, gradatim crassitudine perparum crescentibus; clava sub-ovata, sub-spongiosa, 4-articulata, articulis ægre discernendis. — *Rostrum* vix longitudine thoracis, validum, teres, modice arcuatum; scrobe lineari, in basi rostri subtus cum opposita connivente.—*Oculi* sub-laterales, demissi, infra caput fere connexi, ovati, sub-depressi.—*Thorax* latitudine baseos multo longior, basi leviter bi-sinuatus, lateribus æqualiter rotundato, ampliatus, anterius paulo angustior, et ad latera apicis vix coarctatus, antice in medio paulo rotundato-productus, lateribus lobis rotundatis versus oculos productis instructus, infra pone gulam late et profunde emarginatus, sulco pro receptione rostri ante pedes anticos abbreviato, lato, non valde profundo, impressus.— *Scutellum* rotundatum, elevatum.— *Elytra* thoracis basi dimidio latiora et illo triplo longiora, oblongo-ovata, basi simultaneæ leviter emarginata, humeris antrorsum sub-prominulis, obtuse angulatis; apice conjunctim obtuso-rotundata, pygidium obtegentia, supra convexa, vix callosa. — *Pygidium* inflexum, semi-rotundatum, evidenter distinctum, sextum quasi articulum ventris formans, non tamen ultra elytrorum apicem prominens. —*Pedes* longiusculi, robusti, medii breviores, antici basi approximati; femoribus crassis, clavatis, subtus dentatis; tibiis breviusculis, intus bi-sinuatis, apice unco valido perpendiculari instruc-

tis; tarsis latiusculis, subtus spongiosis, articulo ultimo sub-clavato, bi-unguiculato.

TYPUS. — *Ithyporus capensis.* — Congenericus: *Ithyporus inquinatus*, sed illius antennæ paulo longiores et tenuiores, femora postica valde elongata, cæterum haud essentialiter distinctus.

Ab ἰθυπόρος, recta procedens.

Observ. — Statura *Cryptorhyncho* generi fere appropinquat; thorax autem infra pone pedes anticos haud canaliculatus, atque pygidium apertum.

* 1. I. CAPENSIS.

Oblongo-ovatus, niger, squamulis umbrinis et pallidis adspersis, rostro crassiori, parum arcuato, profunde punctato, sub-carinato, thorace confertim striolato-rugoso, carinato, elytris profunde striato-punctatis, interstitiis punctulatis, alternis modice elevatis, femoribus clavatis, dentatis, tibiis posticis incurvatis valide dentatis.

Cryptorhynchus id. Dom. Com. DEJ. *in Litteris.*
Rhynchænus stolidus. FABR. *Syst. El.* II. p. 470. n° 156.?
OLIV. *Ent.* V. 83. p. 187. n° 167. T. 12. f. 145.?
Curculio stolidus. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 431. n° 155.—*Mant.* I. p. 106. n° 113. — *Sp. Ins.* I. p. 176. n° 89.?
HERBST. *Col.* VI. p. 313. n° 287. T. 84. f. 11.?
OLIV. *Enc. méth.* V. p. 509. n° 175.?
LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1763. n° 228.?

Habitat ad Cap. Bonæ Spei. Dom. SCHUPPEL; Caffraria. Dom. ECKLON et ZEYHER; in Senegalia. Dom. DUPONT. Mus. GYLLENH. et SCHH.

Hylobio abietino magnitudine æqualis. Caput rotundatum, nigrum, confertim parum profunde punctatum, punctis squamulis brunneis repletis; oculi laterales, oblongi, sub-depressi, brunnei; rostrum thorace nonnihil brevius, teres, crassiusculum, parum arcuatum, nigrum, obsolete longitudinaliter carinatum, basi striolato-rugosum, dein profunde punctatum. Antennæ mox pone medium rostri insertæ, ad dimidium thoracis pertingentes, minus tenues, piceæ, parum pubescentes, clava ovata sub-acuminata, fusco-holosericea. Thorax latitudine media nonnihil longior, apice late sed parum profunde emarginatus, lateribus rotundato-ampliatus, anterius basi paulo angustior, ibique vix constrictus, basi leviter bi-sinuatus, supra parum convexus, confertim striolato-rugosus, carina longitudinali, continuata, parum elevata,

præditus, squamulis umbrinis, versus latera magis condensatis, adspersus. Scutellum rotundatum, sub-elevatum, albido-squamosum. Elytra basi introrsum conjunctim leviter emarginata antice thoracis basi nonnihil latiora, quam lata triplo longiora, humeris prominulis, obtuse rotundatis; lateribus inflexa, ultra medium usque linearia, tum apicem versus sensim angustata, apice declivia, conjunctim rotundata, supra in dorso sub-depressa, rude striatim-punctata, punctis per paria approximatis, interstitiis obsolete punctulatis, alternis, 3, 5 et 7 a sutura modice elevatis; tota nigra, squamulis umbrinis, pallidis immixtis, adspersa. Corpus subtus nigrum, confertim punctatum, punctis squamulis sub-argenteis repletis; abdomine, præsertim medio, magis denudato. Pedes robusti, nigri, confertim profunde punctati, squamulis albidis obsiti, nigro annulati, intermedii nonnihil breviores; femoribus valde incrassatis, subtus pone medium valide obtuse, posticis acute dentatis; tibiis anterioribus intus nonnihil ampliatis, posticis in medio dente valido instructis, apice extus emarginatis, bi-denticulatis, fulvo-ciliatis; tarsis elongatis, subtus brunneo-spongiosis.—BHN.

* 2. I. INQUINATUS. *Schh.*

Oblongus, niger, squamulis umbrinis adspersus, rostro tenuiori, modice arcuato, thorace confertim parum profunde rugoso-punctato, antice carinato, utrinque umbrino lineato; scutello albido-squamoso, elytris subtiliter punctato-striatis, interstitiis granulatis, macula communi pone medium nivea ornatis; femoribus clavatis, subtus acute dentatis.

Habitat in Sierra Leona. Dom. AFZELIUS. Mus. SCHH.

Magnitudo *Pissodis notati.* Caput globosum, nigrum, confertim punctatum, squamulis fusco-brunneis adspersum, fronte foveola parva insculpta; oculi laterales, oblongi, sub-depressi, obscure brunnei; rostrum thorace nonnihil brevius, teres, subtenue, modice arcuatum, rufo-piceum, basi striolato-rugosum; apicem versus subtiliter punctulatum, glabrum, nitidum. Antennæ mox pone medium rostri insertæ, longitudine thoracis cum capite, subtenues, rufo-ferrugineæ, parum pubescentes, clava oblongo-ovata, sub-acuminata, fusco-holosericea. Thorax latitudine baseos multo longior, apice nonnihil rotundato-productus, lateribus modice rotundato-ampliatus, anterius angustatus, ibique constrictus, basi leviter bi-sinuatus, marginatus, supra parum convexus, niger, confertim sed parum profunde rugoso-punctatus, dorso antice longitudinaliter carinatus, squamulis umbrinis parce adsper-

sus, versus latera in linea sat lata condensatis. Scutellum parvum, rotundatum, sub-elevatum, dense sordide albido-squamosum. Elytra antice thoracis basi nonnihil latiora, humeris parum prominulis, rotundatis; thorace triplo longiora, lateribus inflexa, ultra medium usque linearia, tum apicem versus perparum angustata, apice declivia, conjunctim obtuse rotundata, supra convexa, subtiliter punctato-striata, interstitiis parum convexis, singulis serie et granulis remotis, nitidis, obsitis; tota nigra, squamulis umbrinis dense adspersa; pone medium macula sat magna, suturalis, quasi e punctis plurimis constituta, niveo-squamosa et ante apicem punctis nonnullis obsoletis ejusdem coloris adspersa. Corpus subtus nigrum, punctatum, squamulis dilute umbrinis dense obtectum. Pedes elongati, robusti, nigri, punctulati, squamulis umbrinis parce adspersi; intermedii nonnihil breviores; femoribus clavatis, subtus pone medium dente acuto, sat valido, armatis, posterioribus longioribus, ante apicem macula obsoleta albido-squamosa ornatis; tibiis teretibus intus in medio nonnihil ampliatis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis.—BHN.

GENUS 262. EUDERES. *Nobis* (1).

Character generis. — Antennæ breviusculæ, minus tenues; funiculo 7-articulato : articulis duobus basalibus longiusculis, obconicis; 1° longiore, reliquis brevibus, lenticularibus, apice subtruncatis, distantibus; clava breviter ovata.

Rostrum longiusculum, validum, complanatum, modice arcuatum.

Oculi laterales, ovales, parum convexi, magni.

Thorax sub-conicus, basi leviter bi-sinuatus, apice sub-truncatus, infra ante pedes anticos fossula lata, semi-rotundata, impressus.

Elytra elongata, sub-cylindrica, basi tri-sinuata, humeris antrorsum paulo prominulis; supra convexa, versus apicem callosa.

Pedes breviusculi, validi, longitudine sub-æquales; femora in medio incrassata, subtus dentata; tibiæ subrectæ, apice unco acuto armatæ.

Observ. Corpus elongatum, fere cylindricum, parce pilosum, alatum.

---

(1) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 227. n° 129.

* 1. E. LINEICOLLIS.

Oblongus, convexus, fusco-ferrugineus, pallescenti-tomentosus et setosus; thorace carinis numerosis longitudinalibus elevatis instructo, elytris remote punctato-substriatis.

Rhynchænus id. WIEDEM. *Zool. Mag.* II. I. p. 128. n° 193.

Patria : Cap. Bonæ Spei. A Dom. WESTERMANN donatus. Mus. SCHH.

Facies fere *Elateris,* et *Elateri obscuro* minori magnitudine æqualis. Caput majusculum, sub-globosum, punctulatum, fuscum, dense pallido-tomentosum; oculi perpendiculares ovati, nigri; rostrum capite dimidio longius, latum, modice arcuatum, confertim punctatum, dilutius testaceum. Antennæ breviusculæ, fusco-testaceæ, cinereo-pilosæ. Thorax latitudine brevior, anterius angustior, in medio apicis sub-emarginatus, cæterum truncatus, lateribus anterius obliquis, dein ampliatis, basi leviter bi-sinuatus, supra modice convexus, lineis vel carinis circiter septemdecim longitudinalibus elevatis instructus, sulcis interjacentibus setulis pallidis, transversim declinatis repletis. Scutellum sub-rotundatum, elevatum, nigrum. Elytra antice sub-sinuata, thoracis basi vix latiora, callo humerali elevato; lateribus non ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace plus triplo longiora, supra convexa, obsolete striata et in striis punctis remotis, sub-ocellatis impressa, interstitiis planis, rugulosis; fusco-testacea, sub-opaca, tomento pallescente vestita. Corpus subtus confertim punctatum, fusco-testaceum, anterius dense pallido-tomentosum, ventre magis nudo, nitido. Pedes breviusculi, validi, obscure testacei, cinereo-tomentosi. — GHL.

GENUS 263. MECOPUS.

Mecopus DALM., SCHH. (1). — *Poecilma* GERM. (2).

Character generis. — Antennæ mediocres, tenues, in mare vix oculos attingentes, versus apicem rostri insertæ, in femina ultra oculos se extendentes, pone medium rostri insertæ; funiculo 6-articulato: articulo 1° et 2° longiusculis, hoc longiore, sub-obconicis, reliquis brevissime sub-obconicis; clava elongata, articulo 1° longo, basi angusto.

(1) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 304. n° 176.

(2) Germ. Mag. IV. p. 297.

Rostrum longissimum, filiforme, arcuatum.

Oculi maximi, convexi, sub-conjuncti, totam capitis anticam superficiem occupantes.

Thorax longitudine fere latior, pulvinatus; maris pectus subtus bi-spinosum, ante pedes anticos late, sed non profunde canaliculatum; feminæ pectus muticum, vix canaliculatum.

Elytra thoracis medio non latiora, oblongo sub-quadrata, versus apicem sensim paulo angustata, apice singulatim sub-rotundata, supra planiuscula.

Pedes longissimi, graciles.

Observ. Corpus sub-oblongum, supra parum sed infra valde convexum, squamosum, alatum.

♂♀ 1. M. BISPINOSUS.

Ellipticus, parum convexus, niger, subtus cretaceo-squamosus, maculis denudatis nigris variegatus; thorace amplo, punctato, macula ante-scutellari, elytris punctato-striatis, maculis pluribus flavo-albido-squamosis notatis.—GHL.

Mas: antennis brevissimis, oculos vix attingentibus; pectore spinis duabus longis, porrectis, acuminatis, armato.

Femina: antennis oculos nonnihil superantibus; pectore aut mutico, aut tuberculis duobus brevibus instructo.

Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 475. n° 181.

ILLIG. *Mag.* I. p. 250. et VI. p. 311. n° 181.

Curculio id. WEB. *Obs. Ent.* p. 94. n° 4.

Poecilma spinosum. GERM. *Mag.* IV. p 298. n° 1.

Patria: Sumatra.

Divisio II. APOSTASIMERIDES (1).

Pedes antici basi distantes, inter quos pectus aut planum, aut plus minusve distincte canaliculatum.

SUBDIVISIO I. — (CHOLIDES.) *Pectus inter pedes anticos planum, integrum.*

GENUS 264. RHINASTUS. *Nobis* (2).

Cholus GERM.

Character generis. — Antennæ breviusculæ, subtenues; funiculo 7-articulato: articulis duobus basalibus longiusculis, ob-conicis, reliquis brevibus, apice truncatis; clava parva, ovata.

Caput valde elongatum, demissum.

Rostrum longum, robustum, arcuatum, angulatum; scrobs lata, non profunda.

Oculi valde remoti, minores, sub-rotundati, parum prominuli.

Thorax transversus, basi bi-sinuatus, lateribus deplanatus, versus apicem valde angustatus: sternum mucronatum.

Elytra sub-cordata, deplanata, margine costata.

Observ. Corpus magnum, rhombicum, supra fere planum, squamosum, alatum.

1. R. PERTUSUS.

Niger, squamulis flavescentibus vestitus, rostro magno subtus bifariam denticulato, thorace subtus mucronato, elytris latere costatis, humeris basi excisis, perforatis.

Habitat in Brasilia. Mus. Dom. THUNBERG.

Longitudo corporis (excepto rostro) pollicis Parisiensis; latitudo elytrorum lin. 8. Corpus rhombicum, supra sub-planum, atrum, sed totum squamulis elongatis pilisque brevibus flavescentibus (vel pallide ochraceis) vestitum, relictis modo elytrorum thoracisque margine, atque rostri apice et latere inferiore nigris. — Rostrum magnum, validum, deflexum, dimidio corpore manifeste

---

(1) Ab ἀποστασις distantia, intervallus, μηρὸς femur.

Canalicula pectoralis in *Cryptorhyncho* et affinibus interdum valde obsoleta, ut fere nulla, quare aptum censui illos cum *Cholidibus* in eadem divisione conjungere, cujus nota essentialis in eo consistit, quod femora antica basi ab-invicem remote inserta sint.

(2) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 261. nº 153.

longius, basi flavescens vel pallide ochraceum, cæterum nigrum; subtetragonum, et subtus per totam longitudinem denticulis numerosis valde inæqualibus bifariam armatum. Antennæ fuscæ, flagello 7-articulato, clava parva, ovata. Oculi parvi, rotundati, triangulares, distantes. Thorax quam longus vix latior, basi bi-sinuatus, lateribus deplanatus, apicem versus valde angustatus, canaliculo dorsali obsoleto; ad latera et versus medium granulatus. Scutellum parvum, rotundatum, flavescens. Elytra cordata, thoracis basi vix latiora, margine explanata et acute costata, dorso planata, obsolete punctato-striata, ante apicem (ubi costa marginalis desinet) sub-callosa; basi sinuata, sinu scutellari parum determinato, sinibus humeralibus vero profunde excisis, margineque humerali reflexo, thoracis angulum obtegente, unde oritur foveola humeralis, omnino perforata. Corpus subtus pallidius, flavescens. Sternum mucrone magno prominente, truncato. Pedes corpore concolores, graciles, antici elongati; femoribus omnibus dentatis.

Observ. Affinis videtur *Cholo sternicorni* Germar, sed differt rostro longiore, armato, atque elytrorum humeris perforatis.

Dalm.

2. R. Sternicornis.

Ater, sulphureo-squamosus, elytris lateribus costatis, thorace subtus mucronato. — Germ.

Cholus id. Germ. *Ins. Spec.* I. p. 214. n° 338. T. I. f. 4.

Patria: Brasilia.

Genus 265. CHOLUS.

Cholus Germ., Latr., Schh. (1). — *Rhynchænus* Fabr., Oliv. — *Archarias* Dej. — *Curculio* Linn., Herbst.

Character generis. — Antennæ mediocres, subtenues; funiculo 7-articulato: articulo 1° elongato, clavato; 2° breviore, obconico, reliquis brevibus, lenticularibus, gradatim paulo latioribus; clava oblongo-ovalis, acuminata.

Rostrum longiusculum, subtenue, arcuatum, versus apicem deplanatum; scrobe angusta, profunda.

Oculi laterales, majusculi, sub-rotundati, parum convexi.

(1) Germ. Ins. Spec. I. p. 212. — Latr. Règne Anim. p. 394. — Schh. Curc. Disp. Meth. p. 262. n° 154.

Thorax fere transversus, basi bi-sinuatus, versus apicem valde angustatus.

Scutellum sæpissime distinctum, apice rotundatum, in paucis vix conspicuum vel nullum.

Elytra sub-obconica, ab humeris ad apicem sensim angustata, disco sæpius deplanata; humeris obtuse sub-angulatis, sub-retusis.

Observ. Corpus robustum, fere rhombicum, supra planiusculum, squamosum, alatum; aut majusculæ aut media magnitudinis.

Patria : America meridionalis.

Stirps 1. Scutellati.

1. C. Laticollis.

Oblongo-ovatus, niger, squamulis cinereo-albidis dense adspersus, thorace anterius valde angustato, supra remote granulato, elytris sat profunde striato-punctatis, interstitiis coriaceis, remote granulatis. — Bhn.

Rhynchænus id. Oliv. *Ent.* V. 83. p. 169. n° 141. T. 7. f. 85.

Observ. — Major reliquis hujus generis. Magnitudo fere *Larini cinaræ.*

Patria : Cayenna.

2. C. Basalis. *Schh.*

Oblongo-ovatus, ater, subtus squamulis albidis obsitus, fronte rugoso-tuberculata, thorace tuberculis sat magnis, nitidis, minus crebre obsito, elytris striato-punctatis, tuberculatis, linea transversa basali maculaque laterali pone medium, albido-squamosis, ornatis.

Habitat in America meridionali. Mus. Imp. Russ.

Cholo albicincto dimidio major. Caput sat magnum, rotundatum, atrum, squamulis nonnullis albidis præsertim supra oculos adspersum, vertice subtiliter punctulato; fronte rude rugoso-tuberculata; oculi ovati, transversi, parum prominuli, nigri; rostrum capite cum thorace longius, deflexum, minus crassum, teres, arcuatum, apicem versus ampliatum, a basi ultra medium crebre rugoso-punctatum, tum magis remote punctatum, glabrum, nitidum. Antennæ pone medium rostri sitæ, subtenues, rufo-ferrugineæ, parce albido-pilosæ, clava oblongo-ovata, cinereo-pubescente. Thorax supra in apice productus, ibique leviter emarginatus,

latitudine baseos nonnihil brevior, anterius angustatus, lateribus parum rotundato-ampliatus, basi sub-truncatus, supra parum convexus, ater, tuberculis sat magnis, minus crebris, nitidis, undique obsitus, superficie interjacente squamulis cinereis adspersus. Scutellum latum, apice acuminatum, nigrum, rugoso-punctatum. Elytra sub-triangularia, basi truncata, antice thorace nonnihil latiora et illo plus duplo longiora, humeris prominulis, rotundatis, lateribus inflexa, pone humeros apicem versus sensim angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata supra parum convexa, ante apicem callo vel gibbere obtuso notata, obsolete striato-punctata, undique tuberculata, tuberculis parum elevatis, sub-nitidis; tota atra, opaca, linea transversa basali maculaque parva transversa, laterali, mox pone medium, albido-squamosis, ornata. Corpus subtus nigrum, remote punctulatum, thorace pectoreque dense, abdomine parce albido-squamosis. Pedes elongati, nigri, setulis albidis adspersi; antici longiores; femoribus omnibus parum clavatis, apicem versus dente parvo, acuto, armatis; tibiis modice arcuatis, apice extus fulvo-pubescentibus, intus uncinatis; tarsis dilatatis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

3. C. LATERALIS. *Schh.*

Elongato-ovatus, niger, pube pallida adspersus, thorace triangulari, remote granulato, vitta infra-laterali silaceo-squamosa, ornato, elytris rude punctato-striatis, corpore subtus utrinque silaceo lineato.

Patria: Brasilia. Mus. Reg. Acad. Scient. Holm.

Habitus *Choli albicincti*, sed dimidio major. Caput mediocre, rotundatum, nigrum, rugoso-punctatum, supra pube pallida parce adspersum, subtus silaceo-squamosum, inter oculos leviter impressum; oculi magni, rotundati, parum prominuli, nigri, nitidi; rostrum longitudine fere dimidii corporis, tenue, arcuatum, apicem versus nonnihil ampliatum, deplanatum, nigrum, basi striolato-rugosum, apicem versus subtiliter remote punctulatum, nitidum. Antennæ rostro breviores, tenues, nigræ, nitidæ, parce pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, atra. Thorax latitudine baseos nonnihil brevior, a basi apicem versus angustatus, antice sub-truncatus, postice leviter bi-sinuatus, tuberculis minus crebris, rotundis, modice elevatis, obsitus, niger, pube pallida parce adspersus, vitta infra-laterali silaceo-squamosa, ornatus. Scutellum oblongum, nigrum, obsolete punctulatum. Elytra sub-obconica, basi truncata; antice thorace non latiora, et illo vix duplo longiora, a basi apicem versus sensim angustata, apice ipso singulatim obtuse rotundata, supra depressa,

rude at minus regulariter punctato-striata, nigra, pube depressa pallida parce adspersa. Corpus subtus nigrum, obsolete punctulatum, pube tenui pallida adspersum, utrinque linea lata, postice abbreviata, silaceo-squamosa, decoratum. Pedes elongati, nigri, pube pallida parce obsiti; antici longiores; femoribus omnibus modice clavatis, subtus dente acuto armatis, posticis ad basin supra silaceo-squamosis; tibiis parum arcuatis; tarsis dilatatis, subtus obscure umbrino-spongiosis. — BHN.

* 4. C. PISTOR. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, dense dilute cinereo-squamosus, thorace anterius subito angustato, minus crebre ruguloso-granulato, postice leviter bi-sinuato, elytris subtiliter punctato-striatis, interstitiis nigro granulatis.

Habitat in America meridionali. A Dom. MÉNÉTRIÉS benevole communicatus. Mus. SCHH.

Cholo albicincto dimidio major. Caput sat magnum, rotundatum, nigrum, squamulis cinereis sat dense obsitum, inter oculos longitudinaliter impressum; vertice subtiliter fronte profundius remote punctatis; oculi ovati, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum capite cum thorace nonnihil longius, minus crassum, teres, valde arcuatum, apicem versus nonnihil ampliatum, nigro-piceum, glabrum, basi profundius apicem versus subtiliter punctulatum. Antennæ mox pone medium rostri sitæ, crassiusculæ, nigro-piceæ, parce pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos brevior, apice late sed parum profunde emarginatus, anterius valde angustatus, a medio apicem versus angustior, basi leviter bi-sinuatus, supra parum convexus, niger, dense cinereo-squamosus, undique rugulis granisque nigris denudatis, minus crebris obsitus. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum, dense albido-squamosum. Elytra basi sub-truncata, antice thorace vix latiora et illo plus duplo longiora, humeris vix prominulis, rotundatis; lateribus inflexa, pone humeros apicem versus sensim perparum angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra parum convexa, ante apicem callo vel gibbere obtuso notata, subtiliter punctato-striata, interstitiis planis, granis minus crebris, nigris, denudatis, obsitis; tota nigra, squamulis unicoloribus dilute cinereis vestita. Corpus subtus nigrum, dense cinereo-squamosum, granulis remotis, nigris, denudatis, adspersum. Pedes elongati, robusti, nigri, squamulis cinereis obsiti; femoribus modice clavatis, subtus ante apicem dente validiori, acuto, armatis;

tibiis apicem versus nonnihil arcuatis, uncinatis; tarsis dilatatis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

* 5. C. GEOMETRICUS.

Rhombicus, obscure æneus, subtus albo-squamosus, capite thoraceque utrinque vitta laterali alba, ornatis, thorace subtiliter punctato, elytris striato-punctatis, fascia transversa baseos, linea marginali arcuque postico albis, apice serratis. — BHN.

GERM. *Ins. Spec.* I. p. 215. n° 340.

Patria : Brasilia.

* 6. C. ALBICINCTUS.

Rhombicus, obscure æneus, subtus albo-squamosus, capite thoraceque utrinque vitta laterali alba decoratis, thorace confertim granulato, elytris subtiliter striato-punctatis, apice serratis, margine vittaque laterali postice cum margine conjuncta, albido-squamosis. — BHN.

GERM. *Ins. Spec.* I. p. 214. n° 339.

Patria : Brasilia.

* 7. C. CINCTUS.

Oblongo-ovatus, niger, subtus albido-squamosus, capite, thorace elytrisque vitta laterali niveo-squamosis, thorace minus crebre granulato, elytris evidenter striato-punctatis, interstitiis transversim rugosis, apice serratis, femoribus non incrassatis, dente parvo acuto, armatis. — BHN.

Rhynchænus id. OLIV. *Ent.* V. 83. p. 172. n° 146. T. 28. f. 421.

Observ. — Statura fere et similitudo *Choli albicincti*, in elytris nonnihil longior, thorace angustiore, minus crebre granulato, elytris transversim rugosis, margine linea pallida destitutis, femoribus non incrassatis, etc., ab illo facile distinctus.

Patria : Cayenna.

* 8. C. DEALBATUS. *Klug.*

Oblongo-ovatus, ater, nitidus, thorace elytrisque niveo-squamosis, thorace amplo, parum convexo, subtiliter rugoso-punctato, plaga magna basali, triangulari, atra, denudata, notato, elytris punctato-striatis, fascia ante medium antrorsum arcuata, alia pone medium apiceque atris, denudatis.

Habitat in Brasilia. A Dom. KLUG missus. Mus. SCHH.

Magnitudo et fere statura *Choli annulati.* Caput globosum, atrum, sat crebre punctatum, inter oculos foveola profunda impressum; oculi sat magni, oblongi, transversi, parum prominuli, nigri; rostrum capite thoraceque fere longius, deflexum, subtenue, arcuatum, teres, apicem versus ampliatum, nigro-piceum, basi sat profunde dein subtiliter punctulatum. Antennæ pone medium rostri insertæ, minus tenues, nigro-piceæ, fusco-pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, albido-pubescentes. Thorax amplus, latitudine baseos multo brevior, apice late sed parum profunde emarginatus, anterius subito angustatus, coarctatus, mox pone apicem valde ampliatus, lateribus nonnihil rotundatus, basi sub-truncatus, supra modice convexus, subtiliter sat crebre rugoso-punctatus, lateribus et subtus dense niveo-squamosus, plaga magna dorsali, triangulari, cum margine apicali ramulo angusto connexa, atra, denudata, parum nitida. Scutellum sub-elevatum, apice rotundatum, atrum, niveo-squamosum. Elytra sub-obconica, basi subtruncata, antice thoracis basi non latiora, illique arcte applicata, humeris rotundatis, a basi apicem versus sensim angustata, thorace triplo longiora, apice ipso singulatim obtuse rotundata, supra parum convexa, regulariter punctato-striata, interstitiis planis, subtilissime coriaceis, squamulis niveis tecta, signaturis variis, atris, denudatis, insignita, nempe: e callo humerali fascia retrorsum arcuata, fere semi-circularis, communis, plagam basalem, transversam, elongatam, niveam, includens, pone medium fascia lata, transversa, communis, marginem lateralem non attingens, apiceque ipso atro, denudato. Corpus subtus atrum, subtiliter punctulatum, squamulis niveis, adspersum, segmentorum ventralium marginibus dense niveo-squamosis. Pedes elongati, validi, atri, punctati, setulis albidis adspersi; femoribus clavatis, subtus acute uni-dentatis; tibiis arcuatis, apice dilatatis, uncinatis; tarsis dilatatis, fulvo-spongiosis.

Bhn.

9. C. Gladiator (1).

Niger, thorace sub-carinato, lateribus fasciaque postica albis, elytris fasciis tribus. — Oliv.

Rhynchænus id. Oliv. *Ent.* V. 83. p. 174. n° 149. T. 28. f. 422.

Patria : America meridionalis.

---

(1) Mihi invisus.

* 10. C. FLAVOFASCIATUS. *Chevrolat.*

Ovatus, ater, nitidus, læte sulphureo-squamosus, antennis pedibusque rufo-ferrugineis, thorace amplo, convexo, remotes ubtiliter punctulato, plaga magna dorsali atra, denudata, notato, elytris subtiliter striato-punctatis, fasciis duabus transversis, communibus, macula sat magna intra apicem, atris, ornatis.

GUÉRIN, *Règne animal.* T. 39. f. 1.
Dionychus callizonus. Dom. GERMAR *in Litteris.*

Habitat in Brasilia. Dom. FREYREISS. Mus. SCHH. et MANNERH.

Species elegans. *Cholo annulato* parum longior, sed multo convexior; variat etiam dimidio minor. Caput parvum, rotundatum, nigrum, remote punctatum, squamulis sulphureis, præsertim supra oculos adspersum, fronte canalicula abbreviata, insculpta; oculi magni, oblongi, transversi, nigri, modice prominuli; rostrum capite thoraceque fere longius, deflexum, subtenue, teres, modice arcuatum, apicem versus nonnihil ampliatum, piceum, a basi ultra medium striolato-rugosum, dein punctulatum, setulis depressis, sulphureis et pallidis, tenue adspersum. Antennæ subtenues, rufo-ferrugineæ, fusco-pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, pubescente. Thorax amplus, latitudine baseos multo brevior, apice in medio sub-productus, anterius multo angustior, coarctatus, lateribus rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, marginatus, angulis baseos retrorsum productis, supra valde convexus, subtiliter at remote punctulatus, lateribus et subtus dense sulphureo-squamosus, plaga magna dorsali, oblongo-ovata, cum margine apicali ramulo angusto connexa, nigra, nitida, ornatus. Scutellum apice rotundatum, sub-elevatum, atro-cœruleum, rude punctatum. Elytra sub-obconica, basi singulatim sub-truncata, antice thoracis basi fere angustiora, ab humeris ad apicem sensim angustata, lateribus inflexa, thorace vix triplo longiora, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra valde convexa, subtiliter striatim punctata, squamulis læte sulphureis dense tecta, a callo humerali, fascia æque lata retrorsum arcuata communis, atro-cœrulea, pone medium fascia altera etiam communis, recta, marginem lateralem non attingens et intra apicem macula oblongo-ovata, ejusdem coloris, notata. Corpus subtus nigrum, dense læte sulphureo-squamosum, ventre medio apicem versus infuscato. Pedes elongati, validi, rufo-ferruginei, setulis pallidis, adspersi; femoribus clavatis, subtus pone medium valide, acute dentatis; tibiis arcuatis, apice ciliatis, uncinatis; tarsis latis, subtus fulvo-spongiosis.

Obs. — Minus apte huic generi adnumeratur; forma corporis magis convexa a reliquis diversus. *Amerhinis* affinis, sed scutello non elongato, parum elevato, ab illis discrepat. — Bhn.

* 11. C. Kunzei. *Schh.*

Sub-ovatus, niger, rostro, antennis pedibusque rufo-ferrugineis, capite profunde punctato, thorace remote punctulato, lateribus late silaceo-squamoso, elytris obsolete striato-punctatis, coriaceis, singulo maculis quinque silaceo-squamosis, ornato.

Habitat in Brasilia. Dom. Freyreiss. Mus. Schh.

Cholo flavofasciato paulo minor. Caput mediocre, rotundatum, nigrum, nitidum, profunde remote punctatum, frons inter oculos puncto sat profundo, impresso, insculpta; oculi magni, sub-rotundati, parum prominuli, nigri; rostrum longitudine thoracis, deflexum, subtenue, modice arcuatum, rufo-ferrugineum, nitidum, basi profunde remote apicem versus subtiliter punctulatum, apice nonnihil ampliatum. Antennæ pone medium rostri insertæ, minus crassæ, rufo-ferrugineæ, fusco-pubescentes, clava ovata, acuminata. Thorax latitudine baseos fere brevior, apice sub-truncatus, anterius multo angustior, capitis latitudine, ibique coarctatus, deinde valde et abrupte ampliatus, lateribus rotundatus, postice nonnihil angustatus, basi sub-truncatus, supra convexus, remote vage punctulatus, lateribus late silaceo-squamosis, plaga dorsali sub-trigona, nigra, nitida, notatus. Scutellum minutum, rotundatum, nigrum, rude punctatum. Elytra basi truncata, antice thoracis basi vix latiora, sed illo duplo longiora, humeris parum prominulis, obtuse rotundatis; lateribus inflexa, pone humeros sensim angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra modice convexa, ante apicem callo obtuso notata, nigra, obsolete striatim punctata, interstitiis planis, confertim coriaceis vel leviter rugulosis; singulo elytro in ipsa basi litura transversa, silaceo-squamosa, introrsum juxta suturam ampliata, ante medium macula oblonga, transversa, cum margine laterali connexa, macula alia pone medium versus suturam fere dilatata, quasi e maculis tribus, coalitis, adfixa, præterea macula rotunda ante medium non procul a sutura et in ipso apice quinta magna sub-rotunda, notato; hæ omnes silaceo-squamosæ. Corpus subtus nigrum dense paleaceo-squamosum. Pedes elongati, rufo-ferruginei, setulis albidis, adspersi; femoribus apice tarsisque nigro-piceis; femoribus subtus ante apicem acute dentatis; tibiis compressis,

sub-arcuatis, apice uncinatis; tarsis subtus fulvo-spongiosis.
BHN.

Dom. D. G. KUNZE, Professor; Auctor luculentæ Monographiæ de genere *Scydmæno*. Ad testificandum honorem huic viro docto debitum hac occasione uti volui. — SCHH.

* 12. C. ANNULATUS.

Rhombicus, niger, dense silaceo-squamosus, thorace subtiliter ruguloso-punctato, obsolete carinato, vitta angulata antrorsum flexa, atra, denudata, ornato, elytris striato-punctatis, apice serratis, arcu humerali introrsum flexo maculaque transversa pone medium atris, denudatis. — BHN.

Curculio id. LINN. *Mus. Lud. Ulr.* p. 51. n° 10. — *Syst. nat.* I. II. p. 613. n° 54. — Ed. GMEL. I. IV. p. 1765. n° 54.

FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 426. n° 139. — *Mant.* I. p. 105. n° 102. — *Spec. Ins.* I. p. 175. n° 81.

HERBST. *Col.* VI. p. 114. n° 75. T. 67. f. 6.

Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 463. n° 128.

OLIV. *Ent.* V. 83. p. 173. n° 148. T. 6. f. 62. a. b.

Pissodes id. DEJEAN. *Cat. Col.* p. 87.

STURM. *Ins. Cat.* 1826. p. 184.

Patria: Cayenna, Brasilia.

* 13. C. NYBLÆI. *Schh.*

Rhombicus, niger, thorace subtiliter crebre punctulato, obsolete carinato, dorso transversim impresso, in impressione lateribusque silaceo-squamoso, elytris silaceo-squamosis, striato-punctatis, apice serratis, arcu lato, humerali, communi, fascia pone medium transversa, obliqua, nigris, denudatis, corpore subtus albido-squamoso, macula magna utrinque pectorali silacea.

Patria: Brasilia. Dom. WESTIN. Mus. SCHH.

Cholo annulato statura et magnitudine subsimilis, thorace in dorso transversim impresso, corpore subtus albido-squamoso, ut et signaturis denudatis, aliter locatis, abunde distinctus. Caput mediocre, globosum, nigrum, nitidum, subtiliter sat crebre punctulatum; orbita oculorum silaceo-squamosa; fronte leviter impressa et in impressione puncto profundo insculpta; oculi sat magni, ovati, parum prominuli, nigri; rostrum capite cum thorace fere longius, crassiusculum, teres, arcuatum, apicem versus nonnihil

ampliatum, nigrum, sub-nitidum, basi profundius, apicem versus subtilius punctatum. Antennæ subtenues, nigro-piceæ, clava oblongo-ovata, acuminata, dense cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos multo brevior, apice sub-truncatus, mox intra apicem constrictus, pone stricturam valde rotundato-ampliatus, basi subtruncatus, angulis lateralibus retrorsum nonnihil productis; supra modice convexus, undique subtiliter sat crebre punctulatus, carinula longitudinali, lævi, parum elevata, antice posticeque abbreviata instructus, dorso basin propius late sat profunde transversim impressus; totus niger, sub-nitidus, impressione dorsali apicem versus, macula parva ante-scutellari lateribus et subtus dense silaceo-squamosis, squamositate antice superius magis dilatata. Scutellum parvum, rotundatum, dense albido-squamosum. Elytra basi conjunctim leviter emarginata, antice thorace paulo latiora et illo vix triplo longiora, humeris parum prominulis, rotundatis; apicem versus sensim angustata, apice ipso conjunctim rotundata, lateribus inflexa, sinuata, apicem versus serrata, supra parum convexa, striatim punctata, interstitiis subtiliter transversim rugulosis; tota nigra, dense silaceo-squamosa, arcu humerali versus suturam arcuatim adscendente, ampliato, longe infra scutellum cum arcu alterius elytri conjuncto, et longe pone medium fascia sat lata retrorsum arcuata, suturam, non vero marginem lateralem attingente, nigris, denudatis. Corpus subtus albido-squamosum, utrinque macula magna pectorali e squamulis silaceis. Pedes longiusculi, nigri, parce albido-squamosi; femoribus modice clavatis, omnibus dente parvo, acuto, armatis; tibiis basi nonnihil arcuatis, anterioribus medio intus parum ampliatis; tarsis dilatatis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

Dom. OL. NYBLÆUS, Camerarius Reg. Coll. Camer. Suec., studio flagrans Entomologiæ acerrimo, numerosa collectione Insectorum Suecicorum, præsertim Coleopterum gaudet.— SCHH.

* 14. C. GUERINI. *Schh.*

Oblongo-ovatus, nigro-piceus, squamulis albidis tectus, antennis pedibusque ferrugineis, capite sat profunde punctato, fronte foveolata, thorace minus crebre punctato, plaga in dorso antico denudato, linea antice posticeque abbreviata, lævi, notato, elytris punctato-striatis, singulo maculis quatuor denudatis.

Patria : Brasilia. A Dom. SCHUPPEL benevole communicatus. Mus. SCHH.

Cholo pistori habitu proximus, sed nonnihil minor. Caput me-

diocre, globosum, nigro-piceum, sat profunde sed minus crebre punctatum; orbita oculorum albido-squamosa; fronte foveola parva, sat profunda, insculpta; oculi ovati, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum longitudine fere thoracis cum capite, deflexum, teres, minus crassum, modice arcuatum, piceum, subnitidum, denudatum, basi profunde apicem versus obsolete punctulatum. Antennæ minus tenues, obscure ferrugineæ, parce cinereo-pilosæ, clava sub-ovata, acuminata, obscuriori, dense pubescente. Thorax latitudine postica nonnihil brevior, apice leviter emarginatus, mox pone apicem coarctatus, tum subito rotundato-ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra parum convexus, minus crebre parum profunde punctatus, linea media antice posticeque abbreviata, lævi, notàtus; totus rufo-piceus, squamulis albidis vestitus, plaga magna, in dorso antico denudata, insignitus. Scutellum parvum, ovatum, dense albido-squamosum. Elytra sub-obconica, basi leviter emarginata, thorace parum latiora, et illo plus duplo longiora, humeris parum prominulis, rotundatis, pone humeros apicem versus sensim perparum angustata, apice ipso singulatim rotundata, supra modice convexa, basi transversim obsolete impressa, ante apicem gibbo obtuso notata, regulariter mediocre striato-punctata, interstitiis planis, transversim rugulosis; dilute picea, squamulis albidis dense tecta, in callo humerali, macula sat magna, oblonga, interius versus suturam ante medium altera magna, sub-rotundata, paulo pone medium magis versus latera tertia, secundæ forma et magnitudine fere æqualis, quarta in ipsa sutura longe pone medium, parva, sub-ovata, communis, denudatæ. Corpus subtus piceum, dense albido-squamosum. Pedes elongati, ferruginei, squamulis albidis sat dense vestiti; femoribus modice clavatis, subtus dente minuto, armatis; tibiis sub-compressis, arcuatis, apice intus uncinatis; tarsis modice dilatatis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

Dom. E. F. GUÉRIN, Auctor multorum in Hist. Naturali scriptorum, magnum sibi nomen acquisivit. — SCHH.

15. C. BOISDUVALI. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, squamulis silaceis dense tectus, antennis pedibusque ferrugineis, fronte profunde punctata, foveolata, thorace minus crebre punctato, transversim impresso, dorso lineis duabus transversis lateribusque maculis binis, denudatis, ornato, elytris striato-punctatis, singulo maculis quatuor, denudatis, nigris.

Patria: America meridionalis. Mus. Imp. Russ.

Magnitudo et fere statura *Choli squamosi,* signaturis elytrorum

Cholo Guerini simillimus. Caput mediocre, rotundatum, nigro-piceum, denudatum; vertice sat crebre at minus profunde punctulato; fronte leviter impressa, tenue foveolata, profundius punctata; orbita oculorum dense silaceo-squamosa; oculi ovati, haud prominuli, nigri; rostrum longitudine fere capitis cum thorace, deflexum, minus crassum, teres, arcuatum, nigro-piceum, denudatum, basi squamulis nonnullis silaceis adspersum, undique confertim punctatum, basi longitudinaliter subtiliter striolatum. Antennæ minus tenues, ferrugineæ, parce pilosæ, clava sub-ovata, acuminata, dense cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos multo brevior, apice truncatus, mox pone apicem coarctatus, tum subito ampliatus, lateribus modice rotundatus, basi sub-truncatus, supra modice convexus, minus crebre parum profunde punctatus, in medio dorsi transversim sat profunde impressus, squamulis silaceis tectus; signaturis variis, nigris, denudatis, decoratus, nempe in dorso linea transversa non procul a basi, angustior, medio sub-interrupta, aliaque in dorso antico, itidem transversa, margine antico sub-rotundato-dilatata, in utroque latere, maculæ parvæ, rotundæ, duæ, longitudinaliter positæ. Scutellum parvum, rotundatum, dense silaceo-squamosum. Elytra sub-obconica, basi truncata, tenue elevato-marginata, thorace parum latiora, et illo plus duplo longiora, humeris nonnihil prominulis, rotundatis; mox pone basin apicem versus sensim perparum angustata, apice ipso singulatim rotundata, supra modice convexa, ante apicem gibbere obtuso notata, regulariter mediocre striato-punctata. interstitiis planis, transversim rugulosis, squamulis silaceis dense tecta; in callo humerali macula magna, oblonga; interius versus suturam, ante medium, altera sat magna, sub-rotundata; paulo pone medium versus latera tertia, minor; prope suturam longe pone medium, quarta, adhuc minor, sub-oblonga, denudatæ. Corpus subtus nigrum, dense silaceo-squamosum. Pedes elongati, squamulis silaceis obsiti; femoribus modice clavatis, ferrugineis, subtus dente parvo armatis; tibiis rufo-testaceis, apice nonnihil arcuatis, uncinatis; tarsis dilatatis, subtus fulvo-spongiosis. — Bhn.

Dom. J. A. Boisduval, Equ., Medic., Doctor, scriptis editis de Naturæ studiis egregie meritus, cui hoc in primis acceptum refero, quod non gravatus sit, id operosum in se benigne suscipere munus, ut hoc opus meum a mendis typographicis purgaret, ob quod eximium in me meritum animum gratissimum hoc loco publice declarare liceat. —Schh.

* 16. C. ATROPUNCTELLUS. *Schh.*

Oblongus, niger, albido-squamosus, thorace anterius minus angustato, punctato, remote granulato, utrinque in medio dorsi leviter impresso, basi sub bi-sinuato, elytris subtiliter punctato-striatis, interstitiis remote nigro granulatis.

Habitat in America meridionali. A Dom. MÉNÉTRIÉS missus. Mus. SCHH.

Reliquis angustior, sub-cylindricus. *Cholo pistori* longitudine fere æqualis, sed duplo fere angustior. Caput mediocre, rotundatum, nigrum, squamulis albidis remote, supra oculos dense obsitum; vertice remote subtiliter, fronte profundius punctatis; oculi ovati, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum longitudine capitis cum thorace, deflexum, minus crassum, teres, arcuatum, apicem versus nonnihil ampliatum, nigrum, sub-nitidum, basi carinula abbreviata instructum, undique sat crebre punctulatum. Antennæ mox pone medium rostri insertæ, tenues, nigro-piceæ, albido-pilosæ, clava parva, oblongo-ovata, dense cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos vix longior, apice truncatus, anterius parum angustatus, lateribus modice rotundato-ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, angulis baseos retrorsum nonnihil prominulis, supra parum convexus, minus crebre punctatus, granulis remotis, nigris, denudatis, adspersus, in medio dorsi utrinque foveola parum profunda impressus; totus niger, squamulis dilute paleaceis tectus. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum, punctulatum. Elytra sub-obconica, basi conjunctim introrsum leviter emarginata, antice thorace fere angustiora, quam lata triplo longiora, humeris vix prominulis, fere rectangulis, a basi apicem versus perparum sensim angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra modice convexa, ante apicem gibbere obtuso notata, regulariter, etsi subtiliter, punctato-striata, interstitiis planis, remote seriatim nigro granulatis; tota nigra, squamulis unicoloribus paleaceis dense tecta. Corpus subtus nigrum, squamulis albidis sub-argenteis dense vestitum. Pedes elongati, nigri; anticis longioribus; squamulis albidis adspersi; femoribus modice clavatis, subtus ante apicem dente parvo, oblongo, armatis; tibiis nonnihil arcuatis, apicem versus ampliatis; tarsis dilatatis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

17. C. URBANUS (1).

Fusco-viridis, thorace elytrisque flavo marginatis.

Curculio cinctus. DRURY. *Illustr.* III. p. 70. T. 48. f. 2.
HERBST. *Col.* VI. p. 478. n° 493. T. 79. f. 7.
Curculio urbanus. OLIV. *Enc. méth.* V. p. 503. n° 149.

Patria : Honduras Americæ.

STIRPS 2.—Exscutellati.

* 18. C. LEPIDOTUS. *Klug.*

Oblongo-ovatus, castaneus, exscutellatus, squamulis læte sulphureis adspersus, rostro basi obsolete striolato-ruguloso, thorace latiori, sat crebre punctato, dorso denudato, elytris subtiliter punctato-striatis, basi transversim impressis, ante medium calloque postico denudatis.

Habitat ad Rio de la Plata. Mus. Dom. Com. MANNERH.

Cholo squamoso simillimus et valde affinis, dimidio tamen major; rostro basi obsolete tantum striolato-rugoso, thorace latiore, parcius squamoso, forte detrito, ab illo unice distinctus. Caput mediocre, rotundatum, rufo-piceum, sat profunde sed minus crebre punctatum; orbita oculorum parce sulphureo-squamosa; fronte impressa; oculi ovati, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum longitudine thoracis, minus crassum, teres, arcuatum, rufo-ferrugineum, a basi ultra medium; obsolete striolato-rugosum, dein sub-læve vel subtilissime punctulatum. Antennæ in medio rostri sitæ, crassiusculæ, rufo-ferrugineæ, parce pilosæ, clava ovata, fusco-pubescente. Thorax latitudine baseos brevior, apice truncatus, mox pone apicem coarctatus, tum rotundato-ampliatus, lateribus subrectis, postice profunde bi-sinuatus, supra parum convexus, castaneus, undique sat crebre punctatus, lateribus et subtus dense sulphureo-squamosus. Scutellum nullum. Elytra oblonga, basi singulatim rotundato-producta, antice latitudine thoracis et illo plus duplo longiora, humeris parum prominulis, rotundatis; lateribus inflexa, a basi apicem versus sensim perparum angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra parum convexa, basi transversim impressa, ante apicem callo vel gibbere obtuso notata, regulariter striato-punctata, interstitiis planis, subtilissime remote punctulatis; tota castanea, squamulis

(1) Forte hujus generis; mihi invisus.

sulphureis basi et pone medium obsita, ante medium calloque postico, denudatis, forte detrita. Corpus subtus, dense læte sulphureo-squamosum. Pedes elongati, robusti, rufo-ferruginei, squamulis setulisque sulphureis parce adspersi; femoribus incrassatis, subtus pone medium dente acuto armatis; tibiis nonnihil arcuatis, apice uncinatis; tarsis subtus fulvo-spongiosis. — Bhn.

* 19. C. Squamosus. *Schh.*

Oblongo-ovatus, castaneus, exscutellatus, squamulis læte sulphureis vestitus, rostro basi profunde striolato-rugoso, thorace sat crebre punctato, dorso maculaque utrinque denudatis, notato, elytris obsolete punctato-striatis, basi transversim impressis, humeris, macula scutellari calloque postico denudatis.

Habitat in Brasilia. A Dom. Klug. missus. Mus. Dom. Bartels et Schh.

Amerhino pavoni Germ., Ins. Spec., magnitudine æqualis. Caput mediocre, rotundatum, rufo-piceum, sat profunde, sed minus crebre punctatum, linea supra-oculari læte sulphureo-squamosa, notatum; fronte impressa; oculi oblongi, transversi, parum prominuli, nigri; rostrum longitudine fere capitis cum thorace, deflexum, minus crassum, teres, arcuatum, a basi ultra medium rufo-piceum, striolato-rugosum, squamulis sulphureis adspersum, dein ferrugineum, glabrum, remote punctatum. Antennæ in medio rostri insertæ, crassiusculæ, rufo-ferrugineæ, pilosæ, clava oblongo-ovata, fusco-pubescente. Thorax latitudine baseos vix brevior, apice truncatus, anterius angustatus, tubulatus, lateribus rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, supra parum convexus, castaneus, profunde sat crebre punctatus, squamulis læte sulphureis tectus, dorso longitudinaliter late maculaque utrinque laterali, denudatis, notatus. Scutellum nullum. Elytra oblonga, basi latitudine thoracis, antice singulatim rotundato-producta, humeris rotundatis, lateribus inflexa, thorace triplo longiora, apice conjunctim obtuse rotundata, supra parum convexa, basi transversim impressa, obsolete striato-punctata, castanea, squamulis unicoloribus læte sulphureis dense tecta, humeris maculaque parva pone scutellum calloque parvo postico, denudatis. Corpus subtus dense læte sulphureo-squamosum. Pedes elongati, robusti, rufo-ferruginei, squamulis setulisque sulphureis adspersi; femoribus incrassatis, subtus dente valido, acuto, armatis; tibiis arcuatis, intus sinuatis, apice uncinatis; tarsis subtus fulvo-spongiosis. — Bhn.

GENUS 266. LITOMERUS. *Nobis.*

Rhynchænus FABR., OLIV. — *Cholus* SCHH. olim.

Character generis. — Antennæ longiusculæ, tenues; funiculo 7-articulato : articulis tribus basalibus elongatis, sub-clavatis; 1° longiore, reliquis brevioribus, sub-oblongis, ovalibus; clava oblongo-ovalis, acuminata.

Rostrum longum, tenue, arcuatum.

Oculi laterales, mediocres, sub-rotundati, modice convexi.

Thorax basi leviter bi-sinuatus, angulis posticis retrorsum productis, sæpius acutis; anterius versus apicem angustatus.

Elytra oblonga, sub-ovata, modice convexa; humeris sub-rectangulatis.

Pedes antici longiores; femora sub-linearia, parum clavata.

Descriptio. — *Corpus* sub-ellipticum, modice convexum, squamosum, alatum; majusculæ magnitudinis. — *Antennæ* thoracis basin vix attingentes, in medio rostri insertæ, tenues, fractæ, 12-articulatæ : articulo 1° oculos sub-attingente, tenui, versus apicem clavato, nonnihil arcuato; 2°-4° (in paucis 2° et 3° saltem) longiusculis, sub-clavatis, illo longiore, reliquis brevibus, oblongis, sub-ovatis, crassitudine vix vel parum crescentibus; clava oblongo-ovali, acuminata, 4-articulata, articulis arcte connexis. — *Caput* sub-exsertum. — *Rostrum* capite thoraceque longius, inflexum, valde arcuatum, sub-teres, subtenue versus apicem sensim paulo ampliatum, in paucis basi argute carinatum; scrobe pone medium incipiente, profunda, versus oculum ampliata et decurrente. — *Oculi* laterales, mediocres, sub-rotundati, modice prominuli. — *Thorax* aut latitudine postica longior, aut brevior, basi bisinuatus, angulis retrorsum productis, in plerisque acutis, lateribus sub rotundatus, versus apicem cito angustatus, parum vel vix constrictus, supra modice convexus, subtus pone gulam leviter emarginatus. — *Scutellum* distinctum, apice rotundatum. — *Elytra* oblonga, sub-ovata, basi singulatim rotundata, thoracis parte postica non latiora, humeris sub-rectangulis; versus apicem sensim angustata, supra modice convexa, vix callosa, apice ipso conjunctim rotundata, anum obtegentia. — *Pedes* longi, validiusculi, antici longiores, basi distantes; femoribus sub-linearibus, parum clavatis, subtus dentatis; tibiis sub-compressis, apice truncatis, sæpius dente horizontali intus armatis; tarsis latis, subtus spongiosis, articulo ultimo clavato, bi-unguiculato.

TYPUS. — *Litomerus lineatus.*

A λιτὸς tenuis, μηρὸς femur.

Observ. — Quoad habitum convenientia quædam cum genere *Cholo* intercedit, satis vero distinctum, non solum articulis funiculi antennarum sub-oblongis, ovalibus, sed antennis, rostro pedibusque longioribus et tenuioribus, thoracis angulis posticis retrorsum productis et humeris sub-rectangulis, no nobtuse angulatis, sub-retusis, unde differentia essentialis elucet.

* 1. L. LINEATUS. *Schh.*

Elongatus, niger, subtus albido-squamosus, rostro longo, valde arcuato, apice utrinque dentato, macula supra-oculari, lineis tribus thoracis elytrorumque sutura, linea disci margineque albido-squamosis, thorace parum profunde rugoso-punctato, elytris profunde punctato-striatis, tibiis apice muticis.

Habitat in America meridionali. Mus. Imp. Russ. et Mus. Reg. Acad. Scient. Holm.

Lixo impresso longitudine et latitudine æqualis. Caput sat magnum, apicem versus nonnihil attenuatum, nigrum, subtilissime punctulatum, macula utrinque sat magna, supra-oculari, cuneiformi, albido-squamosa, ornatum; fronte puncto parvo, impressa; oculi sub-rotundati, modice prominuli, nigri; rostrum capite cum thorace dimidio longius, subtenue, teres, valde arcuatum, apicem versus nonnihil ampliatum, utrinque in apice ipso, dente parvo, acuto, instructum, nigro-piceum, basi obsolete striolato-rugosum, tum subtiliter minus crebre punctulatum. Antennæ in medio rostri sitæ, tenuissimæ, nigro-piceæ, parce cinereo-pubescentes, clava elongata, acuminata. Thorax latitudine baseos longior, apice nonnihil rotundato-productus, a medio apicem versus sensim angustatus, basi leviter bi-sinuatus, supra modice convexus, niger, undique minus crebre parum profunde rugoso-punctatus, lineis tribus e squamulis albidis decoratus, una utrinque laterali et alia dorsali, anterius acuminata. Scutellum parvum, rotundatum, albido-squamosum. Elytra elongata, antice thoracis basi non latiora, quam lata plus triplo longiora, humeris vix prominulis, a basi ad medium fere linearia, tum apicem versus sensim angustata, apice ipso sub-attenuata, supra convexa, in dorso sub-plana, profunde punctato-striata, interstitiis sub-convexis, obsolete remote tuberculatis, sutura tota anguste, linea sat lata longitudinali disci, margineque albido-squamosis. Corpus

subtus nigrum, squamulis sordide albidis vestitum, linea utrinque longitudinali, denudata, notatum. Pedes longissimi, tenues, nigri, squamulis albidis adspersi; femoribus vix incrassatis, subtus longe pone medium dente parvo, acuto, armatis; tibiis teretibus, rectis, apice muticis; tarsis dilatatis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

* 2. L. ZONATUS.

Oblongus, atro-cæruleus, rostro arcuato, subtiliter minus crebre punctulato, thorace antice valde constricto, coriaceo, utrinque silaceo-squamoso; elytris striato-punctatis, fasciis tribus silaceo-squamosis, decoratis, lateribus pectoris fasciaque transversa abdominis silaceis. — BHN.

Curculio id. SWEDER. *in Acta Holm.* 1787. III. p. 194. n° 14.
OLIV. *Enc. méth.* V. p. 405. n° 155.
LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1773. n° 602.
Rhynchænus id. OLIV. *Ent.* V. 83. p. 173. n° 147. T. 6. f. 61. a. b.
Rhynchænus tricinctus. FABR. *Syst. El.* II. p. 468. n° 147.
Curculio id. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 430. n° 151.
HERBST. *Col.* VI. p. 112. n° 74. T. 67. f. 5.
Polyderces id. hujus Operis. I. p. 21. n° 232.

Patria : Guadeloupe.

* 3. L. RANA.

Oblongo-ovatus, niger, squamulis dilute brunneis vestitus, rostro longo, arcuato, apice dilatato, basi carinato, thorace remote tuberculato, vitta utrinque laterali, silacea, ornato, elytris supra in dorso planis, striato-punctatis, interstitiis rugoso-tuberculatis, vitta laterali silacea decoratis. — BHN.

Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 459. n° 109.
OLIV. *Ent.* V. 83. p. 172. n° 145. T. 17. f. 217.
Cholus id. SCHH. *Curc. Disp. Meth.* p. 263.

Patria : Cayenna, Surinam.

4. L. QUADRISIGNATUS. *Schh.*

Oblongus, ferrugineus, squamulis sulphureis adspersus, capite magno, globoso, rostro longo, basi carinato, parum arcuato, thorace elongato, anterius valde angustato, subtiliter ruguloso, vitta utrinque dorsali densius squamosa, ornato, elytris transversim rugosis, basi impressis, macula basali et alia versus apicem obliqua, dense sulphureis, decoratis.

Habitat in America meridionali. Mus. Imp. Russ.

Statura corporis oblonga, fere ut in genere *Zygope;* a congeneribus capite magno, globoso, thorace longiore ut et colore bene distinctus. Caput magnum, globosum, ferrugineum, rugulosum, squamulis sulphureis sat dense obsitum; oculi parvi, ovati, modice prominuli, nigri; rostrum, longitudine fere elytrorum, teres, modice incrassatum, basi nonnihil arcuatum, apicem versus parum ampliatum, apice ipso utrinque in dente acuto productum, obscure ferrugineum, basi striolato-rugosum, ad medium carinatum, squamulis sulphureis obsitum, tum glabrum, nitidum, subtilissime punctulatum. Antennæ in medio rostri sitæ, tenues, ferrugineæ, vix pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, fusco-pubescente. Thorax latitudine baseos multo longior, apice truncatus, antice capite vix latior, coarctatus, tum ad medium sensim ampliatus, basi sat profunde bi-sinuatus, angulis baseos retrorsum productis, supra convexus, ferrugineus, undique transversim rugulosus, squamulis sulphureis adpersus, in dorso utrinque in vitta sat lata, antice angustata, condensatis. Scutellum parvum apice rotundatum, obscure ferrugineum. Elytra oblonga, basi sub-truncata, antice thoracis basi fere angustiora, quam lata duplo longiora, humeris vix prominulis; lateribus inflexa, pone humeros apicem versus sensim nonnihil angustata, apice ipso singulatim, obtuse rotundata, supra in dorso parum convexa, ante apicem gibbere obsoleto notata, basi transversim impressa, obsolete punctato-striata, transversim rugosa; tota dilutius ferruginea, squamulis sulphureis adspersa, in ipsa basi in macula transversa et pone medium in alia obliqua, condensatis, ornata. Corpus subtus ferrugineum, punctulatum, squamulis dilute sulphureis tectum. Pedes elongati, ferruginei, setulis sulphureis adspersi; femoribus modice clavatis, subtus pone medium dente parvo, acuto, armatis; tibiis nonnihil arcuatis, anticis intus parum ampliatis; tarsis dilatatis, subtus fulvo-spongiosis.—BHN.

GENUS 267. CALLINOTUS. *Nobis* (1).

Character generis. — Antennæ mediocres, subtenues; funiculo 7-articulato: articulis duobus basalibus elongatis, clavatis; 1° longiore, 3-6 brevibus, lenticularibus; 7° crassiore, cyathiformi, clavæ adpresso; clava oblongo-ovalis.

Rostrum longiusculum, inflexum, subtenue, teres.

Thorax basi bi-sinuatus, anterius angustior, apice tri-sinuatus.

Elytra oblonga, sub-ovalia; humeris sub-retusis.

---

(1) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 263. (*Cholus*, subgenus *Callinotus*).

Pedes antici paulo longiores; femora clavata.

Descriptio. — *Corpus* elongatum, ellipticum, validum, sub-convexum, squamosum, alatum; majusculæ magnitudinis. — *Antennæ* thoracis basin vix attingentes, pone medium rostri insertæ, subtenues, fractæ, 12-articulatæ: articulo 1° oculos sub-attingente, tenui, clavato, parum curvato; 2° et 3° etiam clavatis, illo longiore; 4-7 brevibus, lenticularibus; 8° crassiore, cyathiformi, clavæ basin mentiente; clava oblongo-ovali, acuminata, 4-articulata, articulis arcte connexis. — *Caput* exsertum, orbiculatum. — *Rostrum* capite thoraceque longius, inflexum, minus tenue, teres, lineare, paulo arcuatum; scrobe angusta, profunda, sub-lineari, versus oculi medium desinente. — *Oculi* demissi, sub-ovati, parum convexi, majusculi. — *Thorax* longitudine latitudinem baseos vix superante, basi bi-sinuatus, lateribus sub-rotundatus, versus apicem cito angustatus, parum constrictus, antice tri-sinuatus, supra parum convexus, infra pone gulam emarginatus, late sed obsolete canaliculatus. — *Scutellum* aut transversum, aut oblongum, apice rotundatum, sub-elevatum. — *Elytra* antice basi thoracis vix latiora et latitudine plus triplo longiora, oblonga, sub-ovalia, angulis humeralibus sub-retusis, sub-rotundatis; antice singulatim rotundato-producta, lateribus inflexa, supra convexa, dorso sub-deplanata, apice aut obtuse rotundata, aut acuminata, anum obtegentia. — *Pedes* longiusculi, validi, antici longiores, basi parum distantes; femoribus clavatis, dentatis; tibiis teretibus, sub-curvatis, apice sub-truncatis, dente horizontali instructis; tarsis latis, subtus spongiosis, articulo ultimo clavato, bi-unguiculato.

TYPUS. — *Callinotus Sahlbergii.*

A κάλλος pulcher, νῶτος dorsum.

Observ. — Forma corporis antennarumque diversa, rostro tereti, sub-lineari, pedibusque anticis basi parum distantibus, hocce genus præcipue a genere *Cholo* distinguitur.

* 1. C. SAHLBERGII. *Schh.*

Elongato-ovatus, niger, squamulis umbrinis tectus, thorace toto tuberculato, vitta lata laterali niveo-squamosa utrinque, elytris basi tuberculatis, ultra medium remote punctato-striatis, apice obtuse rotundatis, vitta laterali, pone medium ramulum oblique transversum, macularem emittente, punctoque parvo niveo-squamosis, atro cinctis, ornatis.

Cholus (Callinotus) Præpotus. SCHH. *Cur. Disp. Meth.* p. 264.

Habitat in Brasilia. A Dom. Barone GYLLENKROK benevole communicatus. Mus. SCHH.

Cleono sulcirostri dimidio longior et latior. Caput mediocre, crassum, antice angustatum, supra convexum, nigrum; vertice sub-lævi, fronte rugoso-punctata; squamulis griseis tectum; supra oculos vitta lata albido-squamosa, versus medium rostri attenuatim continuata, notatum; oculi sub-ovati, parum prominuli, nigri; rostrum fere longitudine capitis cum thorace, deflexum, subtenue, teres, lineare, nonnihil arcuatum, nigro-piceum, longitudinaliter carinatum, sat profunde punctatum. Antennæ infra medium rostri insertæ, rostro capiteque parum longiores, subtenues, piceæ, griseo-pilosæ, clava ovata, acuminata, atro-holosericea. Thorax latitudine media multo brevior, anterius angustior, subcoarctatus, apice tri-sinuatus, lateribus modice rotundato-ampliatus, basi profunde bi-sinuatus, supra parum convexus, niger, tuberculis parvis, elevatis, remotis, nigris, nitidis, plerisque oblongis obsitus, fundo inter tubercula squamulis dilute umbrinis tecto, et præterea utrinque vitta lata laterali obliqua niveo-squamosa, sub-lævi vel tuberculis destituta, decoratus. Scutellum transversum, sub-elevatum, rotundatum, medio obsolete carinatum, griseo-squamosum. Elytra elongato-ovalia, basi singulatim rotundato-producta, antice thoracis basi vix latiora, humeris oblique rotundatis; lateribus inflexa, thorace fere quadruplo longiora, pone humeros apicem versus sensim angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata supra dorso deplanata, nigra, basi sub-seriatim tuberculata, ultra medium remote punctato-striata, dein sub-lævia, interstitiis planis, basi tuberculatis; squamulis densis umbrinis tecta, lateribus griseo-squamosis, vitta lata intra-marginali albido-squamosa, pone medium ramulum angustum, oblique retrorsum flexum, abbreviatum, nigro-marginatum, emittente, adjecto interne puncto uno alterove parvo ejusdem coloris, ornata. Corpus subtus nigrum, remote tuberculatum, griseo-squamosum, ventris medio ad basin longitudinaliter impresso. Pedes elongati, validi, griseo-squamosi et pubescentes; antici longiores; femoribus nigris, clavatis obsolete tuberculatis, subtus dente valido, ante apicem armatis; tibiis teretibus, sub-curvatis, piceis, extus apice fulvo ciliatis; tarsis latis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

Dom. C. R. SAHLBERG, Professor, Eques ordinis St. Wladimiri IV classis. Auctor librorum : *Insectorum Species, Insecta Fennica, Historiam Notonectidum*, etc. A juventute amicus magni æstimatus et carus, quod sibi proposuerat, ut socius me in hoc opere adjuvaret, quod tamen calamitoso urbis Aboæ incendio impeditum fuit.

SCHH.

* 2. C. ZETTERSTEDTII. *Schh.*

Elongato-ovatus, niger, capite punctato, fronte foveolata, thorace in dorso remote obsolete, lateribus crebre distincte tuberculato, utrinque niveo vittato, elytris umbrino-squamosis, obsolete striato-punctatis, basi tuberculatis, apice singulatim acuminatis, vitta laterali, simplici, niveo-squamosa, ornatis.

Cholus (Callinotus) circinatus. SCHH. *Curc. Disp. Meth.* p. 264.

Habitat in Brasilia. Dom. DE WINTHEM. Mus. SCHH.

Statura et facies *Callinoti Sahlbergii*, sed angustior et abunde distinctus. Caput mediocre, crassum, antice angustatum, supra convexum, nigrum, nitidum; vertice crebre subtilissime, fronte vero remote et sat profunde punctatis, inter oculos foveola parva impressum; oculi sub-ovati, parum prominuli, nigri; superciliis albido-squamosis; rostrum capiti contiguum, longitudine thoracis, deflexum, subtenue, teres, lineare, nonnihil arcuatum, nigrum, supra sub-carinatum, punctis sat profundis, sub-seriatis, impressis, notatum. Antennæ pone medium rostri insertæ, rostro capiteque parum longiores, subtenues, nigro-piceæ, griseo-pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, fusco-pubescente. Thorax latitudine media vix brevior, anterius angustior, sub-coarctatus, antice trisinuatus, lateribus rotundato-ampliatus, basi profunde bi-sinuatus, supra parum convexus, niger, obscurus, dorso tuberculis parvis, remotis, obtusis, parum elevatis, glabris, adspersus; in basi ante scutellum macula parva, triangularis, fulvo-squamosa, et versus latera utrinque vitta lata obliqua niveo-squamosa, sublævis; latera sub vitta evidenter tuberculata. Scutellum oblongo-ovatum, nigrum, obscurum. Elytra elongata, basi singulatim rotundato-producta, antice thoracis basi vix latiora, humeris oblique rotundatis; lateribus inflexa, thorace fere quadruplo longiora, pone humeros apicem versus sensim angustata, apice ipso singulatim valde acuminata, dehiscentia, supra in dorso sub-plana, nigra, basi præsertim ad humeros, tuberculata, dein obsolete punctato-striata, squamulis umbrinis tecta, vitta lata, simplici, intra-marginali, niveo-squamosa, decorata. Corpus subtus nigrum, punctulatum, linea laterali sordide albida, notatum, ventris medio ad basin longitudinaliter impresso. Pedes longiusculi, robusti, nigri, sparse albido-setosi; antici longiores; femoribus clavatis, obsolete tuberculatis, subtus pone medium dente valido, armatis; tibiis teretibus, sub-curvatis, intus ad apicem uncinatis, extus fulvo ciliatis, anticis in medio ampliatis. Tarsi dilatati, subtus fulvo-spongiosi. — BH.

Dom. J. W. Zetterstedt, Professor, Secretarius Academiæ Lundensis et Equ. ordinis de Wasa. *Orthoptera Sueciæ*, *Faunam Insect. Lapponicam*, etc., edidit. Iter per Lapponiam fecit, ibique multas Faunæ Suec. novas Insectorum species invenit. — Schh.

Genus 268. DIONYCHUS.

Dionychus Germ., Schh., Latr. (1). — *Archarias* Dejean. — *Rhynchænus* Fabr., Oliv.

Character generis. — Antennæ mediocres, minus tenues; funiculo 7-articulato: articulo 1° elongato, clavato; 2° breviore, obconico, reliquis brevibus, lenticularibus, gradatim paulo latioribus; clava oblongo-ovata, acuminata.

Rostrum longum, validum, arcuatum, versus apicem deplanatum.

Oculi rotundati, modice convexi.

Thorax transversus, basi bi-sinuatus, lateribus modice rotundatus, anterius valde angustior, apice sub-truncatus.

Elytra thoracis basi vix latiora, oblongo-ovalia, dorso modice convexa, humeris obtuse angulatis.

Observ. — Corpus fere ellipticum, modice convexum, squamulosum, alatum; aut majoris aut mediæ magnitudinis.

Patria: Brasilia.

* 1. D. Miliaris.

Ellipticus, niger, supra squamositate cinerea, subtus ferruginea, in cavitatibus vestitus; thorace tuberculis numerosissimis, rotundatis, nudis, nitidis, in medio dorsi magis condensatis, adsperso; elytris obsolete punctato-striatis, interstitiis seriatim tuberculatis. — Ghl.

Rhynchænus id. Fabr. *Syst. El.* II. p. 457. n° 99.
Oliv. *Ent.* V. 83. p. 159. n° 126. T. 3. f. 33.
Curculio id. Fabr. *Ent. Syst.* I. II. p. 421. n° 118.
Oliv. *Enc. méth.* V. p. 499. n° 129.
Herbst. *Col.* VI. p. 182. n° 145. T. 72. f. 12.
Archarias id. Dej. *Cat. Col.* p. 86.
Patria: Cayenna.

---

(1) Germ. Ins. Sp. I. p. 311. — Schh. Curc. Disp. Meth. p. 264. n° 155. — Latr. Regne Anim. p. 394.

* 2. D. UNDULATUS.

Oblongo-ovatus, niger, squamulis pallescentibus, in thorace punctatim, in elytris sub-fasciatim variegatus, thorace confertim tuberculato, elytris inæqualiter punctato-striatis, interstitiis granulato-tuberculatis.

Archarias id. Dom. Com. DEJEAN *in Litteris.*
Dionychus zonarius. SCHH. *Curc. Disp. Meth.* p. 265.

Habitat in Brasilia. Donum Dom. CHEVROLAT. Mus. SCHH.

Dionycho parallelogrammo paulo brevior, sed vix angustior. Caput sub-globosum, posterius subtiliter et sub-remote, anterius confertim et profundius punctatum, nigrum, nitidum; oculi laterales, rotundati, nigro-brunnei, modice prominuli; rostrum capite cum thorace longius, validum, valde arcuatum, subtiliter punctulatum, apice nonnihil dilatatum, totum nigrum, nitidum. Antennæ breviusculæ, nigræ, parce cinereo-pubescentes. Thorax latitudine brevior, antice subito angustior, apice leviter tri-sinuatus, intra apicem constrictus, lateribus rotundato-ampliatus, basi sub-sinuatus, supra parum convexus, tuberculis parvis confertim obsitus, dorsalibus deplanatis, poro pertusis, lateralibus convexis, rotundatis; niger, sub-opacus, punctis paucis, parvis, pallido-squamosis, adspersus. Scutellum rotundatum, nigrum, ruguloso-punctatum, pallido-squamosum. Elytra thoracis basi latiora, humeris rotundatis, lateribus non ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace vix triplo longiora, supra parum convexa, obsolete striata et in striis anterius punctis majusculis, remotis, posterius punctis minoribus, obsoletis, impressa, interstitiis tuberculis parvis, rotundatis, nitidis, inæqualiter adspersis; nigra, squamulis pallidis variegata; sutura nempe a basi ultra medium, fascia angustior in ipsa basi, altera ante et tertia paulo pone medium inæquales, sub-undatæ, suturæ connexæ, et intra apicem puncta sparsa pallido-squamosa. Corpus subtus nigrum, obsoletius granulatum et punctatum, parcius pallido-squamosum. Pedes elongati, validi, nigri, confertim granulati et rugulosi, pallido-squamosi; tarsis dilatatis, undique dense flavo-tomentosis et spongiosis.

Observ. — Variat colore squamularum fere albo fasciisque anterioribus elytrorum angustis, interruptis, fere obsoletis. — GYLL.

* 3. D. SPARSUS. *Schh.*

Ellipticus, niger, squamulis cinereo-albidis parce adspersus, thorace fortiter tuberculato, elytris obsolete, remote striatim punctatis, interstitiis sub-seriatim tuberculatis, maculis parvis albido-squamosis adspersis.

Patria : Brasilia. A Dom. WESTIN communicatus. Mus. SCHH.

Dionycho undulato similis, sed plus duplo minor, thorax fortius tuberculatus, elytra obsoletius striato-punctata, interstitiis tuberculis majoribus nitidis adspersis. Caput sub-globosum, fronte rugoso-tuberculata, vertice obsolete punctato; nigrum, in cavitatibus parce cinereo-squamulosum; oculi rotundati, nigri, parum prominuli; rostrum capite cum thorace paulo longius, validum, valde arcuatum, apice nonnihil dilatatum, supra obsolete carinatum, subtiliter rugulosum, nigrum. Antennæ subtenues, nigræ, funiculo longius piloso. Thorax latitudine postica paulo brevior, anterius angustior, apice tri-sinuatus, lateribus rotundato-ampliatus, basi leviter sinuatus, supra parum convexus, tuberculis plurimis majusculis, nitidis, poro setifero instructis, adspersus, niger, in cavitatibus cinereo-squamosus. Scutellum majusculum, rotundatum, elevatum, obsolete tuberculatum, nigrum, opacum. Elytra antice conjunctim sub-emarginata, thoracis basi ibi parum latiora, sed pone basin oblique valde rotundato-ampliata, lateribus in medio sub-compressa, apice conjunctim obtuse rotundata, thorace vix triplo longiora, supra in dorso fere plana, pone callum posticum declivia, obsolete, remote striatim punctata, interstitiis sub-seriatim tuberculatis, tuberculis nitidis poro setifero pertusis; nigra, opaca, in cavitatibus parce cinereo-squamulosa, liturisque nonnullis albo-squamosis adspersa, quarum annulus scutellum cingens, reliquis major, evidentior. Corpus subtus anterius granulatum et densius albido-squamosum, ventre magis nudo. Pedes elongati, parum crassi, nigri, parce cinereo-squamulosi; femoribus subtus versus apicem dente parvo, acuto armatis. — GHL.

4. D. NIVEOPUNCTATUS. *Schh.*

Ellipticus, sub-depressus, niger, opacus, squamulis testaceis adpersus; thorace canaliculato, tuberculis parvis nigris, nitidis, adsperso, punctisque duobus niveis notato; scutello dense niveo-squamoso; elytris obsolete, remote striatim punctatis, guttulis nonnullis niveo-squamosis adspersis.

Patria : Brasilia. Ex Musæo Dom. BARTELS descriptus.

Statura *Dionychi sparsi*, sed paulo major. Caput sub-globosum, rugoso-punctatum, nigrum, parce testaceo-squamosum; oculi sub-ovati, nigri, modice prominuli; rostrum thorace fere longius, validum, arcuatum, ruguloso-punctatum, nigrum, sub-nitidum, supra leviter carinatum. Antennæ breviusculæ, nigræ, funiculo piloso. Thorax latitudine baseos parum brevior, antice dimidio angustior quam basi; apice tri-sinuatus, longe intra apicem obsolete constrictus, lateribus pone stricturam rotundato-ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra parum convexus, in medio canaliculatus, undique tuberculis parvis nitidis sat crebre adspersus, niger testaceo-squamulosus, et in quovis latere disci puncto parvo niveo-squamoso notatus. Scutellum majusculum, ovatum, nigrum, dense niveo-squamosum, in medio striga transversa impressum. Elytra antice singulatim sub-rotundata, pone basin oblique valde ampliata, dein sensim angustata, apice conjunctim rotundata, thorace vix triplo longiora, supra perparum convexa, obsolete, remote seriatim punctata, nigra, opaca, testaceo-squamosa, punctis paucis niveo-squamosis notata, quorum unum prope medium singuli elytri reliquis paulo majus. Corpus subtus nigrum, anterius disperse punctatum, squamis testaceis adspersum, ventre fere lævi, nudo. Pedes longiusculi, validi, nigri, femoribus parum clavatis, subtus dente acuto armatis; tarsis valde dilatatis, supra dense albo-squamosis, subtus pallido-spongiosis. — Ghl.

* 5. D. Parallelogrammus.

Ater, sulphureo-squamosus, thorace rugoso, elytris striatis, interstitiis suturaque denudatis, atris.

Germ. *Ins. Sp.* I. p. 314. n° 452. T. 1. f. 9. b.
Archarias sulcatus. Dej. *Cat. Col.* p. 86.
Steven. *Mus. Mosqu.* II. p. 99.

Patria : Brasilia.

6. D. Alboguttatus.

Niger, sulphureo-squamosus, pedibus rufis, elytris transversim rugosis, maculis septem albis.

Germ. *Ins. Sp.* I. p. 314. n° 453.

Patria : Brasilia.

GENUS 269. HOMALONOTUS. *Nobis.*

Homalinotus SAHLB., SCHH. (1). — *Dionychus* GERM., STURM. — *Calandra* FABR. — *Curculio* LINN., DE GEER. — *Archarias* DEJEAN, STEVEN.

Character generis. — Antennæ mediocres, validæ; funiculo 7-articulato : articulo 1° elongato, sub-clavato; 2° breviore, sub-obconico; reliquis brevibus, apice truncatis, gradatim latioribus; 7 clavæ adpresso; clava sub-ovali, apice sub-compressa.

Rostrum longum, validum, parum arcuatum, teres.

Oculi ovati depressi.

Thorax transversus, anterius valde angustior, lateribus in plerisque rotundatus, pone oculos lobatus, supra deplanatus.

Elytra sub-ovata, antice conjunctim introrsum sub-emarginata, dorso sæpissime deplanata.

Descriptio. — *Corpus* sub-ovale, deplanatum, rigidum, obscurum, parce squamulosum, alatum; species plures amplectens maximas. — *Antennæ* thoracis medium attingentes, versus medium rostri insertæ, validæ, fractæ, 12-articulatæ : articulo 1° clavato, oculos sub-attingente, subrecto; 2° elongato, sub-clavato; 3° breviore, sub-obconico; 4-7 brevibus, apice truncatis, articulis exterioribus sensim paulo crassioribus; 8° latiore, cyathiformi, clavæ adpresso; clava minuta, sub-ovali, 4-articulata, apice sub-compressa, articulis ægre discernendis. — *Rostrum* capite thoraceque longius, inflexum, validum, parum, arcuatum, teres, sub-lineare; scrobe profunda, pone medium incipiente, sensim latiore, ad oculum protensa. — *Oculi* laterales, ovati, sub-depressi. — *Thorax* longitudine latior, basi aut bi-sinuatus, lobo medio sub-rotundato, aut sub-truncatus, antice sub-productus, in medio sub-emarginatus, pone oculos lobatus, supra deplanatus, lateribus in plerisque rotundatus, anterius angustior, coarctatus; in paucis antice latior, obtuse angulatus, posterius multo angustior, subtus pone gulam profunde emarginatus. — *Scutellum* obtuse trigonum. — *Elytra* latitudine fere thoracis et illo fere triplo longiora, sub-ovata, antice introrsum paulo emarginata, humeris antrorsum sub-prominulis, obtuse angulatis; dorso valde deplanata, versus apicem raro callosa, apice ipso sæpius obtuse rotundata, in nonnullis acuminata, anum obtegentia. — *Pedes* elongati, robusti, basi distantes, intermedii breviores; femoribus incrassatis, subtus dentatis; tibiis com-

(1) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 265. *Dionychus*, subgenus *Homalinotus*.

pressis, anticis quatuor sæpius intus in medio dente obtuso instructis, extus apice ciliatis, unco valido perpendiculari armatis; tarsis latis, subtus spongiosis, articulis basalibus sub-trigonis, penultimo lato, bilobo, ultimo clavato, bi-unguiculato.

TYPUS. — *Homalonotus deplanatus.* Sahlb.

Ab ὁμαλὸς planus, νῶτος dorsum.

Observ. — *Dionycho* generi proximum. Corpore supra deplanato, clava antennarum multo minore, apice sub-compressa, thorace pone oculos lobato, elytrisque antice emarginatis, hocce distinguitur genus.

* 1. H. JAMAICENSIS.

Ovatus, niger, opacus, brunneo-squamulosus, thorace transverso, impresso, confertim tuberculato, anterius utrinque angulo fasciculato instructo, elytris dorso deplanatis, punctato-sulcatis, sulcis interstitiisque confertim tuberculatis. — GHL.

Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 458. nº 101.
OLIV. *Ent.* V. 83. p. 158. nº 125. T. 4. f. 44.
Curculio id. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 421. nº 120. — *Mant.* I. p. 104. nº 91. — *Sp. Ins.* I. p. 173. nº 73.
OLIV. *Enc. méth.* V. p. 499. nº 128.
HERBST. *Col.* VI. p. 456. nº 461. T. 94. f. 9.
LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1764. nº 234.
Curculio Indus. DE GEER. *Ins.* V. p. 265. nº 1. T. 15. f. 22.
Curculio depressus. (*Mas.*) LINN. *Mus. Lud. Ulr.* p. 498. — *Syst. nat.* I. II. p. 612. nº 53. — Ed. GMEL. I. IV. p. 1765. nº 53. forte.
OLIV. *Enc. méth.* V. p. 519. nº 212. (*Mas.*)
HERBST. *Col.* VI. p. 495. nº 488. (*Mas.*)
Rhynchænus depressus. FABR. *Syst. El.* II. p. 490. nº 249. forte.
Archarias angulatus. DEJ. *Cat. Col.* p. 86.
SEBA. *Mus.* IV. T. 95. f. 4.

Patria : Cayenna.

* 2. H. VALIDUS.

Ellipticus, planus, niger, supra parce cinereo-squamulosus, subtus brunneo-setosus, rostro mediocri, lineari, arcuato, thorace sub-quadrato, disco punctato, lateribus tuberculato; elytrorum sulcis seriatim granulatis, interstitiis confertim tuberculatis.

Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 458. nº 103.
OLIV. *Ent.* V. 83. p. 157. nº 124. T. 15. f. 186.

Curculio id. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 422. n° 122.
OLIV. *Enc. méth.* V. p. 499. n° 131.
Rhynchænus calcaratus. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 420. n° 114.
HERBST. *Col.* VI. p. 454. n° 459. T. 94. f. 7.

Patria: Cayenna. Ex Musæo Dom. CHEVROLAT, ad describendum, amice communicatus.

Magnitudo et fere facies *Rhynchophori palmarum.* Caput parvum, semi-globosum, disperse punctatum, nigrum, fronte foveola impressa; oculi perpendiculares, oblongo-ovati, nigro-brunnei, parum prominuli; rostrum longitudine fere thoracis, lineare, arcuatum, apicem versus deplanatum, in medio striatim, versus latera disperse punctatum, nigrum, sub-nitidum. Antennæ mediocres, nigræ, cinereo-pilosæ. Thorax latitudine parum brevior, sub-quadratus, apice tri-sinuatus, intra apicem constrictus, lateribus pone stricturam subito valde ampliatus, posterius paulo angustior, basi leviter bi-sinuatus, supra fere planus, in disco disperse punctatus, versus latera et basin confertim tuberculatus, in medio baseos canaliculatus, cum carinula angusta in fundo; niger, in cavitatibus parce cinereo squamulosus. Scutellum sub-orbiculatum, planum, punctatum, nigrum. Elytra antice conjunctim emarginata, thoracis basi non latiora, humeris elevatis, lateribus non ampliata, posterius attenuata, apice singulatim sub-acuminato-producta, thorace vix triplo longiora, supra in dorso plana, distincte sulcata, sulcis seriatim tuberculatis, interstitiis latiusculis, confertim tuberculatis, tuberculis dorsalibus depressis, lateralibus semi-globosis; nigra, in cavitatibus parce cinereo-squamosa. Corpus subtus nigrum, anterius confertim tuberculatum, brunneo-sub-setosum, ventre posterius sub-lævi, nudo. Pedes validi, nigri, femoribus confertim tuberculatis, subtus brunneo-ciliatis, dente valido armatis; tibiis sub-arcuatis, rugulosis, anticis, in medio dente valido armatis; tarsis dilatatis, subtus brunneo-spongiosis. — GHL.

* 3. H. HUMERALIS.

Ovatus, niger, cinereo-squamulosus, capite thoraceque confertim tuberculatis, elytris sub-triangularibus, rude punctato-striatis, seriatim tuberculatis, humeris fasciculato-pilosis.

Archarias humeralis. DEJ. *Cat. Col.* p. 86.
Curculio depressus (femina). LINN. *Mus. Lud. Ulr.* p. 49. n° 8.

Oliv. *Enc. méth.* V. p. 519. n° 212.

Herbst. *Col.* VI. p. 475. n° 488.

Habitat in Cayenna. Mus. Reg. Acad. Scient. Holm. E Mus. Payk. et Mus. Schh.

E majoribus, *Hylobio arctico* paulo longior et in medio latior. Caput breve, rotundatum, confertim rugoso-tuberculatum, nigrum, squamulis minutis, fusco-cinereis, tectum; oculi perpendiculares, oblongo-ovati, brunnei, modice prominuli; rostrum capite cum thorace fere longius, validum, arcuatum, supra leviter carinatum, lateribus confertim rugoso-punctatum, nigrum, cinereo-squamulosum, præsertim versus basin. Antennæ nigræ, cinereo-squamulosæ et pubescentes. Thorax latitudine brevior, antice subito multo angustior, apice sinuato-emarginatus, lobis ocularibus productis, lateribus rotundato-ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra parum convexus, in medio baseos impressus, tuberculis majusculis, rotundatis, nitidis, undique confertim obsitus, niger, squamulis cinereis in cavitatibus tectus. Scutellum latum, semi-ovale, planum, nigrum, cinereo-squamulosum. Elytra antice conjunctim sub-emarginata, thoracis basi latiora, humeris prominulis, fasciculo longo et denso e pilis pallide brunneis instructis, lateribus obliquis, sensim versus apicem augustatis; apice singulatim sub-rotundata, thorace plus duplo longiora, supra in disco exteriore singuli elytri modice convexa, interne juxta suturam longitudinaliter impressa, punctis profundis, remotis, sub-umbilicatis, seriatim insculpta, interstitiis elevatis, tuberculis rotundatis, nitidis, seriatim digestis, anterius majoribus, versus apicem sensim evanescentibus, adspersis; nigra, squamositate densa, obscure cinerea, in cavitatibus tecta. Corpus subtus nigrum, squamositate cinereo-flavescente adspersum, pectore tuberculato, ventre obsolete punctato. Pedes elongati, nigri, dense cinereo-squamulosi; femoribus longis, parum crassis, tuberculatis, subtus ciliatis et dente acuto in medio armatis; tibiis arcuatis; tarsis dilatatis, subtus brunneo-spongiosis. — Ghl.

* 4. H. Platynotus.

Ellipticus, planus, niger, sub-opacus, pallido-squamosus, rostro subtenui, recto, thorace toto tuberculato, antice subito angustato, elytrorum sulcis seriatim tuberculatis, interstitiis inordinate granulatis, dorso deplanato, apice rotundatis, acumine obsoleto auctis. — Ghl.

Dionychus id. Germ. *Ins. Sp.* I. p. 313. n° 450.

Sturm. *Ins. Cat.* 1826. p. 131.

Archarias tristis. Dej. *Cat. Col.* p. 86.

Patria: Brasilia.

* 5. H. CORIACEUS.

Ellipticus, planus, niger, sub-opacus, parce albido-squamulosus, rostro latiore, arcuato, apice depresso, thorace lateribus tuberculato, anterius sensim angustato, elytrorum sulcis seriatim tuberculatis, interstitiis inordinate granulatis, apice conjunctim obtuse rotundatis.

Dionychus id. Dom. KLUG *in Litteris.*

Patria: Brasilia. Mus. SCHH.

Magnitudo et facies *Homalonoti platynoti* Germ. sed rostri et thoracis forma alia. Caput semi-globosum, obsolete punctatum, nigrum, fere nudum; oculi perpendiculares, oblongi, brunnei, parum prominuli; rostrum longitudine fere thoracis, deflexum, validum, disperse punctatum, arcuatum, apice paulo latius, depressum, totum nigrum, sub-nitidum. Antennæ breviusculæ, nigræ, clava cinereo-pubescente. Thorax latitudine postica multo brevior, anterius a medio ad apicem sensim angustatus, apice sub-trisinuatus, longe intra apicem obsolete transversim impressus, lateribus anterius obliquis, posterius ampliatis, basi leviter bi-sinuatus, sūpra fere planus, versus latera confertim tuberculatus, tuberculis interius ut et intra basin et apicem depressis; disco fere lævi, vel obsolete, disperse punctulato; totus niger, sub-nudus. Scutellum semi-ellipticum, punctatum, nigrum. Elytra antice thoracis basi paulo latiora, humeris rotundatis, lateribus non ampliata, apice conjunctim obtuse rotundata, thorace fere triplo longiora, supra perparum convexa, evidenter sulcata, sulco singulo serie e tuberculis semi-globosis, remotis, instructo, interstitiis confertim, inordinate tuberculatis, tuberculis versus latera et apicem convexis, elevatis; in dorso planis, depressis, puncto impresso notatis; tota nigra, squamulis albidis in cavitatibus adspersa, quæ interdum maculas formant sparsas. Corpus subtus anterius fortius ruguloso-punctatum, ventre postice subtilius punctulato; undique nigrum, parce squamulosum. Pedes elongati, validi, nigri, femoribus tuberculatis, subtus dente mediocri armatis, tibiis arcuatis, anterioribus quatuor interne dente obtuso armatis; tarsis valde dilatatis, subtus flavescenti-spongiosis. — GHL.

6. H. Squamulosus. *Schh.*

Ellipticus, convexior, niger, sub-opacus, densius albido-squamosus, rostro apice angulato, thorace antice angustato, undique confertim tuberculato; elytrorum sulcis subtilius granulatis, interstitiis dense tuberculatis, apice conjunctim obtuse rotundatis.

Patria : America meridionalis. Ex Musæo Imp. Russ., ad describendum, benevole communicatus.

Homalonoto coriaceo proximus, paulo minor, convexior, densius squamosus, thoracis discus etiam tuberculatus et textura elytrorum nonnihil diversa. Caput sub-globosum, posterius subtiliter, disperse punctulatum et strigosum, fronte fortius ruguloso-punctata; oculi ovati, nigro-brunnei, sub-depressi; rostrum longitudine fere thoracis, validum, arcuatum, supra anguste carinatum, confertim rugulosum, nigrum, densius albido-squamosum, apice angulariter dilatatum. Antennæ breviusculæ, nigræ, cinereo-squamulosæ et pubescentes. Thorax latitudine postica brevior, antice dimidio angustior, apice tri-sinuatus, longe intra apicem constrictus, lateribus rotundato-ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra transversim nonnihil convexus, undique confertim tuberculatus, tuberculis dorsalibus depressis; niger, in cavitatibus dense albido-squamosus. Scutellum triangulare, punctatum, apice obtusum, nigrum, squamosum. Elytra antice thoracis basi parum latiora, humeris rotundatis; pone basin nonnihil ampliata, posterius angustiora, apice conjunctim obtuse rotundata, thorace vix triplo longiora, supra modice convexa, sub-sulcata et in sulcis granulis parvis, seriatim digestis instructa, interstitiis convexis, confertim tuberculatis; nigra, in cavitatibus densius albido-squamosa. Corpus subtus nigrum, parcius albido-squamosum, thorace pectoreque confertim, ventre magis disperse ruguloso-punctatis. Pedes longiusculi, validi, nigri, albido-squamulosi et setosi; femoribus parum clavatis, anterioribus subtus dente mediocri armatis; tibiis arcuatis, anterioribus etiam interne dente mediocri instructis; tarsis omnibus dilatatis subtus brunneo-spongiosis. — Ghl.

* 7. H. Deplanatus. *Schh.*

Ovatus, niger, thoracis elytrorumque lateribus, horumque apice late ferrugineo-squamosis, tarsis ferrugineo-pilosis.

Sahlb. *Spec. Ins.* I. p. 43. n° 28. T. 2. f. 1.

Dionychus circumdatus. GERM. *Ins. Sp.* I. p. 313. n° 451.
STURM. *Ins. Catal.* 1826. p. 131.

Patria : Brasilia.

* 8. H. POROSUS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, fere glaber, capite punctato, thorace tuberculis poriferis versus latera adsperso, elytris foveolis profundis, seriatis insculptis, interstitiis leviter tuberculatis.

Habitat in Brasilia. Dom. FREYREISS. Mus. SCHH.

Longitudo *Cleoni sulcirostris*, sed latior, deplanatus. Caput sub-globosum, nigrum, punctis remotiusculis, setula cinerea fœtis, in fronte majoribus, adspersum; vertice subtiliter strigoso; oculi laterales, ovati, nigri, parum prominuli; rostrum longitudine capitis cum thorace, crassiusculum, arcuatum, striatum et punctatum, nigrum, glabrum. Antennæ piceæ, extrorsum fusco-ferrugineæ, parce pilosæ, clava pubescente. Thorax latitudine brevior, antice angustior, apice tri-sinuatus, lobis ocularibus longius productis, lateribus rotundato-ampliatus, basi sat profunde bi-sinuatus, lobo medio lato, obtuse rotundato; supra perparum convexus, posterius in medio depressus, lateribus tuberculis elevatis, poro pertusis, adspersus, in disco antico remote punctatus, posterius fere lævis; totus niger, glaber. Scutellum semi-ovale, nigrum, obsolete punctatum. Elytra antice conjunctim emarginata, thoracis basi arcte applicata, illoque non latiora, humeris elevatis, rotundatis; pone humeros ampliata, dein versus apicem attenuata, apice singulatim sub-acuminata, thorace plus duplo longiora, supra in dorso longitudinaliter deplanata, foveis profundis, remotis, seriatis insculpta, seriebus per paria approximatis, interstitiis exterioribus elevatioribus, leviter tuberculato-granulatis; nigra, glabra. Corpus subtus nigrum, remote subtiliter punctatum, pectore densius, ventre parce cinereo-pilosis. Pedes robusti, nigri, punctati, parce cinereo-squamulosi; femoribus subtus in medio dente obtuso armatis; tarsis dilatatis, subtus dense flavescenti-spongiosis. — GHL.

9. H. CYANICOLLIS (1).

Oblongus, nigricans, thorace cyaneo, lateribus scabro, elytris striatis, scabris. — FABR.

Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 458. n° 100.

(1) Forte hujus generis; mihi invisus.

OLIV. *Ent.* V. 83. p. 156. n° 123. T. 10. f. 121.
Curculio id. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 421. n° 119.
OLIV. *Enc. méth.* V. p. 499. n° 130.
HERBST. *Col.* VI. p. 178. n° 139. T. 72. f. 6.

Patria : America meridionalis.

GENUS 270. PETALOCHILUS. *Nobis.*

Character generis. — Antennæ mediocres, validiusculæ ; funiculo 7-articulato : articulis duobus basalibus longiusculis, obconicis, 3-6 lenticularibus, 7° magno, cyathiformi; clava breviter ovata.

Rostrum, longum , validum, versus apicem deplanatum et valde ampliatum.

Thorax transversim sub-quadrangulus, basi bi-sinuatus, pone oculos lobatus, supra sub-deplanatus.

Elytra sub-ovata, antice conjunctim tri-sinuata, dorso parum convexa.

Descriptio.—*Corpus* sub-ovale, parum convexum, rigidum, obscurum, squamosum, alatum.—*Antennæ* thoracis medium attingentes, pone medium rostri insertæ, validiusculæ, fractæ, rigide setosæ, 12-articulatæ : articulo 1° oculos sub-attingente, versus apicem clavato, recto ; 2° et 3° elongatis, sub-obconicis, æqualibus, 4-7 brevibus, lenticularibus, distantibus, sub-æqualibus; 3° longo, cyathiformi ; clavæ basin sub-amplectente; clava breviter ovata, 4-articulata, articulis arcte connexis. — *Rostrum* capite thoraceque longius, sub-inflexum, validum, parum arcuatum, basi sub-teres, versus apicem deplanatum, valde ampliatum; scrobe subrecta, vadosa, ad oculum protensa. — *Oculi* ovati, oblique positi, depressi. — *Thorax* transversim sub-quadrangulus, basi profunde bi-sinuatus, posterius angustior, antice paulo latior, obtuse angulatus, pone oculos lobatus, supra sub-deplanatus, subtus pone gulam late emarginatus. — *Scutellum* sub-quadratum. — *Elytra* thoracis parte postica fere dimidio latiora, et illo triplo longiora, oblongo-subovata, antice singulatim sub-producta, conjunctim tri-sinuata, humeris obtuse angulatis ; supra parum convexa, dorso sub-deplanata, versus apicem non callosa, apice ipso obtuse rotundata, anum obtegentia. — *Pedes* robusti, antici paulo longiores, basi aliquantum distantes; femoribus incrassatis, subtus dentatis ; tibiis compressis, apice unco minuto perpendiculari armatis; tarsis subtus spongiosis, articulo penultimo profunde bilobo, unguiculari, valido, bi-unguiculato.

TYPUS. — *Petalochilus gemellus.*

A πέταλος expansus, χεῖλος labium.

Observ. — Generi *Homalonoto* hoc genus habitu quodammodo simile est, sed antennarum aliarumque partium formatio longe diversa.

* 1. P. GEMELLUS.

Oblongo-ovatus, niger, opacus, pedibus corporeque subtus densius pallescenti-squamosis, thorace lateribus vittaque media, elytris antice lineolis abbreviatis, postice fasciis macularibus pallescenti-squamosis notatis.

Archarias id. Dom. BANON *in Litteris.*

Patria : Cayenna. A Dom. DUPONT benevole communicatus. Mus. SCHH.

Phytonomo punctato paulo major, longior, magis depressus. Caput parvum, sub-globosum, confertim punctulatum, nigrum, dense squamosum; oculi depressi, nigro-brunnei; rostrum capite thoraceque fere longius, validum, deflexum, impunctatum, apice utrinque angulariter ampliatum, nigrum, nudum. Antennæ mediocres, nigro-piceæ, dense pallescenti-squamosæ. Thorax transversim subquadrangulus, antice paulo latior, bis emarginatus, lobis ocularibus productis, lateribus ante medium ampliatus, basi profundius bi-sinuatus, supra parum convexus, disperse punctatus et granulatus, niger, lateribus late et in vitta media angustius dense pallescenti-squamosus. Scutellum oblongum, apice truncatum, nigrum, dense squamosum. Elytra antice sinuata, singulatim producta, thoracis basi multo latiora, humeris sub-elevatis; lateribus non ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace plus triplo longiora, supra parum convexa, obsoletius punctato-striata, nigra, opaca, squamulis pallescentibus variegata, setisque sub-erectis, obtusis, validis, præsertim versus latera exasperata; in dorso singuli elytri ad basin linea media, recta; interne alia, a scutello oblique ducta, et externe tertia, macularis, sub-transversa, omnes abbreviatæ, e squamis pallescentibus compositæ; pone medium fasciæ duæ, minus regulares, e maculis inæqualibus ejusdem coloris. Corpus subtus disperse punctatum, nigrum, densius pallescenti-squamosum. Pedes validi, nigri, dense pallescenti-squamosi; femoribus clavatis, subtus dente valido armatis. — GHL.

GENUS 271. ONCORHINUS. *Nobis.*

Character generis. — Antennæ breviusculæ, validæ, setosæ; funiculo 7-articulato: articulis duobus basalibus brevissime obconicis, reliquis transversis, sub-perfoliatis, sub-coarctatis; clava ovalis, spongiosa.

Rostrum longum, crassiusculum, valde arcuatum, basi constrictum, apice abrupte ampliatum.

Oculi remoti, ovati, depressi.

Thorax transversim sub-quadrangulus, antice in medio valde productus, pone oculos lobatus, supra deplanatus.

Elytra sub-ovata, dorso deplanata, humeris obtuse angulatis, antrorsum prominulis.

Descriptio. — *Corpus* sub-ovale, parum convexum, setosum, rigidum, inæquale, obscurum, alatum. — *Antennæ* rostro capiteque vix longiores, pone medium r stri insertæ, validæ, fractæ, rigidæ setosæ, 12-articulatæ: articulo 1° oculum haud attingente, sensim incrassato, recto; 2° et 3° breviusculis, sub-obconicis, 4-8 transversis, sub-perfoliatis, approximatis, gradatim parum latioribus; clava oblonga, ovalis, acuminata, spongiosa, articulis arctissime conjunctis. — *Vertex* convexus, lævissimus. — *Rostrum* thorace longius, crassiusculum, inflexum, valde arcuatum, basi profunde constrictum, sensim versus apicem deplanatum, apice abrupte ampliatum, sub-quadratum; scrobe profunda, pone medium incipiente, jam mox subtus flexa, subtus in medio rostri connivente. — *Oculi* remoti, ovati, depressi. — *Thorax* transversim sub-quadrangulus, basi bi-sinuatus, antrorsum paulo latior, lateribus, rectus, versus apicem subito angustatus, sub-compressus, antice productus, lobo in medio sub-emarginato, lobis ocularibus valde productis; supra deplanatus, subtus pone gulam profunde emarginatus. — *Scutellum* sub-rotundatum, distinctum. — *Elytra* thoracis basi dimidio latiora et illo triplo longiora, oblongo sub-ovata, antice singulatim sub-producta, humeris elevatis, obtuse angulatis, antrorsum sub-prominulis; supra convexa, dorso deplanata, versus apicem callosa, apice ipso obtuse rotundata. — *Pedes* robusti, longitudine sub-æquales, basi parum distantes; femoribus modice incrassatis, subtus valide dentatis; tibiis crassiusculis, parum curvatis, apice unco sub-horizontali valido, acuto intus instructis; tarsis minus latis, subtus obsolete spongiosis, articulo ultimo clavato, crasso, bi-unguiculato.

TYPUS. — *Oncorhinus scabricollis.*

Ab *ὄγκος* gravitas, *ῥίς* nasus.

Observ. — Habitus quodammodo generis *Petalochili*, sed rostrum basi constrictum vel quasi abscissum, ut in genere *Anchonomo* nonnullisque speciebus generis *Hipporhini*, ut et clava antennarum spongiosa, hoc genus evidenter distinguunt.

* 1. O. SCABRICOLLIS.

Ovatus, sub-depressus, niger, obscurus, testaceo-setosus, rostro antice sulcato, thorace varioloso, reticulato, sub-carinato, elytris remote punctato-striatis, interstitiis costatis, pedibus dense setosis, femoribus valide dentatis.

Archarias id. Dom. DUPONT *in Litteris.*

Patria: Cayenna. A Dom. DUPONT benevole communicatus. Mus. SCHH.

Phytonomo punctato paulo longior, sed angustior, magis depressus. Caput brevissimum, convexum, politum, nigrum, nitidum, fronte fovea brevi triangulari impressa; oculi depressi, nigri; rostrum magnum, crassum, valde arcuatum, supra anterius convexum, versus apicem late canaliculatum, apice ampliatum, basi profunde constrictum, veluti abscissum; nigrum, squamis erectis, setiformibus, sub-testaceis, adspersum. Antennæ breviusculæ, validæ, nigræ, dense setosæ, clava cinereo-pubescente. Thorax latitudine brevior, apice profunde bi-sinuatus, lobo medio producto, leviter emarginato, lateribus ab apice subito oblique valde ampliatis, dein fere rectis; basi etiam bi-sinuatus, supra parum convexus, foveolis variolæ-formibus, pulvere cinereo repletis, confertim impressus, carinula inæquali media interstitiisque foveolarum retiformiter elevatis, nigris, sub-nitidis. Scutellum mediocre, sub-rotundatum, nigrum. Elytra antice sub-sinuata, thoracis basi multo latiora, humeris elevatis, rotundatis; lateribus non ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace fere triplo longiora, supra parum convexa, in dorso antico plana, sat profunde, remote punctato-striata, inserstitiis angustis, plerisque elevato-costatis; nigra, setis sub-erectis, validis, fusco-testaceis, præsertim versus latera adspersa. Corpus subtus remote, inæqualiter punctatum, nigrum, parce setosum. Pedes robusti, nigri, dense testaceo-setosi; femoribus subtus dente valido, triangulari, armatis. — GHL.

GENUS 272. TRYPETES. *Nobis.*

Orthorhynchus. LATR. *in Litteris.*

Character generis.—Antennæ breviusculæ, minus tenues; funiculo 7-articulato : articulis duobus basalibus longiusculis, sub-clavatis, reliquis sub-oblongis, apice rotundatis; clava ovalis.

Rostrum longum, rectum, supra sub-planum, apice utrinque in cornu sub-acuminato dilatatum.

Thorax hexagonus, basi bi-sinuatus, lateribus angulatim ampliatus, anterius oblique cito angustatus, supra fere planus.

Elytra oblonga, posterius sensim attenuata, apice truncata, dorso plana.

Pedes antici valde longiores et crassiores; tibiæ apice unco valido armatæ; fasciculo piloso instructæ.

Descriptio. — *Corpus* oblongum, sub-ellipticum, sub-depressum, sculpturatum, opacum, apterum. — *Antennæ* vix thoracis apicem superantes, versus apicem rostri insertæ, subtenues, fractæ, 12-articulatæ : articulo 1° oculos haud attingente, recto, sensim incrassato; 2° et 3° longiusculis, apice valde clavatis, 4-7 brevioribus, lenticularibus, sub-oblongis, apice rotundatis, distantibus, sensim paulo crassioribus; 8° clavæ adpresso; clava minuta, ovali, 4-articulata. — *Rostrum* capite thoraceque longius, deflexum, sub-lineare, rectum, validum, supra sub-planum, carinatum, versus apicem sub-deplanatum, apice latiusculum, utrinque cornu elevato, arcuato, sub-acuminato, instructum; scrobe recta, basi profunda, ad oculum evanescente. — *Caput* parvum, exsertum. — *Oculi* magni, rotundati, parum convexi. — *Thorax* amplus, hexagonus, antice multo angustior quam basi, postice leviter bi-sinuatus, lateribus angulatim ampliatus, anterius oblique angustatus, apice supra et infra in medio leviter emarginatus, dorso fere planus. — *Scutellum* breve, apice rotundatum, sub-elevatum. — *Elytra* thoracis basi parum latiora et illo triplo longiora, basi singulatim sub-rotundata, elevato-marginata, humeris sub rotundatis; posterius sensim attenuata, apice truncata, anum obtegentia, dorso plana. — *Pedes* validi, antici multo longiores, et crassiores, basi valde distantes; femoribus in medio incrassatis, subtus dentatis; tibiis angulatis, sub-compressis, anticis intus bi-sinuatis, apice fasciculo magno piloso præditis, omnibus apice unco valido, acuto, deflexo, armatis; tarsis latis, subtus valde spongiosis, articulo ultimo clavato, bi-unguiculato.

TYPUS. — *Trypetes Rhinoides.*

A τρυπητὴς terebrator.

Observ. — Respectu habitus fere cum *Homalonoto* genere convenit; sed præcipue differt rostri structura atque insertione antennarum, ut et aliarum partium diversa forma mox distinguitur.

* 1. T. RHINOIDES.

Oblongus, sub-depressus, niger, thorace amplo, hexagono, supra confertim varioloso-punctato, disco sub-lævi, nitido; elytris profunde sulcatis, sulcis punctatis, cinereo-squamulosis, interstitiis costatis, dorsalibus anterius latioribus, punctato-rugosis.

Orthorhynchus id. Dom. LATR. *in Litteris,* teste Dom. CHEVROL.

Patria : Cayenna. A Dom. CHEVROL. benevole communicatus. Mus. SCHH.

Statura corporis fere ut in *Homalonoto*, et *H. depresso* non brevior, sed angustior. Caput parvum, nigrum, vertice sub-elevato, disperse punctato, fronte angusta, impressa, rugosa; oculi magni, rotundati, nigri, parum convexi; rostrum longitudine capitis cum thorace, horizontale, rectum, planum, antrorsum sensim dilatatum, apice utrinque cornu elevato, arcuato, acuminato instructum, supra rugulosum, carina media marginibusque elevatis, granulatis, notatum, nigrum, cinereo-squamulosum. Antennæ breviusculæ, nigræ, funiculo setoso, clava pubescente. Thorax amplus, hexagonus, antice duplo angustior quam basi, apice leviter emarginatus, collari angusto, pallido auctus, intra apicem constrictus, margine elevato; lateribus ab apice ad medium obliquis, rectis, in angulum conicum excurrentibus, dein inverse versus basin obliquis, nonnihil rotundatis; basi leviter bi-sinuatus, supra fere planus, in medio dorsi plaga magna, subtiliter disperse punctulata, nitida, glabra, notatus, ambitu reliquo confertim et fortiter varioloso-punctato, punctis squamula cinerea umbilicatis; totus niger. Scutellum breve, sub-cordatum, nigrum, læve. Elytra antice singulatim obtuse rotundata, elevato-marginata, thoracis basi parum latiora, humeris rotundatis; posterius sensim attenuata, apice truncata, angulis lateralibus prominulis; thorace vix triplo longiora, supra in dorso plana, profunde sulcata, sulcis cinereo-squamulosis, interioribus obsolete punctatis, lateralibus fere cancellatis, interstitiis elevatis, dorsalibus anterius latioribus, punctatis et transversim rugosis, lateralibus et apicis angustis, costatis, lævibus; tota nigra. Corpus subtus nigrum, anterius confertim punctatum, cinereo-squamulosum, ventre lævi, nitido. Pedes validi, nigri, antici multo longiores et crassiores: femoribus omnibus punctatis, subtus dente mediocri armatis: tibiis, præsertim antici

fasciculo fulvo-piloso instructis ; tarsis valde dilatatis, subtus dense fulvo-spongiosis. — Ghl.

Genus 273. SOLENOPUS. *Nobis* (1).

Odontoderes Sahlb. — *Dionychus* Germ.

Character generis. — Antennæ longiusculæ, subtenues; funiculo 7-articulato : articulis duobus basalibus longis, sub-clavatis, reliquis brevissime sub-obconicis, ultimo clavæ adnexo ; clava oblongo-ovata, acuminata.

Rostrum longum, lineare, teres, sub-tenue, arcuatum.

Oculi sub-ovati, parum convexi.

Thorax basi sub-truncatus, lateribus ampliato-rotundatus, anterius angustior, ante apicem sub-coarctatus.

Scutellum apice rotundatum, planum.

Elytra elongata, sub-cylindrica, modice convexa, versus apicem callosa, apice ipso singulatim rotundata, anum haud plane obtegentia ; humeris obtuse angulatis.

Tibiæ compressæ, extus canaliculatæ.

Observ. — Corpus sub-cylindricum, squamosum, alatum ; majoris magnitudinis.

In uno sexu, forte masculo, pedes antici reliquis paulo longiores et illorum tarsi subtus, secundum totam longitudinem dense fulvo-hirsuti.

* 1. S. Cacicus. *Schh.*

Cylindricus, ater, sulphureo-squamosus, thorace bi-vittato, lateribus granulato, elytris punctis magnis oblongo-quadratis striatis.—Germ.

Odontoderes id. Sahlb. *Spec. Ins.* I. p. 46. n° 30.
Dionychus granicollis. Germ. *Ins. Spec.* I. p. 315. n° 454.
Sturm. *Ins. Cat.* 1826. p. 131.
Curculio morbillosus. Drury. *Illustr.* III. T. 49. fig. 5. forte.
Curculio morbillator. Herbst. *Col.* T. 94. fig. 5. forte.

* Var. β. Squamulis albidis tectus.

Patria : Brasilia.

---

(1) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 268. n° 157.

* 2. S. SPINICOLLIS.

Oblongus, niger, thorace angustiori, supra magis convexo, dorso obsolete, lateribus evidenter tuberculato, elytris punctato-striatis, silaceo-squamosis, maculis lineisque denudatis nigris.

Solenopterus id. Dom. Com. DEJ. *in Litteris.*

Habitat in Cayenna. A Dom. Com. DEJ. communicatus. Mus. SCHH.

Statura *Solenopi cacici*, sed dimidio minor; ab illo thorace angustiori, magis convexo, antice non spinoso mox distinctus. Caput globosum, nigrum, subtilissime punctulatum, punctis tamen profundioribus remote adspersum, inter oculos leviter impressum; oculi laterales, magni, ovati, nigri, vix prominuli; rostrum longitudine fere thoracis cum capite, deflexum, arcuatum, tenue, nigrum, remote punctulatum, lateribus striolato-rugosum. Antennæ pone medium rostri insertæ, longitudine rostri cum capite, tenues, nigræ, griseo-pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, atro-holosericea. Thorax apice vix capite latior, mox vero valde ampliatus, lateribus rotundatus ad basin iterum paululum angustatus, antice posticeque truncatus, supra modice convexus, tuberculis in dorso valde remotis parum elevatis, ad latera vero majoribus magis crebris et elevatis obsitus; totus niger, utrinque ad basin et versus apicem maculis e squamulis lutescentibus, ornatus. Scutellum minutum, rotundatum, squamulis piliformibus silaceis dense tectum. Elytra thorace nonnihil latiora et illo fere triplo longiora, sub-cylindrica, humeris et callo postico prominulis, lateribus linearia, apicem versus angustata, apice ipso conjunctim rotundata, supra parum convexa, profunde punctato-striata, rugis intra puncta transversis a basi ad dimidium valde elevatis, postice obsoletis, interstitiis angustis; nigra, squamulis silaceis vestita, maculis lineisque pluribus denudatis, nigris. Corpus subtus nigrum, pectore dense, ventre parce flavescenti-pubescentibus. Pedes elongati, nigri, tenue pubescentes; femoribus clavatis, subtus dente acuto armatis; tibiis compressis, anticis arcuatis; tarsis supra flavo subtus fulvo-pubescentibus. — BHN.

3. S. SEXMACULATUS.

Oblongus, niger, subtus flavescenti-squamosus, rostro basi multi-striato; thorace lateribus tuberculato, elytris porcatis, maculis sex flavo-squamosis ornatis; tarsis valde dilatatis, dense flavo-pilosis. — GHL.

Rhynchænus id. OLIV. *Ent.* V. 83. p. 166. n° 137. T. 17. f. 207.

Curculio id. OLIV. *Enc. Méth.* V. p. 502. n° 145.

Patria : Cayenna.

GENUS 274. AMERHINUS.

Amerhinus SAHLB., SCHH. — *Ameris* GERM., LATR. (1), DEJ., STURM. — *Amerhis* BILLB. — *Dionychus* GERM.

Character generis. — Antennæ mediocres, minus tenues; funiculo 7-articulato: articulis duobus basalibus longiusculis, sub-obconicis; 1° longiore, reliquis brevibus, apice truncatis, gradatim perparum latioribus, ultimo clavæ haud adnexo; clava oblongo-ovata, acuminata.

Rostrum longiusculum, inflexum, validum, teres, modice arcuatum.

Oculi ovati, modice prominuli.

Thorax transversus, basi leviter bi-sinuatus, lateribus rotundatus, antice valde coarctatus, supra convexus.

Scutellum oblongum, sub-elevatum.

Elytra elongata, sub-cylindrica, valde convexa, posterius parum angustata, apice valde obtuse rotundata.

Observ. — Corpus oblongum, sub-cylindricum, nonnumquam sub-obconicum, squamosum, alatum; aut majoris, aut mediocris magnitudinis.

♂♀ 1. A. DUFRESNII.

Sub-cylindricus, coleopteris maculis sex aurantiis, basi triangulo magno obverso pallido. — KIRBY.

Rhynchænus id. KIRBY *in* LINN. *Soc. Trans.* XII. p. 433. n° 73. T. 12. f. 10.

Ameris id. DEJ. *Cat. Col.* p. 86.

GERM. *Ins. Spec.* I. p. 286.

---

(1) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 266. n° 156. — Germ. Ins. Spec. I. p. 286. — Latr. Règne Anim. p. 394.

STURM. *Ins. Cat.* 1826. p. 91.
Rhynchænus pardalis. DALM. *Anal. Ent.* p. 85. n° 92.
Ameris id. STEV. *Mus. Mosqu.* p. 99.

Patria : Brasilia.

♂♀ 2. A. YNCA.

Oblongus, niger, squamulis albidis tectus, thoracis verrucis crebrius elytrorumque rarius elevatis nudis, rostro anguste carinulato.

SAHLB. *Spec. Ins.* I. p. 44. n° 29. T. 2. f. 2.
Ameris ynca. DEJ. *Cat. Col.* p. 86.
STURM. *Ins. Cat.* 1826. p. 91.
STEV. *Mus. Mosqu.* p. 99.
Curculio morbillosus. DRURY. *Illustr.* III. p. 74. (solummodo descriptio; figura repræs. potius *Solenopum cacicum.*)
OLIV. *Enc. méth.* V. p. 474. n° 13.?
♂ VAR. β. Squamulis sulphureis tectus.
Dionychus ruidus. GERM. *Ins. Spec.* I. p. 316. n° 455.
Curculio morbillator. HERBST. *Col.* VI. p. 441. n° 434.?

Patria : Brasilia.

♂ 3. A. OLIVIERI. *Schh.*

Oblongus, niger, squamulis dilute cervinis tectus, thorace inæquali, longitudinaliter impresso, remote nigro-tuberculato, elytris a basi ultra medium profunde punctato-striatis, atro maculatis, costatis.

Habitat in Brasilia. Mus SCHH. et MANNERH.

Longitudo *Cleoni sulcirostris*, sed variat etiam dimidio minor. Caput mediocre, nigrum, rude rugoso-punctatum, squamulis piliformibus dilute cervinis, plus minusve tectum; frons inter oculos depressa, foveola parva, sat profunda, impressa; oculi sub-ovati, parum prominuli, nigri; rostrum longitudine thoracis, deflexum, minus crassum, arcuatum, incurvum, nigrum, a basi ad antennarum insertiones carinatum et dense cervino-squamosum, dein denudatum, nitidum, minus crebre punctatum. Antennæ pone medium rostri insertæ, longitudine capitis cum rostro, minus crassæ, nigro-piceæ, silaceo-pubescentes, clava ovata, acuminata, atro-holosericea. Thorax longitudine nonnihil latior, antice valde angustatus, capitis latitudine, apice in medio rotundato-productus, mox deinde valde ampliatus, lateribus rotundatis, postice iterum nonnihil angustatus, basi bi-sinuatus, supra modice convexus,

inæqualis, dilute cervino-squamosus, in dorso a basi ad apicem longitudinaliter impressus, versus apicem macula parva sub-rhomboidali denudata, nigra, notatus, utrinque versus latera etiam impressus, sub-lævis, hinc inde tuberculis nigris, nitidis, denudatis, condensatis, obsitus. Scutellum minutum, rotundatum, elevatum, silaceo-squamosum. Elytra basi singulatim rotundato-producta, reflexa, antice thoracis basi paulo latiora, et illo plus duplo longiora, humeris parum prominulis, pone basin mox sensim angustata, apice singulatim obtuse rotundata, supra parum convexa, dorso sub-plana, ante apicem callo obsoleto notata, ad basin transversim impressa, a basi ultra medium profunde seriatim scrobiculato-punctata, interstitiis alternis elevatis, costatis, transversim rugulosis, apicem versus obsolete tantum striata, tota atra, squamulis dilute cervinis dense tecta, maculis denudatis atris, præsertim in dorso variegata. Corpus subtus nigrum, squamulis cervinis vestitum. Pedes nigri, squamulis cervinis tecti, antici elongati; femoribus incrassatis, subtus pone medium dente parvo, acuto, armatis; dentes in posterioribus obtusissimi; tibiis compressis, sub-arcuatis, apice uncinatis. Tarsi dilatati, subtus fulvo-spongiosi.

Dom. A. G. OLIVIER, Doctor Med., plenissimum opus iconographicum de Coleopteris edidit. — BHN.

♂♀ 4. A. PAVO.

Niger, subtus albo-squamosus, antennis tibiisque piceis, elytris profunde striato-punctatis, maculis tribus ferrugineis, albo cinctis.

GERM.

Ameris pavo. GERM. *Ins. Spec.* I. p. 286. n° 425. T. 1. f. 7.
STURM. *Ins. Cat.* 1826. p. 91.

Patria : Brasilia.

♂ 5. A. BOHEMANI. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, opacus, thorace antice, elytris fasciis tribus punctoque laterali, ut et corpore rostro subtus maculis utrinque e squamis pallide flavis, rostro pedibusque rufis.

Habitat ad Rio Janeiro Brasiliæ. Dom. Doct. KIEBER. Mus. MANNERH. et SCHH.

Magnitudo *Amerhini pavonis* Germ. sed brevior et latior, posterius minus attenuatus. Caput nigrum, nudum, profunde, præsertim

anterius, punctatum, inter oculos rugosum ibique puncto parvo, sed profundo impressum; fronte globosa; oculi magni, nigri, modice prominuli; rostrum rufum glabrum, punctatum, versus apicem sub-læve, nitidum. Antennæ rufo-piceæ, pubescentes. Thorax latitudine baseos multo brevior, niger, opacus, profunde rugoso-punctatus, antice fascia utrinque e squamis condensatis pallide flavis, ad pedum anticorum insertionem incipiente et inde oblique ad apicem thoracis producta ibique cum opposita leviter conjuncta et præterea subtus inter pedes macula alba e pilis minus densis. Scutellum oblongum, nigrum. Elytra latitudine baseos vix duplo longiora, apice parum angustata, supra modice convexa, e punctis ordinatis profunde impressis et cum interstitiis rugosis hinc inde confluentibus striata, nigra, glabra, sub-nitida; in ipsa basi fascia transversa, linearis, ad callum humeralem desinens, altera ejusdem latitudine paulo pone medium, ad marginem lateralem et suturam usque protensa, et tertia angustior ad apicem intra marginem, extus rotundata, punctumque in ipso margine paulo pone humerum utrinque, e squamis densis pallide flavis. Corpus subtus nigrum, nitidum, punctatum, in pectore macula magna rhomboidalis et in quovis abdominis segmento minor rotundata utrinque, pallide flavo-squamosæ. Pedes mediocres, rufi, nitidi, punctati; genibus nigrescentibus; tarsis flavo-spongiosis. — MANNERH.

Dom. C. H. BOHEMAN, Viro perscrutationibus entomologicis distincto, nec non indefesso in hoc Opere edendo coadjutori, animum gratum, amicitiam singularem et observantiam denominatione hujus Insecti ostendere volui. — SCHH.

6. A. PARDUS (1).

Cyaneus, nitidus, thoracis macula laterali ferruginea, elytris striato-punctatis, maculis duabus ferrugineis. — GERM.

Ameris id. GERM. *Ins. Spec.* I. p. 287. n° 426.

Patria : Brasilia.

7. A. SARCINATUS (1).

Ater, flavo-tomentosus, maculis tuberculisque denudatis variegatus, thorace tuberculis acervatis, elytris costis duabus interrupte crenatis, margine apicali sub-reflexo, obtuso.

Habitat in Brasilia. — Mus. GERM.

(1) Mihi invisus.

Magnitudine *Amerhini ruidi* Germ. Rostrum inflexum, thoracis fere longitudine, basi sulphureo-tomentosum, apice carinatum, denudatum, planiusculum, punctatum. Antennæ griseæ, clava nigra. Thorax transversus, lateribus rotundatus, ante apicem constrictus, apice tubulatus, convexus, late canaliculatus, sulphureo-tomentosus, tuberculis lateralibus acervisque tuberculorum dorsi quatuor denudatis, nigris. Scutellum oblongum, elevatum. Coleoptera bas thoracis latitudine, et eo plus duplo longiora, basi impressa, apicem versus sensim angustata, apice obtusa, oblique et profunde impressa, margine hinc inde elevato, sulphureo-squamosa, maculis quadratis et irregularibus denudatis variegata, sub-costata, costis utrinque duabus elevatioribus pone callum apicalem explanatis, basi interruptis, medio crenatis. Corpus subtus dense flavo-tomentosum. Pedes flavo-pilosi, intermedii breviores, femoribus dentatis. — GERMAR.

GENUS 275. NETTARHINUS. *Nobis* (1).

Character generis. — Antennæ breviusculæ, validiusculæ; funiculo 7-articulato : articulis duobus basalibus longiusculis, sub-clavatis, reliquis brevissimis, sub-perfoliatis, sub-coarctatis, crassitudine crescentibus; clava sub-ovata, acuminata.

Rostrum breviusculum, crassiusculum, sub capite insertum, versus apicem sensim ampliatum, supra deplanatum, rectum.

Oculi ovati, perpendiculares, parum prominuli.

Thorax transversus, convexus, basi sub-truncatus, lateribus æqualiter ampliato-rotundatus, antice valde coarctatus.

Elytra cylindrica, basi truncata, apice acuminato-spinosa; humeris acute angulatis.

Pedes breviusculi, validi; tibiæ compressæ.

Observ. — Corpus oblongum, sub-cylindricum, rigidum, squamosum, alatum.

♀ 1. N. ANTHRIBIFORMIS. *Schh.*

Oblongus, niger, capite punctato, rostro rugoso, thorace antice coarctato, basi late impresso, utrinque tuberculato, thoracis dorso, scutello, elytrorum vitta suturali apiceque albido-squamosis, femoribus tibiisque anticis valide dentatis.

Habitat in Brasilia. Mus. SCHH.

Maximis individuis *Anthribi latirostris* adhuc paulo major et statura subsimilis. Caput mediocre, crassum, convexum, nigrum,

(1) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 269. n° 158.

remote sat profunde punctatum, squamulis fulvescentibus et albidis mixtis, adspersum; oculi magni, ovati, parum prominuli, nigri; rostrum capite paulo longius et dimidio angustius, parum crassum, rectum, lateribus medio sub-sinuatum, supra deplanatum, nigrum, rugoso-punctatum, ad basin squamulis nonnullis dilute fulvescentibus adspersum. Antennæ capite cum rostro fere breviores, sub-crassæ, nigro-piceæ, pallido-pilosæ, clava oblongo-ovata, dilutius picea, cinereo-pubescente. Thorax latitudine media vix vel parum brevior, antice valde coarctatus, apice in medio productus, sub-bisinuatus lateribus valde rotundato-ampliatus, basi late sed non profunde emarginatus, angulis posticis acutis, productis, supra valde inæqualis, profunde rugosus et punctatus, ante scutellum late et profunde impressus, utrinque in tuberculum validum, obtusum, elevatus, medio carinula parva notatus; totus niger, squamulis albidis in impressione dorsi præsertim condensatis, adspersus. Scutellum oblongum, apice rotundatum, nigrum, niveo-squamosum. Elytra sub-cylindrica; antice thoracis basi manifeste latiora, humeris acute rectangulatis; lateribus inflexa, thorace plus duplo longiora, pone humeros apicem versus sub-linearia, apice citius angustata, in spinam parvam, acutam, rectam, excurrentia, supra valde convexa, nigra, regulariter punctato-striata, interstitiis alternis præsertim posterius elevatis, tuberculis sub-conicis, poro setifero instructis, obsitis; squamulis fulvescentibus adspersa, vitta suturali lata, apiceque late albido-squamosis. Corpus subtus nigrum, parce punctatum, squamulis luteo-albidis dense adspersum, in ventre rarioribus. Pedes robusti, nigri, squamulis niveis adspersi; antici elongati; femoribus incrassatis, medio valide, obtuse, bi-dentatis; tibiis sub-crassis, compressis, arcuatis, ante apicem dente valido, acuto, armatis, apice uncinatis; posteriores, breves; femoribus parum incrassatis, muticis; tibiis subrectis; tarsis dilatatis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

GENUS 276. SCLEROSOMUS. *Nobis.*

Character generis. — Antennæ mediocres, validiusculæ; funiculo 7-articulato: articulo 1° elongato, sub-obconico, 2-7 sub-cylindricis, sub-coarctatis, gradatim paulo latioribus; clava ovali.

Rostrum longum, validum, teres, arcuatum.

Thorax basi truncatus, lateribus rotundatus, versus apicem subito angustatus, supra convexus.

Elytra connata, sub-ovata, antice conjunctim sub-emarginata, supra convexa, margine laterali inflexo.

Pedes validi, intermedii breviusculi.

Descriptio. — *Corpus* robustum, sub-ellipticum, crassum, rigidum, glabrum, sculpturatum, apterum. — *Antennæ* thoracis medium attingentes, in medio rostri insertæ, validiusculæ, fractæ, 12-articulatæ : articulo 1° clavato, oculos sub-attingente, sub-arcuato 2° elongato, ob-conico; 3-8 sub-cylindricis, sub-coarctatis, gradatim crassitudine paulo crescentibus; clava oblongo-ovali, sub-acuminata, 4-articulata, articulis arcte connexis. — *Caput* sub-exsertum, orbiculatum. — *Rostrum* capite duplo longius, inflexum, validum, modice arcuatum, teres, versus apicem paulo latius, deplanatum; scrobe profunda, in medio incipiente, sensim latiore, ad oculum protensa. — *Oculi* laterales, ovati, depressi, magni. *Thorax* latitudine fere longior, basi apiceque truncatus, lateribus rotundatus, versus apicem cito angustatus, sub-constrictus, supra valde convexus, subtus pone gulam profunde emarginatus. — *Scutellum* transversum, apice rotundatum. — *Elytra* thoracis parte postica vix latiora et latitudine duplo longiora, sub-ovata, coadunata, basi conjunctim sub-emarginata, supra convexa, apice ipso obtuse rotundata, anum occultantia, margine laterali inflexo, medio sinuato; abdominis latera includentia; humeris antrorsum prominulis, acutangulis. — *Pedes* elongati, robusti, basi modice distantes, intermedii breviores; femoribus in medio incrassatis, subtus dentatis; tibiis rectis, nonnihil compressis, intus sinuatis, extus versus apicem ciliatis, apice truncatis, unguiculis duobus validis, acutis, sub-horizontalibus intus armatis; tarsis latis, subtus spongiosis, articulo 1° sub-trigono, basi tenui; 2° brevi, transverso; 3° lato, bilobo, ultimo clavato, bi-unguiculato.

Typus. — *Sclerosomus incommodus.*

A σκληρὸς durus, σῶμα corpus.

Observ. — Habitu primo adspectu generi *Cherro* fere simile, rostrum vero statim dissimilitudinem indicat.

♂ 1. S. Incommodus. *Schh.*

Oblongo-ovatus, convexus, niger, glaber, thorace lateribus tuberculato, elytris rude, remote striato-punctatis, interstitiis alternis elevatis, inæqualiter confertim tuberculatis.

Habitat in Brasilia. Dom. Falderm. Mus. Schh.

Magnitudo et fere statura *Hylobii arctici.* Caput majusculum, sub-globosum, subtiliter et sub-remote punctatum, nigrum, sub-nitidum, fronte ad basin rostri foveola profunda insculpta; oculi

majusculi, laterales, ovati, brunnei, parum prominuli; rostrum longitudine fere capitis cum thorace, validum, arcuatum, subtilissime, remote punctulatum, nigrum, sub-nitidum, apice ampliatum et sub-depressum. Antennæ nigræ, clava fusco-pubescente. Thorax latitudine fere longior, antice subito angustior et intra apicem obsolete constrictus, apice leviter sinuato-emarginatus, lateribus rotundato-ampliatus, basi truncatus, supra modice convexus, lateribus et postice tuberculis majoribus et minoribus mixtis, poro pertusis, confertim obsitus, disco anteriore sub-lævi, punctis parvis, remotis tantum notato. Scutellum breve, latum, nigrum, apice rotundatum. Elytra antice thoracis basi non latiora, illique arcte applicata, margine elevato, lateribus valde inflexa, sinuata, apice conjunctim obtuse rotundata, thorace duplo longiora, supra convexa, punctis magnis, profundis, remotis, seriatim digestis, impressa; interstitiis alternis valde elevatis, tuberculis majoribus et minoribus, poro pertusis, confertim et absque ordine adspersis; tota nigra, parum nitida. Corpus subtus nigrum, magis nitidum, glabrum, subtiliter et remote punctulatum. Pedes elongati, validi, nigri, subtiliter punctulati; femoribus sub-clavatis, subtus dente minori armatis; tarsis latis, subtus brunneo-spongiosis.—GHL.

GENUS 277. HAPLONYX. *Nobis.*

Character generis.—Antennæ mediocres, subtenues; funiculo 7-articulato: articulis duobus basalibus longiusculis, obconicis; primo longiore, reliquis brevibus, apice truncatis, gradatim parum latioribus, ultimo clavæ sub-adpresso; clava sub-ovata, acuminata.

Rostrum elongatum, deflexum, validum, teres.

Oculi laterales, rotundati, immersi.

Thorax breviter conicus, basi profunde bi-sinuatus, anterius sensim valde attenuatus.

Elytra ampla, breviter ovata, posterius angustata, supra valde convexa, humeris lateraliter sub-prominulis, obtuse angulatis.

Pedes breviusculi; tarsis latis, unguiculo brevissimo, simplici.

Descriptio.—*Corpus* breve, sub-ovatum, valde convexum, sculpturatum, squamosum, alatum.—*Antennæ* ad thoracis medium pertingentes, pone medium rostri insertæ, subtenues, fractæ, 12-articulatæ: articulo 1° oculum sub-attingente, subrecto, clavato; 2° et 3° obconicis, illo longiore; 4-8 brevibus, sub-turbinatis, gradatim crassitudine perparum crescentibus, ultimo clavæ sub-adpresso; clava sub-ovata, apice acuminata, 4-articulata, articulis arcte con-

nexis. — *Rostrum* longitudine fere capitis thoracisque, deflexum, validum, teres, nonnihil arcuatum; scrobe profunda, lineari, sensim subtus flexa, in basin rostri subtus excurrente. — *Oculi* laterales, rotundati, depressi. — *Thorax* latitudine postica brevior, basi profunde bi-sinuatus, lateribus obliquis, antice plus duplo angustior basi, sub-conicus, apice sub-productus, in medio leviter emarginatus, supra modice convexus, infra pone gulam profunde emarginatus, leviter canaliculatus. — *Scutellum* apice rotundatum. — *Elytra* thoracis basi dimidio latiora et illo plus duplo longiora, breviter ovata, basi tri-sinuata, humeris lateraliter sub-prominulis, obtuse angulatis; versus apicem attenuata, supra valde convexa, sub-gibbosa, non callosa, apice ipso conjunctim rotundata. — *Pedes* breviusculi, validi, antici basi paulo distantes; femoribus in medio modice incrassatis, dentatis; tibiis crassiusculis, sub-compressis, curvatis, apice unco horizontali valido intus instructis; tarsis latis, subtus spongiosis, articulo ultimo parum clavato, uni-unguiculato.

TYPUS. — *Haplonyx Spencei.*

Ab ἁπλοῦς simplex, ὄνυξ unguis.

Observ. — Genus quoad habitum *Mononycho* quidem subsimile, sed tam absentia canalis pectoralis, quam forma antennarum valde diversa, plures discrepantias ut taceam, abunde distinguitur.

1. H. SPENCEI. *Schh.*

Breviter ovatus, convexus, niger, squamositate alba et flavescente variegatus; thorace conico, obsolete punctato, elytris rude, remote punctato-sulcatis, ante apicem fascia communi albo-squamosa ornatis.

Patria : Nova Hollandia. Ex Musæo Dom. Hope descriptus.

Statura brevis, convexa, fere *Cioni*, *Ciono thapsi* triplo major. Caput rotundatum, convexum, nigrum, punctatum, flavescenti-squamosum; oculi rotundati, depressi, brunnei; rostrum capite cum thorace fere longius, validum, perparum arcuatum, supra carinatum, confertim rugoso-punctatum, nigrum, sub-nudum. Antennæ nigræ, cinereo-setulosæ et pubescentes. Thorax conicus, antice plus duplo angustior quam basi, apice leviter bis emarginatus, lateribus obliquis, parum ampliatis, basi profunde bi-sinuatus, lobo scutellari emarginato; supra in disco valde convexus, pulvinatus, obsoletius punctatus, niger, postice et lateribus dense albo-squamosus, in dorso anteriore fasciculis quatuor flavescenti-squamosis notatus. Scutellum rotundatum, nigrum, squamosum. Elytra

ampla, antice valde sinuata, pone basin oblique ampliata, angulum obtusum, lateraliter extensum formantia; apice conjunctim rotundata, thorace vix duplo longiora, supra valde convexa, subgibbosa, rude, remote, inæqualiter punctato-striata, versus latera sulcata, interstitiis convexis, alutaceis; plaga baseos fasciaque versus apicem albo-squamosis ornata, immixtis fasciculis elevatis flavescenti-squamosis. Corpus subtus punctulatum, nigrum, sat dense albo-squamosum. Pedes validi, nigri, dense albo-squamosi; femoribus clavatis, subtus dente acuto armatis.—GHL.

Dom. WILHELMUS SPENCE, Anglus. Vir non de una tantum litterarum disciplina bene meritus laudibusque florentissimus Auctor. Hoc loco præcipue nominandum ducimus opus entomologicum eximium : An Introduction to Entomology, quod conjunctim cum Rev. W. KIRBY edidit.—SCHH.

GENUS 278. ALCIDES.

Alcides DALM., SAHLB., SCHH. (1).—*Eugnostus* HAGENB. *in Litteris*. — *Lixus* FABR., WIEDEM., MEG. — *Rhynchænus* FABR., OLIV.

Character generis.—Antennæ breviusculæ, validæ; funiculo 6-articulato : articulis duobus basalibus longiusculis, sub-obconicis, reliquis brevibus, sub-rotundatis; clava sub-ovata, acuminata, 5-articulata, articulo basali elongato, reliquis brevibus, arcte connexis.

Rostrum mediocre, teres, lineare, aut subrectum, aut parum arcuatum.

Oculi laterales, ovales, depressi.

Thorax oblongus, postice latior, trilobus, anterius angustior, coarctatus, supra in medio rotundato-productus, pone oculos obtuse lobatus, infra profunde emarginatus.

Elytra aut elongata, sub-cylindrica, aut oblongo-ovalia, gibba, basi singulatim valde producta, thoracis emarginaturas replentia eique arcte applicata.

Pedes antici in plerisque valde longiores; femora subtus dentata; tibiæ compressæ, apice unco valido armatæ, intus sæpius dentatæ.

Observ.—Corpus oblongum, convexum, parce squamosum, alatum; mediocris magnitudinis.

Patria : India orientalis, Cap. Bonæ Spei, Senegalia.

---

(1) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 270. n° 159.

STIRPS I. — Corpus oblongum, sub-cylindricum.

* 1. A. CHILIARCHUS. *Schh.*

Elongatus, niger, squamulis cinereo-albidis adspersus, rostro longo, supra plano, bi-sulcato, thorace granulato, linea dorsali recta et alia laterali, triangulariter flexa, niveo-squamosis, ornato, elytris subtiliter punctato-striatis, interstitiis granulatis, vitta abbreviata arcuata fasciaque postica transversa niveis, pedibus anticis longissimis, tibiis arcuatis, dentatis.

Habitat in Insula Java. A Dom. DE HAAN missus. Mus. SCHH.

Alcidi raptorio statura subsimilis, sed duplo major. Caput breve, crassum, rotundatum, obsolete punctulatum, squamulis griseis sat dense obsitum; oculi oblongi, transversi, depressi, nigri; rostrum longitudine dimidii corporis, capite multo angustius, crassiusculum, nonnihil arcuatum, supra planum, medio carinatum, à basi ultra medium utrinque leviter sulcatum; totum nigrum, confertim striolato-rugosum, squamulis cinereis adspersum. Antennæ longitudine rostri, validiusculæ, nigræ, parce pilosæ, clava oblongo-ovata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos nonnihil longior, apice late sed parum profunde emarginatus, anterius angustior, leviter constrictus, lateribus paululum rotundatus, basi profunde bi-sinuatus, supra convexus, tuberculis rotundis minus crebris, parum elevatis obsitus, niger, squamulis cinereo-albidis adspersus, linea angusta, recta, dorsali et alia utrinque laterali triangulariter flexa, niveo-squamosis, ornatus. Sçutellum minutum, rotundatum, sub-elevatum, nigrum. Elytra basi singulatim rotundato-producta, thorace vix latiora, sed illo triplo longiora, linearia, apicem versus angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra in dorso parum convexa, postice declivia, subtiliter punctato-striata, interstitiis planis, seriatim granulatis; nigra, squamulis cinereo-albidis adspersa, vitta a basi ad fasciam ducta, arcuata, maculam atram includente, fasciaque angusta postica late atro marginata, niveo-squamosis, ornata. Corpus subtus nigrum, squamulis griseis dense adspersum; pectore sordide albido-squamoso. Pedes nigri, squamulis cinereis adspersi; antici longissimi; femoribus versus apicem clavatis, subtus dente valido, acuto, armatis; tibiis ferrugineis compressis, arcuatis, medio intus dente acuto, instructis; reliqui mediocres; femoribus dentatis; tibiis ferrugineis, nonnihil arcuatis; tarsis dilatatis, subtus fulvo-spongiosis. BOH.

* 2. A. ANGULUS.

Oblongus, niger, rostro parum arcuato, confertim punctulato, thorace granulato, elytris profunde punctato-striatis, vitta abbreviata, arcuata, fasciaque postica transversa apiceque cinereo-albido-squamosis; tibiis anticis compressis, dentatis. — BHN.

Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 464. n° 129.
OLIV. *Ent.* V. 83. p. 181. n° 159. T. 29. f. 292.

Patria : Sumatra, Java.

* 3. A. RAPTORIUS. *Dalman.*

Elongatus, rufo-piceus, squamulis pallidis parce adspersus, rostro longo, profunde rugoso, thorace granulato, antice sub-lævi, elytris minus profunde scrobiculatis, vitta abbreviata longitudinali dorsali, fascia postica apiceque pallido-squamosis, pedibus anticis elongatis, tibiis arcuatis.

Habitat in Insula Java. Dom. OSBECK et MELLERBORG. Mus. SCHH.

Longitudo *Alcidis anguli*, sed dimidio angustior. Caput parvum, rotundatum, nigro-piceum, squamulis pallidis adspersum; vertice subtilius, fronte profundius confertim punctatis; oculi oblongi, transversi, depressi, nigri; rostrum longitudine thoracis cum capite, crassiusculum, teres, parum arcuatum, nigro-piceum, basi profunde sat confertim rugoso-punctatum, apicem versus subtiliter magis remote punctulatum. Antennæ versus medium rostri insertæ, validiusculæ, nigro-piceæ, pallido-pilosæ, clava ovata, obtuse acuminata. Thorax latitudine baseos fere longior, apice late sed parum profunde emarginatus, anterius angustior, coarctatus, transversim impressus, lateribus rotundato-ampliatus, basi profunde bi-sinuatus, supra modice convexus, nigro-piceus, tuberculis rotundis, parum elevatis, sat confertim obsitus, apicem versus sub-lævis, subtiliter tantum granulatus, squamulis raris, pallidis in dorso et versus latera condensatis adspersus. Scutellum minutum, rotundatum, sub-elevatum, nigro-piceum. Elytra basi singulatim valde rotundato-producta, antice thoracis basi vix latiora, sed illo triplo longiora, sub-linearia, apice conjunctim obtuse rotundata, supra modice convexa, ad basin impressa, scrobiculis oblongis, minus profundis, seriatim impressa, interstitiis elevatis, subtiliter granulatis; tota rufo-picea, squamulis piliformibus, albidis, tenuissime adspersa, vitta dorsali recta, abbreviata, fascia postica transversa apiceque cinereo-squamosis. Corpus subtus ni

gro-piceum, punctatum, squamulis silaceis dense vestitum. Pedes rufo-ferruginei, punctati, squamulis albidis adspersi; antici valde elongati, femoribus clavatis, subtus pone medium dente valido, acuto, armatis; tibiis dilutius ferrugineis, arcuatis, medio intus ampliatis; reliqui mediocres; femoribus subtus dentatis et pone dentem crenulatis; tibiis arcuatis, medio non ampliatis; tarsis dilatatis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

* 4. A. LANIGER.

Oblongus, piceus, subtus squamulis albidis adspersus, rostro mediocri, subrecto, profunde rugoso-punctato, thorace tuberculato, elytris dorso planis, profunde seriatim scrobiculatis, interstitiis punctulatis, sub-carinatis, postice fasciculo parvo, pilis albidis, notatis.

Curculio id. SPARRM. *in Acta Holm.* 1785. I. p. 43. n° 6. T. 2. f. 6.
OLIV. *Enc. méth.* V. p. 566. n° 27.
LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1770. n° 269.

Habitat ad Cap. Bonæ Spei. Dom. SCHUPP. Mus. GYLLENH.—Dom. SPARRM. Mus. Reg. Acad. Scient. Holm.

Alcide sulcato multo longior et nonnihil angustior. Caput parvum, rotundatum, piceum; vertice subtiliter, fronte profunde punctatis; frons inter oculos impressa; oculi ovati, transversi, nigri, depressi; rostrum longitudine thoracis, crassiusculum, teres, subrectum, piceum, basi profunde confertim rugoso-punctatum, apicem versus subtiliter punctulatum. Antennæ in medio rostri insertæ, crassiusculæ, piceæ, pilosæ, clava ovata, obtuse acuminata. Thorax latitudine baseos brevior, apice late sed parum profunde emarginatus, antice angustior, coarctatus et transversim impressus, lateribus rotundato-ampliatus, basi profunde bi-sinuatus, supra modice convexus, nigro-piceus, undique tuberculis parum elevatis, oblongis, obsitus, squamulis pallidis, præsertim versus latera, adspersus. Scutellum minutum, immersum. Elytra basi singulatim valde rotundato-producta, antice thoracis basi fere angustiora, humeris sub-prominulis, pone humeros nonnihil ampliata, lateribus inflexa, medio sub-sinuata, thorace quadruplo longiora, apice conjunctim obtuse rotundata, supra parum convexa, dorso sub-plana, basi et intra apicem transversim impressa, rufo-picea, scrobiculis oblongis majoribus et minoribus seriatim impressa, interstitiis angustis, sub-elevatis, punctulatis, interstitio quinto præsertim ad basin elevato, sub-costato, in dorso postico utrinque fasciculo parvo, e pilis albidis et in apice punctis duobus, transversim positis,

niveo-squamosis. Corpus subtus nigro-piceum, nitidum, profunde minus crebre punctatum, squamulis albidis adspersum. Pedes robusti, rufo-picei, profunde et rude punctati, squamulis albidis adspersi; femoribus modice clavatis, omnibus subtus pone medium dente acuto instructis; tibiis inflexis, anterioribus intus in medio denticulo sat valido, armatis; tarsis subtus fulvo-spongiosis.—BHN.

* 5. A. ALBOGUTTATUS.

Oblongus, piceus, antennis ferrugineis, fronte leviter impressa, rostro subrecto, confertim punctato, thorace crebre subtiliter ruguloso, lateribus lineaque dorsali albido-squamoso, elytris ferrugineis, profunde punctato-striatis, postice albo-punctatis, pedibus anticis modice elongatis. — BHN.

Lixus id. WIEDEM. in GERM. Mag. IV. p. 158. n° 67.
Rhynchænus leopardus. OLIV. *Ent.* V. 83. p. 190. n° 171. T. 22. f. 296.?

Patria : Bengalia.

* 6. A. BUBO.

Oblongus, rufo-ferrugineus, rostro modice arcuato, thorace subtiliter confertim granulato, lateribus albido-squamoso, elytris profunde punctato-striatis, punctis nonnullis sparsis in dorso et litura postica niveo-squamosis, pedibus anticis modice elongatis. — BHN.

Rhynchænus bubo. FABR. *Syst. El.* II. p. 474. n° 176.
Rhynchænus ferox. OLIV. *Ent.* V. 83. p. 189. n° 170. T. 22. f. 297.

Patria : Bengalia.

* 7. A. ALBOLINEATUS. *Schh.*

Elongatus, rufo-ferrugineus, lateribus thoracis et subtus squamulis cinereo-albidis vestitus, rostro recto, confertim rugoso-punctato, thorace nigro-piceo, confertim granulato, elytris punctato-striatis, albido-lineatis, interstitiis alternis elevatis, costatis, punctulatis, pedibus anticis modice elongatis, femoribus anticis bi-posterioribus uni-dentatis.

Patria : Galam Africæ.

Alcide bubone parum longior sed angustior. Caput parvum, globosum, ferrugineum, confertim subtiliter ruguloso-punctatum, inter oculos leviter impressum : oculi oblongi, transversi, haud

prominuli, nigri; rostrum vix longitudine thoracis, minus tenue, teres, subrectum, crebre rugoso-punctatum; totum ferrugineum, apice tamen nonnihil infuscatum. Antennæ pone medium rostri insertæ, vix longitudine thoracis, crassiusculæ, piceæ, albido-pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos vix longior, apice late sed parum profunde emarginatus, anterius angustior, leviter coarctatus, lateribus rotundato-ampliatus, basi profunde bi-sinuatus, supra modice convexus, nigro-piceus, confertim subtiliter granulatus, dorso squamulis fuscis parce adspersus, lateribus dense cinereo-albido-squamosus. Scutellum minutum, rotundatum, elevatum, obscure ferrugineum. Elytra basi singulatim valde rotundato-producta, antice thorace fere angustiora et illo triplo longiora, pone humeros perparum sinuata, apicem versus angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra modice convexa, regulariter et satis profunde punctato-striata, interstitiis alternis, planis, coriaceis, alternis elevatis, costatis, punctulatis; tota rufo-ferruginea, lineis tribus antice abbreviatis e squamulis albidis, insignita. Corpus subtus ferrugineum, cinereo-albido-squamosum. Pedes rufi, punctati, squamulis albidis adspersi; antici modice elongati; femoribus modice clavatis, anticis bi-posterioribus uni-dentatis; tibiis rectis, omnibus apicem versus dente acuto, in posticis obsoleto, armatis; tarsis obcure ferrugineis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

* 8. A. EXILIS. *Schh.*

Elongatus, rufo-ferrugineus, lateribus thoracis et subtus albido-squamosus, rostro tenuiori, piceo, basi ferrugineo, thorace subtiliter confertim granulato, rufo-piceo, elytris profunde punctato-striatis, interstitiis subtiliter rugulosis, pedibus anticis elongatis, femoribus bi-tibiis apicem versus tri-dentatis.

Alcides lineatus. Dom. KLUG *in Litteris.*

Habitat ad Cap. Bonæ Spei. A Dom. FALDERMANN missus. Mus. SCHH.

Longitudo *Alcidis alboguttati*, sed dimidio angustior, armatura pedum a congeneribus facile distinctus. Caput parvum, rotundatum, piceum, confertim punctatum; fronte leviter impressa; oculi oblongi, transversi, depressi, nigri; rostrum longitudine thoracis, subtenue, paululum arcuatum, piceum, basi ferrugineum, sat crebre punctatum. Antennæ longe pone medium rostri insertæ, validiusculæ, nigro-piceæ, parce pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos longior;

apice late sed parum profunde emarginatus, anterius angustior, leviter constrictus, lateribus nonnihil rotundato-ampliatus, basi profunde bi-sinuatus, supra modice convexus, piceus, confertim subtiliter granulatus, dorso denudato, lateribus dense albido-squamosus. Scutellum minutum, rotundatum, elevatum, piceum. Elytra basi singulatim valde rotundato-producta, thorace fere angustiora, sed illo triplo longiora, sub-linearia, apicem versus angustata, apice conjunctim obtuse rotundata, supra modice convexa, basi impressa, profunde punctato-striata, interstitiis subtiliter rugulosis; tota dilute rufo-ferruginea, immaculata. Corpus subtus ferrugineum, dense albido-squamosum. Pedes rufi, squamulis albidis parce adspersi; antici et intermedii modice elongati; femoribus clavatis, subtus bi-dentatis; tibiis arcuatis, intus apicem versus tri-dentatis; postici breviores; femoribus obsolete dentatis; tibiis rectis, muticis; tarsis nigro-piceis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

9. A. FASCICULATUS. *Schh.*

Elongatus, piceus, pube depressa, albida, adspersus, rostro thorace longiore, basi rugoso-punctato, thorace confertim subtiliter granulato, elytris ferrugineis, minus profunde punctato-striatis, interstitiis rugulosis, pube albida fasciculatim condensata crebre variegatis.

Patria : Caffraria. A Dom. ECKLON et ZEYHER, ad describendum, communicatus.

Alcidi buboni magnitudine æqualis, nonnihil tamen angustior. Caput parvum, rotundatum, nigro-piceum, subtiliter sat crebre punctulatum, inter oculos leviter impressum, pube albida parce adspersum; oculi laterales, ovati, haud prominuli, nigri; rostrum longitudine fere thoracis cum capite, crassiusculum, teres, modice arcuatum, nigro-piceum, basi profundius apicem versus subtiliter crebre punctatum, fere denudatum. Antennæ medio rostri insertæ, validiusculæ, nigro-piceæ, parce pubescentes, clava ovata, acuminata, obscuriore. Thorax latitudine baseos brevior, apice late sed parum profunde emarginatus, mox intra apicem coarctatus, tum lateribus rotundato-ampliatus, basi profunde bi-sinuatus, supra modice convexus, piceus, apicem versus dilutior, undique crebre subtiliter granulatus, pube depressa, albida, sat dense obsitus. Scutellum minutum, rotundatum, sub-elevatum, nigro-piceum. Elytra basi singulatim valde rotundato-producta, antice thoracis basi vix latiora, ibique illi arcte applicata, humeris vix prominulis, rotundatis; pone humeros perparum angustata, apicem versus iterum nonnihil ampliata, apice ipso conjunctim rotundata, thorace triplo longiora,

supra modice convexa, sat profunde punctato-striata, punctis striarum oblongis, sat crebris, interstitiis planis, subtiliter confertim rugulosis; tota ferruginea, pube depressa, albida, hinc inde fasciculatim condensata, sat dense adspersa. Corpus subtus nigro-piceum, confertim punctulatum, pube depressa, albida, adspersum. Pedes longiusculi, obscure ferruginei, crebre punctulati, pube albida adspersi; antici longiores; femoribus omnibus modice clavatis; subtus ante apicem dente acuto armatis; tibiis compressis, rectis, anticis arcuatis, medio nonnihil ampliatis, omnibus apice uncinatis; tarsis modice dilatatis, subtus griseo-spongiosis. — BHN.

* 10. A. RUFUS. *Klug.*

Elongatus, sanguineus, pube pallida tenue adspersus, oculis nigris, rostro thorace nonnihil longiore, undique rugoso-punctato, thorace apice transversim impresso, subtiliter confertim punctulato, elytris minus profunde punctato-striatis, interstitiis rugulosis.

Patria : Cap. Bonæ Spei. A Dom. SCHUPPEL amice communicatus. Mus. SCHH.

Alcidi exili magnitudine æqualis. Caput parvum, rotundatum, supra modice convexum, sanguineum, subtiliter crebre punctulatum, pube tenuissima pallida adspersum; oculi laterales, ovati, haud prominuli, nigri; rostrum thorace nonnihil longius, crassiusculum, teres, modice arcuatum, sanguineum, glabrum, undique evidenter sat profunde crebre rugoso-punctatum. Antennæ pone medium rostri insertæ, validiusculæ, dilute ferrugineæ, parce pubescentes, clava ovata, acuminata, dense cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos breviter, apice late sed parum profunde emarginatus, anterius subito angustatus, mox intra apicem coarctatus et transversim impressus, tum lateribus versus basin rotundato-ampliatus, basi profunde bi-sinuatus, supra modice convexus, sanguineus, subtiliter confertim sed parum profunde punctatus, pube pallida tenuissime adspersus. Scutellum minutum, rotundatum, sub-elevatum, obscure ferrugineum. Elytra antice singulatim valde rotundato-producta, thoracis basi vix latiora; humeris non prominulis, rotundatis; pone humeros ultra medium perparum angustata, tum apicem versus nonnihil ampliata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, thorace triplo longiora, supra modice convexa, mox intra basin transversim leviter impressa, minus profunde crebre punctato-striata, punctis striarum oblongis, interstitiis planis, confertim rugulosis; tota sanguinea, pube depressa pallida parce adspersa. Corpus subtus piceum, punctulatum,

pube et polline dilute rufescente adspersum. Pedes longiusculi, dilute ferruginei, crebre punctati, pube pallida adspersi; antici longiores et validiores; femoribus omnibus modice clavatis, subtus pone medium dente acuto instructis; tibiis sub-compressis, rectis, anticis arcuatis, medio nonnihil ampliatis; tarsis obscure ferrugineis, modice dilatatis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

STIRPS 2. — Corpus oblongo-ovatum gibbum.

* 11. A. DENTIPES.

Oblongus, niger, corpore subtus thoraceque albido-squamosis, rostro breviori, crasso, thorace remote tuberculato, elytris sulcato-punctatis, interstitiis 3 et 5 latis, planis, approximatis, albido-squamosis, postice coeuntibus, lineaque inferiori, antice abbreviata, humeris valde prominulis. — BHN.

Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 465. n° 135.
OLIV. *Ent.* V. 83. p. 202. n° 188. T. 8. f. 90. a. b.
Curculio id. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 428. n° 145.
OLIV. *Enc. méth.* V. p. 504. n° 153.
HERBST. *Col.* VI. p. 180. n° 142. T. 72. f 9. a. b

Obs. — *Alcide trilobo* dimidio fere major.

Patria : Senegalia.

* 12. A. SULCATULUS.

Oblongo-ovatus, niger, rostro crassiusculo, parum arcuato, thorace breviore, basi striolato-rugoso, thorace confertim verrucoso-coriaceo, apice, linea dorsali vittaque utrinque basali transversim locata, silaceo-squamosis, ornato, elytris punctato-striatis, lineis tribus silaceo-squamosis decoratis, sutura interstitiisque 1, 3, 4, 6, 8 *et* 9 *elevatis, carinatis, nitidis, impunctatis.*

Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 474. n° 178.
OLIV. *Ent.* V. 83. p. 203. n° 190. Var. T. 22. f. 304. b.

Patria : Amboina, Java. A Dom. TOEND. LUND. communicatus. Mus. SCHH.

Cryptorhyncho lapathi nonnihil minor, præsertim brevior. Caput parvum, rotundatum, nigrum, parum profunde crebre punctulatum, inter oculos impressum; oculi laterales, ovati, haud prominuli, nigri; rostrum thorace nonnihil brevius, crassiusculum, teres, parum arcuatum, creberrime punctatum, basi striolato-rugosum, apice nonnihil deplanatum; totum nigrum, sub-nitidum, glabrum. Antennæ pone medium rostri insertæ, crassiusculæ, nigro-

piceæ, clava ovata, parum acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos multo brevior, apicem versus subito angustatus, antice late sed parum profunde emarginatus, mox intra apicem constrictus et transversim impressus, lateribus modice rotundato-ampliatus, basi profunde bi-sinuatus, lobo medio acuto, valde producto; supra modice convexus, undique confertim verrucoso-coriaceus, dorso obsolete canaliculatus; niger, sub-nitidus, mox intra apicem transversim, linea media dorsali vittaque utrinque basali, dense silaceo-squamosis, ornatus. Scutellum vix observandum. Elytra oblongo-ovata, basi singulatim valde rotundato-producta, thoracis basi vix latiora, quam lata dimidio longiora, humeris vix prominulis, rotundatis; pone humeros apicem versus parum angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra convexa; tota nigra, subtiliter punctato-striata, sutura interstitiisque 1, 3, 4, 6, 8 et 9 angustioribus, elevatis, costatis, nitidis, impunctatis, interstitiis 2, 5 et 7 latioribus, planis, dense silaceo-squamosis, unde elytra silaceo-trilineata. Corpus subtus nigrum, punctulatum, pectore dense, ventre parcius silaceo-squamosis. Pedes longiusculi, nigri, crebre punctati, antici longiores et validiores; femoribus omnibus clavatis, subtus dente acuto armatis; tibiis sub-compressis, anticis nonnihil arcuatis et intus in medio ampliatis; tarsis modice dilatatis, subtus griseo-spongiosis. — Bhn.

* 13. A. Signatus. *Bhn.*

Oblongo-ovatus, niger, pube flavo-virescente adspersus, rostro crassiusculo, parum arcuato, basi rugoso-punctato, thorace minus crebre evidenter verrucoso-coriaceo, vittis utrinque duabus transversim locatis, obliquis, antrorsum flexis, lineaque angusta dorsali, albido-squamosis, ornato, elytris punctato-striatis, lineis tribus niveo-squamosis, intermedia abbreviata, decoratis, sutura interstitiisque 1, 3, 4, 6, 8 *et* 9 *elevatis, carinatis, rugulosis.*

Patria: Bengalia. A Dom. Hope benevole communicatus. Mus Schh.

Statura et summa similitudo *Alcidis sulcatuli*, dimidio tamen major; thorace magis conico, remotius evidenter verrucoso-coriaceo, signaturis aliter locatis, elytrorumque interstitiis elevatis, rugulosis, ab illo distinctus. Caput parvum, rotundatum, supra modice convexum, nigrum, subtiliter creberrime punctulatum, inter oculos leviter impressum, pube flavo-virescente sat dense obsitum; oculi laterales, ovati, haud prominuli, obscure brunnei; rostrum thorace nonnihil brevius, crassiusculum, teres, parum arcuatum, apice

nonnihil deplanatum, basi evidenter apicem versus subtiliter undique crebre rugoso-punctatum, nigrum, sub-nitidum, basi pubescens. Antennæ pone medium rostri sitæ, crassiusculæ, nigro-piceæ, clava ovata, parum acuminata, fusco-pubescente. Thorax latitudine baseos multo brevior, a basi ultra medium parum, tum apicem versus subito angustatus, apice ipso sub-truncatus, mox intra apicem coarctatus et leviter transversim impressus, basi profunde bisinuatus, lobo medio acuto, valde producto; supra modice convexus, undique minus crebre evidenter verrucoso-coriaceo, dorso obsolete canaliculatus; niger, linea angusta dorsali, antice abbreviata, utrinque vittis duabus, obliquis, antrorsum flexis, dense niveo-squamosis, ornatus; superficie reliqua inter verrucas nitidas, pube depressa, flavo-virescente, adspersa. Scutellum minutum, rotundatum, elevatum, nigrum. Elytra oblongo-ovata, basi singulatim valde rotundato-producta, thoracis basi vix latiora, quam lata dimidio longiora, humeris vix prominulis, rotundatis; pone humeros apicem versus sensim angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra convexa; tota nigra, pube flavo-virescente adspersa, subtiliter punctato-striata, sutura interstitiisque 1, 3, 4, 6, 8 et 9 angustioribus, elevatis, costatis, nitidis, denudatis, rugulosis, interstitiis 2, 5 et 7 latioribus planis, niveo-squamosis, linea intermedia abbreviata, longe ante medium desinente. Corpus subtus nigrum, punctulatum, dense albido-squamosum, ventre utrinque fusco-lineato. Pedes longiusculi, nigri, crebre punctati; antici longiores et validiores; femoribus modice clavatis, subtus dente acuto armatis, posticis dense reliquis parce albido-squamosis; tibiis sub-compressis, anticis nonnihil arcuatis et intus in medio ampliatis; tarsis modice dilatatis, subtus brunneo-spongiosis. — BHN.

* 14. A. PECTORALIS. *Bhn.*

Oblongus, niger, rostro tenuiore, arcuato, longitudine thoracis, basi striolato-rugoso, thorace confertim verrucoso-coriaceo, apice et basi transversim silaceo-squamoso, elytris evidenter punctato-striatis, lineis tribus silaceo-squamosis decoratis, sutura interstitiisque 1, 3, 4, 6, 7 *et* 8 *elevatis, carinatis, nitidis, impunctatis; pectore tuberculato.*

Rhynchænus sulcatulus. OLIV. *Ent* V. 83. p. 203. nº 190. T. 22. f. 304. a.

Patria : Java. A Dom. DE HAAN benevole communicatus. Mus. SCHH.

Affinis certe *Alcidi sulcatulo*, magis oblongus, rostro tenuiore,

longiore, magis arcuato, signaturis thoracis aliter locatis, elytris evidenter punctato-striatis, interstitiis alio modo elevatis, pectore tuberculato ab illo facile distinctus. Caput parvum, rotundatum, supra parum convexum, inter oculos leviter impressum, nigrum, parum profunde sat crebre punctatum; oculi laterales, ovati, haud prominuli, nigri; rostrum longitudine thoracis, teres, crassiusculum, arcuatum, a basi ultra medium rugoso-punctatum et striolatum, apicem versus subtiliter punctatum; nigrum, sub-nitidum, glabrum. Antennæ fere in medio rostri sitæ, crassiusculæ, nigro-piceæ, clava ovata, parum acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos multo brevior, apicem versus subito angustatus, antice late sed parum profunde emarginatus, mox intra apicem coarctatus et transversim leviter impressus, lateribus rotundato-ampliatus, basi profunde bi-sinuatus, lobo medio acuto, valde producto; supra modice convexus, undique confertim verrucoso-coriaceus, dorso non canaliculatus, niger, sub-nitidus, mox intra apicem et in ipsa basi transversim dense silaceo-squamosus. Scutellum parvum, rotundatum, sub-elevatum, nigrum. Elytra oblonga, antice singulatim valde rotundato-producta, thoracis basi fere angustiora, quam lata fere duplo longiora, humeris non prominulis, a basi apicem versus sensim angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra convexa, tota nigra, evidenter punctato-striata, sutura interstitiisque 1, 3, 4, 6, 7 et 8 angustioribus, elevatis, costatis, nitidis, impunctatis, interstitiis 2, 5 et 9 latioribus, planis, dense silaceo-squamosis, unde elytra tri-lineata apparent. Corpus subtus nigrum; pectore tuberculis parvis obsito, lateribus dense silaceo-squamoso; ventre obsolete punctato, parce squamoso. Pedes longiusculi, nigri, crebre punctati; antici longiores et validiores; femoribus omnibus modice clavatis, subtus dente acuto armatis; tibiis sub-compressis, anticis nonnihil arcuatis et intus in medio ampliatis; tarsis modice dilatatis, subtus fusco-spongiosis. — Bhn.

* 15. A. Similatus. *Bhn.*

Oblongo-ovatus, piceus, rostro tenuiore arcuato, thorace longiore, basi striolato-rugoso, thorace sat crebre verrucoso-coriaceo, mox intra apicem transversim basi utrinque ad angulos citrino-squamoso, elytris obsoletius punctato-striatis, lineis tribus silaceis decoratis, sutura interstitiisque 1, 3, 4, 6, 8 *et* 9 *elevatis, carinatis, nitidis, obsolete rugulosis.*

Patria: Java. A Dom. Westermann benevole communicatus. Mus. Schh.

Alcidi sulcatulo valde similis, sed dimidio minor; rostro longiore, tenuiore, magis arcuato, elytris obsoletius punctato-striatis, interstitiis rugulosis, etc., ab illo distinctus. Caput parvum, rotundatum, supra parum convexum, inter oculos leviter impressum, parum profunde sat crebre punctatum, nigro-piceum, denudatum; oculi laterales, ovati, haud prominuli, nigri; rostrum thorace nonnihil longius, teres, crassiusculum, arcuatum, basi striolato-rugosum, apicem versus punctulatum, nigro-piceum, glabrum. Antennæ medio rostri insertæ, crassiusculæ, nigro-piceæ, clava parva, ovata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos multo brevior, apice late sed parum profunde emarginatus, mox intra apicem coarctatus et transversim leviter impressus, tum lateribus versus basin rotundato-ampliatus, basi profunde bi-sinuatus, lobo medio acuto, producto; supra modice convexus, undique confertim verrucoso-coriaceus, dorso obsolete canaliculatus, niger, mox intra apicem cingulo supra in dorso sub-interrupto et angulis baseos silaceo vel dilute citrino-squamosus. Scutellum minutum, rotundatum, sub-elevatum, nigro-piceum. Elytra oblongo-ovata, antice singulatim valde rotundato-producta, thoracis basi vix latiora, quam lata dimidio longiora, pone humeros vix prominulis apicem versus sensim perparum angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra-convexa, dilutius picea, obsolete punctato-striata, sutura interstitiisque 1, 3, 4, 6, 8 et 9 angustioribus, elevatis, costatis, nitidis, obsolete rugulosis, interstitiis 2, 5 et 7 latioribus, planis, dense silaceo-squamosis. Corpus subtus piceum, punctulatum, pectore densius, ventre parcius silaceo-squamosis. Pedes longiusculi, picei, punctati, pube pallida parce obsiti; antici longiores et validiores; femoribus omnibus modice clavatis, subtus dente acuto armatis; tibiis sub-compressis, anticis nonnihil arcuatis et intus in medio ampliatis; tarsis parum dilatatis, subtus griseo-spongiosis. — BHN.

* 16. A. PAYKULLI. *Schh.*

Ovatus, nigro-piceus, subtus niveo-squamosus, rostro breviori, crassiori, carinato, thorace rugoso-punctato, cinereo-squamoso, elytris ferrugineis, sat profunde punctato-striatis, niveo lineatis.

Habitat in Sierra Leona. Dom. AFZELIUS. Mus. SCHH.

Facies et summa similitudo *Alcidis sulcatuli*, sed ab illo facile distinctus rostro multo breviori, crassiori, carinato, thorace striolato-rugoso, non tuberculato, etc. Caput parvum, rotundatum, ferrugineum, sat confertim punctatum, squamulis pallidis parce adspersum; oculi oblongi, transversi, depressi, nigri; rostrum thorace fere brevius, crassiusculum, parum arcuatum, nigro-piceum,

supra fere elevatum, carinatum, profunde striolato-rugosum. Antennæ in medio rostri insertæ, validiusculæ, nigro-piceæ, pallide pilosæ, clava ovata, obtuse acuminata, pubescente. Thorax latitudine baseos brevior, apice late sed parum profunde emarginatus, anterius valde angustatus, sub-coarctatus, lateribus rotundato-ampliatus, basi profunde bi-sinuatus, supra convexus, nigro-piceus, striolato-rugosus, squamulis dilute cinereo-albidis tectus. Scutellum minutum. Elytra basi singulatim valde rotundato-producta, antice thoracis basi vix latiora, sed illo triplo longiora, humeris vix prominulis, lateribus inflexa, pone basin sensim perparum angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra valde convexa, basi transversim leviter impressa, profunde striata et in striis minus rude punctata, interstitiis convexis, subtiliter punctulatis; tota ferruginea; in quovis elytro inter strias 2 et 3 a sutura linea a basi ad apicem extensa; inter strias 5 et 6, alia ante apicem desinens; et demum tertia inter strias 7 et 8, apicem non vero basin attingens, niveo-squamosæ. Corpus subtus obscure ferrugineum, niveo-squamosum. Pedes robusti, profunde punctati, rufo-picei, squamulis pallidis parce adspersi; antice longiores; femoribus parum clavatis, omnibus subtus dente acuto armatis; tibiis inflexis, intus in medio dente parvo notatis; in posticis obsoletiores; tarsis subtus fulvo-spongiosis. — Bhn.

Dom. C. G. Paykull, liber Baro, Mareschallus Aulæ; Auctor trium partium *Faunæ Succiæ*, in quibus Coleoptera diligenter sunt descripta, atque præcellentis Monographiæ de genere *Histero*.

Schh.

* 17. A. Trilobus.

Oblongus, niger, rostro longiori, thorace verrucoso-coriaceo, dorso canaliculato, elytris rubris, profunde punctato-striatis, interstitiis obsolete remote punctulatis, pedibus anticis longis. — Bhn.

Lixus id. Fabr. *Syst. El.* II. p. 505. n° 38.

Observ. — *Alcide sene* parum latior, sed duplo fere longior, statura ut et thorace canaliculato, ab illo mox distinctus.

Patria : Guinea.

* 18. A. Brevirostris. *Dejean.*

Ovato-oblongus, nigro-piceus, thorace et subtus squamulis dilute ochraceis dense adspersus, rostro brevi, crasso, thorace granulato, elytris rufo-ferrugineis, profunde punctato-striatis, interstitiis punctulatis.

Alcides obsoletus. Dom. Klug *in Litteris.*

Habitat ad Cap. Bonæ Spei. Dom. KREBS. A Dom. Com. MANNERH. et Dom. SCHUPP. communicatus. Mus. SCHH.

Alcide trilobo nonnihil latior et brevior; ab illo rostro multo breviori, crassiori, thorace subtilius granulato, etc., abunde distinctus. Caput sub-globosum, confertim minus rude punctulatum, nigro-piceum, parum nitidum, fronte ad basin rostri foveola parva insculpta; oculi oblongi, laterales, transversi, nigri, parum prominuli; rostrum capite dimidio fere longius, validum, crassum, fere rectum, crebre rugoso-punctatum, sæpius obsolete carinatum, nigrum, sub-nitidum. Antennæ rufo-ferrugineæ, clava fusco-pubescente. Thorax latitudine baseos brevior, antice subito angustior et intra apicem obsolete constrictus, apice sinuato-emarginatus, lateribus parum rotundato-ampliatus, basi profunde bi-sinuatus, supra modice convexus, undique granulis sat crebris obsitus, squamulis dilute ochraceis ante scutellum et versus latera magis condensatis, adspersus. Scutellum breve, transversum, apice rotundatum, ferrugineum. Elytra basi singulatim valde rotundato-producta, antice thoracis basi paulo latiora, illique arcte applicata, humeris modice prominulis, a basi apicem versus sensim angustata, apice conjunctim obtuse rotundata, thorace plus duplo longiora, supra convexa, profunde punctato-striata, interstitiis angustis, sub-convexis, vage crebre ruguloso-punctulatis; tota rufo-ferruginea, parum nitida, squamulis raris pallidis, pone medium hinc ille magis condensatis, adspersa. Corpus subtus nigro-piceum, squamulis dilute ochraceis dense vestitum. Pedes robusti, ferruginei, punctati, squamulis dilute ochraceis adspersi; antici longiores; femoribus parum clavatis, omnibus dente sat valido armatis; tarsis latis, subtus brunnei-spongiosis. — BHN.

* 19. A. SENEX.

Ovato-oblongus, elytris rubris, profunde punctato-striatis, thorace verrucoso-coriaceo, pedibus anticis valde elongatis.

SAHLB. *Spec. Ins.* I. p. 47. n° 31.

Observ. — *Alcidi trilobo* affinis, sed dimidio minor.

Patria : Sierra Leona.

* 20. A. INTERRUPTUS. *Dupont.*

Ovato-oblongus, niger, subtus squamulis albidis obductus, thorace verrucoso-coriaceo, lateribus albido-squamoso, elytris rufo-ferrugineis, sulcatis, sulcis profunde punctatis, singulo puncto humerali lineaque abbreviata albidis, notato.

* Var. β. Elytro singulo linea abbreviata punctisque duobus vel tribus albidis notato.

Alcides senex. Com. Dej. *in Litteris.*

Habitat in Senegalia. A Dom. Com. Dejean et Dom. Dupont communicatus. Mus. Schh.

Alcidi seni longitudine æqualis, sed nonnihil latior, elytris sulcatis, aliter coloratus, etc. Caput minutum, sub-globosum, punctulatum, nigrum; fronte deflexa, profundius punctato-rugosa; oculi oblongo-ovati, haud prominuli, nigri; rostrum thorace paulo longius, deflexum, teres, subrectum, rufo-ferrugineum, a basi ultra medium striolato-rugosum, tum punctatum. Antennæ in medio rostri insertæ, longitudine capitis cum thorace, crassiusculæ, nigræ, clava ob-ovata, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos multo brevior, antice angustatus, truncatus, tubulatus, lateribus rotundatis, posterius valde ampliatus, basi profunde bisinuatus, lobo scutellari acute retracto, niger, obscurus, squamulis griseis hinc inde adspersus, versus latera condensatis, supra valde convexus, tuberculis crebris elevatis coriaceus, versus latera magis remotis. Scutellum minutum, transversum, nigrum, glabrum. Elytra basi singulatim rotundato-producta, antice thoracis basi vix latiora, sed eodem fere triplo longiora, humeris sub-elevatis, posterius sensim angustata, apice conjunctim obtuse rotundata, rufo-ferruginea, glabriuscula, supra valde convexa, sulcata, sulcis in fundo profunde punctatis, interstitiis convexis, singulo elytro inter strias 5 et 6 a sutura linea antice posticeque abbreviata, et supra humeros puncto parvo, e squamulis albidis, notato. Corpus subtus nigrum, dense albido-squamosum; pectus inter pedes posteriores tuberculo valido, utrinque elevato. Pedes robusti, rufo-ferruginei, profunde punctati, antici longissimi; femoribus omnibus modice clavatis, subtus dente acuto armatis, squamulis albidis adspersis; tibiis rectis, anterioribus intus in medio nonnihil ampliatis; tarsis dilatatis, subtus fulvo-spongiosis.

Var. β differt tantum punctis duobus vel tribus albidis elytrorum, quorum duobus pone medium disci, transversim positis tertioque versus apicem, non procul a sutura. — Bhn.

21. A. Fabricii.

Niger, elytris striatis, ferrugineis : lineis posticis duabus albidis. Fabr.

Rhynchænus id. Fabr. *Syst El.* II. p. 471. n° 162

Curculio id. FABR. *Ent. Syst. Suppl.* p. 169. n° 157-8.

* VAR. β. Thorace ante scutellum macula sat magna nivea notato, elytris nigris, lineis pone medium tribus abbreviatis punctoque parvo apicali albidis ornatis. — BHN.

Patria : Tranquebaria.

* 22. A. HÆMOPTERUS. *Sturm.*

Ovatus, nigro-piceus, subtus albido-squamosus, rostro modice arcuato, thorace granulato, linea media lateribusque dilute miniato, elytris rufo-ferrugineis, profunde punctato-striatis, interstitiis convexis, punctulatis, singulo maculis quinque albidis notato.

Alcides notatus Dom. KLUG *in Litteris.*

Habitat ad Cap. Bonæ Spei. A Dom. SCHUPP. et STURM communicatus. Mus. GYLLENH. et SCHH.

Alcidi Fabricii statura similis, sed dimidio fere major. Caput parvum, rotundatum, nigro-piceum, sat confertim rude punctatum, squamulis raris pallidis, adspersum; fronte impressa; oculi oblongi, transversi, depressi, nigri; rostrum thorace nonnihil longius, minus crassum, teres, lineare, modice arcuatum, nigro-piceum, basi rude striolato-rugosum, apicem versus remote punctatum, a basi ultra medium obsolete carinatum, lineola inter antennas longitudinali, abbreviata, leviter impressa, notatum. Antennæ versus medium rostri insertæ, crassiusculæ, nigro-piceæ, pallide pilosæ, clava sub-ovata, acuminata, pubescente. Thorax latitudine baseos multo brevior, apice late sed parum profunde emarginatus, anterius multo angustior, coarctatus, dein valde ampliatus, lateribus perparum rotundatus, basi profunde bi-sinuatus, fere tri-lobatus, supra convexus, nigro-piceus, tuberculis oblongis, sat magnis, parum elevatis, poriferis, undique obsitus, squamulis dilute miniatis parce adspersus, versus apicem magis condensatis, præterea linea angusta dorsali et alia utrinque, ejusdem coloris, notatus. Scutellum minutum, apice rotundatum, nigro-piceum. Elytra basi singulatim valde rotundato-producta, antice thoracis basi parum latiora, humeris prominulis, obtuse rotundatis; lateribus inflexa, thorace triplo longiora, pone humeros sensim angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra valde convexa, basi transversim impressa, profunde punctato-striata, interstitiis angustis, convexis, remote vage punctulatis; tota rufo-ferruginea, signaturis variis e squamulis cretaceis, insignita, nempe : in singulo elytro supra humeros macula parva rotunda, inter strias 2 et 3, a sutura

non procul a basi lineola, longe pone medium altera, et intra apicem tertia, præterea in medio disci macula irregularis, fere cum lineola intermedia dorsali connexa. Corpus subtus nigro-piceum, pectore densius, ventre parce albido-squamosis. Pedes robusti, picei, squamulis sordide albidis adspersi; antici longiores; femoribus parum clavatis, omnibus subtus dentatis; tibiis inflexis, anticis et intermediis intus in medio denticulo instructis; tarsis subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

23. A. EXCAVATUS (1).

Ater, thorace scabro, sinuato, elytris gibbis, excavato-punctatis, postice fascia obsoleta, cinerea.

Rhynchænus id. OLIV. *Ent.* V. 83. p. 199. n° 184. T. 8. f. 94.

Patria : Madagascar.

GENUS 279. LÆMOSACCUS. *Nobis* (2).

Rhynchænus FABR. — *Rhina* OLIV. — *Magdalis* GERM. — *Curculio* HERBST.

Character generis.—Antennæ breves, minus tenues, arcuatæ; scapo clavato, curvato; funiculo 7-articulato : articulis duobus basalibus longiusculis, obconicis, reliquis sub-perfoliatis, coarctatis, ultimo latiore, clavæ adpresso; clava magna, ovalis, 4-articulata; articulis arcte connexis.

Rostrum breviusculum, cylindricum, validum, rectum.

Oculi sub-approximati, rotundati, magni, parum convexi.

Thorax pulvinatus, basi trilobus, lateribus rotundatus, antice angustior, coarctatus, apice supra truncatus, infra pone gulam profunde et late emarginatus.

Elytra oblongo-subquadrata, sub-linearia; basi interiore singulatim valde producta, lobo supra thoracem elevato; supra modice convexa, apice singulatim sub-rotundata.

Pygidium semi-rotundatum, magnum, nudum.

Pedes robusti, breves; tibiæ apice extus unco valido, deflexo, armatæ.

Observ. — Corpus oblongum, sub-cylindricum, postice obtusum, sculpturatum, alatum; minoris magnitudinis. — Speciebus generis *Thamnophili* quodammodo simile est hoc genus, evidenter tamen distinctum.

Patria : America borealis et meridionalis.

---

(1) Forte hujus generis; mihi invisus.

(2) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 50. n° 13.

* 1. L. PLAGIATUS.

Ater, opacus, subtus albido-squamosus, thorace pulvinato, confertissime ruguloso-punctato, anguste carinato, elytris punctato-sulcatis, nigris, plaga magna rufa ornatis, interstitiis costatis, seriatim granulatis, pedibus nigris, anticis crassioribus, femoribus acute dentatis. — GHL.

Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 485. n° 220.
Curculio id. FABR. *Ent. Syst. Suppl.* p. 170. n° 184-5.
Rhina plagiata. OLIV. *Ent.* V. 83. p. 234. n° 231. T. 33. f. 512.
* VAR. β. Elytris rufis, apice late nigris, limbo reliquo brunneo.
Curculio Nephele. HERBST. *Col.* VII. p. 54. n° 612. p. 99. f. 4. d.
Magdalis id. GERM. *Ins. Sp.* I. p. 192. d.
Læmosaccus plagiatus. SAY, *Descript. of Curcul. of N. Amer.* p. 6.

Obs. — Plaga rufa elytrorum jam minor, determinata; jam major, totam fere anteriorem partem occupans, limbo tantum brunneo et apice latius nigro. Rostrum maris paulo brevius, apice supra planum; feminæ cylindricum.

Patria : America borealis, Carolina.

2. L. PUSTULATUS. *Schh.*

Ater, opacus, subtus parce albido-squamulosus, antennis pedibusque posterioribus obscure rufis; thorace pulvinato, confertissime ruguloso-punctato, anguste carinato, antice rufo; elytris punctato-sulcatis, rufo-nigroque variegatis, interstitiis costatis, seriatim granulatis, pedibus anticis nigris, femoribus crassis dentatis.

Patria : Brasilia. Ex Musæo Dom. FALDERMANN, ad describendum, amice communicatus.

Læmosacco plagiato simillimus, paulo minor, colore antennarum, elytrorum pedumque posteriorum præcipue distinctus. Caput breve, obsolete punctatum, nigrum, fronte rugulosa; oculi perpendiculares, ovati, brunnei, modice prominuli, in fronte approximati ; rostrum capite paulo longius, crassum, cylindricum, rectum, confertim punctatum, nigrum, sub-nitidum. Antennæ breviusculæ, tenues, rufæ. Thorax amplus, latitudine parum brevior, antice subito angustior, tubulatus, lateribus valde rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, supra convexus, pulvinatus, confertissime ruguloso-punctatus, in medio anguste, obsolete carinatus, niger, margine antico rufescente. Scutellum majusculum, rotundatum, nigrum. Elytra antice singulatim rotundato-producta,

thorace angustiora, pone basin oblique ampliata, apice fere truncata, thorace vix duplo longiora, supra minus convexa, inæqualia, distincte sulcata, sulcis sub-remote punctatis, interstitiis angustis, costatis, seriatim granulatis, rufo nigroque variegata : basi nempe, apice late, fascia obliqua pone medium lituraque pone humerum rufis, cæterum nigris. Pygidium semi-orbiculatum, rugulosum, nigrum, apice rufum. Corpus subtus punctatum, nigrum, parce albido-squamulosum. Pedes primi paris majores, nigri ; femoribus crassis, subtus dente acuto armatis ; posteriores magis tenues, obscure rufi. — GHL.

GENUS 280. STRONGYLOTES. *Nobis.*

Character generis. — Antennæ mediocres, tenues ; funiculo 7-articulato : articulo basali ob-conico, reliquis brevibus, sub-turbinatis ; clava brevi, sub-obovata.

Rostrum elongatum, tenue, teres, subrectum.

Oculi laterales, sub-rotundati, depressi.

Thorax sub-quadratus, apice subito angustatus.

Elytra elongata, cylindrica, linearia, basi apiceque singulatim rotundata, pygidium non exacte obtegentia.

Descriptio. — *Corpus* elongatum, lineare, teres, parce pilosum, alatum. — *Antennæ* rostro capiteque nonnihil breviores, in medio rostri insertæ, tenues, fractæ, 12-articulatæ : articulo 1° oculos vix attingente, subrecto, apice clavato ; 2° elongato, ob-conico, 3-8 brevibus, sub-turbinatis, pilosis, omnibus sub-æqualibus ; 8° clavæ adpresso ; clava sub-ovata, parum acuminata, 4-articulata, articulis ægre discernendis. — *Rostrum* longitudine thoracis, tenue, teres, sub-deflexum, vix arcuatum. — *Oculi* laterales, sat magni, sub-rotundati, haud prominentes. — *Thorax* oblongo-quadratus, latitudine parum longior, basi leviter bi-sinuatus, lateribus rectis, in medio leviter sinuatis ; apicem versus subito angustatus, sub-tubulatus, apice ipso truncatus, supra parum convexus, subtus integer. — *Scutellum* parvum, rotundatum. — *Elytra* antice thoracis basi vix latiora et illo vix triplo longiora, linearia, cylindrica, basi apiceque singulatim rotundata, anum haud exacte occultantia ; humeris obtuse angulatis. — *Pygidium* semi-rotundatum, marginatum. — *Pedes* validi, antici, paulo longiores, basi parum distantes ; femoribus in medio incrassatis, muticis ; tibiis sub-teretibus, rectis, apice unco acuto intus armatis ; tarsis latis, subtus spongiosis, articulo ultimo bi-unguiculato.

TYPUS. — *Strongylotes lemniscatus.*

A *στρογγυλότης*, figura teres.

Observ.—Quoad habitum hoc genus haud dissimile speciebus generis *Lixi*, sed antennarum structura diversa et pedes antici basi distantes abunde distinguunt.

* 1. S. LEMNISCATUS. *Schh.*

Elongatus, niger, setulis brevissimis, albidis, tenue adspersus, capite rostroque mediocre punctatis, fronte foveolata, thorace sat crebre punctato, longitudinaliter carinato, lateribus et antice dense helvolo-pubescente, elytris antice subtiliter postice profundius striatis, interstitiis crebre rugulosis.

Habitat in Brasilia. Dom. WESTIN. Mus. SCHH.

Lixo bardanæ dimidio fere longior sed vix latior. Caput parvum, sub-globosum, nigrum, nitidum, sat crebre mediocre punctatum, fronte profunde foveolata, squamulis erectis, piliformibus, fulvescentibus, supra oculos obsita; oculi sat magni, rotundati, haud prominuli, magni; rostrum longitudine thoracis, tenue, teres, parum arcuatum, nigrum, nitidum, subtiliter punctulatum. Antennæ tenues, obscure ferrugineæ, parce pallido-pilosæ, clava breviter ovata, sub-obtusa, dense cinereo-pubescente. Thorax sub-quadratus, apice truncatus, mox intra apicem subito angustatus, tubulatus, tum valde ampliatus, lateribus rectis, medio leviter sinuatis, postice sub-bisinuatus, supra parum convexus, dorso crebre mediocre punctatus, linea longitudinali, parum elevata, lævi, notatus; totus niger, sub-nitidus, lateribus et antice pube densa helvola tectus. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum, nitidum, impunctatum. Elytra basi singulatim modice rotundato-producta, antice thoracis basi haud latiora, quam lata plus duplo longiora, linearia, cylindrica, humeris vix prominulis, rotundatis; apice ipso singulatim obtuse rotundata, supra modice convexa, a basi ultra medium subtiliter tum profundius sulcata, sulcis in fundo subtiliter punctatis, interstitiis antice planis, postice convexis, undique confertim sat rude rugulosis; tota nigra, sub-opaca, dorso antico obscure ferruginea, setulis brevissimis, depressis, albidis, parce adspersa. Pygidium semi-rotundatum, marginatum, nigrum, crebre minus evidenter punctulatum. Corpus subtus nigrum, nitidum, minus crebre punctulatum, punctis squamulis parvis, albidis, obsitis. Pedes mediocres, validi, nigri, punctati, pube albida adspersi; femoribus modice incrassatis, muticis; tibiis sub-teretibus, rectis, apice uncinatis; anticis intus apice dense paleaceo-pubescentibus; tarsis modice dilatatis, subtus griseo-spongiosis.

BHN.

GENUS 281. DERELOMUS. *Nobis* (1).

Character generis.—Antennæ mediocres, tenues; funiculo 7-articulato: articulis duobus basalibus elongatis, ob-conicis, sub-æqualibus, reliquis brevibus, aut brevissime sub-obconicis, aut sub-perfoliatis, coarctatis, ultimo clavæ adpresso; clava oblongo-ovata, apice acuminata.

Rostrum elongatum, tenue, lineare, teres, arcuatum.

Oculi laterales, rotundati, modice prominuli.

Thorax basi apiceque truncatus, lateribus modice rotundatus; margines laterales sub-reflexi; anterius angustior, antice profunde constrictus, supra parum convexus.

Elytra oblonga, sub-ovata, basi conjunctim emarginata, humeris obtuse angulatis.

Pedes mediocres, validiusculi, æquales; tibiæ rectæ, apice muticæ.

Observ.—Corpus oblongo-ovatum, parum convexum, fere glabrum, alatum; minimæ magnitudinis.

1. D. CHAMÆROPIS.

Oblongo-ovatus, sub-depressus, testaceus, fere glaber, capite, rostro, thoracis macula, scutello pectoreque nigris; rostro longo, arcuato, striato, thorace confertim punctulato, antice profunde constricto; elytris punctato-striatis. — GHL.

Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 448. n° 51.

Curculio id. FABR. *Ent. Syst. Suppl.* p. 167. n° 54-5.

VAR. β. Capite thoraceque testaceis, immaculatis; rostro, scutello pectoreque solum nigris. — GHL.

Patria: Barbaria.

♂♀ 2. D. EPHIPPIGER. *Schh.*

Oblongo-ovatus, pallide testaceus, glaber, oculis nigris, rostro crassiusculo, striato, thoracis linea media angusta elytrorumque vitta communi antica, abbreviata, brunneis.

Habitat in Cap. Bonæ Spei forte. Mus. SCHH. Mus. Dom. QUENSEL.

Derelomo chamæropis dimidio minor, angustior, rostro crassiore, subrecto, profundius striato et signaturis brunneis distinctus. Caput mediocre, parum convexum, subtilissime punctulatum, pallide testaceum; oculi rotundati, nigri, modice prominuli; rostrum vix longitudine capitis cum thorace, crassiusculum, parum arcuatum,

(1) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 255. n° 134.

sat profunde striatum, brunneum, basi apiceque pallidius. Antennæ totæ testaceæ. Thorax latitudine multo brevior, basi apiceque truncatus, anterius angustior, apice alte reflexo-marginatus, lateribus perparum ampliatus, supra minus convexus, obsolete punctulatus, pallide testaceus, linea media angusta, obsoleta, brunnea, notatus. Scutellum parvum, rotundatum, concolor. Elytra antice conjunctim sub-emarginata, thoracis basi paulo latiora, humeris prominulis, lateribus nonnihil ampliata, apice conjunctim obtuse rotundata, thorace triplo longiora, supra modice convexa, sat profunde punctato-striata, pallide testacea, plaga lata, communi, brunnea, a basi paulo ultra medium extensa, ornata; interstitium quartum a sutura reliquis magis elevatum, sub-costatum. Corpus totum subtus pallide testaceum, subtilissime punctulatum, tenue pubescens. Pedes mediocres, toti pallide testacei.—GHL.

3. D. SIGNATUS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, sub-depressus, rufo-testaceus, fere glaber, oculis antennarumque clava nigris, pedibus elytrisque pallidis, his signaturis nonnullis brunneis notatis; rostro vix striato.

Patria : Caffraria. Ex Musæo Dom. ECKLON et ZEYHER descriptus.

Derelomo ephippigero simillimus, paulo tamen minor et aliter coloratus. Caput mediocre, parum convexum, confertim punctulatum, rufo-testaceum, sub-nitidum; oculi semi-globosi, nigri; rostrum capite dimidio longius, validum, valde arcuatum, supra punctulatum, sed vix striatum, totum rufo-testaceum. Antennæ testaceæ, clava nigra. Thorax latitudine brevior, antice subito angustior, basi apiceque truncatus, intra apicem profunde constrictus, margine apicis elevato, calloso; lateribus pone stricturam rotundato-ampliatus, supra fere planus, sub-disperse punctatus, rufo-testaceus. Scutellum parvum, triangulare, concolor. Elytra antice conjunctim emarginata, thoracis basi paulo latiora, callo humerali elevato; lateribus dein linearia, versus apicem subito angustiora, apice conjunctim rotundata, thorace fere quadruplo longiora, supra parum convexa, sat distincte punctato-striata, sutura interstitiisque alternis paulo elevatioribus, lævibus; tota pallida, lineolis nonnullis brevibus, sparsis, brunneis, notata. Corpus subtus punctulatum, rufo-testaceum, nitidum. Pedes breviusculi, validi, toti pallidi; femoribus clavatis, muticis.—GHL.

GENUS 282. ISORHYNCHUS. *Nobis.*

Character generis.—Antennæ mediocres, subtenues; funiculo 7-articulato: articulis tribus basalibus longiusculis, obconicis, reliquis brevibus, nodosis; clava oblongo-ovata.

Rostrum elongatum, cylindricum, modice arcuatum.

Oculi sub-rotundati, sub-connexi, modice convexi.

Thorax sub-conicus, antice leviter emarginatus, postice fere truncatus, supra modice convexus.

Elytra ovalia, basi sub-reflexa, apice singulatim obtuse rotundata, supra parum convexa.

Descriptio. — *Corpus* oblongum, supra minus convexum, rigide pilosum; minusculæ magnitudinis, alatum. — *Antennæ* thoracis medium vix superantes, in medio rostri insertæ, subtenues, fractæ, 12-articulatæ : articulo 1° oculos non attingente, clavato; 2° et 3° longiusculis, ob-conicis; 4° paulo breviore, etiam ob-conico; 5-8 sub-nodosis, versus apicem sensim gradatim perparum latioribus; clava oblongo-ovata, acuminata, 4-articulata.—*Rostrum* capitis thoracisque longitudine, subtenue, cylindricum, deflexum, modice arcuatum; scrobe infra-oculari, lineari, obliqua. — *Oculi* sub-approximati, sub-rotundati, modice convexi, majusculi. — *Thorax* latitudine fere longior, anterius angustior, basi sub-truncatus; lateribus sub-rectis vel perparum rotundatis; antice late sed non profunde emarginatus, sub-reflexus, supra modice convexus, subtus pone gulam non emarginatus.—*Scutellum* minutum, apice rotundatum.—*Elytra* thoracis basi paulo latiora illoque dimidio longiora, basi sub-truncata, margine reflexo, supra parum convexa, humeris obtuse angulatis; lateribus subrectis, versus apicem paulo angustatis; apice ipso singulatim obtuse rotundata, anum non obtegentia. (*Abdomen* in specimine nostro destructum.) — *Pedes* breviusculi, longitudine æquales, validi, antici basi parum distantes; femoribus in medio valde incrassatis, subtus ante apicem dente acuto, minuto, armatis; tibiis teretibus, rectis, anticis apice muticis, reliquis apice intus unco minuto instructis; tarsis articulis duobus basalibus sub-triangularibus, 3° bilobo, omnibus subtus spongiosis, ultimo brevi, bi-unguiculato.

TYPUS. — *Isorhynchus pudicus.*

Ab ἴσος æqualis, ῥύγχος rostrum.

Observ.—Habitu et statura *Erirhino* generi appropinquat: articulis vero funiculorum tribus basalibus longiusculis, elytris supra parum convexis, basi sub-reflexis, apice singulatim obtuse rotundatis, satis distinctum.

1. I. PUDICUS.

Oblongus, ferrugineus, albido-squamosus, pilisque erectis hirtus, rostro pedibusque saturatius rufis, elytris profunde punctato-striatis.

Curculio id. SPARRM. *in Act. Holm.* 1785. I. p. 44. n° 9. T. 2. f. 9.

Curculio id. LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1760. n° 219.

Habitat ad Cap. Bonæ Spei. Dom. SPARRM. Mus. Reg. Acad. Scient. Holm. E Mus. PAYK.

Parvus; *Erirhino majali* vix major. Caput sub-globosum, punctatum, posterius carinatum, obscure ferrugineum, squamulis cinereo-albidis adspersum; oculi majusculi, rotundati, brunnei, modice convexi, in fronte approximati; rostrum longitudine capitis cum thorace, tenue, filiforme, arcuatum, saturate rufum, subnitidum. Antennæ rufo-ferrugineæ, clava paulo obscuriore. Thorax latitudine vix brevior, anterius paulo angustior, apice late sed parum profunde emarginatus, margine reflexo; lateribus vix ampliatus, basi sub-truncatus, supra inæqualis, in medio canaliculatus, confertim granulatus et punctatus, obscure ferrugineus, squamulis densis cinereo-albidis pilisque parvis erectis tectus. Scutellum rotundatum, dense albido-squamulosum. Elytra antice thoracis basi parum latiora, margine alte elevato, reflexo, humeris obtuse angulatis, lateribus non ampliata, apice singulatim obtuse rotundata, thorace plus duplo longiora, supra minus convexa, profunde striata et in striis sub-remote punctata, interstitiis elevatis, convexis; dilutius ferruginea, squamulis albidis, in limbo magis condensatis, tecta, pilisque longioribus erectis, obscuris, adspersa. Thorax subtus et pectus picea, confertim punctata, squamulis densis albidis tecta. Pedes validi, rufo-ferruginei, albido-squamulosi et pubescentes; femoribus crassis, subtus dente parvo armatis.—GHL.

GENUS 283. PHÆNOMERUS. *Nobis.*

Character generis. — Antennæ breviusculæ, minus tenues; funiculo 7-articulato: articulo 1° et 2° longiusculis, sub-obconicis, illo longiore, reliquis brevibus, lenticularibus, coarctatis; clava oblongo-ovata.

Rostrum elongatum, teres, subtenue, basi nonnihil incrassatum, arcuatum.

Oculi rotundati, parum distantes, magni.

Thorax longus, sub-cylindricus, basi apiceque truncatus.

Elytra elongata, sub-linearia, versus apicem attenuata, anum haud tegentia.

Pedes longiusculi; femora basi gracilia, versus apicem valde clavata, subtus dentata, postica ultra elytrorum apicem extensa.

Descriptio. — *Corpus* elongatum, sub-cylindricum, parce pilosum, alatum; minusculæ magnitudinis. — *Antennæ* thoracis medium haud attingentes, ante medium rostri insertæ, minus tenues, fractæ, 12-articulatæ : articulo 1° oculos sub-attingente, clavato; 2° et 3° longiusculis, sub-obconicis; 4-8 brevibus, lenticularibus, coarctatis; clava oblongo-ovata, acuminata, 4-articulata, articulis arctissime connexis. — *Rostrum* capite plus duplo longius, subtenue, teres, arcuatum, a basi fere ad medium nonnihil incrassatum. — *Oculi* in fronte valde approximati, rotundati, modice convexi, magni. — *Thorax* latitudine postica duplo longior, sub-cylindricus, antice posticeque truncatus, lateribus subrectis, versus apicem nonnihil angustior. — *Scutellum* minutum, transversum. — *Elytra* antice thoracis basi haud latiora et illo fere duplo longiora, sub-linearia, supra convexa, versus apicem attenuata, apice ipso conjunctim rotundata, anum haud tegentia. — *Pedes* longiusculi, validi, intermedii breviores, antici basi nonnihil distantes; femoribus basi gracilibus, versus apicem manifeste clavatis, sub-compressis, subtus dente valido armatis, posticis longis, ultra elytrorum apicem protensis; tibiis breviusculis, curvatis, compressis, apice unco minuto perpendiculari instructis; tarsorum articulis omnibus angustatis, subtus ciliatis, ultimo gracili, bi-unguiculato.

TYPUS. — *Phænomerus Sundewalli.*

A φαίνω ostendo, μηρός femur.

Observ. — Generi *Erodisco* habitu subsimile est hoc genus, sed quoad situm pedum anteriorum aliarumque partium structuram abunde distinctum.

* 1. P. SUNDEWALLI. *Schh.*

Elongatus, niger, setulis pallidis hinc inde condensatis obsitus, rostro antennis pedibusque ferrugineis, thorace elongato, crebre rugoso-punctato, linea dorsali, lævi, elevata, notato; elytris subtiliter confertim punctato-striatis, interstitiis angustis, sub-convexis.

Patria : Calcutta. A Dom. SUNDEWALL benevole communicatus. Mus. SCHH.

Statura angusta et magnitudo *Lypri cylindri.* Caput mediocre, sub-globosum, nigrum, obsolete punctulatum; oculi magni, in fronte valde approximati, rotundati, modice convexi, nigri; rostrum capite fere duplo longius, teres, arcuatum, subtenue, a basi fere ad medium nonnihil incrassatum, ibique supra obsolete

carinatum; totum dilute ferrugineum, sub-nitidum, glabrum, basi punctulatum, dein læve. Antennæ minus tenues, ferrugineæ, parce pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax elongatus, latitudine postica duplo longior, sub-cylindricus, basi apiceque truncatus, a medio apicem versus sensim perparum angustatus, undique crebre rugoso-punctatus, punctis in lineis anastomosantibus hinc inde confluentibus, dorso linea continuata, elevata, lævi, notatus; totus niger, setulis depressis pallidis, hinc inde condensatis, adspersus. Scutellum parvum, breve, transversum, nigrum. Elytra basi truncata, antice thorace haud latiora et illo vix dimidio longiora, humeris parum prominulis, obtuse angulatis; pone medium apicem versus attenuata, apice ipso conjunctim rotundata, supra modice convexa, subtiliter striata, striis in fundo obsolete punctulatis, interstitiis angustis, convexis, nigra, sub-opaca, setulis depressis, albidis, adspersa, basi, medio et non procul ab apice magis condensatis. Corpus subtus nigro-piceum, sub-nitidum, subtiliter crebre punctulatum, pube depressa, albida, sat dense obsitum. Pedes longiusculi, validi, obscure ferruginei, subtiliter crebre punctulati, intermedii breviores; femora basi gracilia, versus apicem valde clavata, sub-compressa, subtus dente valido, acuto, armata, postica ultra elytrorum apicem protensa; tibiæ curvatæ, apice unco parvo instructæ; tarsis elongatis, subtus fusco-ciliatis. — BHN.

Dom. C. J. SUNDEWALL, Medec. Doct. Auctor excellentis operis de Arachnidis. Iter ad Bengaliam 1828 fecit. Illius nomen huic Insecto tribuere volui, ut documentum observantiæ quam hunc in virum foveo. — SCHH.

GENUS 284. CELETES. *Nobis.*

Character generis. — Antennæ longiusculæ, tenues; funiculo 7-articulato: articulis primis reliquis paulo longioribus, omnibus, sub-obconicis; clava sub-turbinata.

Rostrum elongatum, validiusculum, lineare, apicem versus sub-deplanatum, fere rectum.

Thorax sub-rotundatus, convexus, anterius angustior.

Elytra elongata, sub-linearia; humeri obtuse angulati.

Pedes antici longiores; femora in medio crassa, subtus dentata; tibiæ sub-compressæ, arcuatæ.

Descriptio. — *Corpus* oblongum, convexum, molliusculum, pubescens, alatum. — *Antennæ* rostro capiteque fere longiores, pone medium rostri insertæ, tenues, fractæ, 12-articulatæ; scapo oculos

sub-attingente, subrecto, apice clavato; articulis basalibus funiculi longioribus, gradatim parum brevioribus, omnibus sub-obconicis; clava sub-turbinata, acuminata, 4-articulata : articulo 1° elongato, cyathiformi, reliquis brevioribus, arcte connexis.—*Rostrum* longitudine capitis cum thorace, validiusculum, fere rectum, deflexum, sub-lineare, versus apicem sub-deplanatum; scrobe versus apicem rostri incipiente, lineari, profunda, subrecta, juxta oculum excurrente. Mandibulæ validiusculæ, sub-prominulæ, arcuatæ, dextra bi-sinistra tri-dentata.—*Oculi* laterales, majusculi, ovati, depressi.—*Thorax* latitudine vix longior, basi leviter bi-sinuatus, ibique utrinque bi-marginatus, lateribus ampliato-rotundatus, anterius multo angustior, apice sub-truncatus, supra convexus, sub-pulvinatus, infra integer. — *Scutellum* minutum, triangulare. — *Elytra* thoracis basi fere dimidio latiora et illo vix triplo longiora, sub-linearia, basi truncata; humeris sub-elevatis, fere rectangulatis; supra modice convexa, versus apicem non callosa, apice ipso conjunctim rotundata, pygidium obtegentia. — *Acetabulum* elevatum, planum, argute marginatum. — *Pedes* validi, antici basi parum distantes, nonnihil longiores; femoribus sub-compressis, pone medium valde incrassatis, subtus dente armatis; tibiis compressis, parum arcuatis, apice sub-muticis; tarsis elongatis, articulis duobus basalibus oblongo-trigonis, penultimo lato, profunde bilobo, ultimo longo, clavato, bi-unguiculato, unguibus validis.

TYPUS. — *Celetes binotatus.*

A κηλήτης delinitor.

Observ. — Generi *Erirhino* quoad habitum valde simile est hoc genus, sed antennarum structura diversa et rostrum apice deplanatum differentias notabiles præbent. — Secundum ordinem et affinitatem naturalem, hoc genus et proxime antecedentia: *Isorhynchus* nempe et *Phænomerus*, minus apte in divisione *Apostasimeridum* locata videntur; sed hoc ideo factum est, quoniam pedes antici, nonnihil saltem, distantes sunt. — Characteres fixi, limites divisionum definientes, ægre erui queant.

* 1. C. BINOTATUS.

Ferrugineus, pallido-pubescens, rostro tri-carinato, elytris pallidioribus, margine laterali anterius maculaque media difformi, margini connexa, nigris.

Rhynchænus id. Dom. KLUG *in Litteris.*

Habitat in Brasilia. Dom. KLUG. Mus. SCHH.

Erirhino æthiope fere longior, sed angustior. Caput rotundatum, convexum, obsolete punctulatum, ferrugineum, pallido-pubescens; oculi magni, laterales, reniformes, nigri, sub-depressi; rostrum longitudine capitis cum thorace, validum, fere rectum, supra tri-carinatum, punctulatum, ferrugineum, pubescens. Antennæ longiusculæ, obscure ferrugineæ, pubescentes. Thorax sub-conicus, antice dimidio angustior, apice leviter emarginatus, lateribus posterius nonnihil ampliatus, basi bi-sinuatus, supra convexus, pulvinatus, obsolete punctatus, saturate ferrugineus, pube pallida vestitus. Scutellum minutum, triangulare, nigrum. Elytra antice sub-truncata, thoracis basi paulo latiora, humeris elevatis, fere rectangulis; lateribus non ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace plus triplo longiora, supra parum convexa, obsoletius striata, striis confertim subtiliter punctulatis, interstitiis planis, subtilissime alutaceis; pallide testacea, pube densa pallida vestita; sutura antice anguste et margo lateralis a basi ultra medium latius nigra; in medio singuli elytri præterea macula major, difformis, margini connexa, ejusdem coloris. Corpus subtus obsolete punctulatum, pubescens, thorace pectoreque fusco-piceis, ventre pallidius testaceo. Pedes longiusculi, validi, pallide testacei, pubescentes; femoribus crassis, clavatis, subtus dente obtuso armatis; tibiis compressis, arcuatis; tarsis dilatatis, albido-spongiosis. — GHL.

SUBDIVISIO 2. — (*Baridides.*) Pectus inter pedes anticos aut sub-integrum, aut plus minusve distincte canaliculatum.

GENUS 285. MADARUS. *Nobis* (1).

Calandra FABR.

Character generis. — Antennæ longiusculæ, validiusculæ; funiculo 7-articulato : articulis duobus basalibus longiusculis, obconicis, reliquis brevissime sub-obconicis, sub-coarctatis, gradatim paulo latioribus; clava elongata, sub-fusiformi.

Rostrum longum, validiusculum, teres, valde arcuatum, versus apicem sensim paulo angustatum.

Oculi laterales, oblongi, depressi.

Thorax sub-conicus, postice bi-sinuatus, ante scutellum productus, supra parum convexus, infra integer, sub-convexus.

Scutellum trigonum, basi emarginatum.

Elytra oblonga, sub-ovata, supra planiuscula, abdomine breviora.

(1) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 273. n° 161.

Pedes longiusculi, omnes basi valde distantes; tibiæ apice intus unco minuto armatæ; tarsi elongati, articulo ultimo longo, valido.

Observ. — Corpus oblongo-subovatum, sub-planum, glabrum, alatum; mediocris magnitudinis.

1. M. Biplagiatus. *Schh.*

Oblongo-ovatus, supra planus, niger, nitidus, glaber, rostro basi compresso, thorace antice subito angustato, subtilissime punctulato, elytris tenue striato-punctatis, interstitiis subtiliter remote punctulatis, singulo plaga magna, basali, rufa, decorato.

Patria: America meridionalis. Mus. Imper. Russ.

Habitus fere *Madari corvini,* sed duplo major. Caput parvum, sub-globosum, nigrum, nitidum, subtiliter punctulatum, inter oculos transversim impressum; oculi oblongi, transversi, depressi, nigri; rostrum longitudine thoracis, minus tenue, valde arcuatum, basi compressum, apicem versus deplanatum; totum, nigrum, sub-nitidum, subtiliter punctatum. Antennæ mox ante medium rostri sitæ, crassiusculæ, nigro-piceæ, parce pilosæ, clava oblonga, acuminata, fusco-pubescente. Thorax latitudine baseos vix longior, apice truncatus, anterius subito angustatus, tubulatus, lateribus mox pone apicem rotundato-ampliatus, basi profunde bisinuatus, lobo scutellari apice rotundato, producto, munitus, supra parum convexus, niger, nitidus, undique subtiliter minus crebre punctulatus. Scutellum parvum, triangulare, basi emarginatum, nigrum, nitidum. Elytra basi singulatim perparum rotundato-producta, sub-reflexa, antice thorace nonnihil latiora et illo dimidio longiora, humeris vix prominulis, a basi apicem versus sensim perparum angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra fere plana, basi leviter transversim impressa, ante apicem gibbere obsoleto notata, subtiliter striato-punctata, striis versus latera et apicem profundioribus, interstitiis planis, subtiliter minus crebre vage punctulatis; nigra, nitida, glabra, singulo ad basin plaga magna, sub-rotunda, rufo-ferruginea, ornato. Pygidium rotundatum, apice denticulatum, nigrum, confertim punctulatum, pube grisea adspersum. Corpus subtus nigrum, nitidum, pectore evidenter crebre, ventre subtilius minus confertim punctulatis. Pedes mediocres, nigri, nitidi, punctulati, antici validiores: femoribus omnibus modice clavatis, muticis; tibiis rectis, apice muticis; tarsis parum dilatatis, subtus fulvo-spongiosis. — Boh.

* 2. M. Corvinus.

Oblongo-ovatus, supra planus, niger, nitidus, glaber, rostro subtiliter punctulato, thorace vix punctato, elytris versus latera subtiliter striatis.

Calandra corvina. Fabr. *Syst. El.* II. p. 435. nº 28.

Habitat in Brasilia. Dom. Freyreiss. Mus. Gyllenh. et Schh.

Habitus et magnitudo *Rhynchophori mutilati.* Caput minutum, rotundatum, nigrum, nitidum, obsolete remote punctulatum, fronte inter oculos transversim impressa; oculi oblongi, transversi, depressi, nigri; rostrum thorace nonnihil longius, subtenue, teres, valde arcuatum, a basi ultra medium modice incrassatum, apicem versus perparum ampliatum, nigrum, sub-nitidum, obsolete remote punctulatum. Antennæ fere in medio rostri insertæ, capite rostroque fere longiores, validiusculæ, nigræ, fusco-pilosæ, clava elongata, acuminata, fusco-holosericea. Thorax latitudine baseos vix longior, apice truncatus, anterius angustior, pone apicem leviter constrictus, lateribus parum rotundato-ampliatus, basi profunde bi-sinuatus, lobo medio magno, lato, producto, rotundato; supra fere planus, niger, nitidus, dorso sub-lævis vel obsoletissime versus latera magis conspicue etsi subtiliter punctulatus. Scutellum parvum, breve, transversum, sub-triangulare, nigrum. Elytra basi singulatim perparum rotundato-producta, antice thoracis basi arcte applicata et illo paulo latiora, quam lata vix dimidio longiora, humeris sub-prominulis, obtuse angulatis; pone humeros apicem versus sensim perparum angustata, apice conjunctim obtuse rotundata, supra deplanata, ante apicem callo obsoleto notata, nigra, nitida, glabra, in dorso obsoletissime versus latera distincte etsi subtiliter striata. Pygidium apice obtuse rotundatum, nigrum, subtiliter sat crebre punctatum. Corpus subtus nigrum, nitidum, pectore fortius, ventre subtilius remote punctulatis. Pedes mediocres, validi, nigri, punctulati; femoribus parum clavatis, muticis; tibiis sub-teretibus, rectis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis.

Bhn.

* 3. M. Signatus. *Schh.*

Oblongo-ovatus, supra planus, obscure æneus, nitidus, thorace subtilissime punctato, elytris pone scutellum transversim impressis, striatis, interstitiis lateralibus rugulosis, singulo elytro punctis duobus basalibus maculaque disci pone medium, pallido-pubescentibus.

Patria : Brasilia. A Dom. DE WINTHEM communicatus. Mus. SCHH.

Magnitudo fere *Madari corvini*, sed angustior. Caput parvum, globosum, obscure æneum, subtiliter punctulatum, fronte inter oculos transversim impressa; oculi oblongi, transversi, depressi, nigri; rostrum longitudine thoracis cum capite, subtenue, teres, valde arcuatum, apicem versus perparum angustatum, a basi ultra medium obscure æneum, sat profunde punctatum, dein nigrum, subtiliter punctulatum. Antennæ mox ante medium rostri insertæ, crassiusculæ, nigro-piceæ, clava oblonga, acuminata, atro-holosericea. Thorax latitudine baseos vix longior, apice truncatus, anterius valde angustatus, tubulatus, lateribus rotundato-ampliatus, basi profunde bi-sinuatus, lobo medio apice sub-rotundato, producto; supra parum convexus, obscure æneus, nitidus, undique subtilissime minus crebre punctulatus. Scutellum parvum, sub-triangulare, obscure æneum. Elytra sub-obconica, basi singulatim perparum rotundato-producta, reflexo-marginata, antice thoracis basi vix latiora, et illo dimidio longiora, humeris non prominulis, a basi apicem versus sensim angustata, apice conjunctim obtuse rotundata, supra deplanata, basi non procul a scutello transversim impressa, ante apicem callo obsoleto notata, obscure ænea, nitida, striata, striis versus apicem profundioribus, interstitiis planis, apicem versus convexis, sub-carinatis, lateralibus magis conspicue rugulosis; singulo elytro punctis duobus basalibus maculaque parva disci, retrorsum flexa, pallido-pubescentibus. Pygidium apice obtuse rotundatum, medio sub-carinatum, nigrum, crebre punctulatum. Corpus subtus obscure æneum, nitidum, pectore profunde crebre, ventre subtiliter remote punctulatis. Pedes mediocres, antici validiores, longiores, obscure ænei, punctati; femoribus modice incrassatis, anticis subtus versus apicem obsolete dentatis; tarsis subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

* 4. M. VORTICOSUS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, supra planus, obscure æneus, nitidus, squamulis piliformibus silaceis adspersus, rostro basi thoraceque profunde punctatis, elytris striatis, striis in fundo punctulatis, interstitiis evidenter rugulosis, singulo elytro basi macula magna, dense silaceo-squamosa.

Patria : Mexico. A Dom. SCHUPPEL et Dom. CHEVROLAT communicatus. Mus. SCHH.

Statura et summa similitudo *Madari signati*, nonnihil tamen robustior; thorace profunde punctato, striis elytrorum punctatis, ut et signaturis aliter locatis, ab illo mox distinctus. Caput parvum, globosum, nigro-æneum, sat profunde minus crebre punctatum, inter oculos non impressum; oculi oblongi, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum longitudine thoracis cum capite, valde arcuatum, a basi ad medium compressum, gibbosum, profunde sat crebre punctatum, dein tenuius, teres, subtiliter punctulatum; totum nigro-æneum, sub-nitidum. Antennæ in medio rostri sitæ, crassiusculæ, nigræ, clava oblonga, acuminata, atro-holosericea. Thorax latitudine baseos vix longior, apice truncatus, anterius subito angustatus, tubulatus, mox pone apicem valde rotundato-ampliatus, basi profunde bi-sinuatus, lobo medio sub-rotundato producto; supra parum convexus, obscure æneus, nitidus, undique sat profunde versus latera magis crebre et evidenter punctatus, punctis lateralibus sæpe confluentibus, squamulis piliformibus, depressis, silaceis obsitus, dorso denudatus. Scutellum parvum, sub-triangulare, obscure, æneum. Elytra sub-triangularia, basi singulatim perparum rotundato-producta, antice thoracis basi vix latiora, latitudine dimidio longiora, humeris vix prominulis, rotundatis; a basi apicem versus sensim angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra fere plana, basi leviter impressa, ante apicem callo obsoleto notata, striata, striis in fundo punctulatis, interstitiis planis, evidenter rugulosis; tota obscure ænea, nitida, squamulis piliformibus silaceis dense obsita, singulo elytro in medio baseos macula sat magna, interdum oblonga, e squamulis magis condensatis silaceis. Corpus subtus obscure æneum, nitidum, pectore lateribusque abdominis sat crebre profunde punctatis, squamulis silaceis adspersis; abdomen medio remote punctulatum, denudatum. Pedes mediocres, obscure ænei, profunde punctati, punctis setulis albidis repletis; femoribus muticis; tibiis teretibus, rectis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

* 5. M. UNDULATUS.

Sub-ovatus, ater, nitidus, glaber, capite thoraceque rufo-ferrugineis, thorace lato, plano, antice subito angustato, tubulato, dorso remote subtiliter lateribus confertim punctulato, elytris transversim impressis, punctato-striatis, interstitiis externis crenulatis, pedibus anticis basi valde distantibus, femoribus dentatis.

SAY, *Descript. of. Curcul. of N. Amer.* p. 17.
Rhynchænus id. SAY, *Journ. Acad. Philad.* III. p. 315. n° 6.

Var. β. Totus ater, nitidus, glaber.

Habitat in America boreali. Dom. Say. Mus. Schh.

Hujus generis videtur. Magnitudo *Baridii nitentis*, sed planior. Caput parvum, rotundatum, rufo-ferrugineum, obsolete remote frons subtiliter magis crebre punctulata; oculi ovati, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum longitudine dimidii fere corporis, sub-tenue, incurvum, a medio ad basin crassius, apice haud dilatatum, sed paululo deplanatum, nigrum, sat crebre punctulatum. Antennæ nigræ, parce pilosæ; scapo basi testaceo, clava ovali, acuminata. Thorax latitudine media multo brevior, apice truncatus, antice subito angustatus, tubulatus, mox pone apicem valde rotundato-ampliatus, lateribus pone medium fere rectis, postice profunde bi-sinuatus, supra planiusculus, dorso subtiliter remote et disperse punctatus, lateribus et subtus confertim punctato-strigosus; totus rufo-ferrugineus, pone gulam emarginatus et sulcis duobus ad pedum anticorum basin protensis, exaratus. Scutellum parvum, transversum, nigrum. Elytra basi singulatim perparum rotundato-producta, thoracis basi vix latiora illoque nonnihil longiora, humeris prominulis, sub-elevatis, rotundatis; apicem versus angustiora, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra fere plana, sat profunde striata, striis in fundo punctatis, interstitiis planis, dorsalibus lævigatis, lateralibus transversim plicatis, rugosis; tota atra, nitida, glabra. Præterea in singulo elytro impressiones quatuor: prima in margine basali juxta humerum; secunda obliqua, profundior infra humerum; tertia transversa, media, cum secunda connexa; quarta punctiformis ante apicem. Pygidium paulo prominens, punctulatum. Corpus subtus nigrum, crebre et sat profunde punctatum. Pedes mediocres, validi, nigri, punctati, antici longiores, basi valde distantes; femoribus omnibus subtus dente parvo, obtuso, armatis; tibiis subrectis, apice truncatis, intus unco inflexo instructis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. — Bhn.

Genus 286. PYROPUS. *Nobis.*

Character generis. — Antennæ mediocres, sub-tenues; funiculo 7-articulato: articulo 1° valde elongato, sub-obconico, reliquis brevissime obconicis, coarctatis, exterioribus successive paulo latioribus, ultimo clavæ adpresso; clava sub-ovata.

Rostrum longum, subtenue, teres, armatum.

Oculi laterales, oblongi, depressi.

Thorax transversus, antice angustatus, postice bi-sinuatus, in

medio lobatus, lateribus anguste marginatus, infra convexus, integer.

Scutellum minutum, punctiforme.

Elytra breviter ovata, supra parum convexa.

Pedes breves, antici basi valde distantes; tibiæ apice muticæ; tarsi breves, lati, articulis parum distantibus.

Descriptio. — *Corpus* breviter sub-ovatum, nitidum, supra depressiusculum, alatum, minusculæ magnitudinis. — *Antennæ* thoracis medium non superantes, prope medium rostri insertæ, subtenues, fractæ, 12-articulatæ: articulo 1° oculos sub-attingente, apice clavato; 2° valde elongato, sub-obconico; 3-8 brevissime obconicis, vel potius sub-cylindricis, coarctatis, gradatim crassitudine crescentibus, ultimo clavæ adpresso; clava sub-ovata, acuminata, 4-articulata; articulo basali majusculo, rigido, reliquis brevibus, arcte connexis. — *Rostrum* longitudine capitis cum thorace, sub-inflexum, subtenue, teres, modice arcuatum; scrobe a medio ad basin inferam rostri flexa, sub-lineari. — *Oculi* laterales, oblongi, depressi, magni. — *Thorax* longitudine latior, anterius subito angustatus, lateribus sub-rotundatus, leviter marginatus, basi bi-sinuatus, in medio ante scutellum productus, apice truncatus, supra sub-deplanatus, infra convexus, pone gulam non emarginatus. — *Scutellum* minutum, punctiforme, vix observandum. — *Elytra* thoracis basi paulo latiora, humeris rotundatis, thorace plus duplo longiora, posterius paulo angustiora, basi singulatim et apice junctim rotundata, supra parum convexa, abdomine vix breviora. — *Pedes* breves, validi, basi valde distantes, longitudine sub-æquales; femoribus valde incrassatis, muticis; tibiis sub-compressis, apice muticis; tarsis brevibus, latiusculis, articulis parum distantibus, subtus spongiosis, articulo ultimo clavato, bi-unguiculato.

TYPUS. — *Pyropus sapphirinus.*

A πυρωπὸς cui rutilus aspectus.

Observ. — Quoad habitum aliquantisper simile est generi *Baridio*, sed corpore breviore et antennis, thorace pedibusque paulum ab eodem differt.

* 1. P. SAPPHIRINUS. *Schh.*

Breviter ovatus, cyaneus, nitidus, glaber, antennis tarsisque fuscis, elytris remote punctato-striatis, interstitiis subtilissime punctulatis.

* VAR. β. Supra violaceus.

Curculio cyaneus. HERBST. *Col.* VI. p. 167. n° 125. T. 71. f. 7.? (forte, sed femora mutica.)

Habitat in Insula Jamaica. Mus. SCHH.

Parvus; *Ceutorhyncho assimili* non longior, sed latior, magis depressus. Caput parvum, sub-globosum, punctulatum, cyaneo-virescens, nitidum; oculi ovati, brunnei, depressi; rostrum longitudine capitis cum thorace, sub-tenue, cylindricum, arcuatum, cyaneo-virescens, nitidum, basi punctulatum. Antennæ piceæ, clava cinereo-pubescente. Thorax latitudine brevior, anterius subito angustior, compressus, apice truncatus et longe intra apicem transversim impressus, lateribus ampliatus, anguste marginatus, basi bi-sinuatus, lobo medio triangulariter producto; supra parum convexus, subtiliter et sub-remote punctulatus, cyaneo-virescens, nitidus. Scutellum nullum. Elytra antice singulatim rotundata, thoracis basi arcte applicata illoque ibi non latiora, humeris elevatis, rotundatis; pone humeros ampliata, apice conjunctim obtuse rotundata, thorace vix duplo longiora, supra parum convexa, punctis remotis, seriatim digestis, impressa, interstitiis planis, parce, subtilissime punctulatis; aut cyanea, aut cœruleo-virescentia, nitida. Corpus subtus cœruleo-virescens, thorace pectoreque confertim profundius punctatis, ventre tantummodo ad margines segmentorum punctulato. Pedes validi, cœruleo-virescentes, punctulati; femoribus, præsertim anticis, valde incrassatis; tarsis dilatatis, piceis, subtus dense testaceo-spongiosis.

Var. β differt tantum colore paginæ superioris, præsertim elytrorum, læte violaceo, limbo cœruleo-virescente. — GHL.

GENUS 287. BARIDIUS.

Baridius SCHH. (1), SAY. — *Baris* GERM., LATR., STEPH. (2), DEJ., STURM, STEVEN, BILLB. — *Michorynchus* et *Stenorhynchus* MEGERLE. — *Rhynchænus* FABR., OLIV., GYLLENH. — *Calandra* FABR.

Character generis.—Antennæ breviusculæ, validiusculæ; funiculo 7-articulato: aut solummodo articulo 1°, aut 1° et 2° elongatis, obconicis, reliquis transversis, coarctatis, gradatim paulo latioribus; clava obtuse ovalis.

Rostrum aut breviusculum, validum, aut longiusculum, subtenue, teres, arcuatum.

Oculi laterales, oblongi, depressi.

---

(1) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 274. n° 162.

(2) Germ. Ins. Spec. I p. 197. — Latr. Règ. Anim. p. 394. — Steph. Brit. Ent. IV p. 10.

Thorax latitudine postica sæpissime nonnihil brevior, basi bi-sinuatus, anterius subito angustatus, supra in plerisque modice convexus, subtus aut integer, aut obsolete canaliculatus.

Scutellum parvum, apice rotundatum.

Elytra oblonga, supra parum convexa, apice obtuse rotundata, pygidium in plerisque haud tegentia.

Pedes breviusculi, fortes; tibiæ in plerisque apice intus unco armatæ.

Observ.—Corpus oblongum, sub-ellipticum, supra parum convexum, alatum; aut mediocris, aut minusculæ magnitudinis.

Patria : Omnis Europa et America.

STIRPS I. — (GENUINI.) Antennæ sæpissime validæ, articulo basali funiculi elongato, sub-obconico, reliquis brevibus, apice truncatis, coarctatis.

* 1. B. VIRIDANUS. *Schh.*

Sub-ovatus, viridi-æneus, glaber, capite minus remote punctato, thorace convexo, ante scutellum non impresso, undique rude punctato, linea angusta dorsali lævi notato, elytris transversim impressis, ante apicem callosis, profunde striato-punctatis, interstitiis punctulatis.

Habitat in America meridionali. A Dom. MÉNÉTRIÉS communicatus. Mus. SCHH.

Statura et summa similitudo *Baridii metallici*, sed dimidio major, aliter coloratus, thorace ante scutellum non impresso, interstitiis elytrorum subtiliter punctulatis. Caput parvum, globosum, viridi-æneum, nitidum, punctis minus remotis, profundis impressum; vertice transversim cyaneo-micante; fronte puncto profundiori insculpta; oculi oblongi, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum thorace brevius, incurvum, a medio ad basin sensim crassius, apice paululo deplanatum, nigro-æneum, basi profunde punctatum, extrorsum sub-læve. Antennæ in medio rostri sitæ, breviusculæ, crassiusculæ, nigræ, clava ovata, acuminata, atro-holosericea. Thorax latitudine baseos nonnihil brevior, apice truncatus, anterius subito angustatus, tubulatus, mox pone apicem valde rotundato-ampliatus, basi sat profunde bi-sinuatus, supra convexus, ante scutellum non impressus, dorso profunde minus crebre lateribus et subtus dense rude punctatus, punctis squamulis albidis obsitis, linea media, angusta, longitudinali, antice abbreviata, lævi, notatus, totus viridi-æneus, sub-nitidus. Scutellum parvum, rotundatum, cœruleum, sub-læve. Elytra basi singulatim

rotundato producta, antice thoracis basi nonnihil latiora et illo duplo longiora, humeris prominulis, obtuse rotundatis; pone humeros apicem versus sensim perparum angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra parum convexa, ante apicem callo parum elevato notata, striis e punctis profundis, oblongis, connexis, exarata, interstitiis angustis, planis, punctis remotis, minutis, pro parte seriatis, impressis; præterea foveolæ transversim impressæ utrinque tres: prima in margine pone humerum, secunda pone medium transversa, in dorso, ultima in apice sub callo elevato; tota viridi-ænea cupreo-micantia, in ipsa basi cyanea. Pygidium paulo prominens, punctatum. Corpus subtus viridi-æneum, nitidum, pectore fortius, ventre minus rude punctatis, punctis squamulis albidis repletis. Pedes robusti, profunde punctati; femoribus modice clavatis, muticis, viridi-cœruleis; tibiis viridi-æneis, intus apice acute uncinatis; tarsis modice dilatatis, nigris, subtus fulvo-spongiosis.—BHN.

* 2. B. METALLICUS.

Sub-ovatus, cupreo-æneus, glaber, capite remote punctato, fronte transversim impressa, thorace convexo, ante scutellum late impresso, undique rude punctato, elytris transversim impressis, ante apicem callosis, profunde striato-punctatis, interstitiis distincte punctatis.

Baris metallica. DEJ. *Cat. Col.* p. 98.

Habitat in Brasilia. A Dom. Com. DEJEAN benevole missus.

Facies et summa similitudo *Baridii interpunctati*, sed dimidio major, capite minus confertim punctato, thorace ante scutellum impresso, undique æqualiter rude punctato. Caput parvum, rotundatum, cupreo-æneum, nitidum, punctis remotis, profundis, impressum; fronte transversim impressa; oculi oblongi, transversi, nigri, haud prominentes; rostrum longitudine thoracis, minus crassum, teres, arcuatum, basi cupreo-æneum, profunde punctatum, apicem versus nigrum, sub-læve. Antennæ crassiusculæ, nigro-piceæ, clava breviter ovata, acuminata, fusco-pubescente. Thorax latitudine baseos nonnihil brevior, apice truncatus, anterius cito angustatus, coarctatus, lateribus rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, supra modice convexus, ante scutellum late et sat profunde impressus, dorso undique remote, rude et profunde versus latera et subtus densius punctatus, totus cupreo-æneus, sub-nitidus. Scutellum parvum, rotundatum, cupreo-æneum, læve. Elytra basi singulatim rotundato-producta, antice thoracis basi

paulo latiora, humeris prominulis, obtuse rotundatis; lateribus inflexa, thorace fere duplo longiora, pone humeros apicem versus sensim angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, cupreo-ænea, supra fere plana, ante apicem callo elevato notata, striis e punctis profundis oblongis, connexis, exarata, interstitiis angustis, planis, punctis remotis, parvis, pro parte seriatis, impressis; præterea foveolæ transversim impressæ utrinque tres : prima ante, secunda infra medium, ultima in apice sub callo elevato. Pygidium semi-rotundatum, confertim punctulatum, longitudinaliter carinatum. Corpus subtus cupreum, nitidum, pectore fortius remote, ventre obsoletius punctatis, punctis squamulis albidis, obsitis. Pedes robusti, profunde punctati; femoribus modice clavatis, muticis, obscure cupreis; tibiis nigro-æneis, intus apice acute uncinatis; tarsis modice elongatis, subtus fulvo-spongiosis.—BHN.

* 3. B. INTERPUNCTATUS.

Sub-ovatus, cupreo-æneus, glaber, capite crebre punctato, fronte convexa, foveolata, thorace convexo, rude minus crebre punctato, area dorsali lævi, notato, basi ante scutellum obsolete impresso; elytris transversim impressis, ante apicem callosis, profunde striato-punctatis, interstitiis distincte punctatis. — BHN.

Baris interpunctata. GERM. *Ins. Sp.* I. p. 204. n° 328.
Baris ænea. DEJ. *Cat. Col.* p. 98.

Patria : Brasilia.

* 4. B. SCROBICOLLIS. *Schh.*

Sub-ovatus, æneus, glaber, capite minus crebre profundius punctato, fronte convexa, thorace convexo, rude minus crebre punctato, dorso antico sub-carinato, ante scutellum foveola rotunda impresso, elytris transversim impressis, ante apicem callosis, profunde striato-punctatis, interstitiis postice magis elevatis, distincte punctatis.

Patria : Brasilia. Dom. WESTIN. Mus. SCHH.

Statura et summa similitudo *Baridii interpunctati*, nonnihil tamen major; capite minus crebre punctato, thorace antice carinato, remotius punctato, ante scutellum evidenter impresso, ab illo bene distinctus. Caput parvum, globosum, æneum, sub-nitidum, punctis minus crebris, sat profundis, impressum; fronte sub-convexa; oculi laterales, oblongi, transversi, haud pominuli, nigri; rostrum longitudine fere thoracis, minus crassum, teres, arcuatum, basi æneum, profunde punctatum, dein extrorsum ni-

grum, glabrum, sub-læve. Antennæ crassiusculæ, piceæ, parce pilosæ, clava breviter ovata, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax postice longitudine latior, apice truncatus, anterius subito angustatus, coarctatus, mox pone apicem valde rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, lobo medio parum producto, rotundato; supra convexus, ante scutellum foveola sub-rotunda, parum profunda, insculptus, dorso remote rude et profunde versus latera et subtus dense punctulatus, dorso antico linea sub-elevata notatus; totus æneus, sub-nitidus, glaber. Scutellum parvum, rotundatum, cupreo-æneum, læve. Elytra basi singulatim perparum rotundato-producta, antice thorace parum latiora, quam lata dimidio longiora, humeris prominulis, obtuse rotundatis; pone humeros apicem versus sensim angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra parum convexa, ante apicem callo elevato notata; tota ænea, nitida, striis e punctis profundis, oblongis, connexis, exarata, interstitiis angustis, planis posterius sub-carinatis, punctis remotis, parvis, pro parte seriatis, impressis; præterea foveolæ transversim impressæ tres: prima ante, secunda infra medium, ultima in apice sub callo elevato. Pygidium semi-rotundatum, confertim punctulatum, medio carinatum. Corpus subtus æneum, nitidum, pectore fortius, ventre minus profunde punctatis, punctis squamulis albidis repletis. Pedes robusti, profunde punctati, cupreo-ænei; femoribus parum clavatis, muticis; tibiis sub-compressis, rectis, apice intus uncinatis; tarsis modice elongatis, subtus griseo-spongiosis. — BHN.

* 5. B. CATENULATUS.

Oblongo-ovatus, cupreo-æneus, glaber, capite subtiliter remote punctulato, rostro brevi, crasso, punctato, thorace anterius minus subito angustato, convexo, dorso remote punctato, area dorsali lævi, notato; elytris transversim impressis, minus profunde striato-punctatis, interstitiis subtiliter punctulatis.

Baris catenulata. Dom. KLUG *in Litteris.*

Patria : Rio de la Plata Brasiliæ. A Dom. Com. MANNERHEIM amice communicatus.

Baridio interpunctato parum latior, sed dimidio longior; rostro multo breviori, crassiori, thorace longiori, minus profunde remotius punctato, elytris subtiliter punctato-striatis, etc., ab illo bene distinctus. Caput parvum, rotundatum, cupreo-æneum, sub-nitidum, punctis remotis, parum profundis, impressum; fronte fo-

veola parva insculpta; oculi oblongi, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum capite dimidio longius, crassum, teres, arcuatum, cupreo-æneum, nitidum, minus profunde at crebre punctatum, lineis duabus versus basin connexis, lævibus, notatum. Antennæ breves, crassiusculæ, nigræ, basi testaceæ, clava breviter ovata, fusco-pubescente. Thorax latitudine baseos fere longior, apice truncatus, antice sensim angustatus, leviter coarctatus, lateribus modice rotundato-ampliatus, basi sat profunde bi-sinuatus, supra modice convexus, dorso valde remote disperse lateribus et subtus dense rude punctatus, area parva dorsali, longitudinali, lævi, notatus, totus cupreo-æneus, nitidus. Scutellum parvum, rotundatum, cupreo-æneum, nitidum, læve. Elytra oblongo-ovata, antice thoracis basi paulo latiora, quam lata vix duplo longiora, humeris prominulis, obtuse rotundatis; pone humeros apicem versus parum angustata, apice ipso singulatim rotundata, cupreo-ænea, nitida, supra parum convexa, ante apicem callo modice elevato notata, striis e punctis parum profundis, oblongis, connexis, exarata, interstitiis minus angustis, planis, subtiliter minus crebre punctulatis, punctis pro parte seriatis. Præterea in singulo elytro impressiones quinque: prima in margine pone humerum, secunda et tertia in dorso antico, foveolæ-formibus; quarta transversa pone medium, ultima in apice sub callo elevato. Pygidium semi-rotundatum, confertim punctatum, sub-carinatum. Corpus subtus cupreum, nitidum, pectore profunde, ventre subtiliter minus crebre punctatis, punctis squamulis albidis obsitis. Pedes robusti, profunde punctati, obscure cuprei; femoribus modice clavatis, muticis; tibiis apicem versus nonnihil dilatatis, apice intus uncinatus; tarsis modice dilatatis, nigro-piceis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

* 6. B. METALLESCENS.

Oblongo-ovatus, æneus, glaber, vertice subtilissime, fronte profundius punctatis, rostro brevi, crasso, punctato, inter antennas lineola abbreviata lævi, notato, thorace convexo, anterius minus subito angustato, dorso remote punctato, antice linea lævi, parum elevata, instructo, elytris transversim impressis, minus profunde striato-punctatis, interstitiis evidenter punctulatis.

Baris id. Dom. KLUG *in Litteris*, teste Dom. SCHUPPEL.

Patria: Brasilia meridionalis. A Dom. SCHUPPEL communicatus. Mus. SCHH.

Magnitudo, statura et summa similitudo *Baridii catenulati;* colore magis æneo, rostro profundius punctato, linea lævi thoracis magis

elevata ut et interstitiis elytrorum evidenter punctulatis, ab illo distinctus videtur. Caput parvum, sub-globosum, æneum, sub-nitidum; vertice subtiliter, fronte profundius punctulatis; fronte foveola parva impressa; oculi oblongi, transversi, sub-depressi, nigri; rostrum capite dimidio longius, crassum, teres, arcuatum, æneum, nitidum, minus crebre sat profunde punctatum, linea abbreviata, lævi, inter antennas, notatum. Antennæ breviusculæ, nigro-piceæ, basi testaceæ, parce albido-pilosæ, clava breviter ovata, fusco-pubescente. Thorax latitudine baseos fere longior, apice truncatus, anterius sensim angustatus, leviter coarctatus, lateribus rotundato-ampliatus, postice bi-sinuatus, supra modice convexus, dorso remotius lateribus et subtus dense rude punctatus, linea dorsali postice abbreviata, antice sub-elevata, lævi, notatus; totus æneus, nitidus, glaber. Scutellum parvum, transversum, oblongo-ovatum, æneum. Elytra antice thoracis basi nonnihil latiora, quam lata vix duplo longiora, humeris parum prominulis, rotundatis; pone humeros apicem versus paulatim angustata, apice ipso singulatim rotundata, ænea, nitida, supra parum convexa, ante apicem callo modice elevato, instructa, striis e punctis parum profundis, oblongis, connexis, exarata, interstitiis minus angustis, planis, evidenter sub-remote punctulatis, punctis pro parte seriatis. Præterea in singulo elytro impressiones quinque: prima in margine pone humerum, secunda et tertia in dorso antico, quarta pone medium, transversa, ultima in apice sub callo elevato. Pygidium semi-rotundatum, confertim punctatum, medio sub-carinatum. Corpus subtus cupreo-æneum, nitidum, pectore profundius crebre, ventre subtilius minus confertim punctatis. Pedes robusti, profunde punctati, cupreo-ænei; femoribus modice clavatis, muticis; tibiis compressis, rectis, apice intus uncinatis; tarsis modice dilatatis, subtus griseo-spongiosis. — Bhn.

* 7. B. Monstrosus.

Oblongo-ovatus, æneo-niger, sub-nitidus, fronte inter oculos transversim leviter impressa, thorace brevi, convexo, dorso remote punctato, utrinque profunde impresso, elytris inæqualibus, evidenter striatis, interstitiis dorsalibus lævibus, pedibus obscure ferrugineis. — Bhn.

Baris monstrosa. Germ. *Ins. Spec.* p. 205. n° 329.

Patria : Brasilia.

8. B. IMPRESSIFRONS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, cupreo-æneus, nitidus, fronte profunde impressa, thorace brevi, convexo, remote punctato, utrinque profunde impresso, elytris inæqualibus, dorso subtiliter versus latera evidenter striatis, interstitiis impunctatis, area dorsali ænea nitidissima decoratis.

Habitat in America meridionali. Mus. Imp. Russ.

Statura, magnitudo et summa similitudo *Baridii monstrosi;* fronte longitudinaliter profunde impressa, striis elytrorum tenuioribus, etc., ab illo diversus. Caput parvum, globosum, obscure æneum, profunde sat crebre punctatum, a vertice usque in fronte longitudinaliter profunde impressum; oculi oblongi, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum thorace brevius, crassiusculum, incurvum, confertim striolato-rugosum, apicem versus puncto, sat magno, parum profunde insculptum; totum obscure æneum. Antennæ in medio rostri sitæ, thorace multo breviores, rufo-ferrugineæ, articulis funiculi compressis, clava breviter ovali, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos aperte multo brevior, apice truncatus, coarctatus, lateribus modice rotundato-ampliatus, basi profunde bi-sinuatus, supra valde convexus, subtus et lateribus profunde crebre rugoso-punctatus, fovea utrinque profunda impressa, disco valde remote, vage, profunde punctatus, cupreo-æneus, nitidus. Scutellum parvum, rotundatum, cupreo-æneum, punctatum. Elytra basi singulatim rotundato-producta, thorace vix latiora et illo fere duplo longiora, humeris parum prominulis, rotundatis; lateribus ad apicem parum angustata, apice ipso singulatim obtuse rotundata, supra planiuscula, subtiliter simpliciter striata, striis versus latera profundioribus cum punctis nonnullis impressis ad basin, interstitiis planis, lævibus; cupreo-ænea, area dorsali nitidissima ornata; impressionibus tribus transversis et areis intermediis elevatis; inæqualia, callo ante apicem elevato, tri-sulcato. Pygidium semi-rotundatum, profunde crebre punctatum, supra apicem versus tuberculo elevato instructum. Corpus subtus æneum, nitidum, pectore evidenter, ventre subtiliter punctatis. Pedes robusti, profunde punctati, obscure ænei; femoribus modice clavatis, muticis; tibiis rectis, apice uncinatis; tarsis piceis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

9. B. PARELLINUS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, cyaneus, nitidus, glaber, capite, cum rostro valde arcuato, mediocre minus crebre punctulatis, thorace sub-conico, profunde punctato, linea media lævissima notato, elytris rude striato-punctatis, interstitiis distincte punctatis.

Habitat in Brasilia. Mus. Dom. FALDERMANN.

Habitus, statura et magnitudo *Baridii interpunctati.* Caput globosum, nigro-cœruleum, sub-opacum, minus crebre mediocre punctulatum, inter oculos transversim impressum, ibique foveola, parva insculptum; oculi oblongi, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum thorace multo brevius, crassiusculum, teres, valde arcuatum, nigro-æneum, minus crebre etsi evidenter punctulatum, inter antennas canalicula tenuissima, abbreviata, impressum. Antennæ pone medium rostri insertæ, crassiusculæ, nigræ parce pilosæ, clava breviter ovata, sub-obtusa, atro-holosericea. Thorax postice longitudine fere latior, exacte bi-sinuatus, lateribus nonnihil rotundatus, apicem versus angustatus, sub-conicus, apice ipso truncatus, supra modice convexus, cyaneus, nitidus, dorso profunde at minus crebre versus latera dense punctatus, linea media lævissima, notatus. Scutellum rotundatum, sub-elevatum, cyaneum, nitidum, apice impressum. Elytra oblongo-quadrata, basi singulatim vix rotundato-producta, antice thorace nonnihil latiora, latitudine dimidio longiora, humeris sub-elevatis, obtuse rotundatis; lateribus ad apicem sensim perparum angustata, apice ipso singulatim obtuse rotundata, supra planiuscula, pone humeros leviter impressa, striis e punctis profundis, oblongis, connexis, exarata, interstitiis planis, basi vage dein seriatim remote punctatis; tota cyanea, nitida, glabra. Pygidium prominulum, obtuse rotundatum, crebre rugoso-punctatum, setulis brevissimis, pallidis adspersum. Corpus subtus cyaneum, nitidum, profunde minus crebre punctatum, punctis singulis squama albida farctis. Pedes breviusculi, robusti, cyanei, punctati; femoribus modice clavatis, muticis; tibiis rectis; tarsis elongatis, nigro-piceis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

* 10. B. RUFIPENNIS.

Sub-ovatus, ater, antennis tibiisque obscure ferrugineis, thorace convexo, undique profunde scrobiculato-gyroso, dorso antico carinato, elytris sanguineis, transversim impressis, profunde punctato-striatis, interstitiis rude striato-punctatis.

Mas : rostro nonnihil breviori, minus arcuato, profundius punctato.

Femina : rostro longiori, magis arcuato, apicem versus subtiliter punctulato.

Baris rufipennis. GERM. *Ins. Spec.* I. p. 206. n° 330.

Habitat in Brasilia. Dom. WESTIN. Mus. SCHH.

Magnitudo *Baridii melanocephali*. Caput parvum, sub-globosum, atrum, opacum, supra sat crebre et profunde punctatum; fronte inter oculos transversim leviter impressa; oculi oblongi, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum in mare capite fere duplo longius, in femina nonnihil longius, teres, arcuatum, atrum, subnitidum, basi profunde punctatum. Antennæ breviusculæ, piceæ, parce pilosæ, clava breviter ovata, sub-obtusa, fusco-pubescente. Thorax latitudine baseos nonnihil brevior, apice truncatus et transversim coarctatus, anterius subito angustatus, mox pone apicem rotundato-ampliatus, basi profunde bi-sinuatus, lobo medio parvo, producto, sub-acuminato; supra transversim convexus, ater, opacus, undique crebre profunde scrobiculato-gyrosus, carinula lævi, postice abbreviata, instructus. Scutellum parvum, transversum, nigrum, impunctatum. Elytra basi singulatim perparum rotundato-producta, antice thoracis basi nonnihil latiora, quam lata dimidio longiora, humeris prominulis, obtuse rotundatis; pone humeros apicem versus nonnihil angustata, apice ipso singulatim rotundata, supra parum convexa, in dorso fere plana, ante apicem callo obtuso notata; tota sanguinea, immaculata, striis e punctis profundis, oblongis, connexis, exarata, interstitiis minus latis, planis, punctis remotis, profundis, seriatis, impressis; præterea foveolæ transversim impressæ utrinque quatuor, nempe: prima infra humerum ad latera, secunda et tertia in dorso, ultima in apice sub callo. Pygidium apice sub-rotundatum, atrum, profunde crebre punctatum, medio carinatum. Corpus subtus atrum, subnitidum, pectore profundius, ventre subtilius minus crebre punctatis, punctis singulis squama albida farctis. Pedes validi, profunde punctati, setulis pallidis parce adspersi; femoribus modice clavatis, muticis; tibiis latiusculis, compressis, apicem versus ampliatis, apice intus uncinatis; tarsis modice dilatatis, subtus griseo-spongiosis. BOH.

* 11. B. MELANOCEPHALUS. *Klug.*

Oblongo-ovatus, rufo-ferrugineus, capite rostroque nigro-piceis, capite subtiliter punctato, rostro medio sub-incrassato, thorace sub-triangulari, profunde minus crebre punctato, dorso sub-carinato, elytris transversim impressis, ante apicem callosis, profunde striato-punctatis, interstitiis remote punctulatis, squamulis nonnullis albidis adspersis.

Habitat ad Rio de la Plata. A Dom. Com. MANNERHEIM communicatus.

Magnitudo et fere statura *Baridii catenulati.* Caput parvum, globosum, nigro-piceum, subtiliter minus crebre punctatum; oculi oblongi, transversi, depressi, nigri; rostrum thorace brevius, crassiusculum, teres, arcuatum, medio nonnihil incrassatum, apicem versus deplanatum, nigrum, sat profunde at minus crebre punctulatum. Antennæ in medio rostri sitæ, thorace breviores, crassiusculæ, rufo-ferrugineæ, apicem versus infuscatæ, clava ovata, sub-obtusa, fusco-pubescente. Thorax sub-triangularis, latitudine baseos nonnihil brevior, a basi apicem versus sensim angustatus, apice truncatus, basi bi-sinuatus, supra convexus, rufo-ferrugineis, dorso profunde minus crebre lateribus et subtus dense punctatus, linea angusta dorsali, sub-elevata, antice abbreviata, lævi, notatus. Scutellum parvum, rotundatum, rufo-piceum, læve. Elytra oblongo-ovata, basi singulatim rotundato-producta, antice thoracis basi parum latiora, humeris prominulis, rotundatis, lateribus ad apicem perparum angustata, thorace duplo longiora; apice ipso singulatim obtuse rotundata, supra parum convexa, dilutius rufo-ferruginea, squamulis raris albidis adspersa, striis e punctis profundis, oblongis, exarata, ita ut interstitia lateribus crenulata appareant, interstitiis planis, punctis parvis, remotis, pro parte seriatis, impressis. Præterea foveolæ transversim impressæ quatuor : prima obliqua in margine pone humerum, secunda ei opposita in dorso, tertia transversa pone medium, ultima in apice sub callo elevato. Pygidium parum prominens, confertim punctatum, nigro-piceum, griseo-pubescens. Corpus subtus rufo-piceum, pectore fortius, ventre subtilius punctatis, punctis squamulis albidis repletis. Pedes robusti, punctati, rufo-ferruginei, squamulis albidis adspersi; femoribus modice clavatis, muticis; tibiis rectis, intus apice uncinatis; tarsis modice dilatatis, piceis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

* 12. B. Carnifex. *Schh.*

Oblongus, niger, sub-nitidus, capite subtiliter minus crebre punctato, thorace ferrugineo, sub-quadrato, antice subito angustato, supra parum convexo, remote punctato, elytris sanguineis, transversim impressis, striatis, striis punctatis, interstitiis, subtiliter punctulatis.

Habitat in America meridionali. A Dom. Ménétriés missus. Mus. Schh.

Longitudo *Baridii melanocephali,* sed dimidio fere angustior. Caput parvum, rotundatum, nigrum, sub-nitidum, subtiliter minus crebre vage punctatum; oculi oblongi, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum thorace brevius, crassiusculum, teres, incurvum, apice nonnihil deplanatum, nigrum, sub-nitidum, undique punctulatum. Antennæ in medio rostri sitæ, longitudine thoracis, crassiusculæ, nigro-piceæ, parce pilosæ, clava breviter ovata, sub-acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos nonnihil brevior, sub-quadratus, apice truncatus, antice subito angustatus, tubulatus, lateribus rectis, basi bi-sinuatus, supra fere planus, sanguineus, sub-nitidus, margine apicali et subtus niger, remote vage parum profunde punctatus. Scutellum parvum, rotundatum, nigro-piceum, læve. Elytra basi singulatim nonnihil rotundato-producta, antice thorace vix latiora, sed illo duplo longiora, humeris parum prominulis, rotundatis; lateribus ad apicem fere recta, apice ipso singulatim obtuse rotundata, supra planiuscula, sanguinea, sub-nitida, distincte et sat profunde striata, striis in fundo punctatis, interstitiis planis, punctis minutis pro parte seriatis impressis. Præterea in singulo elytro impressiones sex observantur: prima obliqua pone humerum, secunda et tertia in dorso longitudinaliter positæ, ante medium, quarta media in margine basali, quinta pone medium transversa et ultima in apice sub callo elevato. Pygidium semi-rotundatum, nigrum, rude confertim punctatum. Corpus subtus nigro-æneum, nitidum, pectore profunde, ventre subtiliter punctatis. Pedes breviusculi, robusti, nigri, punctati; femoribus modice clavatis, muticis; tibiis rectis, piceis, apice uncinatis; tarsis modice dilatatis, subtus fulvo-spongiosis. — Bhn.

* 13. B. EXARATUS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, nitidus, glaber, rostro brevi, medio incrassato, subtiliter punctulato, thorace sanguineo, supra parum convexo, remote sat profunde punctato, elytris sanguineis, transversim leviter impressis profunde punctato-striatis, interstitiis seriatim punctulatis.

Patria : Salto grande Brasiliæ. A Dom. SCHUPPEL communicatus. Mus. SCHH.

Magnitudo et fere statura *Baridii nitentis.* Caput parvum, subglobosum, nigrum, nitidum, subtiliter minus crebre punctulatum, inter oculos transversim leviter impressum et foveolatum; oculi laterales, oblongi, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum capite fere duplo longius, crassiusculum, teres, arcuatum, medio incrassatum, apice deplanatum; totum nigrum, nitidum, glabrum, subtiliter sat crebre punctulatum. Antennæ crassiusculæ, piceæ, basi dilutiores, parce pilosæ, clava breviter ovata, sub-obtusa, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos fere brevior, apice truncatus, anterius angustatus, lateribus modice rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, lobo medio magno, modice producto, obtuse rotundato; supra parum convexus, remote et sat profunde punctulatus, sanguineus, nitidus, glaber, subtus apiceque ipso niger. Scutellum sub-quadratum, transversum, piceum, punctis nonnullis impressum. Elytra antice singulatim obtuse rotundata, thoracis basi vix latiora, humeris elevatis, rotundatis, lateribus non ampliata, apice etiam singulatim rotundata, thorace vix plus quam duplo longiora, supra parum convexa, pone medium transversim obsolete bi-impressa, profunde striata, striis in fundo punctatis, interstitiis planis, singulis serie punctorum parvorum impressis; sanguinea, immaculata, nitida, glabra. Pygidium semi-rotundatum, nigrum, opacum, confertim punctatum. Corpus subtus nigro-æneum, nitidum, sat crebre punctatum, punctis squamulis albidis obsitis. Pedes mediocres, atri, crebre punctati; femoribus modice clavatis, muticis; tibiis rectis, apice intus uncinatis; tarsis elongatis, piceis, subtus griseo-spongiosis.—BHN.

14. B. RUFICOLLIS. *Schh.*

Oblongus, viridi-cyaneus, nitidus, capite rostroque nigris, thorace sub-quadrato, sanguineo, subtiliter remote punctulato, elytris ante apicem callosis, striatis, striis punctatis, interstitiis subtiliter punctulatis.

Habitat in America meridionali. Mus. Imp. Russ.

Statura fere *Baridii nitentis*, sed duplo major. Caput parvum, globosum, nigrum, sub-nitidum, subtiliter vage, sat crebre punctulatum, inter oculos puncto profundiori impressum; oculi oblongi, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum thorace nonnihil brevius, crassiusculum, teres, incurvum, apicem versus deplanatum, nigrum, undique subtiliter sat crebre punctulatum. Antennæ in medio rostri sitæ, vix longitudine thoracis, crassiusculæ, nigræ, parce pilosæ, clava breviter ovata, fusco-pubescente. Thorax latitudine baseos brevior, apice truncatus, antice subito angustatus, tubulatus, mox pone apicem valde rotundato-ampliatus, tum lateribus rectis, basi bi-sinuatus, supra fere planus, sanguineus, subnitidus, subtiliter vage remote punctulatus, margine apicali, transversim infuscatus. Scutellum parvum, sub-quadratum, viridi-cyaneum, sub-læve. Elytra basi singulatim perparum rotundato-producta, antice thorace nonnihil latiora, et illo fere duplo longiora, humeris parum prominulis, obtuse rotundatis; pone humeros apicem versus perparum angustata, apice ipso singulatim obtuse rotundata, supra parum convexa, ante apicem callo modice elevato notata, viridi-cyanea, nitida, parum profunde striata, striis in fundo obsolete punctatis, interstitiis planis, subtiliter punctulatis, punctis pro parte seriatis. Pygidium cyaneum, profunde crebre punctatum, medio longitudinaliter carinatum. Corpus subtus viridi-cyaneum, nitidum, pectore sat profunde, ventre subtilius punctatis. Pedes breviusculi, validi, ænei, punctati; femoribus modice clavatis, muticis; tibiis rectis, apice uncinatis; tarsis nigris, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

15. B. SQUAMULOSUS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, squamulis paleaceis sat dense vestitus, capite subtiliter punctulato cum rostro denudato, thorace sub-quadrato, supra modice convexo, sat crebre punctato, elytris subtiliter striatis, striis sub-punctatis, interstitiis vage punctulatis.

Habitat in America meridionali. Mus. Imp. Russ.

Baridio carnifice nonnihil latior et brevior. Caput parvum, globosum, nigrum, denudatum, subtiliter vage punctulatum; oculi oblongi, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum thorace nonnihil brevius, teres, crassiusculum, incurvum, apicem versus perparum deplanatum, nigrum, undique crebre punctulatum, basi squamulis nonnullis paleaceis adspersum. Antennæ in medio rostri sitæ, vix longitudine thoracis, crassiusculæ, nigro-piceæ, parce

pilosæ, clava breviter ovata, sub-obtusa, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos nonnihil brevior, sub-quadratus, apice truncatus, antice subito angustatus, lateribus fere rectis, postice, sat profunde bi-sinuatus, supra modice convexus, niger, sat crebre punctatus, squamulis unicoloribus, paleaceis, sat dense vestitus. Scutellum breve, transversum, apice rotundatum, nigrum, squamulis paleaceis tectum. Elytra oblongo-quadrata, basi singulatim rotundato-producta, antice thoracis basi vix latiora, quam lata dimidio fere longiora, humeris parum prominulis, rotundatis; lateribus ad apicem fere recta, apice ipso singulatim obtuse rotundata, supra planiuscula, nigra, subtiliter striata, striis in fundo obsolete punctatis, interstitiis planis, vage sat crebre punctulatis, squamulis unicoloribus paleaceis sat dense obtecta. Pygidium semi-rotundatum, nigrum, punctatum, paleaceo-squamosum. Corpus subtus nigrum, punctatum, squamulis paleaceis dense obsitum. Pedes breviusculi, robusti, nigri, punctati, squamulis concoloribus adspersi; femoribus modice clavatis, muticis; tibiis rectis, apice uncinatis; tarsis parum dilatatis, subtus fulvo-spongiosis.

Bhn.

* 16. B. Eryophorus. *Klug.*

Oblongo-ovatus, rostro mediocri, crasso, arcuato, carinato, thorace profunde confertim punctato, obsolete carinato, cretaceo-squamoso, macula ante-scutellari brunneo-squamosa, notato, elytris subtiliter punctato-striatis, dilute brunneo-squamosis, plaga magna a basi ultra medium, communi, punctisque numerosis cretaceis.

Habitat ad Dongola Nubiæ. Dom. Schuppel. A Dom. Gyllenhal amicissime donatus.

Species pulchra. *Baridio nitente* dimidio major. Caput parvum, rotundatum, sat profunde confertim punctatum, squamulis fulvescentibus dense adspersum; oculi ovati, transversi, nigri, haud prominentes; rostrum thorace brevius, crassiusculum, teres, valde arcuatum, dorso carinatum, squamulis flavescentibus et albidis tectum. Antennæ pone medium rostri insertæ, crassiusculæ, rufo-ferrugineæ, articulo primo nudo, reliquis squamulis albidis adspersis, clava breviter ovata, obtuse acuminata, pubescente. Thorax latitudine baseos longior, apice truncatus, antice cito angustatus, coarctatus, transversim impressus, pone apicem rotundato-ampliatus, lateribus rectis, basi leviter bi-sinuatus, supra parum convexus, niger, profunde confertissime punctatus, dorso longitudinaliter obsolete carinatus, squamulis cretaceis dense tectus,

macula basali ante scutellum oblonga, apice dilatata, dilute brunneo-squamosa, ornatus. Scutellum parvum, apice rotundatum, nigrum. Elytra oblongo-sub-quadrata, basi singulatim perparum rotundato-producta, antice thoracis basi paulo latiora et illo duplo longiora, humeris sub-elevatis, obtuse rotundatis; lateribus inflexa, apicem versus nonnihil angustata, apice ipso singulatim rotundata, supra in dorso plana, ante apicem callo obsoleto notata, subtiliter punctato-striata, interstitiis planis, profunde confertim punctatis; nigra, squamulis dilute brunneis tecta, a basi ultra medium, plaga lata oblongo-quadrata, communis, cretaceo-squamosa, versus medium in margine exteriore plagæ et ad apicem, macula parva atro-holosericea, notata, versus latera et apicem punctis numerosis, cretaceis, seriatim digestis, ornata. Pygidium semi-rotundatum, dilute brunneo-squamosum, medio linea cretacea, divisum. Corpus subtus convexum, dense niveo-squamosum; lateribus pectoris, segmentis ultimis abdominis, dilute brunneo-squamosis. Pedes breves robusti, cretaceo-squamosi, brunneo maculati; femoribus modice clavatis, muticis, tibiis apice ampliatis intus uncinatis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

17. B. RUDIS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, ater, sub-opacus, rostro brevi, valde arcuato, basi gibbo, profunde punctato, thorace rude punctato, elytris scrobiculis oblongis, seriatim impressis, interstitiis angustis, remote distincte punctatis.

Patria: Brasilia. Mus. Dom. FALDERMANN.

Baridio interpunctato dimidio minor, præsertim angustior. Caput mediocre, globosum, atrum, sub-nitidum, profunde minus crebre punctatum, inter oculos leviter transversim impressum, foveola parva rotunda, profunda, insculptum; oculi oblongi, transversi, sub-depressi, nigri; rostrum capite duplo longius, valde arcuatum, crassiusculum, a basi ultra medium incrassatum, gibbum, profunde sat crebre punctatum, dein deplanatum, subtiliter punctulatum; totum atrum, sub-nitidum. Antennæ in medio rostri insertæ, crassiusculæ, nigræ, parce pilosæ, clava breviter ovata, sub-acuminata, fusco-pubescente. Thorax postice longitudine fere æqualis, antice truncatus, apicem versus angustatus, lateribus modice rotundatus, basi leviter bi-sinuatus, supra modice convexus, ater, sub-opacus, rude et profunde sat crebre punctatus. Scutellum parvum, rotundatum, atrum, punctulatum. Elytra basi singulatim perparum rotundato-producta, antice thoracis basi paulo latiora,

latitudine fere duplo longiora, humeris vix elevatis, rotundatis; a basi apicem versus perparum angustata, apice ipso singulatim rotundata, supra planiuscula, striis e scrobiculis profundis, oblongis, connexis exarata, interstitiis angustis, punctis remotis, pro parte seriatis, impressis; tota atra, parum nitida. Corpus subtus atrum, profunde minus crebre punctatum. Pedes robusti, nigri, nitidi, profunde minus confertim punctati, setulis albidis adspersi; femoribus modice clavatis, muticis; tibiis teretibus, rectis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. — Bhn.

* 18. B. Quadrisignatus. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, obscurus, rostro brevi, crasso, parum arcuato, thorace sat confertim punctato, ad basin utrinque macula sub-quadrata, fulvescenti-squamosa notato, elytris punctato-striatis, interstitiis punctulatis, singulo in medio fascia transversa, fulvescenti-squamosa.

Habitat in Nova Hollandia. Mus. Schh.

Baridio nitente parum longior, sed vix latior. Caput parvum, rotundatum, nigrum, obscurum, confertim subtiliter punctulatum; oculi ovati, transversi, depressi, nigri; rostrum] thorace multo brevius, validiusculum, teres, modice arcuatum, nigrum, obscurum, confertim subtiliter rugoso-punctatum. Antennæ infra medium rostri insertæ, crassiusculæ, nigro-piceæ, clava breviter ovata, fusco-pubescente. Thorax latitudine baseos nonnihil longior, apice truncatus, anterius cito angustatus, coarctatus, mox pone apicem rotundato-ampliatus, dein lateribus fere rectis, basi leviter bi-sinuatus, supra parum convexus, niger, obscurus, confertim sed minus profunde punctulatus, ad basin utrinque macula sub-quadrata, sat magna, fulvescenti-squamosa, ornatus. Scutellum parvum, apice rotundatum, nigrum, obscurum. Elytra oblongo-quadrata, basi singulatim nonnihil rotundato-producta, antice thoracis basi paulo latiora, humeris obtuse angulatis, lateribus inflexa, thorace duplo longiora, apicem versus perparum angustata, apice ipso singulatim obtuse rotundata, supra parum convexa, ante apicem callo vel gibbere obsoleto, notata, subtiliter crenato-striata, interstitiis planis, sub-seriatim punctulatis; tota nigra, obscura, in singulo elytro mox pone medium, fascia transversa, dentata, libera, e squamulis fulvescentibus. Corpus subtus nigrum, confertim punctatum. Pedes breves, fortes, nigri, confertim punctati; femoribus modice clavatis, muticis; tibiis apice perparum dilatatis, truncatis, intus uncinatis. Tarsi elongati, subtus fulvo-spongiosi.

Bhn.

19. B. ACICULATICOLLIS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, sub-nitidus, rostro longiore, crassiusculo, valde arcuato, thorace subtiliter confertim aciculato, dorso carinato, maculis utrinque duabus fulvescenti-squamosis, ornato, elytris simpliciter striatis, interstitiis planis, vage punctulatis; macula parva pone scutellum aliaque in medio singuli elytri silaceo-squamosis.

Patria: Caffraria. A Dom. ECKLON et ZEYHER, ad describendum, communicatus.

Magnitudo et fere statura *Baridii quadrisignati*; rostro longiore, magis arcuato, thorace latiore, confertim aciculato, carinato, signaturis aliis, etc., ab illo abunde distinctus. Caput parvum, rotundatum, nigrum, sub-nitidum, obsolete remote punctulatum; oculi laterales, ovati, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum thorace nonnihil brevius, crassiusculum, teres, valde arcuatum, nigrum, sub-nitidum, evidenter minus crebre punctatum, apice deplanatum. Antennæ crassiusculæ, nigro-piceæ, clava parva, ovata, fusco-pubescente. Thorax sub-quadratus, latitudine baseos vix brevior, apice sub-truncatus, anterius subito angustatus, mox intra apicem coarctatus et transversim impressus, lateribus perparum rotundatus, basi leviter bi-sinuatus, supra parum convexus, undique confertim parum profunde aciculatus, medio carinula lævi, longitudinali, parum elevata, instructus, niger, sub-nitidus, mox intra apicem utrinque macula oblonga, transversa, medio sub-interrupta et in ipsa basi alia utrinque, dilute fulvescenti-squamosis, quadratim positis, ornatus. Scutellum parvum, breve, transversum, nigrum, nitidum. Elytra oblongo-sub-quadrata, antice singulatim nonnihil rotundato-producta, thoracis basi paulo latiora, et illo vix dimidio longiora, humeris rotundatis, apicem versus perparum angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra parum convexa, ante apicem gibbere obsoleto notata, evidenter striata, striis in fundo vix visibiliter punctatis, interstitiis planis, vage punctatis; tota nigra, sub-nitida, in ipsa basi inter strias 2 et 3 a sutura, puncto parvo e squamulis nonnullis albidis, pone scutellum macula parva communis et mox pone medium singuli elytri alia oblonga, transversim locata, e squamulis silaceis et albidis. Pygidium parvum, apice rotundatum, nigrum, confertim punctatum. Corpus subtus nigrum, sub-nitidum, sat crebre minus profunde punctatum, pectore utrinque silaceo-bimaculato. Pedes breviusculi, robusti, nigri, punctati, pube pallida parce adspersi; femoribus modice clavatis, muticis; tibiis apice dilatatis, truncatis, intus uncinatis; tarsis elongatis, obscure ferrugineis, subtus griseo-spongiosis.—BOH.

* 20. B. QUADRIMACULATUS.

Oblongo-ovatus, ater, obscurus, rostro longiori, arcuato, thorace latiore, sat confertim punctato, elytris punctato-striatis, interstitiis subtiliter punctulatis, singulo maculis duabus e squamulis fulvescentibus, anteriori majori.

Baris quadrimaculata. Dom. Com. DEJEAN *in Litteris.*
Baridius recinctus. Dom. GERM. *in Litteris.*
Baridius fulvonotatus. Mus. Berol.

Habitat in Insula Cuba. A Dom. CHEVROLAT et GERMAR benevole communicatus. Mus. SCHH.

Baridio quadrisignato affinis et magnitudine æqualis. Caput parvum, rotundatum, atrum obscurum, obsolete punctulatum, inter oculos foveola parva impressum; oculi ovati, transversi, depressi, nigri; rostrum thorace vix brevius, crassiusculum, teres, valde arcuatum, nigrum, nitidum, minus crebre, evidenter punctulatum, dorso obsolete carinatum. Antennæ pone medium rostri insertæ, crassiusculæ, nigro-piceæ, clava ovata, acuminata, pubescente. Thorax latitudine media multo brevior, apice truncatus, anterius valde angustatus, ibique coarctatus et transversim impressus, mox pone apicem cito rotundato-ampliatus, dein lateribus fere rectis, postice nonnihil angustatus, basi bi-sinuatus, angulis baseos rotundatis, supra parum convexus, ater obscurus, sat crebre sed minus profunde punctulatus, in medio dorsi linea angusta, obsoleta, lævi. Scutellum, parvum, apice rotundatum, atrum, obscurum. Elytra oblongo-quadrata, basi singulatim nonnihil rotundato-producta, antice thorace nonnihil latiora, humeris parum prominulis, rotundatis; lateribus inflexa, thorace plus duplo longiora, apicem versus perparum angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra in dorso sub-depressa, ante apicem callo vel gibbere obtuso notata, subtiliter crenato-striata, interstitiis planis, subtiliter punctulatis; tota atra, opaca, in singulo elytro paulo pone basin macula magna oblonga, transversim locata, margine laterali non vero suturam attingente; altera in ipso apice e squamulis fulvescentibus vel aurantiacis, notata. Corpus subtus nigrum, sub-nitidum, minus crebre punctatum, punctis setulis albidis obsitis, abdomine utrinque versus apicem maculis duabus parvis, fulvescenti-squamosis, decorato. Pedes breves, fortes, nigri, profunde punctati, setulis albidis adspersi; femoribus modice clavatis, muticis; tibiis apice uncinatis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. — Bñx.

* 21. B. AUROSIGNATUS. *Schh.*

Oblongus, niger, sub-nitidus, rostro minus crasso, crebre punctulato, thorace confertim minus profunde punctato, elytris crenato-striatis, interstitiis punctulatis, singulo elytro maculis duabus fulvo-squamosis, ornato.

Habitat in Senegalia. Dom. PAYKULL. Mus. Reg. Acad. Scient. Holm.

Statura oblonga et magnitudo *Thamnophili atramentarii.* Caput parvum, rotundatum, nigrum, sub-nitidum, obsolete remote punctulatum; oculi oblongi, transversi, depressi, nigri; rostrum longitudine thoracis, minus crassum, teres, arcuatum, nigrum, sub-nitidum, sat profunde confertim punctatum. Antennæ pone medium rostri insertæ, crassiusculæ, nigræ, clava breviter ovata, acuminata, fusco-holosericea. Thorax latitudine baseos parum longior, apice truncatus, antice multo angustior, constrictus, transversim impressus, pone apicem rotundato-ampliatus, dein lateribus fere rectis, angulis posticis vix productis, basi bi-sinuatus, supra parum convexus, niger, opacus, confertim minus profunde punctatus. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum. Elytra basi singulatim nonnihil rotundato-producta, antice thoracis basi paulo latiora, humeris elevatis, obtuse rotundatis; thorace vix duplo longiora, fere linearia, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra fere plana, atro-cœrulea, sub-nitida, profunde regulariter striata, striis crenato-punctatis, interstitiis latis, planis, minus regulariter distincte pro parte seriatim punctulatis; in ipsa basi macula sub-rotunda et paulo pone medium altera minor, transversa, fulvo-squamosæ. Pygidium semi-rotundatum, nigrum, rugoso-punctatum. Corpus subtus nigrum, squamulis albidis adspersum; pectore fortius, ventre subtilius punctulatis; lateribus pectoris dense fulvescenti-squamosis. Pedes robusti, nigri, setulis albidis adspersi, profunde punctati; femoribus modice incrassatis, muticis; tibiis rectis, intus apice uncinatis; tarsis elongatis, subtus cinereo-spongiosis.— BHN.

* 22. B. AMOENULUS.

Oblongo-ovatus, niger, obscurus, rostro valde arcuato thorace confertim rugoso-punctato, carinato, utrinque niveo bi-maculato, scutello niveo, elytris crenato-striatis, interstitiis punctulatis, singulo maculis duabus niveis, posteriori majori.

Curculio id. Dom. SCHNEID. *in Litteris.*

Habitat in Nova Hollandia. Mus. Schh.

Baridio artemisiæ vix longior, sed dimidio fere latior. Caput parvum, breve, rotundatum, nigrum, sub-nitidum, confertim subtiliter punctulatum; oculi oblongi, transversi, nigri, depressi; rostrum longitudine thoracis, minus crassum, valde arcuatum, apicem versus nonnihil ampliatum, supra fere planum, piceum, sub-nitidum, subtiliter punctulatum. Antennæ in medio rostri insertæ, crassiusculæ, nigro-piceæ, clava breviter ovata, obtuse acuminata, fusco-pubescente. Thorax latitudine baseos longior, apice truncatus, anterius angustior, leviter coarctatus, mox pone apicem rotundato-ampliatus, dein lateribus fere rectis; basi leviter bi-sinuatus, supra modice convexus, niger, obscurus, confertim rugoso-punctatus, linea dorsali longitudinali sub-elevata, lævi, utrinque maculis duabus niveo-squamosis, notatus, quarum una ad apicem, altera ad basin. Scutellum parvum, apice rotundatum, niveo-squamosum. Elytra basi singulatim nonnihil rotundato-producta, antice thoracis basi vix latiora, et illo non duplo longiora, humeris prominulis, obtuse rotundatis; lateribus inflexa, pone humeros apicem versus sensim perparum angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra parum convexa, nigra, obscura, profunde regulariter striata, striis crenato-punctatis, interstitiis latis, planis, punctis seriatim digestis, impressis, in ipsa basi supra callo humerali, macula parva, elongata, et paulo pone medium altera, major, sub-quadrata, niveo-squamosis. Pygidium semi-rotundatum, nigrum, rugoso-punctatum. Corpus subtus nigrum, obscurum, squamulis albidis adspersum; pectore fortius, ventre subtilius punctulatis; lateribus pectoris dense niveo-squamosis. Pedes breves, robusti, nigri, punctati, squamulis argenteis adspersi; femoribus modice incrassatis, muticis; tibiis rectis, intus apice uncinatis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. — Bhn.

* 23. B. Interruptus. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, obscurus, rostro valde arcuato, thorace sat crebre profunde punctato, obsolete carinato, utrinque pallido-bimaculato, scutello flavescenti-squamoso, elytris subtiliter crenato-striatis, interstitiis subtiliter punctulatis, singulo lineolis duabus paleaceis ornato, posteriori longiori.

Habitat in Insula Java. Dom. Mellerborg. Mus. Schh.

Habitus et summa similitudo *Baridii amœnuli*, sed duplo minor; punctura thoracis, signaturis elytrorum, præsertim distinctus.

Caput parvum, globosum, nigrum, sub-nitidum, subtilissime punctulatum, inter oculos transversim leviter impressum; oculi oblongi, depressi, nigri; rostrum longitudine thoracis, minus crassum, valde arcuatum, teres, apicem versus nonnihil dilatatum, nigro-piceum, nitidum, confertim punctulatum. Antennæ mox pone medium rostri insertæ, crassiusculæ, nigro-piceæ, clava breviter ovata, obtuse acuminata. Thorax latitudine baseos vix longior, apice truncatus, leviter coarctatus, anterius angustatus, mox pone apicem rotundato-ampliatus, tum lateribus fere rectis, basi bi-sinuatus, supra modice convexus, niger, sub-nitidus, sat crebre profunde punctatus, carina obsoleta longitudinali notatus, utrinque maculis duabus lateralibus flavescenti-squamosis ornatus, quarum una ad apicem, altera ad basin. Scutellum parvum, apice rotundatum, flavescenti-squamosum. Elytra basi singulatim nonnihil rotundato-producta, antice thoracis basi vix latiora, et illo fere duplo longiora, humeris prominulis, obtuse rotundatis; pone humeros apicem versus sensim perparum angustata, apice ipso singulatim sub-rotundata, supra parum convexa, nigra, obscura, subtiliter crenato-striata, interstitiis planis, subtiliter crebre punctulatis, singulo elytro in ipsa basi, inter strias 4 et 5 a sutura, lineola abbreviata et in medio disci altera longiori, e squamulis albidis vel fulvescentibus, ornato. Pygidium semi-rotundatum, nigrum, rugoso-punctatum. Corpus subtus nigrum, squamulis pallidis adspersum, pectore fortius, ventre subtilius punctulatis; lateribus pectoris dense squamosis. Pedes breves, robusti, nigri, rude punctati, squamulis argenteis adspersi; femoribus modice incrassatis, muticis; tibiis rectis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

24. B. IRRORATUS. *Schh.*

Oblongus, niger, sub-nitidus, squamulis albidis tenuissime adspersus, rostro longo, sub-tenui, valde arcuato, thorace antice constricto, profunde sat confertim punctato, linea dorsali lævi, elytris profunde striatis, interstitiis punctulatis.

Habitat in Insula Java. Dom. MELLERBORG. Mus. Reg. Acad. Scient. Holm.

Baridio picino dimidio fere minor. Caput minutum, rotundatum, nigrum, nitidum, obsoletissime punctulatum; oculi oblongi, transversi, depressi, nigri; rostrum longitudine thoracis cum capite, subtenue, valde arcuatum, apicem versus nonnihil ampliatum, teres, nigrum, nitidum, basi subtiliter punctulatum,

apice sub-læve. Antennæ in medio rostri insertæ, minus crassæ, nigro-piceæ, fusco-pilosæ, clava breviter ovata, parum acuminata, pubescente. Thorax latitudine baseos multo longior, apice truncatus, antice angustatus, valde constrictus, transversim impressus, pone apicem rotundato-ampliatus, dein versus basin nonnihil angustatus, postice bi-sinuatus, supra parum convexus, niger, sub-nitidus, sat confertim, rude, profunde punctatus, linea dorsali sat lata, lævi, squamulis raris piliformibus niveis, præsertim versus latera, adspersus. Scutellum parvum, apice rotundatum, nigrum. Elytra basi singulatim rotundato-producta, antice thoracis basi parum latiora, et illo vix dimidio longiora, humeris prominulis, rotundatis, pone humeros apicem versus sensim perparum angustata, apice ipso singulatim obtuse rotundata, supra parum convexa, dorso sub-plana, profunde striata, et in striis obsolete crenato-punctata, interstitiis planis basi profunde dein subtiliter punctulatis; tota nigra, sub-nitida, squamulis piliformibus niveis, tenuissime adspersa, in ipsa basi inter strias 2 et 3 in lineola parva condensatis. Pygidium semi-rotundatum, nigrum, obscurum, confertim rugoso-punctatum. Corpus subtus nigrum, sub-nitidum, sat crebre et antice profundius punctulatum, squamulis albidis adspersum. Pedes robusti, nigro-picei, punctati, albido-pubescentes; femoribus modice incrassatis, muticis; tibiis rectis, intus apice valide uncinatis. Tarsi elongati subtus fulvo-spongiosi.

BOH.

* 25. B. PENICILLATUS. *Mannerheim.*

Elongatus, niger, pube fusca adspersus, capite, rostroque arcuato, rufo-ferrugineis, thorace sub-convexo, profunde crebre punctato, elytris basi profunde dein subtiliter crenato-striatis, singulo longe ante medium penicillo e setulis crassis atris, notato.

Habitat in Insula St.-Domingo. A Dom. Com. MANNERHEIM benevole missus.

Baridio picino vix longior, sed dimidio angustior. Caput parvum, globosum, rufo-ferrugineum, sat profunde minus crebre punctatum; oculi ovati, transversi, depressi, nigri; rostrum longitudine fere thoracis, arcuatum, crassiusculum, teres, remote punctatum, rufo-ferrugineum, basi pube fusca adspersum. Antennæ mox pone medium rostri insertæ, ad dimidium thoracis fere pertingentes, minus tenues, rufo-ferrugineæ, clava parva ovata, sub-acuminata, pubescente. Thorax latitudine baseos longior, apice truncatus, anterius subito angustatus, mox pone apicem rotundato-ampliatus,

tum versus basin iterum angustatus, basi leviter bi-sinuatus, supra modice convexus, niger, profunde rude et crebre punctatus, punctis squamulis albidis repletis, pube longa, erecta, fusca, parce adspersus. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum, nitidum. Elytra elongata, basi perparum rotundato-producta, antice thoracis medio fere angustiora, linearia, thorace dimidio longiora, apice conjunctim, obtuse rotundata, supra planiuscula, nigra, a basi fere ad medium, sat profunde dein subtiliter crenato-striata, interstitiis planis, vix punctulatis, antice setulis brevissimis albidis et undique pube tenui erecta, fusca, adspersa, singulo elytro in disco antico, longe ante medium penicillo e setulis nonnullis erectis, crassis, atris, instructo. Pygidium semi-rotundatum, punctatum. Corpus subtus nigrum, nitidum, pectore profunde crebre, ventre remote punctatis; lateribus pectoris dense niveo-squamosis. Pedes breves, robusti, profunde punctati, femoribus modice clavatis, muticis, nigris; tibiis tarsisque piceis.—BHN.

26. B. VIDUATUS.

Oblongo-ovatus, niger, setulis albidis parce adspersus, antennis tarsisque rufo-ferrugineis, rostro valde arcuato, thorace carinato, profunde rude rugoso-punctato, elytris medio transversim impressis, crenato-striatis, interstitiis planis remote punctatis, apicem versus carinatis.

Calandra viduata. FABR. *Syst. El.* II. p. 437. n° 36.
Calandra id. ILLIG. *Mag.* IV. p. 139. n° 36.

Patria : America meridionalis. Ex Musæo Dom TOENDER Lund.

Baridio picino vix longior sed duplo latior. Caput parvum, rotundatum, nigrum, nitidum, vix punctulatum, inter oculos transversim impressum; oculi oblongi, transversi, depressi, nigri; rostrum longitudine thoracis, crassiusculum, teres, valde arcuatum, nigrum, a basi ultra medium sat profunde crebre punctatum, apicem versus sub-læve. Antennæ in medio rostri insertæ, crassiusculæ, rufo-ferrugineæ, clava oblongo-ovata, acuminata, fusco-pubescente. Thorax latitudine baseos vix longior, apice truncatus, sub-coretatus, anterius subito angustatus, lateribus fere rectis, basi bi-sinuatus, supra parum convexus, niger, opacus, rude profunde rugoso-punctatus, carinula longitudinali parum elevata munitus, setulis albidis parce adspersus. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum, nitidum, sub-læve. Elytra sub-triangularia, basi singulatim nonnihil rotundato-producta, antice thoracis basi paulo

latiora, a basi apicem versus angustata, thorace dimidio longiora, humeris sub-prominulis, lateribus inflexa, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra fere plana, in medio transversim sat profunde impressa, nigra, crenato-striata, interstitiis planis, remote obsolete seriatim punctulatis, apicem versus angustis, carinatis; setulis albidis parce adspersa. Corpus subtus nigro-piceum, profunde punctatum. Pedes robusti, picei, profunde punctati; femoribus modice clavatis, muticis; tibiis rectis, apice uncinatis; tarsis elongatis, ferrugineis, subtus griseo-spongiosis. — BHN.

* 27. B. NANUS.

Oblongo-ovatus, nigro-piceus, setulis pallidis parce adspersus, antennis pedibusque obscure ferrugineis, rostro valde arcuato, thorace carinato, profunde gyroso, elytris sulcatis, sulcis in fundo punctatis, interstitiis angustis, elevatis, carinatis.

Baris nana. Dom. Com. DEJEAN *in Litteris*, teste Dom. SCHUPPEL.

Patria : America meridionalis. A Dom. SCHUPPEL amice missus. Mus. SCHH.

Baridio viduato primo intuitu simillimus et magnitudine æqualis; thorace gyroso, elytris medio non impressis, sulcatis, interstitiis, carinatis, ab illo facile distinctus. Caput parvum, rotundatum, nigro-piceum, nitidum, obsoletissime minus crebre punctulatum, inter oculos transversim impressum; oculi oblongi, transversi, depressi, nigri; rostrum longitudine fere thoracis cum capite, crassiusculum, teres, valde arcuatum; nigro-piceum, a basi ultra medium magis incrassatum, sub-compressum, sat profunde crebre punctatum, apicem versus tenuius, sub-læve. Antennæ in medio rostri insertæ, crassiusculæ, rufo-ferrugineæ, clava sub-ovata, acuminata, fusco-pubescente. Thorax latitudine baseos nonnihil brevior, apice truncatus, sub-coarctatus, anterius subito angustatus, lateribus fere rectis, basi leviter bi-sinuatus, supra parum convexus, niger, opacus, rude profunde longitudinaliter gyrosus, carinula dorsali parum elevata munitus, setulis silaceis parce adspersus. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum, nitidum, sub-læve. Elytra basi singulatim sinuata, antice thoracis basi paulo latiora, a basi apicem versus perparum angustata, thorace dimidio longiora, humeris sub-prominulis, modice elevatis; lateribus inflexa, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra modice convexa, nigro-picea, profunde sulcata, sulcis in fundo punctatis, interstitiis angustis, elevatis, sub-carinatis, impunctatis, setulis albidis et silaceis mixtis

parce adspersa, in ipsa basi non procul a scutello in macula parva condensatis. Corpus subtus nigro-piceum, pectore profunde, ventre subtilius punctatis. Pedes robusti, obscure ferruginei, profunde punctati, setulis albidis adspersi; femoribus modice clavatis, muticis; tibiis rectis, apice uncinatis; tarsis elongatis, dilutius ferrugineis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

* 28. B. AZUREUS.

Oblongo-ovatus, azureus, nitidus, rostro modice arcuato, subtiliter punctulato, viridi-æneo, thorace obsolete punctulato, elytris subtiliter striato-punctatis, interstitiis lævibus, humeris elevatis.

Baris azurea. Dom. Com. DEJEAN *in Litteris,* teste Dom. SCHUPPEL.

Patria : Insula Cuba. A Dom. SCHUPPEL communicatus. Mus. SCHH.

Magnitudo fere *Baridii nitentis.* Caput parvum, globosum, azureum, sub-nitidum, subtilissime minus crebre punctulatum; oculi oblongi, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum longitudine thoracis, crassiusculum, teres, modice arcuatum, apicem versus nonnihil ampliatum, viridi-æneum, nitidum, subtiliter remote punctulatum. Antennæ mox pone medium rostri sitæ, ad dimidium thoracis fere pertingentes, crassiusculæ, nigræ, clava oblongo-ovata, acuminata, fusco-pubescente. Thorax latitudine baseos longior, apice truncatus, sub-coarctatus, antice subito angustatus, dein basin versus rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, supra modice convexus, azureus, sub-nitidus, dorso subtiliter, lateribus magis evidenter etsi remote punctulatus. Scutellum parvum, rotundatum, azureum, sub-nitidum. Elytra sub-ovata, basi singulatim nonnihil rotundato-producta, antice thoracis basi paulo latiora, quam lata vix dimidio longiora, humeris rotundatis, supra in tuberculo parvo elevatis; a basi apicem versus parum angustata, lateribus inflexa, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra fere plana, azurea, nitida, subtiliter striato-punctata, interstitiis planis, subtilissime vix visibiliter coriaceis. Corpus subtus azureum, nitidum, pectore profunde sat crebre, ventre obsolete remote punctatis. Pedes robusti, viridi-ænei, nitidi, remote punctulati; femoribus modice clavatis, muticis; tibiis lateribus, nonnihil arcuatis, apice uncinatis; tarsis elongatis, nigro-piceis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

* 29. B. Tombacinus. *Schh.*

Oblongo-ovatus, æneus, nitidus, antennis pedibusque castaneis, rostro arcuato, punctulato, thorace remote punctato, elytris ante apicem callosis, subtiliter striatis, striis in fundo punctulatis, interstitiis lævibus.

Habitat in Brasilia meridionali. A Dom. Schuppel communicatus. Mus. Schh.

Baridio picino parum longior, nonnihil tamen latior. Caput parvum, globosum, æneum, nitidum, obsoletissime punctulatum, inter oculos transversim impressum; oculi oblongi, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum thorace nonnihil brevius, valde arcuatum, a basi ultra medium compressum, gibbum, dein deplanatum, æneum, nitidum, subtiliter sat crebre punctulatum. Antennæ mox pone medium rostri insertæ, ad dimidium thoracis pertingentes, crassiusculæ, rufo-castaneæ, parce pilosæ, clava breviter ovata, sub-obtusa, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos nonnihil longior, apice truncatus, lateribus a basi ultra medium rectis, tum apicem versus angustatus, mox intra apicem coarctatus, basi bi-sinuatus, supra fere planus, æneus, nitidus, punctis parum profundis, remotis, vage impressus. Scutellum parvum, rotundatum, æneum, nitidum. Elytra basi singulatim perparum rotundato-producta, antice thorace nonnihil latiora, et illo fere duplo longiora, humeris elevatis, obtuse rotundatis; lateribus inflexa, apicem versus sensim angustata, apice ipso singulatim obtuse rotundata, supra planiuscula, subtiliter striata, striis in fundo punctulatis, interstitiis planis, lævibus; pone humeros versus latera leviter impressa et ante apicem callo obtuso, parum elevato, notata, tota ænea, nitida. Pygidium obtuse rotundatum, crebre profunde punctatum, obscure æneum. Corpus subtus æneum, nitidum, pectore profunde, ventre subtilius minus crebre punctatis. Pedes breviusculi, validi, castanei, æneo-micantes, subtiliter punctulati; femoribus modice clavatis, muticis; tibiis rectis; tarsis elongatis, rufo-testaceis, subtus fulvo-spongiosis. — Bhn.

* 30. B. Lividipes. *Schh.*

Oblongo-ovatus, obscure æneus, nitidus, glaber, rostro brevi, supra gibbo, punctulato, thorace parum convexo, minus crebre sat profunde punctato, elytris subtiliter punctato-striatis, interstitiis planis, seriatim punctulatis, pedibus testaceis.

Patria : Brasilia meridionalis. A Dom. SCHUPPEL communicatus. Mus. SCHH.

Baridio tombacino valde affinis; ab illo interstitiis elytrorum punctulatis, mox distinctus. Caput parvum, sub-globosum, obscure æneum, nitidum, obsoletissime tantum punctulatum, inter oculos transversim impressum; oculi oblongi, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum capite dimidio longius, crassiusculum, teres, valde arcuatum, dorso in medio elevatum, apice deplanatum, æneum, nitidum, subtiliter crebre punctulatum. Antennæ breviusculæ, crassiusculæ, piceæ, parce pilosæ, clava breviter ovata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos non longior, apice truncatus, anterius angustatus, mox intra apicem leviter coarctatus, lateribus modice rotundatus, basi leviter bi-sinuatus, supra parum convexus, obscure æneus, nitidus, glaber, minus crebre sat profunde disperse punctatus. Scutellum parvum, sub-rotundatum, æneum, nitidum. Elytra basi sub-sinuata, antice thorace parum latiora, callo humerali sub-elevato, lateribus non ampliata, apice singulatim obtuse rotundata, thorace vix plus quam dimidio longiora, supra parum convexa, fere plana, distincte etsi subtiliter punctato-striata, interstitiis planis, seriatim punctulatis; tota obscure ænea, nitida, glabra. Pygidium semi-rotundatum, confertim punctatum, æneum. Corpus subtus obscure æneum, nitidum, pectore profundius, ventre subtilius punctatis. Pedes mediocres, testacei, punctulati; femoribus parum incrassatis, muticis; tibiis rectis, apice intus uncinatis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis.

Observ. — Specimen adest, thorace medio utrinque impresso, cætera omnino ut in typo descripto. Species nullo modo distincta.

BHN.

*31. B. ACUTIPENNIS.

Oblongo-ovatus, æneus, nitidus, glaber, capite evidenter punctulato, thorace profundius minus crebre punctato, elytris evidenter simpliciter striatis, interstitiis antice planis, subtiliter seriatim punctulatis, postice angustatis, carinatis, singulo elytro intra apicem in margine tuberculo minuto instructo.

SAY. *Descript. of Curcul. of N. Amer.* p. 27. n° 4.

Patria : Mexico. Mus. Dom. SAY.

Statura et summa similitudo *Baridii tombacini*, nonnihil tamen minor; thorace crebrius punctato, elytris simpliciter striatis, interstitiis subtiliter punctulatis, postice carinatis, apice tuberculo mi-

nuto instructis, ab illo bene distinctus. Caput parvum, rotundatum, æneum, obscurum, subtiliter vage etsi evidenter punctulatum, inter oculos transversim impressum; oculi oblongi, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum longitudine thoracis, valde incurvum, a basi ultra medium sub-compressum, apicem versus deplanatum, æneum, obscurum, confertim punctulatum. Antennæ crassiusculæ, nigræ, clava breviter ovata, atro-holosericea. Thorax latitudine baseos vix longior, apice truncatus, lateribus a basi ultra medium fere rectis, tum apicem versus angustatis; mox intra apicem coarctatus, postice bi-sinuatus, supra fere planus, æneus, nitidus, punctis vagis, profundis, minus crebre impressus. Scutellum parvum, rotundatum, æneum, nitidum. Elytra basi singulatim perparum rotundato-producta, antice thorace nonnihil latiora, et illo dimidio longiora, humeris sub-elevatis, obtuse rotundatis; apicem versus sensim angustata, apice ipso singulatim obtuse rotundata, intra apicem in margine tuberculo minuto instructa, supra planiuscula, evidenter simpliciter striata, interstitiis a basi ultra medium planis, serie simplici punctorum minutorum notatis, dein posterius angustatis, acute elevatis, sub-carinatis; tota ænea, nitida, glabra. Pygidium parum prominens, æneum, punctatum. Corpus subtus obscure æneum, nitidum, punctulatum. Pedes breviusculi, validi, obscure ænei, punctulati; femoribus modice clavatis, muticis; tibiis rectis, apice uncinatis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis.—Bhn.

32. B. Spadiceus. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, squamulis albidis adspersus, capite cum rostro arcuato, punctulatis, thorace minus crebre sat profunde punctato, medio sub-carinato, elytris rufo-brunneis, basi triangulariter postice transversim niveo-squamosis, sat profunde crenato-striatis, interstitiis subtiliter punctulatis.

Habitat in Brasilia. Mus. Dom. Faldermann.

Magnitudo fere *Baridii nitentis.* Caput parvum, rotundatum, nigrum, nitidum, subtiliter minus crebre punctulatum; oculi oblongi, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum longitudine fere thoracis, valde arcuatum, a basi ultra medium compressum, crassiusculum, dein deplanatum, nigrum, sub-nitidum, lateribus crebre profunde, dorso subtiliter punctulatum. Antennæ crassiusculæ, nigræ, parce pilosæ, clava breviter ovata, sub-obtusa, atro-pubescente. Thorax latitudine baseos fere brevior, apice truncatus, lateribus a basi ultra medium rectis, tum apicem versus angustatis,

intra apicem leviter constrictus, basi bi-sinuatus, supra parum convexus, niger, sub-nitidus, sat profunde minus crebre punctatus, medio longitudinaliter etsi obsoletissime carinatus, lateribus et subtus magis crebre evidenter punctatus, ibique squamulis albis adspersus. Scutellum breve, transversum, nigrum, sub-nitidum. Elytra basi singulatim nonnihil rotundato-producta, antice thorace parum latiora illoque dimidio longiora, humeris elevatis, obtuse rotundatis; a basi apicem versus sensim perparum angustata, apice ipso singulatim obtuse rotundata, supra planiuscula, sat profunde striata, striis in fundo punctatis, interstitiis planis, subtiliter vage punctulatis; rufo-brunnea, nitida, basi triangulariter et in dorso postico transversim albido-squamosa, squamulis in interstitiis non vero in striis locatis. Pygidium semi-rotundatum, nigrum, crebre punctatum, squamulis albidis adspersum. Corpus subtus nigrum, sub-nitidum, sat profunde minus crebre punctatum, punctis squamulis albis repletis. Pedes breviusculi, validi, rufo-picei, confertim punctati, squamulis albidis parce obsiti; femoribus modice clavatis, muticis; tibiis rectis, apice uncinatis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis.—BHN.

* 33. B. BADIUS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, castaneus, nitidus, rostro brevi, crasso, valde arcuato, basi gibbo, sat crebre evidenter punctato, thorace obscuriori, profunde minus crebre punctato, elytris profunde striatis, interstitiis punctulatis.

Habitat in Brasilia. Mus. Dom. CHEVROLAT, SCHUPPEL et SCHH.

Magnitudo et fere habitus *Baridii nitentis.* Caput parvum, rotundatum, obscure castaneum, sub-nitidum, subtiliter remote punctulatum, inter oculos transversim leviter impressum; oculi oblongi, transversi, depressi, nigri; rostrum capite plus duplo longius, valde arcuatum, a basi ultra medium crassum, gibbum, dein apicem versus deplanatum; totum obscure castaneum, sub-nitidum, sat crebre evidenter punctatum. Antennæ in medio rostri insertæ, breves, crassæ, ferrugineæ, parce pilosæ, clava breviter ovata, sub-obtusa, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos multo longior, apice truncatus, mox pone apicem valde constrictus, tubulatus, tum rotundato-ampliatus, dein lateribus basin versus fere rectis, tenue marginatis, postice bi-sinuatus, supra parum convexus, obscure castaneus, nitidus, remote sat profunde punctatus. Scutellum breve, transversum, obscure castaneum. Elytra oblongo-sub-quadrata, basi singulatim perparum rotundato-pro-

ducta, antice thorace nonnihil latiora et illo dimidio longiora, humeris, sub-elevatis, rotundatis; lateribus inflexa, a basi apicem versus parum angustata, apice ipso singulatim rotundata, supra fere plana, castanea, nitida, sat profunde striata, striis in fundo obsolete punctatis, interstitiis planis, basi bifariam apicem versus seriatim punctulatis. Corpus subtus nigro-piceum, subtiliter punctulatum. Pedes breviusculi, robusti, rufo-castanei, punctati; femoribus modice clavatis, muticis; tibiis teretibus, rectis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis.— BHN.

* 34. B. SULCATUS. *Steven.*

Oblongo-ovatus, nigro-piceus, antennis pedibusque ferrugineis, rostro brevi, crasso, valde arcuato, confertim punctulato, thorace sub-quadrato, apice ferrugineo, crebre punctato, linea abbreviata, dorsali, lævi, notato, elytris ferrugineis, profunde striatis, in striis impunctatis, interstitiis seriatim punctulatis.

Patria : Tauria. A Dom. STEVEN amicissime donatus.

Magnitudo et fere statura *Baridii nitentis;* rostro breviori, thorace confertim punctato, elytris profunde striatis ut et colore ab illo facile distinctus. Caput parvum, rotundatum, nigro-piceum, nitidum, sub-læve, inter oculos transversim impressum; oculi laterales, oblongi, transversi, nigri, haud prominuli; rostrum capite dimidio longius, teres, crassum, valde arcuatum, obscure ferrugineum, sub-nitidum, subtiliter crebre punctatum. Antennæ pone medium rostri insertæ, breves, crassæ, ferrugineæ, parce pilosæ, clava breviter ovata, sub-obtusa, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos longior, apice truncatus, mox pone apicem valde constrictus, tubulatus, lateribus tum rotundato-ampliatus, dein basin versus rectus, postice leviter bi-sinuatus, tenue marginatus, supra fere planus, ater, sub-nitidus, margine apicali ferrugineus, crebre punctatus, linea angusta dorsali brevi, antice posticeque valde abbreviata, lævi, notatus. Scutellum breve, transversum, nigro-piceum. Elytra oblongo-sub-quadrata, basi singulatim perparum rotundato-producta, antice thoracis basi paulo latiora, quam lata vix dimidio longiora, humeris obtuse rotundatis vix elevatis; a basi ultra medium linearia, tum angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra fere plana, obscure ferruginea, subnitida, profunde striata, striis in fundo vix visibiliter punctatis, interstitiis planis, singulis serie regulari e punctis parvis impressis. Corpus subtus piceum, undique confertim punctulatum; abdomine dilutiori, ferrugineo. Pedes breviusculi, robusti, obscure ferrugi-

nei, punctati; femoribus modice clavatis, muticis; tibiis teretibus, subrectis, apice uncinatis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

* 35. B. NITENS.

Oblongo-ovatus, niger, nitidus, glaber, rostro crassiusculo, curvato, confertim punctato, thorace subtiliter punctato, elytris parum profunde punctato-striatis, interstitiis seriatim punctatis.

MÉNÉTR. *Catal. raisonné.* p. 223. n° 1001.
Calandra id. FAB. *Syst. El.* II. p. 436. n° 35.
Curculio id. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 403. n° 38.
Baris id. GERM. *Ins. Sp.* I. p. 199. a.
STEV. *Mus. Mosqu.* II. p. 102.
Rhynchænus timidus. OLIV. *Ent.* V. 83. p. 146. n° 107. T. 27. f. 401.
Curculio timidus. ROSSI. *Faun. Etr. Mant.* I. p. 37. n° 92. — Ed. HELLW. I. p. 376. n° 92.
HERBST. *Col.* VII. p. 23. n° 581. T. 97. f. 2. a.
Baris timida. DEJ. *Cat. Col.* p. 99.

Patria : Europa meridionalis, Persia.

* 36. B. DUPLICATUS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, sub-nitidus, glaber, antennis pedibusque ferrugineis, capite subtiliter punctato, thorace confertim sat profunde punctato, dorso antico sub-carinato, elytris profunde simpliciter striatis, interstitiis planis, rude minus crebre dorsalibus bifariam seriato-punctulatis.

MÉNÉTR. *Catal. raisonné.* p. 223. n° 1002.

Habitat in Caucaso. Dom. MÉNÉTR. Mus. SCHH.

Magnitudo et summa similitudo *Baridii nitentis,* nonnihil tamen longior; thorace profundius et crebrius punctato, elytrorum striis profundis, vix punctatis, interstitiis evidenter punctulatis, ab illo distinctus. Caput parvum, rotundatum, nigrum, sub-nitidum, vertice remote, fronte sat crebre subtiliter punctulatis; oculi parvi, laterales, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum longitudine thoracis, crassum, cylindricum, arcuatum, nigrum, sub-nitidum, crebre sat profunde rugoso-punctatum. Antennæ longe pone medium rostri insertæ, minus tenues, rufo-ferrugineæ, parce pilosæ, clava obtuse ovali, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos fere brevior, sub-quadratus, apice truncatus, anterius subito an-

gustatus, lateribus fere rectis, basi leviter bi-sinuatus, supra fere planus, niger, sub-nitidus, undique sat crebre et profunde punctatus, linea media angusta postice abbreviata, lævissima, sub-elevata, notatus. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum, sub-nitidum, punctatum. Elytra oblonga, antice thoracis basi haud latiora, quam lata duplo fere longiora, humeris rotundatis, fere linearia, apicem versus citius angustata, apice ipso obtuse rotundata, supra planiuscula, ante apicem gibbere obsoleto instructa, pone humeros leviter impressa, profunde et simpliciter striata, insterstitiis planis, evidenter punctatis, dorsalibus bifariam seriato-punctatis; tota nigra, sub-nitida, glabra. Pygidium parum prominens, confertim punctatum. Corpus subtus nigrum, sub-nitidum, sat crebre punctatum, punctis squamulis albidis repletis. Pedes breviusculi, robusti, ferruginei, punctati, squamulis albidis adspersi; femoribus modice clavatis, muticis; tibiis rectis, apicem versus dilatatis, uncinatis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. — Bhn.

* 37. B. Memnonius. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, nitidus, glaber, antennis tarsisque piceis, capite vix punctato, thorace convexiore, confertim subtilius punctulato, dorso linea lævi notato, elytris sat profunde simpliciter striatis, interstitiis planis, basi vage dein seriatim subtiliter punctulatis.

Habitat non procul a litore orientali maris Caspii. A Dom. Bartels communicatus. Mus. Schh.

Statura et summa similitudo *Baridii duplicati*, nonnihil tamen minor, magis nitidus; capite vix punctato, thorace convexiori, subtilius punctato, linea dorsali non elevata, interstitiis dorsalibus basi vage punctulatis, ab illo distinctus. Caput parvum, sub-globosum, nigrum, nitidum, vertice lævi, fronte obsoletissime punctulata; oculi laterales, oblongi, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum longitudine fere thoracis, teres, crassum, arcuatum, nigrum, nitidum, undique crebre profunde punctatum. Antennæ non procul ab apice rostri insertæ, crassiusculæ, piceæ, parce fusco-pilosæ, clava breviter ovata, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos parum longior, apice truncatus, mox intra apicem coarctatus, lateribus modice rotundato-ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra modice convexus, niger, nitidus, undique sat crebre minus profunde punctatus, linea media angusta, postice abbreviata, non elevata, lævissima, notatus. Scutellum parvum, sub-quadratum, elevatum, nigrum, impunctatum. Elytra oblonga, basi singulatim truncata, antice thoracis basi vix la-

tiora, quam lata duplo fere longiora, humeris parum prominulis, rotundatis; fere linearia, apicem versus citius angustata, apice ipso singulatim rotundata, supra parum convexa, ante apicem gibbere obsoleto notata, sat profunde simpliciter striata, interstitiis planis, basi vage, dein sub-seriatim subtiliter punctulatis; tota nigra, nitida. Pygidium sub-rotundatum, nigrum, confertim punctatum. Corpus subtus nigrum, nitidum, sat crebre punctatum. Pedes breviusculi, robusti, nigri, punctati; femoribus modice clavatis, muticis; tibiis rectis, compressis, apicem versus nonnihil dilatatis, intus acute uncinatis; tarsis elongatis, ferrugineis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

38. B. CARBONARIUS. *Steven.*

Oblongo-ovatus, niger, sub-nitidus, glaber, antennis tarsisque obscure ferrugineis, rostro longiore, crasso, valde arcuato, confertim punctato, thorace sub-quadrato, minus profunde crebre punctato, linea dorsali sub-elevata lævi, notato, elytris pone medium, apicem versus subito angustatis, simpliciter sat profunde striatis, interstitiis subtiliter vage punctulatis.

Habitat in Tauria. A Dom. STEVEN amicissime donatus. Mus. SCHH.

Magnitudo et fere statura *Baridii nitentis;* rostro paulo longiori, thorace latiori, magis confertim profundius punctato, sub-carinato, elytris apicem versus citius angustatis, interstitiis vage subtiliter punctulatis, ab illo bene distinctus. Caput parvum, globosum, nigrum, nitidum, subtilissime sat crebre punctulatum, inter oculos transversim impressum; oculi oblongi, transversi, nigri, haud prominuli; rostrum thorace nonnihil brevius, teres, crassum, valde arcuatum, nigrum, nitidum, evidenter crebre punctulatum, apice nonnihil deplanatum. Antennæ non procul ab apice rostri insertæ, breves, crassæ, obscure ferrugineæ, parce pilosæ, clava, breviter ovata, acuminata, dilutiori, pubescente. Thorax latitudine baseos vix longior, apice truncatus, tubulatus, tum rotundato-ampliatus, lateribus fere rectis, basi leviter bi-sinuatus, supra parum convexus, niger, sub-nitidus, glaber, crebre minus profunde punctatus, linea angusta dorsali, sub-elevata, antice posticeque abbreviata, lævi, instructus. Scutellum parvum, breve, transversum, nigrum. Elytra antice thoracis basi vix latiora, basi sub-truncata, humeris parum prominulis, obtuse rotundatis, quam lata dimidio longiora, pone medium apicem versus citius angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra parum convexa, nigra, sub-

nitida, glabra, sat profunde simpliciter striata, interstitiis planis, subtiliter vage punctulatis. Pygidium semi-rotundatum, nigrum, crebre punctatum. Corpus subtus nigrum, sub-nitidum, pectore rude, abdomine crebre minus profunde punctatis. Pedes breviusculi, robusti, punctati; femoribus modice clavatis, muticis, nigris; tibiis subrectis, apice intus uncinatis, piceis; tarsis elongatis, ferrugineis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

* 39. B. SABA.

Oblongo-ovatus, nigro-piceus, sub-nitidus, rostro mediocri, subtenui, arcuato, basi quinque-sulcato, thorace supra plano, apice in medio producto, remote vage punctulato, elytris parum profunde striatis et in striis minus distincte punctatis, interstitiis obsolete punctulatis.

Calandra id. FABR. *Syst. El.* II. p. 437. n° 38.
ILLIG. *Mag.* IV. p. 139. n° 38.

Habitat in America meridionali. A Dom. DE SCHESTEDT benigne donatus. Mus. SCHH.

Baridio nitenti longitudine æqualis, sed angustior et magis deplanatus. Caput parvum, rotundatum, nigro-piceum, sub-læve, vel obsoletissime punctulatum; oculi laterales, oblongi, depressi, nigri; rostrum thorace fere brevius, subtenue, arcuatum, subteres, nigro-piceum, nitidum, a basi ultra medium sulcis quinque minus profundis, punctatis, exaratum, dein subtiliter punctulatum. Antennæ pone medium rostri insertæ, minus crassæ, piceæ, pallide pilosæ, clava ovata, acuminata, pubescente. Thorax latitudine parum longior, apice bi-sinuato-emarginatus, supra in medio nonnihil rotundato-productus, antice angustior, sub-coarctatus, transversim impressus, lateribus parum rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, marginatus, supra planus, nigro-piceus, sub-nitidus, punctis remotis, parum profundis, impressus, versus latera striolatus. Scutellum minutum, apice rotundatum, nigrum. Elytra basi sub-truncata, antice thoracis basi vix latiora, sed illo dimidio longiora, humeris elevatis, obtuse rotundatis; a basi apicem versus sensim perparum angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra plana, nigro-picea, minus profunde regulariter striata, striis in fundo obsolete punctatis, interstitiis latis, planis, singulo serie regulari e punctis parvis obsoletis impresso. Pygidium breve, transversum, apice sub-truncatum, nigrum, obscurum, confertim rugoso-punctatum. Corpus subtus nigro-piceum, pectore fortius, ventre subtilius punctulatis. Pedes robusti, nigro-picei, punctati; femoribus

modice clavatis, muticis; tibiis rectis, apice intus uncinatis; tarsis elongatis, ferrugineis, subtus fulvo-spongiosis.—BHN.

* 40. B. BARDUS. *Schh.*

Ovalis, niger, nitidus, glaber, capite evidenter minus crebre punctato, rostro breviore, compresso, thorace sub-triangulari, remote leviter punctato, subtus canaliculato, elytris striatis, interstitiis planis, obsolete seriatim punctulatis.

Mas: rostro crassiore, magis gibboso, apice deplanato.
Femina.? rostro tenuiori, infra canaliculato.
Solenosternus furvus. SCHH. *in Litteris,* olim.

Patria: Brasilia. A Dom. MÉNÉTRIÉS et FALDERMANN communicatus. Mus. SCHH.

Habitus fere generis *Centrini,* sed antennæ aliter constructæ, de Genere tamen hæreo. Magnitudo fere *Baridii nitentis.* Caput breve, semi-globosum, nigrum, nitidum, evidenter minus crebre punctulatum; fronte inter oculos foveola parva impressa; oculi ovati, transversi, majusculi, depressi, nigri; rostrum longitudine thoracis, valde arcuatum, a basi longe ultra medium compressum, apicem versus nonnihil deplanatum, supra undique subtiliter sat crebre lateribus profunde punctatum; totum nigrum, nitidum. Antennæ mox pone medium rostri sitæ, breves, minus crassæ, nigræ, parce pilosæ, clava sub-ovata, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos vix longior, anterius multo angustior, apice truncatus et longe intra apicem transversim impressus, lateribus pone stricturam modice rotundatis, obliquis, versus basin sensim ampliatis; basi leviter bi-sinuatus, supra modice convexus, niger, nitidus, remote vage subtilius punctatus, subtus distincte canaliculatus. Scutellum parvum, breve, transversum, nigrum, nitidum. Elytra antice sinuata, thoracis basi vix latiora, pone basin nonnihil ampliata, humeris obliquis, sub-elevatis; dein posterius attenuata, sub-triangularia, quam lata dimidio longiora, apice ipso conjunctim sub-truncata, supra parum convexa, nigra, nitida, glabra, evidenter striata, striis in fundo obsolete punctatis, interstitiis latis, planis, singulo serie e punctis minutis, obsoletis, notato. Pygidium breve, transversum, punctatum, nigrum. Corpus subtus nigrum, nitidum, pectore punctis majusculis, sub-remotis setulisque paucis cinereis, adsperso, ventre subtilius punctato. Pedes breviusculi, validi, nigri, punctati, parce cinereo-setulosi; femoribus sub-compressis, muticis; tibiis rectis, apice

intus uncinatis; tarsis modice dilatatis, subtus griseo-spongiosis. Bhn.

41. B. Armatus. *Schh.*

Oblongus, niger, nitidus, glaber, subtus squamulis albidis adspersus, rostro longiore, basi compresso, thorace postice sub-bisinuato, sat profunde minus crebre punctato, linea longitudinali, lævi, notato, subtus spina brevi utrinque armato, elytris subtiliter punctato-striatis, interstitiis obsoletissime seriatim punctulatis.

Patria: Brasilia. Ex Musæo Dom. Faldermann, ad describendum, amice communicatus.

Habitus fere generis *Centrini,* statura fere *Baridii bardi,* sed dimidio minor, præsertim angustior. Caput parvum, rotundatum, nigrum, nitidum, subtiliter minus crebre punctulatum, inter oculos transversim impressum; oculi oblongi, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum longitudine capitis cum thorace, validum, teres, valde incurvum, basi lateribus compressum, gibbosum, apicem versus parum deplanatum, nigrum, nitidum, a basi ultra medium obsolete carinatum, sat profunde striolato-rugosum. Antennæ mox pone medium rostri sitæ, crassiusculæ, nigræ, parce albido-pilosæ, clava oblonga, acuminata, fusco-pubescente. Thorax latitudine baseos vix longior, apice truncatus, antice subito angustatus, tubulatus, transversim impressus, mox pone apicem rotundato-ampliatus, tum lateribus versus basin rectis, postice sub-bisinuatus, supra parum convexus, niger, nitidus, glaber, sat profunde minus crebre punctatus, linea dorsali, longitudinali, lævi, notatus, subtus ante pedum anticorum originem spinis duabus, brevibus, apice recurvatis, armatus. Scutellum parvum, apice nonnihil dilatatum, nigrum, nitidum. Elytra basi sub-sinuata, thorace parum latiora, et illo dimidio longiora, humeris subprominulis, obtuse rotundatis; pone humeros apicem versus angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra parum convexa, nigra, nitida, glabra, subtiliter punctato-striata, interstitiis planis, singulo serie e punctis minutis, obsoletis notato. Pygidium vix conspicuum. Corpus subtus nigrum, nitidum, pectore profundius, ventre obsoletius punctatis, punctis squamulis albidis repletis. Pedes mediocres, validi, nigri, punctati, squamulis albidis adspersi; femoribus modice clavatis, muticis; tibiis rectis, apice uncinatis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. — Bhn.

* 42. B. CORACINUS. *Schh.*

Sub-ovatus, coracinus, nitidus, glaber, capite obsoletissime punctato, rostro basi compresso, gibboso, thorace remote vage punctulato, elytris subtiliter punctato-striatis, interstitiis obsoletissime seriatim punctulatis.

Patria: Insula Java. Dom. MELLERBORG. Mus. SCHH.

Affinis certe *Baridii nitentis*, sed duplo minor, coracinus vel atro-cœruleus, magis nitidus, elytris subtiliter punctato-striatis, interstitiis adhuc obsoletius punctulatis. Caput minutum, rotundatum, atro-cœruleum, obsoletissime remote punctulatum; oculi oblongi, transversi, depressi, nigri; rostrum longitudine thoracis, crassiusculum, inflexum, arcuatum, basi compressum, gibbosum, in ipsa basi elevatum, fornicatum, nigrum, sub-nitidum, confertim sat profunde punctatum. Antennæ pone mèdium rostri insertæ, crassiusculæ, nigræ, clava breviter ovata, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos vix longior, apice truncatus, antice multo angustior, constrictus et transversim impressus, margine sub-elevatus, pone apicem rotundato-ampliatus, dein lateribus fere rectis, basi sat profunde bi-sinuatus, lobo medio magno, apice rotundato; supra parum convexus, coracinus, nitidus, dorso subtiliter remote, versus latera magis profunde crebrius punctulatus. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum. Elytra basi singulatim nonnihil rotundato-producta, antice thoracis basi parum latiora, humeris sub-elevatis, obtuse rotundatis; thorace vix duplo longiora, pone humeros apicem versus sensim perparum angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra fere plana, coracina, nitida, glabra, subtiliter punctato-striata, interstitiis latis, planis, obsoletissime seriatim punctulatis. Pygidium breve, transversum, semi-rotundatum, nigrum, rugoso-punctatum. Corpus subtus atro-cœruleum, sub-nitidum; pectore fortius, ventre subtilius punctulatis. Pedes breviusculi, validi, nigri, punctati; femoribus modice clavatis, muticis; tibiis rectis, apice intus uncinatis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis.—BHN.

*43. B. CRENATUS.

Oblongo-ovatus, niger, nitidus, glaber, capite sat profunde crebre punctulato, rostro basi sub-compresso, thorace profunde minus crebre punctulato, dorso sub-carinato, elytris transversim impressis, crenato-striatis, interstitiis planis vage remote punctulatis, posterius angustatis, carinatis, singulo elytro puncto parvo juxta scutellum niveo-squamoso.

Baris crenata. Dom. KLUG *in Litteris*, teste Dom. SCHUPPEL.

Baridius undatus. Var. SAY, *Descript. of Curcul. of N. Amer.* p. 17. n° 4.

Patria: Mexico et America borealis. A Dom. SCHUPPEL et Dom. SAY communicatus. Mus. SCHH.

Magnitudo, specimina parva, *Baridii nitentis.* Caput parvum, globosum, nigrum, sub-nitidum, sat profunde crebre punctulatum; oculi oblongi, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum thorace nonnihil longius, minus tenue, valde arcuatum, a basi ultra medium compressum, dein deplanatum, nigrum, nitidum, basi striolato-rugulosum, dein subtiliter crebre punctulatum. Antennæ fere in medio rostri sitæ, subtenues, nigro-piceæ, clava ovata, sub-obtusa, atro-holosericea. Thorax latitudine baseos nonnihil brevior, apice truncatus, antrorsum subito angustatus, coarctatus, lateribus fere rectis, basi sat profunde bi-sinuatus, supra parum convexus, niger, nitidus, dorso minus crebre lateribus et subtus dense punctatus, linea media sub-elevata, lævissima, antice abbreviata, notatus. Scutellum transversum, nigrum, punctulatum. Elytra ovalia, basi singulatim perparum rotundato-producta, antice thorace paulo latiora, et illo dimidio longiora, humeris sub-elevatis, obtuse rotundatis; lateribus inflexa, pone humeros apicem versus sensim perparum angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra planiuscula, dorso transversim bis impressa, crenato-striata, interstitiis planis, vage remote punctulatis, apicem versus angustatis, carinatis; nigra, nitida, glabra, singulo in ipsa basi juxta scutellum puncto parvo niveo-squamoso, decorato. Pygidium semi-rotundatum, nigrum, opacum, profunde crebre punctatum. Corpus subtus nigrum, nitidum, pectore profunde crebre, ventre subtiliter minus crebre punctatis. Pedes breviusculi, validi, nigri, crebre profunde punctati; femoribus modice clavatis, muticis; tibiis rectis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

* 44. B. Depilis. *Chevrolat.*

Oblongo-ovatus, ater, nitidus, glaber, capite crebre punctato, rostro basi compresso, thorace profunde minus crebre punctato, elytris transversim impressis, profunde sulcatis, sulcis in fundo obsolete punctatis, interstitiis planis, obsolete seriatim punctulatis, posterius angustatis, carinatis; singulo elytro puncto parvo basali niveo-squamoso.

Patria : Mexico. A Dom. Chevrolat benevole communicatus. Mus. Schh.

Statura et summa similitudo *Baridii crenati,* nonnihil tamen minor; elytris profundius sulcatis, sulcis in fundo obsolete punctatis, ab illo præcipue distinctus. Caput parvum rotundatum, nigrum, sub-nitidum, crebre punctulatum; oculi laterales, oblongi, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum thorace nonnihil longius, minus tenue, valde arcuatum, a basi ultra medium compressum, dein deplanatum, atrum, nitidum, basi crebre profundius apicem versus subtilius punctulatum. Antennæ fere in medio rostri sitæ, subtenues, nigræ, parce pilosæ, clava breviter ovata, atro-holosericea. Thorax latitudine baseos nonnihil brevior, apice truncatus, antrorsum angustatus, mox intra apicem coarctatus et transversim leviter impressus, lateribus obliquis, basi bi-sinuatus, supra parum convexus, ater, nitidus, glaber, dorso minus crebre lateribus et subtus dense punctatus, linea media vix elevata, lævi, notatus. Scutellum transversum, atrum, vix punctatum. Elytra ovalia, basi singulatim perparum rotundato-producta, antice thorace paulo latiora et illo dimidio longiora, humeris sub-elevatis, vix prominulis, rotundatis; pone humeros apicem versus sensim angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra planiuscula, dorso transversim leviter bi-impressa, sulcata, sulcis in fundo obsolete punctatis, interstitiis planis, obsolete seriatim punctulatis, apicem versus angustatis, carinatis; atra, nitida, glabra; singulo elytro in ipsa basi inter strias 2 et 3 a sutura puncto parvo, niveo-squamoso, decorato. Pygidium semi-rotundatum, atrum, opacum, crebre punctatum. Corpus subtus atrum, nitidum, pectore profundius, ventre subtilius punctatis, punctis squama albida farctis. Pedes mediocres, validiusculi, nigri, sat crebre punctati; femoribus modice clavatis, muticis; tibiis rectis; tarsis elongatis, subtus fusco-spongiosis. — Bhn.

45. B. SUBSCABROSUS. *Chevrolat.*

Oblongus, niger, sub-nitidus, glaber, thorace breviore, sub-quadrato, undique sat profunde minus crebre punctato, elytris a basi apicem versus sensim angustatis, pone humeros impressis, minus profunde striatis, striis punctatis, interstitiis obsoletissime punctulatis, postice angustatis, carinatis.

Patria : Mexico. Ex Musæo Dom. CHEVROLAT, ad describendum, amice communicatus.

Baridio undato affinis et colore similis, illo nonnihil brevior, sed dimidio angustior. Caput parvum, globosum, nigrum, subtilissime crebre punctulatum ; oculi oblongi, transversi, haud prominuli, nigri ; rostrum longitudine thoracis, crassiusculum, teres, incurvum, a medio ad basin sensim crassius, apicem versus nonnihil deplanatum, nigrum, nitidum, subtiliter punctulatum. Antennæ in medio rostri sitæ, crassiusculæ, nigræ, clava breviter ovata, fusco-pubescente. Thorax latitudine baseos nonnihil brevior, apice truncatus, a basi ultra medium lateribus fere rectis, tum apicem versus cito angustatus, tubulatus, postice bi-sinuatus, supra fere planus, niger, nitidus, dorso undique sat profunde minus crebre vage punctatus, lateribus et subtus dense rugoso-strigosus. Scutellum parvum, breve, transversum, nigrum, sub-nitidum. Elytra basi singulatim perparum rotundato-producta, antice thorace nonnihil latiora, quam lata dimidio longiora, humeris parum prominulis, obtuse rotundatis ; lateribus pone humeros apicem versus sensim nonnihil angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra planiuscula, pone humeros leviter impressa, nigra, sub-nitida, glabra, parum profunde striata, striis in fundo punctatis, interstitiis planis, obsoletissime striato-punctatis, postice angustatis, carinatis. Pygidium parum prominens, nigrum, opacum, crebre punctatum. Corpus subtus nigrum, nitidum, pectore profunde, ventre obsolete punctatis. Pedes breviusculi, validi, nigri, punctati ; femoribus modice clavatis, muticis; tibiis rectis, apice uncinatis ; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

* 46. B. UNDATUS.

Oblongo-ovatus, niger, opacus, antennis, tibiis tarsisque ferrugineis, thorace sub-quadrato, profunde confertim punctato, dorso postico sub-carinato, elytris pone humeros leviter impressis, striatis, striis punctatis, interstitiis evidenter striato-punctatis.

SAY, *Descript. of Curcul. of N. Amer.* p. 17. n° 4.

Patria: Mexico. Ex Musæo Dom. SAY, ad describendum, benevole communicatus.

Baridio artemisiæ vix longior, sed dimidio latior. Caput parvum, globosum, nigrum, opacum, subtiliter sat crebre punctulatum; oculi oblongi, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum longitudine fere thoracis, crassiusculum, incurvum, a medio ad basin sensim crassius, apice nonnihil deplanatum, confertim punctulatum, basi obsolete carinatum, nigrum, opacum. Antennæ in medio rostri sitæ, crassiusculæ, rufo-ferrugineæ, clava breviter ovata, obscuriori. Thorax latitudine baseos nonnihil brevior, apice truncatus, lateribus a basi ultra medium fere rectis, tum anterius subito angustatus, tubulatus, postice bi-sinuatus, supra parum convexus, niger, opacus, confertim minus profunde punctatus, linea longitudinali, lævi, sub-elevata, in dorso postico, instructus. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum. Elytra basi sub-sinuata, antice thorace paulo latiora et illo dimidio longiora, humeris parum prominulis, rotundatis; lateribus a basi apicem versus vix angustiora, apice ipso singulatim obtuse rotundata, supra planiuscula, pone humeros leviter impressa, nigra, sub-opaca, sat profunde striata, striis in fundo obsolete punctatis, interstitiis planis, serie simplici e punctis sat profundis notatis. Pygidium semiovatum, nigrum, subtiliter confertim punctulatum. Corpus subtus nigrum, parum nitidum, punctatum. Pedes breviusculi, validi; femoribus profunde punctatis, nigris, modice clavatis, muticis; tibiis rectis, obscure ferrugineis, apice uncinatis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

* 47. B. INTERSTITIALIS.

Sub-ovatus, nigro-virescens, nitidus, glaber, antennis pedibusque nigropiceis, rostro breviusculo, valde arcuato, subtiliter punctulato, thorace profunde remote punctato, elytris profunde striatis, striis in fundo vix punctatis, interstitiis planis, evidenter seriatim punctulatis.

SAY, *Descript. of Curcul. of N. Amer.* p. 18. n° 6. et p. 26. n° 2.
Rhynchænus id. SAY *in Journ. Acad. Phil.* III. p. 314. n° 5.

Habitat in America meridionali. A Dom. CHEVROLAT missus; in Florida. Dom. SAY. Mus. SCHH.

Baridio uncinato statura et facie simillimus, sed dimidio fere major; notis indicatis ab illo bene distinctus. Caput parvum, ro

tundatum, nigro-virescens, sub-nitidum, obsoletissime punctulatum, inter oculos transversim leviter impressum; oculi oblongi, transversi, nigri, vix prominuli; rostrum thorace multo brevius, crassiusculum, sub-teres, inflexum, valde arcuatum, apice deplanatum, confertim subtiliter punctulatum, nigrum, nitidum. Antennæ prope medium rostri insertæ, validiusculæ, piceæ, scapo brevissimo, clavato, funiculo 7-articulato, articulo basali obconico, reliquis perfoliatis, coarctatis, crassitudine crescentibus, clava crassa breviter ovata, sub-obtusa. Thorax quoad structuram ut in *Baridio uncinato*, nigro-virescens, multo profundius vage et remote punctatus. Scutellum minutum, rotundatum, nigrum. Elytra oblongo-sub-quadrata, basi singulatim nonnihil rotundato-producta, antice thoracis basi paulo latiora, humeris sub-elevatis, obtuse rotundatis, nitidis; thorace vix duplo longiora, lateribus inflexa, apice ipso singulatim obtuse rotundata, supra fere plana, nigro-virescentia, sub-nitida, glabra, profunde regulariter striata, striis in fundo vix punctatis, interstitiis latis, planis, singulis serie regulari e punctis parvis, impressis. Corpus subtus nigrum, sub-nitidum, pectore fortius, ventre obsoletius punctulatis. Pedes breviusculi, robusti, nigro-picei, punctati; femoribus modice incrassatis, muticis; tibiis rectis, apice intus uncinatis; tarsis gracilibus, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

* 48. B. UNCINATUS. *Ghl.*

Ovatus, niger, nitidus, antennis pedibusque rufo-piceis, rostro brevi, valde arcuato, subtiliter punctato, thorace remote punctato, elytris profunde crenato-striatis, interstitiis vix punctulatis.

Baridius (Cyphirhinus) uncinatus. SCHH. *Curc. Disp. Meth.* p. 276.

* VAR. β. Rostro apice, antennis pedibusque rufo-ferrugineis.

Habitat in America meridionali. Mus. SCHH.

Baridio coracino statura non dissimilis, sed dimidio minor. Caput parvum, rotundatum, nigrum, nitidum, obsoletissime punctulatum; oculi oblongi, transversi, nigri, haud prominentes; rostrum thorace multo brevius, crassiusculum, sub-teres, inflexum, valde arcuatum, apice deplanatum, nigrum, nitidum, confertim subtiliter punctulatum. Antennæ rufo-piceæ, scapo brevissimo clavato. Thorax latitudine baseos nonnihil longior, apice truncatus, anterius multo angustior, sub-coarctatus, pone apicem rotundato-ampliatus, dein lateribus rectis, basi bi-sinuatus, supra fere planus, niger, nitidus, punctis remotis, sat profundis, vage im-

pressus. Scutellum minutum, rotundatum, nigrum. Elytra oblongo-sub-quadrata, basi singulatim nonnihil rotundato-producta, antice thoracis basi parum latiora, sed illo vix duplo longiora, humeris sub-elevatis, obtuse rotundatis; lateribus inflexa, apice ipso singulatim obtuse rotundata, supra fere plana, nigra, sub-nitida, profunde regulariter striata, striis crenato-punctatis, interstitiis latis, planis, vix punctulatis. Pygidium apice rotundatum, basi longitudinaliter elevatum, nigrum, rude punctatum. Corpus subtus nigrum, sub-nitidum, pectore fortius, ventre subtilius punctulatis. Pedes robusti, rufo-picei, punctati; femoribus modice incrassatis, muticis; tibiis rectis, apice intus uncinatis; tarsis gracilibus, subtus fulvo-spongiosis.

Var. β differt tantum colore rostri, antennarum pedumque, dilutius rufo-ferrugineo. — BHN.

* 49. B. VECORS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, ater, nitidus, rostro brevi, valde arcuato, subtiliter punctulato, thorace profunde crebre punctato, elytris crenato-striatis, interstitiis seriatim punctulatis.

Habitat in Antioquia Columbiæ. Dom. NISSER. Mus. SCHH.

Longitudo fere *Baridii uncinati*, sed dimidio angustior; thorace crebre punctato, interstitiis elytrorum seriatim punctulatis, ab illo facile distinctus. Caput parvum, rotundatum, nigrum, nitidum, subtilissime punctulatum; oculi laterales, oblongi, transversi, nigri, haud prominuli; rostrum capite dimidio longius, crassiusculum, sub-teres, inflexum, valde arcuatum, apice deplanatum, atrum, nitidum, confertim subtiliter punctulatum. Antennæ fere in medio rostri insertæ, validiusculæ, nigræ, clava breviter ovata, sub-obtusa. Thorax sub-quadratus, latitudine baseos vix longior, apice truncatus, anterius subito angustatus, sub-coarctatus, pone apicem rotundato-ampliatus, dein lateribus rectis, postice bi-sinuatus, supra fere planus, ater, nitidus, punctis sat profundis crebris impressus. Scutellum minutum, rotundatum, nigrum. Elytra oblonga, sub-quadrata, basi singulatim nonnihil rotundato-producta, antice thoracis basi parum latiora, quam lata vix duplo longiora, humeris sub-elevatis, obtuse rotundatis; lateribus inflexa, apicem versus citius angustata, apice ipso singulatim rotundata, supra fere plana, profunde regulariter striata, striis crenato-punctatis, interstitiis planis, seriatim punctulatis; tota atra, nitida. Pygidium apice rotundatum, nigrum, rude confertim punctatum. Corpus subtus obscure æneum, sub-nitidum, crebre sat profunde puncta-

tum. Pedes breviusculi, robusti, nigro-picei, punctati; femoribus modice clavatis, muticis; tibiis rectis; apice intus uncinatis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. — Bhn.

* 50. B. Antiquus. *Schh.*

Oblongus, cupreo-æneus, nitidus, squamulis piliformibus albidis adspersus, rostro tenui, longitudine thoracis, thorace sat profunde crebre punctato, linea dorsali lævi, notato, elytris subtiliter crenato-striatis, interstitiis obsolete punctulatis.

Patria : Antioquia Columbiæ. Dom. Nisser. Mus. Schh.

Parvus; *Baridio vecorde* vix latior, sed dimidio fere longior. Caput parvum, globosum, convexum, cupreo-æneum, nitidum, subtiliter punctulatum; oculi laterales, ovati, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum longitudine thoracis, teres, tenue, modice arcuatum, nigro-æneum, nitidum, vix visibiliter punctulatum. Antennæ fere in medio rostri insertæ, ad dimidium thoracis vix pertingentes, crassiusculæ, nigræ, clava breviter ovata, sub-obtusa. Thorax latitudine baseos fere brevior, apice sub-truncatus, anterius angustatus, sub-coarctatus, mox pone apicem rotundato-ampliatus, dein lateribus fere rectis, postice leviter bi-sinuatus, supra parum convexus, cupreo-æneus, nitidus, sat crebre et profunde punctatus, linea longitudinali, dorsali, lævi, instructus, squamulis piliformibus albidis præsertim ad latera adspersus. Scutellum parvum, rotundatum, obscure æneum. Elytra oblonga, basi singulatim perparum rotundato-producta, antice thorace parum latiora et illo duplo longiora, humeris nonnihil elevatis, rotundatis; linearia, apicem versus citius angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra modice convexa, subtiliter striata, striis in fundo punctulatis, interstitiis planis, obsolete punctulatis, cupreo-ænea, nitida, squamulis piliformibus albidis præsertim versus latera adspersa. Corpus subtus obscure æneum, subtiliter sat crebre punctulatum, albido-squamosum. Pedes breviusculi, ænei, albido-squamulosi; femoribus parum clavatis, muticis; tibiis rectis, intus apice uncinatis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. — Bhn.

* 51. B. Axillaris. *Schh.*

Sub-ovatus, niger, nitidus, glaber, rostro brevi, crasso, arcuato, basi gibbo, subtiliter punctulato, thorace subtiliter sat crebre punctato, medio linea lævi notato, elytris leviter crenato-striatis, interstitiis seriatim confertim punctulatis, humeris modice elevatis, glabris.

Patria : Brasilia. Mus. Chevrolat et Schh.

Baridio uncinato affinis, sed minor, præsertim brevior; thorace subtiliter sat crebre punctato, elytrorum interstitiis punctulatis, ab illo mox distinctus. Caput breve, globosum, nigrum, nitidum, obsoletissime punctulatum, inter oculos transversim impressum; oculi oblongi, transversi, sub-depressi, nigri; rostrum capite dimidio longius, modice arcuatum, basi incrassatum, gibbum, apicem versus deplanatum, nigrum, nitidum, subtiliter confertim punctulatum. Antennæ mox pone medium rostri insertæ, breves, crassiusculæ, nigræ, parce pilosæ, clava parva, breviter ovata, sub-obtusa, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos multo brevior, apice truncatus, anterius angustatus, tubulatus, sub-coarctatus, pone apicem rotundato-ampliatus, tum lateribus fere rectis, basi profunde bi-sinuatus, supra fere planus, niger, nitidus, subtiliter sat crebre punctatus, relicta in medio dorsi linea antice posticeque abbreviata, vix elevata, lævi, notatus. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum, punctatum. Elytra sub-quadrata, basi subsinuata, antice thoracis basi paulo latiora, latitudine nonnihil longiora, humeris modice elevatis, glabris, nitidis; lateribus inflexa, apice ipso singulatim obtuse rotundata, supra fere plana, nigra, sub-nitida, glabra, regulariter minus profunde striata, striis in fundo punctulatis, interstitiis latis planis, subtiliter seriatim confertim punctulatis. Pygidium apice rotundatum, nigrum, crebre punctatum. Corpus subtus nigrum, sub-nitidum, crebre punctatum. Pedes breviusculi, validi, nigri, sub-nitidi, punctulati; femoribus modice incrassatis, muticis; tibiis rectis; apice uncinatis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

* 52. B. ARTEMISIÆ.

Oblongus, niger, sub-nitidus, glaber, antennis tarsisque obscure ferrugineis, capite obsolete, rostro evidenter punctulatis, thorace angustiore, profunde sat crebre punctato, elytris striatis, interstitiis subtiliter seriatim punctulatis. — BHN.

Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 456. n° 92.
GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 81. n° 15.
Curculio id. PAYK. *Faun. Suec.* III. p. 237. n° 55.
HERBST. *Col.* VI. p. 101. n° 61. T. 66. f. 5. forte.
PANZ. *Faun. Germ.* XVIII. n° 10. — *Ent. Germ.* p. 310. n° 63.
Baris id. GERM. *Ins. Spec.* I. p. 199. n° 6. — *Id. in* N. WETTER. *Annal.* I. I. p. 132. n° 3.
STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 11. n° 3.
STEV. *Mus. Mosqu.* II. p. 102.

Baris melæna. STURM. *Ins. Cat.* 1826. p. 99.

Patria : Omnis Europa, Sibiria.

Obs.—Occurrunt etiam individua e Sibiria communicata, thorace plus minusve distincte carinato, specie vix distinguenda.

* 53. B. CAFFER. *Schh.*

Oblongus, niger, opacus, supra sub-depressus, antennis tarsisque ferrugineis, rostro striolato-rugoso, thorace profunde crebre punctato, dorso carinato, elytris crenato-striatis, interstitiis planis, vage crebre punctulatis.

Patria : Caffraria. A Dom. ECKLON et ZEYHER benevole communicatus. Mus. SCHH.

Magnitudo et fere statura *Baridii artemisiæ*, supra magis deplanatus; colore obscuriore, thorace latiore, carinato, elytrorum interstitiis vage punctulatis, ab illo distinctus. Caput breve, convexum, sat crebre punctulatum, nigrum, sub-nitidum; oculi laterales, oblongi, depressi, nigri; rostrum longitudine thoracis, validiusculum, teres, valde arcuatum, striolato-rugosum, piceum, nitidum. Antennæ crassiusculæ, ferrugineæ, cinereo-pubescentes, clava ovata, acuminata. Thorax latitudine vix longior, apice truncatus, anterius dimidio angustior, mox intra apicem constrictus, lateribus nonnihil ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra fere planus, sat profunde crebre disperse punctatus, medio carinula parum elevata instructus, niger, sub-opacus, in speciminibus nonnullis pube grisea, in angulis baseos magis condensata, parce adspersus. Scutellum parvum, rotundatum, concolor. Elytra basi singulatim perparum rotundato-producta, antice thoracis basi paulo latiora, humeris sub-elevatis, rotundatis; apicem versus nonnihil angustata, apice ipso conjunctim rotundata, supra fere plana, evidenter striata, striis in fundo punctatis, interstitiis planis, vage crebre punctulatis; nigro-picea, opaca, interdum pube grisea ad basin parce adspersa. Pygidium semi-rotundatum, nigrum, punctatum, pube grisea adspersum. Corpus subtus nigrum, sub-nitidum, pectore crebre, ventre magis remote subtilius punctulatis, punctis squama albida obsitis. Pedes validi, punctati, nigri, pube albida adspersi; femoribus modice clavatis, muticis; tarsis modice dilatatis, totis ferrugineis. — BHN.

* 54. B. CONVEXICOLLIS. *Schh.*

Oblongus, niger, sub-nitidus, glaber, antennis pedibusque obscure ferrugineis, rostro breviore, crassiore, confertim punctato, thorace lato, convexo, crebre punctato, dorso antico linea lævi, abbreviata, notato, elytris striatis, interstitiis evidenter seriatim punctulatis.

Patria : Non procul a litore orientali maris Caspii lectus. Mus. SCHH. A Dom. BARTELS communicatus.

Magnitudo et summa similitudo *Baridii artemisiæ,* nonnihil tamen angustior; rostro crassiore, thorace latiore, magis convexo, subtilius punctato, etc., ab illo mox distinctus. Caput parvum, rotundatum, nigrum, sub-nitidum, obsoletissime punctulatum; oculi ovati, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum capite fere duplo longius, crassum, modice arcuatum, teres, piceum, sub-nitidum, subtiliter crebre punctulatum. Antennæ pone medium rostri insertæ, crassiusculæ, obscure ferrugineæ, clava parva, sub-ovata, dilutiori, pubescente. Thorax latitudine media nonnihil brevior, apice truncatus, mox pone apicem coarctatus et transversim impressus, lateribus modice rotundatus, basi leviter bi-sinuatus, supra convexus, crebre subtiliter punctatus, in dorso antico linea, abbreviata, sub-elevata, lævi, notatus; totus niger, parum nitidus, glaber. Scutellum parvum, sub-quadratum, nigrum. Elytra basi sub-truncata, antice thorace paulo latiora et illo vix duplo longiora, humeris modice prominulis, obtuse rotundatis; apicem versus angustata, apice ipso singulatim rotundata, supra modice convexa, regulariter minus profunde striata, striis vix visibiliter crenato-punctatis, interstitiis latis, planis, singulis serie e punctis parvis, distinctis, impressis, basi transversim rugulosis; tota nigra, parum nitida, glabra, margine calloque humerali ferrugineis. Pygidium semi-rotundatum, nigro-piceum, crebre punctulatum. Corpus subtus nigrum, nitidum, crebre et antice profundius punctatum, punctis squamulis parvis albidis obsitis. Pedes breviusculi, punctati, ferruginei; femoribus modice clavatis, muticis; tibiis rectis cum tarsis dilutius ferrugineis. — BHN.

* 55. B. NIGRINUS.

Oblongus, niger, opacus, glaber, rostro longiore, thorace sub-quadrato, antice subito angustato, punctatissimo, linea dorsali, antice abbreviata, lævi, notato, elytris sat profunde striatis, striis punctatis, interstitiis striato-punctatis, corpore subtus profunde crebre punctato.

SAY, *Descript. of Curcul. of N. Amer.* p. 21. n° 1.

Patria : Pensylvania. A Dom. SAY benevole missus.

Statura et similitudo *Baridii artemisiæ*, sed triplo fere minor; rostro longiore, thorace confertim subtiliter punctato, carinato, elytris profundius striatis, interstitiis evidenter punctulatis, ab illo abunde distinctus. Caput parvum, rotundatum, nigrum, opacum, subtiliter crebre punctulatum; oculi oblongi, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum longitudine capitis cum thorace, minus crassum, teres, arcuatum, a medio ad basin sensim crassius, apice paululo deplanatum; totum nigrum, punctulatum. Antennæ in medio rostri sitæ, crassiusculæ, nigro-piceæ, clava breviter ovata, fusco-pubescente. Thorax latitudine baseos nonnihil brevior, apice truncatus, a basi ultra medium lateribus fere rectis, tum anterius subito angustatus, tubulatus, basi bi-sinuatus, supra planiusculus, niger, opacus, undique confertim punctatus, linea dorsali, angusta, a basi ad medium extensa, lævi, notatus. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum. Elytra basi singulatim nonnihil rotundato-producta, antice thorace paulo latiora, et illo vix dimidio longiora, humeris parum prominulis, rotundatis; pone humeros apicem versus sensim perparum angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra modice convexa, nigra, sub-opaca, glabra, sat profunde striata, striis in fundo punctatis, interstitiis planis, serie punctorum notatis. Pygidium semi-ovatum, nigrum, opacum, crebre punctatum. Corpus subtus nigrum, sub-nitidum, sat crebre profunde punctatum, punctis squamulis albidis obsitis. Pedes breviusculi; punctati, nigri; femoribus modice clavatis, muticis; tibiis rectis, apice uncinatis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

* 56. B. PUNCTICOLLIS. *Schh.*

Breviter ovatus, niger, glaber, rostro longiore, basi compresso, valde gibbo, thorace confertim profunde punctato, postice acute lobato, subtus determinate canaliculato, elytrorum sulcis evidenter, sub-remote punctatis, interstitiis angustioribus, seriatim punctulatis.

Baridius (Solenosternus) id. SCHH. *Curc. Disp. Meth.* p. 277.

Habitat in Americæ meridionalis Insulis. Dom. T. Lund. Mus. SCHH. et GHL.

Parvus; *Baridio picino* vix latior, sed brevior. Caput breve, convexum, punctulatum, nigrum; fronte inter oculos puncto impresso notata; oculi majusculi, laterales, ovati, depressi, nigri; rostrum

longitudine elytrorum, validum, arcuatum, basi compressum, elevatum, valde gibbum, dein apicem versus tenue, deplanatum, punctulatum, nigrum, nitidum. Antennæ breves, totæ nigro-piceæ. Thorax latitudine baseos vix longior, anterius multo angustior, apice truncatus, margine elevato, lateribus obliquis, parum ampliatis, basi bi-sinuatus, lobo medio et angulis lateralibus acuminatis; supra modice convexus, punctis magnis, profundis, confertim pertusus, totus niger, parum nitidus, subtus distincte canaliculatus. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum. Elytra antice singulatim rotundata, thoracis basi arcte applicata, humeris sub-elevatis, rotundatis; versus apicem sensim angustiora, apice truncata, thorace dimidio longiora, supra minus convexa, evidenter striata, et in striis punctis majusculis, remotis, impressa, interstitiis angustis, planis, serie simplici punctulatis; tota nigra, sub-nitida. Pygidium rotundatum, nigrum, punctulatum. Corpus subtus nigrum, anterius profundius, ventre subtilius punctulatum; setulis minutis, cinereis parce adspersum. Pedes breviusculi, validi, punctati, nigri, parce cinereo-setulosi. — BHN.

* 57. B. SPOLIATUS.

Oblongus, niger, nitidus, rostro pedibusque rufo-ferrugineis, rostro arcuato, thorace antice valde constricto, vage remote punctulato, elytris simpliciter striatis, interstitiis evidenter punctulatis, squamulis albidis basi ad suturam et in medio transversim condensatis, adspersis.

Baris spoliata. DEJ. *Cat. Col.* p. 99.

Habitat in Gallia meridionali et in Hispania. Dom. Com. DEJEAN. Mus. SCHH.

Baridio picino proximus et valde affinis, dimidio tamen major et ultra, magis nitidus, rostro minus arcuato, thorace adhuc remotius punctulato, interstitiis elytrorum evidenter punctulatis. Caput parvum, rotundatum, nigro-piceum, obsoletissime punctulatum, inter oculos transversim impressum; oculi oblongi, transversi, depressi, nigri; rostrum longitudine fere thoracis, crassiusculum, teres, arcuatum, rufo-piceum, nitidum, minus crebre subtiliter punctulatum. Antennæ mox pone medium rostri insertæ, ad dimidium thoracis vix pertingentes, crassiusculæ, rufo-ferrugineæ, parce pilosæ, clava breviter ovata, obtuse acuminata. Thorax latitudine baseos longior, apice truncatus, valde coarctatus, anterius subito angustatus, lateribus fere rectis, basi bi-sinuatus, supra fere

planus, niger, nitidus, subtiliter remote punctulatus, linea media obsoleta, lævissima, subtus profunde striolato-rugosus. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum, nitidum. Elytra basi vix rotundato-producta, antice thoracis basi non latiora, et illo dimidio longiora, lateribus inflexa, a basi apicem versus sensim perparum angustata, apice ipso singulatim obtuse rotundata, supra plana, nigra, nitida, minus profunde simpliciter striata, interstitiis planis, evidenter minus regulariter punctulatis; squamulis albidis parce adspersa, basi prope suturam et in medio transversim condensatis. Pygidium semi-rotundatum, nigro-piceum, profunde rugoso-punctatum. Corpus subtus nigro-piceum, squamulis albidis adspersum, ad latera pectoris condensatis; pectore crebre profunde, ventre remote punctatis. Pedes breves, robusti, ferruginei, profunde punctati; femoribus modice incrassatis, muticis; tibiis rectis, apice uncinatis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis.

BHN.

* 58. B. QUADRATICOLLIS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, ater, nitidus, rostro crassiori, arcuato, thorace latiori, antice constricto, vage sat crebre punctato, basi sub-truncato, elytris simpliciter striatis, interstitiis subtiliter vage punctulatis.

Habitat in Gallia intermedia. Dom. LEFEBVRE. Mus. SCHH.

Magnitudo, statura et summa similitudo *Baridii spoliati;* ab illo rostro crassiori, thorace latiori, crebrius punctato, elytris squamulis destitutis, interstitiis subtiliter vage punctulatis distinctus. Caput parvum, rotundatum, nigrum, sub-nitidum, subtilissime punctulatum, inter oculos transversim impressum; oculi oblongi, transversi, depressi, nigri; rostrum longitudine fere thoracis, crassum, teres, arcuatum, nigrum, nitidum, crebre evidenter punctatum, apice deplanatum. Antennæ mox pone medium rostri insertæ, ad dimidium thoracis fere pertingentes, crassiusculæ, nigræ, parce pilosæ, clava breviter ovata, obtuse acuminata, atro-holosericea. Thorax latitudine media vix longior, apice truncatus, antice subito angustatus, coarctatus, lateribus pone apicem rotundato-ampliatus, basi sub-truncatus, tenue marginatus, supra parum convexus, ater, nitidus, subtiliter sat crebre punctatus, subtus confertim rugoso-punctatus. Scutellum parvum, rotundatum, atrum, nitidum. Elytra basi sub-truncata, antice thoracis medio non latiora, et illo dimidio longiora, humeris vix prominulis, antrorsum nonnihil productis; pone basin apicem versus

sensim perparum angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra fere plana, atra, nitida, squamulis destituta, simpliciter striata, interstitiis planis, subtiliter vage punctulatis. Pygidium semi-rotundatum, nigrum, crebre rugoso-punctatum. Pedes breviusculi, robusti, atri, sat profunde crebre punctati; femoribus modice clavatis, muticis; tibiis rectis, intus apice uncinatis; tarsis elongatis, ferrugineis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

* 59. B. PICITARSIS. *Steven.*

Oblongus, niger, sub-nitidus, tarsis ferrugineis, rostro thorace breviore, crassiusculo, crebre punctato, thorace subtiliter sat crebre punctato, linea dorsali antice abbreviata, lævi, notato, elytris parum profunde striatis, interstitiis remote sub-seriatim punctulatis.

Habitat in Caucaso. Dom. STEVEN. Mus. SCHH.

Longitudo *Baridii nitentis,* sed dimidio angustior, thorace crebrius punctato, elytrorum striis profundioribus, interstitiis evidenter punctulatis. Caput parvum, semi-globosum, nigrum, parum nitidum, subtilissime punctulatum, inter oculos transversim impressum; oculi oblongi, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum thorace nonnihil brevius, crassiusculum, teres, valde arcuatum, apicem versus nonnihil deplanatum, nigrum, nitidum, crebre sat evidenter punctulatum. Antennæ non procul ab apice rostri insertæ, crassiusculæ, nigro-piceæ, parce pilosæ, clava breviter ovata, acuminata, pubescente. Thorax latitudine baseos vix longior, apice truncatus, sub-coarctatus, mox pone apicem rotundato-ampliatus, tum lateribus fere rectis, postice leviter bi-sinuatus vel fere truncatus, supra parum convexus, niger, sub-nitidus, glaber, sat crebre subtiliter punctulatus, linea dorsali, antice abbreviata, sub-elevata, lævi, notatus. Scutellum parvum, breve, transversum, nigrum. Elytra oblongo-quadrata, basi sub-truncata, antice thorace vix latiora, et illo dimidio longiora, humeris vix prominulis, rotundatis; lateribus fere linearia, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra parum convexa, nigra, sub-nitida, glabra, minus profunde striata, striis in fundo vix punctatis, interstitiis planis, punctis parvis remotis, pro parte seriatis, impressis. Corpus subtus nigrum, nitidum; pectore profunde, ventre subtilius undique crebre punctatis. Pedes breviusculi, validi, nigri, punctati; femoribus modice clavatis, muticis; tibiis rectis, apice uncinatis; tarsis elongatis, ferrugineis, subtus fulvo-spongiosis.—BHN.

* 60. B. SEMISTRIATUS. *Schh.*

Oblongus, ater, nitidus, rostro valde arcuato, crebre punctato, thorace oblongo, posterius angustato, minus crebre punctato, linea dorsali sub-elevata, lævi, notato, elytris dorso basi profunde striatis, versus latera punctato-striatis, interstitiis subtiliter seriatim punctulatis.

Patria: Caucasus. Dom. STEVEN. Mus. SCHH.

Statura fere *Baridii picitarsis*, sed dimidio minor; elytrorum striis latera versus evanescentibus, subtiliter punctato-striatis, thorace posterius angustato, ab affinibus distinctus. Caput parvum, rotundatum, atrum, nitidum, subtilissime punctulatum, inter oculos transversim impressum; oculi laterales, oblongi, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum capite duplo longius, crassum, teres, valde arcuatum, nigrum, nitidum, crebre sat profunde punctatum, apice deplanatum. Antennæ non procul ab apice rostri insertæ, ad dimidium thoracis vix pertingentes, crassiusculæ, piceæ, parce pilosæ, clava breviter ovata, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos multo longior, apice truncatus, mox pone apicem valde rotundato-ampliatus, tum lateribus versus basin sensim perparum angustatus, postice leviter bi-sinuatus, supra fere planus, minus crebre punctatus, linea angusta, dorsali, sub-elevata, vix abbreviata, lævi, notatus. Scutellum parvum, breve, transversum, atrum. Elytra oblongo-quadrata, basi subtruncata, antice thorace nonnihil latiora, quam lata dimidio longiora, humeris rotundatis, apicem versus angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra parum convexa, atra, subnitida, striis sex interioribus basi sat profundis, externis subtiliter punctato-striatis, omnibus integris, apicem attingentibus, interstitiis planis, subtiliter seriatim punctulatis. Pygidium semi-rotundatum, atrum, confertim punctatum. Corpus subtus atrum, nitidum, pectore fortius, ventre obsoletius punctatis. Pedes breviusculi, validi, nigri, punctati, pube pallida adspersi; femoribus modice clavatis, muticis; tibiis rectis, apice intus uncinatis; tarsis elongatis, ferrugineis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

* 61. B. PICINUS.

Oblongus, niger, sub-nitidus, glaber, rostro crassiusculo, punctulato, thorace oblongo, subtiliter minus dense punctulato, elytris tenue striatis, striis in fundo obsolete punctatis, interstitiis planis, subtilissime reticulato-strigosis et seriatim punctulatis. — BHN.

Baris picina. GERM. *Ins. Spec.* I. p. 199. n° 321.
Curculio nitens. HERBST. *Col.* VI. p. 160. n° 117. T. 70. f. 13.
Curculio glaber. HERBST. *Arch.* IV. p. 77. n° 49.
LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1771. n° 277.
Curculio laticollis. MARSH. *Ent. Brit.* p. 276. n° 116.
Rhynchænus artemisiæ. OLIV. *Ent.* V. 83. p. 150. n° 113. T. 29. f. 430. Teste Dom. CHEVROLAT.
Lixus atriplicis. FABR. *Syst. El.* II. p. 504. n° 31.?
ILLIG. *Mag.* IV. p. 151. n° 31.
Curculio id. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 419. n° 112. — *Mant.* I. p. 104. n° 89. — *Sp. Ins.* I. p. 173. n° 71. — *Gen. Ins. Mant.* p. 225. n° 49-50.?
OLIV. *Enc. méth.* V. p. 494. n° 98.?
HERBST. *Col.* VI. p. 67. n° 31.?
PANZ. *Ent. Germ.* p. 310. n° 66.?
VILLERS. *Ent.* I. p. 189. n° 60. et IV. p. 270. n° 60.?
LINN. *Syst. nat.* I. IV. p. 1752. n° 156.
Curculio absinthii. PANZ. *Faun. Germ.* XVIII. n° 9.? — *Ent. Germ.* p. 310-62.? — *Crit. Rev.* I. p. 130.
Baris absinthii. DEJ. *Catal. Col.* p. 99.

Patria : Europa media et meridionalis.

* 62. B. ATRAMENTARIUS. *Schh.*

Oblongus, ater, nitidus, rostro breviori, arcuato, confertim punctato, thorace crebre sat profunde punctato, elytris brevioribus, striatis, interstitiis planis, seriatim punctulatis.

Habitat in Hungaria. A Dom. SCHUPPEL communicatus. Mus. SCHH.

Habitus et summa similitudo *Baridii picini*, illi latitudine æqualis, sed dimidio fere brevior; rostro nonnihil breviori, ut et thorace profundius punctato ab illo distinctus videtur. Caput parvum, globosum, atrum, sub-nitidum, sub-læve, inter oculos transversim impressum; oculi oblongi, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum thorace multo brevius, valde arcuatum, a basi ultra medium compressum, gibbum, dein deplanatum, supra atrum, nitidum, subtiliter punctulatum. Antennæ mox pone medium rostri insertæ, ad dimidium thoracis vix pertingentes, crassiusculæ, nigræ, parce pilosæ, clava ovata, sub-obtusa, fusco-pubescente. Thorax longitudine fere elytrorum, apice truncatus, anterius cito angustatus, mox pone apicem lateribus rotundato-

ampliatus, tum versus basin iterum sensim perparum angustatus, basi sub-truncatus, supra fere planus, minus crebre sat profunde vage punctatus, subtus profunde et densius punctatus, totus ater nitidus. Scutellum parvum, rotundatum, atrum, punctulatum. Elytra basi sub-truncata, antice thorace perparum latiora, et illo nonnihil longiora, humeris prominulis, rotundatis; medio paululum ampliata, apicem versus sensim angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra planiuscula, profunde et simpliciter striata, interstitiis planis, subtiliter seriatim punctulatis; tota atra, sub-nitida. Pygidium parum prominens, obtuse rotundatum, confertim punctulatum. Corpus subtus nigrum, sub-nitidum, crebre sat profunde punctatum. Pedes breviusculi, robusti, nigro-picei, profunde punctati; femoribus modice clavatis, muticis; tibiis rectis, apice uncinatis; tarsis elongatis, ferrugineis, subtus fulvo-spongiosis. — Bhn.

* 63. B. Pullus. *Schh.*

Oblongo-ovatus, cœrulescenti-niger, nitidus, tarsis fusco-ferrugineis, rostro tenuiori, arcuato, subtiliter punctulato, thorace minus crebre sat profunde punctato, linea dorsali lævi notato, elytris striatis, striis in fundo punctulatis, interstitiis subtiliter seriatim punctulatis.

Patria : Brasilia. A Dom. Audouin benevole donatus.

Inter minimos hujus generis. *Baridio picino* dimidio minor. Caput parvum, globosum, nigro-cœruleum, vix punctatum; oculi oblongi, transversi, depressi, nigri; rostrum longitudine capitis cum thorace, quam in congeneribus tenuius, valde arcuatum, atro-cœruleum, nitidum, subtiliter minus crebre punctulatum. Antennæ in medio rostri insertæ, ad dimidium thoracis vix pertingentes, crassiusculæ, nigræ, parce pilosæ, clava breviter ovata, sub-obtusa, fusco-pubescente. Thorax latitudine baseos nonnihil longior, apice truncatus, mox intra apicem coarctatus, anterius angustatus, lateribus modice rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, supra parum convexus, nigro-cœruleus, nitidus, minus crebre sat profunde vage punctulatus, linea media longitudinali lævissima, subtus crebre punctatus. Scutellum parvum, rotundatum, atro-cœruleum, nitidum. Elytra basi singulatim perparum rotundato-producta, antice thorace nonnihil latiora et illo dimidio longiora, humeris parum elevatis, obtuse rotundatis; a basi apicem versus sensim nonnihil angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra fere plana, striata, striis in fundo punctulatis, interstitiis planis, serie punctorum minutorum notatis; tota nigro-

cœrulea, nitida. Pygidium obtuse rotundatum, nigrum, confertim rugoso-punctatum. Corpus subtus nigrum, punctatum. Pedes breviusculi, validi, nigro-cœrulei, sub-nitidi, punctati; femoribus modice clavatis, muticis; tibiis rectis; tarsis elongatis, fuscis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

64. B. VIVAX. *Schh.*

Oblongo-ovatus, cœrulescenti-ater, nitidus, rostro tenuiori, arcuato, subtiliter punctulato, thorace sat profunde minus crebre punctato, linea angusta dorsali, lævi, notato, elytris sat profunde punctato-striatis, interstitiis obsolete seriatim punctulatis.

Habitat in Brasilia. Mus. Dom. FALDERMANN.

Statura et summa similitudo *Baridii pulli*, nonnihil tamen major; elytris punctato-striatis, interstitiis obsolete punctulatis, etc., ab illo distinctus. Caput parvum, globosum, atrum, sub-nitidum, subtiliter punctulatum; oculi oblongi, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum longitudine fere capitis cum thorace, minus crassum, valde incurvum, teres, nigro-piceum, sub-nitidum, subtiliter sat crebre punctulatum. Antennæ pone medium rostri sitæ, ad dimidium thoracis vix pertingentes, crassiusculæ, obscure ferrugineæ, parce pilosæ, clava breviter ovata, sub-acuminata, fusco-pubescente. Thorax latitudine baseos nonnihil longior, apice truncatus, mox intra apicem coarctatus, anterius angustatus, lateribus parum rotundato-ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra planiusculus, atro-cœruleus, nitidus, minus crebre parum profunde punctatus, linea media angusta, lævi, notatus, lateribus et subtus dense punctatus. Scutellum parvum, rotundatum, atro-cœruleum, nitidum. Elytra basi singulatim perparum rotundato-producta; antice thorace nonnihil latiora et illo dimidio longiora, humeris parum prominulis, obtuse rotundatis; a basi apicem versus sensim nonnihil angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra fere plana, sat profunde punctato-striata, interstitiis planis, serie punctorum obsoletorum notatis; tota atro-cœrulea, nitida. Pygidium vix conspicuum. Corpus subtus atrum, nitidum, pectore profunde, ventre subtiliter punctulatis, punctis setulis albidis obsitis. Pedes breviusculi, validi, atri, punctati, setulis albidis adspersi; femoribus modice clavatis, muticis; tibiis rectis, apice uncinatis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

* 65. B. ANALIS.

Oblongus, niger, rostro arcuato, thorace sat crebre punctato, antice obsolete carinato, elytris crenato-striatis, interstitiis obsolete punctatis, a medio ad apicem usque rufis. — BHN.

Rhynchænus id. OLIV. *Ent.* V. 83. p. 151. n° 115. T. 16. f. 197. a. b.

Curculio id. OLIV. *Enc. méth.* V. p. 489. n° 80.

Rhynchophorus id. HERBST. *Col.* VI. p. 28. n° 21. T. 61. f. 11. a. b.

Baris id. DEJEAN. *Cat. Col.* p. 99.

Patria : Gallia meridionalis, Italia, Dalmatia.

66. B. SCOLOPAX.

Oblongo-ovatus, piceus, antennis ferrugineis, rostro longo, subrecto, tenuiori, thorace sub-obconico, sat crebre punctato, elytris castaneis, striatis, striis punctatis, interstitiis subtiliter vage punctulatis.

SAY, *Descript. of Curcul. of N. Amer.* p. 26.

Habitat in Missuri Americæborealis. Dom. SAY benevole communicatus.

Statura fere et magnitudo *Orchestis alni;* a congeneribus rostro longo, subrecto, distinctus. Caput parvum, globosum, nigro-piceum, sat crebre punctulatum; oculi ovati, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum longitudine elytrorum, deflexum, tenue, subrectum, nigro-piceum, subtiliter minus crebre punctulatum. Antennæ in medio rostri sitæ, ad dimidium thoracis vix pertingentes, minus crassæ, dilute ferrugineæ, clava oblonga, sub-acuminata, fusco-pubescente. Thorax sub-obconicus, latitudine baseos brevior, apice truncatus, a basi apicem versus sensim angustatus, postice leviter bi-sinuatus, supra parum convexus, piceus, subnitidus, undique profunde sat crebre punctatus. Scutellum parvum, rotundatum, piceum. Elytra basi singulatim perparum rotundato-producta, antice thoracis basi nonnihil latiora, quam lata vix dimidio longiora, humeris sub-elevatis, obtuse rotundatis; pone humeros apicem versus nonnihil angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra planiuscula, obscure castanea, parum profunde striata, striis in fundo punctatis, interstitiis subtiliter vage punctulatis. Pygidium semi-rotundatum, piceum, punctatissimum. Corpus subtus piceum, nitidum, punctulatum. Pedes breviusculi, picei, punctulati; femoribus parum clavatis, muticis;

tibiis rectis, intus apice uncinatis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

67. B. RUFIPES. *Chevrolat.*

Oblongus, niger, silaceo-pilosulus, antennis pedibusque rufo-testaceis, rostro tenuiori, modice arcuato, thorace subtiliter punctulato, carinato, elytris subtiliter striatis, interstitiis obsolete punctulatis.

Patria : Guadeloupe. Mus. Dom. CHEVROLAT.

Baridio vestito subsimilis, sed quadruplo minor. Caput parvum, globosum, nigrum, obsolete punctulatum, pube silacea, præsertim supra oculos et in fronte adspersum; oculi oblongi, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum longitudine thoracis, minus crassum, teres, parum arcuatum, nigro-piceum, obsolete punctulatum. Antennæ in medio rostri sitæ, ad thoracis medium vix pertingentes, crassiusculæ, rufo-testaceæ, clava ovata, obscuriori, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos nonnihil brevior, apice truncatus, a basi apicem versus sensim angustatus, postice bi-sinuatus, supra parum convexus, niger, punctulatus, dorso carinula sub-elevata, instructus, squamulis piliformibus silaceis dense vestitus. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum. Elytra antice thorace vix latiora, et illo plus duplo longiora, humeris parum prominulis, rotundatis; a basi apicem versus linearia, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra in dorso plana, subtiliter striata, interstitiis planis, obsolete punctulatis; tota nigra, squamulis piliformibus silaceis sat dense obtecta. Pygidium parum prominens, piceum, punctulatum. Corpus subtus ferrugineum, punctulatum, squamulis cinereis adspersum. Pedes breviusculi, validi, rufo-testacei, punctulati, pube cinerea adspersi; femoribus parum clavatis muticis; tibiis rectis, apice vix uncinatis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

68. B. COLORATUS. *Schh.*

Oblongus, niger, squamulis cervinis tectus, rostro tenui, longitudine thoracis cum capite, valde arcuato, denudato, confertim punctulato, thorace crebre punctato, utrinque niveo lineato, elytris striatis, linea suturali a basi ad medium punctisque numerosis niveo-squamosis, plaga pone medium, communi, punctis nonnullis dorsalibus, obscure umbrino-squamosis.

Patria : Non procul a litore orientali maris Caspii lectus. Dom. BARTELS.

Baridio artemisiæ longitudine æqualis, sed dimidio angustior. Caput parvum, sub-globosum, nigrum, denudatum, obsolete crebre punctulatum; oculi oblongi, transversi, nigri, depressi; rostrum longitudine capitis cum thorace, subtenue, valde arcuatum, teres, basi nonnihil compressum, nigrum, nitidum, crebre subtiliter punctatum, lateribus ad basin parce cervino-squamosis. Antennæ mox pone medium rostri sitæ, minus crassæ, nigro-piceæ, parce pilosæ, clava parva, breviter ovata, acuminata. Thorax latitudine baseos vix longior, apice truncatus, anterius modice angustatus, lateribus parum rotundato-ampliatus, basi leviter bisinuatus, supra modice convexus, crebre punctatus, niger, dorso squamulis cervinis parce adspersus, lateribus dense niveo-squamosus, medio et subtus squamulis cervinis tectus. Scutellum parvum, breve, transversum, nigrum. Elytra basi sub-truncata, antice thoracis basi paulo latiora, quam lata duplo longiora, humeris vix prominulis, rotundatis; apicem versus angustata, apice ipso conjunctim rotundata, supra parum convexa, sat profunde striata, interstitiis planis, nigra, squamulis cervinis dense tecta, linea suturali a basi ad medium, punctisque oblongo-quadratis numerosis niveo-squamosis, plaga sub-rotunda pone medium, communi, punctisque nonnullis dorsalibus umbrino-squamosis, variegata. Pygidium semi-rotundatum, nigrum, crebre punctulatum, apice cervino-squamosum. Corpus subtus nigrum, punctulatum, squamulis mixtis cervinis et albidis tectum. Pedes breviusculi, nigri, cervino-squamulosi; femoribus modice clavatis, muticis; tibiis teretibus, subrectis, apice uncinatis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

* 69. B. PARVULUS. *Steven.*

Oblongus, niger, squamulis fuscis cinereis immixtis tectus, rostro tenui, longitudine thoracis, valde arcuato, denudato, confertim punctulato, thorace crebre punctato, antice obsolete carinato, lateribus albido-squamoso, elytris striatis, punctis sparsis albido-squamosis, ornatis.

Patria: Kislar. A Dom. STEVEN amicissime donatus. Mus. SCHH.

Parvus; *Baridio colorato* dimidio minor, rostro breviori, thorace antice carinato, aliter coloratus. Caput parvum, rotundatum, nigrum, denudatum, obsolete crebre punctatum, inter oculos transversim impressum; oculi oblongi, transversi, nigri, haud prominuli; rostrum longitudine thoracis, tenue, valde arcuatum, teres, nigrum, nitidum, denudatum, crebre sat profunde punctatum. Antennæ pone

medium rostri insertæ, minus crassæ, nigræ, parce pilosæ, clava breviter ovata, acuminata. Thorax latitudine baseos vix longior, apice truncatus, mox pone apicem rotundato-ampliatus, tum lateribus rectis, postice leviter bi-sinuatus, supra parum convexus, niger, concinne punctatus, antice obsolete carinatus, dorso dense fusco-squamosus, versus latera squamulis cinereo-albidis tectus. Scutellum parvum, breve, transversum, nigrum, squamulis cinereis adspersum. Elytra basi sub-truncata, antice thoracis basi vix latiora, quam lata duplo longiora, fere linearia, humeris obtuse rotundatis, apicem versus angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra parum convexa, sat profunde striata, interstitiis planis, nigra, squamulis fuscis dense tecta, punctis nonnullis sparsis albido-squamosis variegata. Pygidium semi-rotundatum, nigrum, punctatum, dense fusco-squamosum. Corpus subtus nigrum, subtiliter punctatum, squamulis fuscis cinereis immixtis, tectum; ventre medio longitudinaliter denudato. Pedes breviusculi, validi, nigri, squamulis cinereo-fuscis tecti; femoribus modice clavatis, muticis; tibiis teretibus, subrectis, apice uncinatis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

* 70. B. PALLIDICORNIS. *Schh.*

Oblongus, niger, squamulis fuscis et albidis variegatus, antennis tarsisque testaceis, rostro tenui, thorace nonnihil breviori, valde arcuato, thorace longiori, confertim punctato, antice obsolete carinato, elytris striatis.

Habitat in Tauria. A Dom. STEVEN benevole missus.

Statura et summa similitudo *Baridii parvuli*, dimidio tamen minor; antennis tarsisque testaceis, thorace nonnihil longiori, ab illo unice distinctus. Caput parvum, rotundatum, nigrum, denudatum, obsoletissime punctulatum, inter oculos transversim impressum; oculi oblongi, transversi, nigri, haud prominuli; rostrum thorace nonnihil brevius, teres, subtenue, valde arcuatum, nigrum, sub-nitidum, crebre evidenter punctatum, denudatum, apice ferrugineum. Antennæ pone medium rostri insertæ, ad dimidium thoracis vix pertingentes, minus crassæ, testaceæ, parce pilosæ, clava breviter ovata, acuminata, pubescente. Thorax latitudine baseos multo longior, apice truncatus, mox pone apicem rotundato-ampliatus, tum lateribus rectis, postice bi-sinuatus, supra parum convexus, confertim punctatus, antice obsolete carinatus, niger, squamulis in dorso fuscis, ad latera albidis dense tectus. Scutellum parvum, breve, transversum, nigrum. Elytra basi sub-trun-

vata, antice thoracis basi vix latiora, quam lata duplo longiora, fere linearia, humeris obtuse rotundatis, apicem versus angustata, apice ipso conjunctim rotundata, supra parum convexa, sat profunde striata, interstitiis planis, squamulis fuscis albidis immixtis variegata. Pygidium semi-rotundatum, confertim punctatum, parce pubescens. Corpus subtus nigrum, subtiliter punctatum, squamulis albidis et fuscis mixtis tectum; ventre medio longitudinaliter denudato. Pedes breviusculi, validi, picei, squamulis cinereis tecti; femoribus modice clavatis, muticis; tibiis teretibus, subrectis, apice uncinatis; tarsis elongatis, testaceis, subtus fulvo-spongiosis. — Bhn.

71. B. Discolor. *Schh.*

Oblongus, niger, squamulis silaceis tectus, antennarum funiculo tarsisque ferrugineis, rostro tenui, longitudine thoracis, valde arcuato, denudato, confertim punctulato, carinato, thorace crebre punctato, elytris subtiliter striatis, interstitiis vage punctulatis.

Patria : Caffraria. A Dom. Ecklon et Zeyher, ad describendum, communicatus.

Baridio colorato proximus, dimidio tamen minor, squamulis unicoloribus silaceis tectus; rostro carinato, antennarum funiculo tarsisque dilute ferrugineis, ab illo bene distinctus. Caput breve, convexum, obsolete punctulatum, nigrum, opacum, denudatum; oculi laterales, oblongi, transversi, depressi, nigri; rostrum longitudine thoracis, subtenue, teres, valde arcuatum, basi nonnihil compressum, crebre subtiliter punctulatum, dorso longitudinaliter carinatum, nigrum, sub-nitidum, denudatum, apice ipso ferrugineum. Antennæ in medio rostri sitæ, minus crassæ; scapo piceo, articulis reliquis dilute ferrugineis, clava ovata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos vix longior, apice truncatus, anterius modice angustatus, intra apicem leviter constrictus, lateribus parum rotundato-ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra modice convexus, concinne punctulatus, niger, squamulis unicoloribus silaceis dense tectus, hinc inde in dorso denudatus, forte detritus. Scutellum parvum, sub-rotundatum, silaceo-squamosum. Elytra basi sub-sinuata, antice thorace paulo latiora et illo vix duplo longiora, humeris sub-elevatis, parum prominulis, rotundatis, lateribus fere rectis; apice conjunctim rotundata, supra parum convexa, subtiliter striata, striis in fundo punctulatis, interstitiis planis, subtiliter crebre punctulatis; nigra, squamulis unicoloribus silaceis sat dense variegata. Pygidium semi-rotundatum, ni-

grum, punctulatum, silaceo-squamosum. Corpus subtus nigrum, punctulatum, squamulis silaceis adspersum. Pedes breviusculi, nigri, silaceo-squamosi; femoribus modice clavatis muticis; tibiis teretibus, subrectis; tarsis elongatis, totis dilute ferrugineis. — BHN.

72. B. MARGINICOLLIS. *Schh.*

Oblongus, niger, sub-nitidus, antennis pedibusque obscure ferrugineis, rostro tenuiore, valde arcuato, punctulato, thorace longiore, basi angustiore, sub-remote punctato, lateribus utrinque vitta lata e pube densa grisea ornato, elytris obsolete punctato-striatis, interstitiis sub-lævibus; in ipsa basi pube grisea adspersis.

Patria: Caffraria. A Dom. ECKLON et ZEYHER, ad describendum, communicatus.

Minimus hujus generis. Statura angusta *Baridii crocopelmi*, sed dimidio minor. Caput breve, convexum, subtiliter sub-remote punctulatum, nigrum, nitidum; oculi laterales, oblongi, depressi, nigri; rostrum longitudine thoracis, validiusculum, teres, valde arcuatum, nigrum, nitidum, punctulatum. Antennæ medio rostri insertæ, crassiusculæ, rufo-ferrugineæ, cinereo-pubescentes, clava ovata. Thorax latitudine nonnihil longior, apice truncatus, antice posticeque angustatus, lateribus modice rotundato-ampliatus, basi quam apice fere angustior, postice sub-truncatus, tenue marginatus, supra modice convexus, sat profunde disperse dorso remotius lateribus densius punctatus, linea longitudinali, antice abbreviata, lævi, notatus; niger, nitidus, vitta utrinque laterali, dense griseo-squamosa ornatus. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum. Elytra antice leviter conjunctim introrsum emarginata, antice thoracis basi paulo latiora, humeris antrorsum nonnihil prominulis, rotundatis; lateribus non ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace duplo longiora, supra modice convexa, obsolete punctato-striata, punctis ad basin et versus apicem evidentioribus; interstitiis sub-lævibus; nigra, sub-nitida, in ipsa basi pube grisea adspersa. Pygidium occultatum, vix conspicuum. Corpus subtus confertim punctulatum, nigrum, pube albida adspersum. Pedes breviusculi, validi, punctati, obscure ferruginei, pilosi; femoribus modice clavatis, muticis; tarsis elongatis, dilutius ferrugineis, subtus griseo-spongiosis. — BHN.

73. B. Longulus. *Schh.*

Lineari-elongatus, atro-cœruleus, sub-nitidus, antennis tarsisque testaceis, rostro valde arcuato, thorace oblongo, sanguineo postice truncato, sat crebre punctato, elytris punctato-striatis, interstitiis obsolete punctulatis.

Habitat in America meridionali. Mus. Imp. Russ.

Cossono ferrugineo nonnihil longior et angustior. Caput parvum, rotundatum, atro-cœruleum, sub-nitidum, subtiliter vage, sat crebre punctulatum; oculi ovati, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum longitudine thoracis, valde incurvum, a medio ad basin sensim crassius, apice haud dilatatum, sed nonnihil deplanatum, atro-cœruleum, nitidum, punctulatum. Antennæ in medio rostri sitæ, vix longitudine thoracis, crassiusculæ, testaceæ, clava breviter ovata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos multo longior, apice truncatus, lateribus a basi ultra medium, rectis, tum apicem versus angustatus, postice truncatus, tenue marginatus, supra fere planus, sanguineus, sat crebre vage punctatus, dorso lineola antice posticeque abbreviata, lævi, notatus. Scutellum parvum, oblongum, atro-cœruleum, punctatum. Elytra basi truncata, antice thorace fere angustiora et illo triplo longiora, humeris parum prominulis, rotundatis; linearia, apice conjunctim obtuse rotundata, supra modice convexa, ante apicem callo obsoleto, instructa; tota atro-cœrulea, sub-nitida, evidenter sed parum profunde punctato-striata, interstitiis fere planis, subtilissime reticulato-strigosis, et serie simplici punctorum minutorum notatis. Pygidium semi-ovatum, parum prominens, confertim punctatum. Corpus subtus atro-cœruleum, nitidum, punctatum. Pedes breviusculi, atri, punctati; femoribus modice clavatis, muticis; tibiis rectis, apice uncinatis; tarsis elongatis, testaceis, subtus fulvo-spongiosis. — Boh.

* 74. B. Melas. *Steven.*

Lineari-elongatus, ater, nitidus, rostro breviori, crassiori, arcuato, crebre punctulato, thorace oblongo, profunde minus crebre punctato, linea dorsali lævi, notato, elytris subtiliter striatis, interstitiis seriatim punctulatis.

Habitat in Tauria. A Dom. Steven benevole missus. Mus. Schh.

Magnitudo et fere statura *Baridii cuprirostris.* Caput parvum, semi-globosum, atrum, nitidum, vix visibiliter punctulatum, inter

oculos transversim impressum; oculi oblongi, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum capite duplo longius, crassiusculum, teres, valde arcuatum, atrum, nitidum, subtiliter crebre punctulatum, apice deplanatum. Antennæ pone medium rostri insertæ, breves, crassiusculæ, nigræ, parce pilosæ, clava breviter ovata, acuminata, fusco-pubescente. Thorax latitudine baseos multo longior, apice truncatus, coarctatus, mox pone apicem rotundato-ampliatus, tum lateribus rectis, postice bi-sinuatus, supra parum convexus, ater, nitidus, minus crebre profunde vage punctatus, linea media longitudinali, angusta, lævi, notatus, lateribus et subtus confertim ruguloso-punctatus. Scutellum parvum, breve, transversum, atrum. Elytra oblonga, basi sub-truncata, antice thorace vix latiora, quam lata fere duplo longiora, humeris parum elevatis, obtuse rotundatis; lateribus linearia, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra parum convexa, subtiliter striata, striis in fundo vix punctatis, interstitiis planis, singulis serie punctorum minutorum notatis; tota atra, nitida. Pygidium semi-rotundatum, atrum, confertim punctatum. Corpus subtus atrum, nitidum, undique confertim punctatum. Pedes breviusculi, validi, punctati, nigri, sub-nitidi; femoribus modice clavatis, muticis; tibiis rectis, apice intus uncinatis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

* 75. B. CUPRIROSTRIS.

Oblongus, supra glaber, undique læte viridi-æneus, nitidus, rostro punctato, cupreo, thorace sub-conico, subtilius disperse punctato, elytris pone humeros non ampliatis, striis dorsalibus sub-lævibus, lateralibus sub-remote punctatis, interstitiis planis, impunctatis. — GHL.

Attelabus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 424. n° 41. — *Ent. Syst.* I. II. p. 389. n° 25.
PANZ. *Faun. Germ.* XCIV. n° 7. — *Ent. Germ.* p. 297. n° 15.
WALCKEN. *Faun. Par.* I. p. 236. n° 9.
Rhynchænus id. OLIV. *Ent.* VI. 83. p. 149. n° 111. T. 27. f. 408.
Curculio id. FABR. *Mant. Ins.* I. p. 100. n° 43.
HERBST. *Col.* VI. p. 99. n° 59. T. 66. f. 3.
OLIV. *Enc. méth.* V. p. 482. n° 54.
VILLERS. *Ent.* IV. p. 285.
LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1743. n° 104.
Baris id. GERM. *Ins. Spec.* I. p. 199. n° 5.
Baris viridissima. Dom. Com. DEJ. *in Litteris.*
Curculio viridis. FOURCR. *Ent. Par.* I. p. 120. n° 16.
Curculio virens. OLIV. *Enc. méth.* V. p. 565. n° 20.

Curculio gramineus. LINN. *Syst nat.* GMEL. I. IV. p. 1804. n° 533.
GEOFFR. *Ins.* I. p. 284. *Curculio* n° 16.
LESKE *Mus.* p. 19. n° 392.
PETIV. *Gazoph.* p. 77. n° 6.

Patria : Europa media et meridionalis.

* 76. B. PRASINUS. *Schh.*

Lineari-elongatus, viridi-cœrulescens, sub-nitidus, rostro arcuato, nigro-cœrulescente, obsolete punctulato, thorace sub-conico, sub-remote punctato, elytrorum striis simplicibus interstitiis seriatim distincte punctulatis.

Habitat ad Algier. Mus. SCHH.

Baridio cuprirostri statura valde similis, sed paulo major; ab illo facile distinctus rostro obsolete punctulato, elytrorum interstitiis distincte punctulatis. Caput parvum, rotundatum, virescenti-æneum, obsoletissime punctulatum; oculi oblongi, transversi, nigri, haud prominentes; rostrum thorace fere longius, subtenue, teres, arcuatum, nigro-cœrulescens, obsoletissime subtiliter punctulatum. Antennæ in medio rostri insertæ, crassiusculæ, nigræ, fusco-pilosæ, clava breviter ovata, sub-obtusa, pubescente. Thorax latitudine longior, apice truncatus, anterius multo angustior, lateribus ante medium ampliatis, dein fere rectis, angulis baseos sub-prominulis, acuminatis, basi leviter bi-sinuatus, supra parum convexus, viridi-cœrulescens, sub-nitidus, undique remote, sat profunde punctatus. Scutellum parvum, apice rotundatum, obscure æneum. Elytra basi singulatim perparum rotundato-producta, antice thoracis basi vix latiora, sed illo triplo fere longiora, humeris sub-elevatis, obtuse rotundatis; apicem versus angustata, apice ipso obtuse rotundata, supra modice convexa, viridi-cœrulescentia, sub-nitida, sat profunde regulariter striata, striis simplicibus, interstitiis latis, planis, singulo serie regulari e punctis parvis, distinctis, impresso. Pygidium parvum, semi-rotundatum, profunde confertim punctatum. Corpus subtus viridi-cœrulescens, nitidum; pectore fortius, ventre subtilius punctulatis. Pedes robusti, nigro-ænei, punctati, albido-pubescentes; femoribus modice incrassatis, muticis, tibiis, rectis, apice intus uncinatis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

* 77. B. VIOLACEUS. *Schh.*

Lineari-elongatus, cœruleo-violaceus, rostro pedibusque nigris, supra parce, subtus densius albido-setulosus, thorace confertim punctato, elytris simpliciter striatis, interstitiis seriatim punctulatis et setulosis.

Patria : Hungaria. A Dom. SCHUPPEL amice communicatus. Mus. SCHH.

Baridio cuprirostri angustior, sed non brevior. Caput sub-globosum, subtiliter punctulatum, cœruleum, fronte puncto impresso notata; oculi sub-ovati, brunnei, parum prominuli; rostrum longitudine capitis cum thorace, validum, valde arcuatum, vix punctulatum, nigrum, nitidum. Antennæ mediocres, nigro-piceæ, cinereo-setosæ, clava crassiuscula, brevi. Thorax latitudine fere longior, antice subito angustior, apice truncatus, intra apicem obsolete constrictus, lateribus ante medium nonnihil ampliatus, basi bisinuatus, angulis lateralibus retrorsum prominulis, acuminatis; supra convexus, pulvinatus, confertim sed parum profunde punctatus, cœruleus, nitidus, setulis minutis, depressis, albidis, parce adspersus. Scutellum breve, transversum, truncatum, concolor. Elytra antice singulatim rotundata, thoracis basi parum latiora, pone basin nonnihil ampliata, callo humerali elevato; posterius angustiora, apice singulatim obtuse rotundata, thorace vix triplo longiora, supra parum convexa, distincte striata, striis vix punctatis, interstitiis planis, seriatim punctulatis, punctis setula minuta, depressa, albida, instructis; cœruleo-violacea, nitida. Pygidium semi-circulare, confertim punctatum, cœruleum, densius albido-setulosum. Corpus subtus anterius confertim punctatum, ventre posterius sub-lævi; cœruleum, nitidum, densius albido-setulosum, præsertim postice. Pedes longiusculi, validi, nigri, dense albido-setulosi. — GHL.

* 78. B. JANTHINUS. *Schh.*

Lineari-elongatus, glaber, cœruleus, nitidus, rostro pedibusque nigris, thorace antice constricto, remote vage punctulato, elytris subpunctato-striatis, interstitiis obsoletissime punctulatis.

Habitat in Tauria. Dom. STEVEN. Mus. SCHH.

Baridio cuprirostri longitudine æqualis, sed adhuc angustior, aliter coloratus et abunde distinctus. Caput parvum, convexum, sub-læve, nigro-cœruleum; oculi laterales, ovati, depressi, nigri;

rostrum longitudine thoracis, subtenue, valde arcuatum, basi obsoletissime punctulatum, nigrum. Antennæ crassæ, nigræ, parce pilosæ, clava cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos longior, apice fere dimidio angustior, truncatus, mox pone apicem coarctatus, lateribus a basi ultra medium rectis, dein subito angustatis, basi leviter bi-sinuatus, supra modice convexus, remote et parum profunde punctatus, cœruleus, nitidus. Scutellum parvum, breve, nigro-cœrulescens. Elytra elongata, antice sinuata, thoracis basi paulo latiora, callo humerali elevato, pone humeros non ampliata, posterius augustiora, apice conjunctim obtuse rotundata, thorace plus duplo longiora, supra modice convexa, regulariter, sed parum profunde striata, striis sub-punctatis, interstitiis planis, obsoletissime vage punctulatis, cœrulea, nitida, glabra. Pygidium semi-orbiculatum, crebre punctulatum, nigrum. Corpus subtus læte cœrulescens, thorace et pectore profundius sat confertim, ventre subtiliter remote punctatis. Pedes validi, nigri, punctati, cinereo-pubescentes; tarsis modice dilatatis, subtus cinereo-spongiosis. — BHN.

* 79. B. CHLORIS.

Oblongus, glaber, supra virescens, subtus nigro-cœruleus, thorace breviore, mediocriter punctato, elytris simpliciter striatis, interstitiis vix punctulatis, pone humeros non ampliatis. — GHL.

Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 446. n° 39.
ILLIG. *Mag.* IV. p. 140. n° 39.
Curculio id. FABR. *Ent. Syst. Suppl.* p. 166. n° 46-7.
Baris id. GERM. *Ins. Spec.* I. p. 199. d.
Curculio Parisinus. THUNB. *in Nova Acta Ups.* IV. p. 16. n° 27.
LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1753. n° 160.

Patria: Germania, Austria, Gallia.

* 80. B. COERULESCENS.

Oblongus, glaber, læte cœruleus, nitidus, rostro pedibusque nigris, thorace breviore, mediocriter punctato, elytris simpliciter striatis, pone humeros non ampliatis, interstitiis subtilissime punctulatis. GHL.

Curculio id. SCOPOLI. *Ent. Carn.* p. 29. n° 87.
SCHRANK. *En. Ins.* p. 106. n° 202. — Ed. HELLW. p. 375. n° 91.
HERBST. *Col.* VI. p. 100. n° 60. T. 66. f. 4.
VILLERS. *Ent.* I. p. 189. n° 61. et IV. p. 270. n° 61.
Baris id. GERM. *Ins. Spec.* I. p. 199. c.
Curculio nitidulus. MULL. *Zool. Dan. Prodr.* p. 83. n° 975 ?

Curculio nitens. LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1758. n° 205.?
Curculio chalybeus. LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1759. n° 561.?
Journ. d'Écon. rur. et domest. n° 20. brumaire an XIII-1804.
GEOFFR. *Ins.* I. p. 224. *Curculio* n° 16. var.
LESKE *Mus.* p. 18. n° 388.?

Observ. — *Baridii chloris* simillimus et nimis affinis, magnitudine dimidio majori et colore læte cœruleo, fere unice distinctus.

Patria : Europa media.

* 81. B. CHLORIZANS. *Müller.*

Oblongo-ovatus, niger, glaber, supra cœruleo-subvirescens, thorace sub-conico, subtiliter confertim punctulato, elytris brevioribus, striatis, striis exterioribus obsolete punctatis, interstitiis subtilissime punctulatis. — GHL.

Baris id. GERM. *Ins. Spec.* I. p. 201. n° 323.
Rhynchænus chloris. OLIV. *Ent.* V. 83. p. 149. n° 112. T. 27. f. 407. Teste Dom. CHEVROLAT.
Curculio id. PANZ. *Faun. Germ.* XVIII. n° 8. *Ent. Germ.* p. 310. n° 61. — *Krit. Rev.* I. p. 130.
Baris virescens. DEJEAN. *Cat. Col.* p. 99.

Observ. — Differt a *Baridio chlori* Fabr., corpore breviori et latiori, thorace multo subtilius et densius punctulato, elytrorum striis exterioribus sub-punctatis, etc.

Patria : Gallia, Bavaria.

* 82. B. LEPIDII. *Müller.*

Oblongo-ovatus, niger, glaber, supra cœrulescens, thorace longiore, sub-remote punctato, elytris obsolete punctato-striatis, pone humeros ampliatis, interstitiis subtilissime seriato-punctulatis. — GHL.

Baris id. GERM. *Ins. Spec.* I. p. 200. n° 322.
Curculio picicornis. MARSH. *Ent. Brit.* p. 276. n° 115. (secundum specimen Dom. KIRBY.)
Baris id. STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 11. n° 4.
Baris chloris. DEJEAN. *Cat. Col.* p. 99.
Microrhynchus chlorodicus. Dom. MEGERLE *in Litteris.*
Curculio artemisiæ, var. HERBST. *Col.* VI. p. 101. n° 61. T. 66. f. 5.?

Observ. — Thorax, præsertim in disco, remotius punctatus; elytrorum striæ sub-punctatæ et illorum latera pone humeros ampliata, speciem præcipue distinguunt. Punctura striarum et interstitiorum

in elytris jam evidentior, jam subtilior et obsoletior, ut vix nisi sub obliqua intuitione observetur.

Patria : Germania meridionalis, Gallia, Podolia, Volhynia.

* 83. B. Punctatus.

Oblongus, glaber, obscure cærulescens, thorace sub-convexo, dense punctato, apice attenuato, elytris cœruleis, simpliciter sub-sulcatis, pone humeros non ampliatis, interstitiis distincte punctulatis.

Baris punctata. Dej. *Cat. Col.* p. 99.

Habitat in Gallia, Parisiis. A Dom. Chevrolat benevole communicatus. Mus. Schh.

Statura *Baridii artemisiæ*, sed paulo minor, thorax longior, punctura subtilior et color alius; *Bari abrotani* Germ. (nobis inviso) proximus videtur; sed dum in illo : « rostrum thorace fere longius, thorax planiusculus et elytra tenuiter striata, » describuntur, vix idem esse possit. Caput parvum, convexum, sub-læve, nigrum; oculi laterales, ovati, depressi, nigri; rostrum vix longitudine thoracis, validum, valde arcuatum, punctulatum, nigrum. Antennæ crassæ, nigræ, clava cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos longior, apice fere dimidio angustior, leviter emarginatus, lateribus a basi ultra medium rectis, dein subito angustatis, basi sub-bisinuatus, supra modice convexus, dense et sat profunde punctatus, relicta anterius linea angusta lævi; niger, parum cœruleo et virescenti-tinctus. Scutellum breve, truncatum, nigro-cœrulescens. Elytra antice sinuata, thoracis basi paulo latiora, callo humerali elevato; pone humeros non ampliata, posterius angustiora, apice conjunctim obtuse rotundata, thorace duplo longiora, supra modice convexa, regulariter et sat profunde striata, ut fere sub-sulcata, striis impunctatis, interstitiis planis, sat evidenter, sub-seriatim punctulatis; lætius cœrulea, nitida, glabra. Pygidium semi-orbiculatum, convexum, dense punctulatum, nigrum. Corpus subtus nigro-cœrulescens, thorace et pectore profundius, ventre subtiliter confertim punctatis, parce cinereo-squamulosis. Pedes validi, nigri, punctati, cinereo-squamulosi; tarsis dilatatis, albido-spongiosis. — Ghl.

84. B. ABROTANI (1). *Müller.*

Thorace punctatissimo, apice attenuato, cœruleus, nitidus, elytris simpliciter striatis, interstitiis distincte punctulatis. — GERM.

Baris id. GERM. *Ins. Spec.* I. p. 202. n° 324.

Patria : Germania.

85. B. ARMENIACÆ (1).

Ater, pubescens, elytris punctato-striatis. — OLIV.

Rhynchænus id. OLIV. *Ent.* V. 83. p. 150. n° 114. T. 27. f. 405.

Patria : Gallia.

86. B. IMPUNCTATUS (1).

Niger, supra cœruleus, thorace sub-lævi, elytris striatis, interstitiis impunctatis. — STEPHEN.

Baris id. STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 11. n° 5.

Patria : Anglia.

86 *bis*. B. SCOLOPACEUS (1).

Brunneus, albido-squamosus, rostro atro, elytris dorso planiusculis, punctato-striatis, albo maculatis. — GERM.

Baris scolopacea. GERM. *Ins. Spec.* I. p. 202. n° 325.

Patria : Hungaria.

STIRPS 2. — (SPURII.) Antennæ subtenues, articulis 1, 2 funiculi ob-conicis, hoc minori, reliquis brevibus, transversis, coarctatis.

87. B. FAMULUS.

Supra ferrugineus, thoracis dorso elytrorumque sutura inæqualiter atris. — FABR.

Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 444. n° 31.
Curculio id. FABR. *Ent. Syst. Suppl.* p. 166. n° 41-42.

VAR. β. Niger, albido-squamosus, thoracis dorso denudato, elytrorum sutura lateribusque inæqualiter atris. — BHN.

Patria : Tranquebaria.

---

(1) Mihi invisus.

* 88. B. SQUAMOSUS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, supra dense flavo-subtus albido-squamosus, antennis rufo-testaceis, capite crebre punctulato, rostro valido, modice arcuato, striolato-rugoso, thorace plaga magna dorsali denudata, elytris subtilissime striatis, interstitiis confertim punctulatis.

Patria: Brasilia. A Dom. AUDOUIN amice missus. Mus. SCHH.

Statura fere *Baridii badii*, nonnihil tamen major, præsertim longior. Caput parvum, rotundatum, nigrum, denudatum, crebre punctulatum; oculi oblongi, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum longitudine fere thoracis, teres, crassiusculum, modice arcuatum, longitudinaliter striolato-rugosum, nigrum, basi squamulis nonnullis lutescentibus adspersum. Antennæ longe pone medium rostri insertæ, crassiusculæ, rufo-testaceæ, parce pilosæ, clava breviter ovata, sub-acuminata. Thorax latitudine baseos brevior, apice truncatus, anterius angustatus, lateribus nonnihil rotundato-ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra fere planus, niger, densissime flavo-squamosus, dorso plaga magna, oblongo-ovata, atro-squamosa, ornatus. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum. Elytra basi sub-truncata, antice thorace parum latiora et illo duplo longiora, humeris vix elevatis, rotundatis; apicem versus sensim angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra planiuscula, subtilissime striata, interstitiis planis, subtiliter confertim punctulatis; tota nigra, squamulis unicoloribus luteis dense vestita. Pygidium vix conspicuum. Corpus subtus nigrum, punctulatum, dense albido-squamosum. Pedes breviusculi, validi, nigri, punctati, squamulis albidis adspersi; femoribus modice clavatis, muticis; tibiis rectis; tarsis elongatis, obscure ferrugineis; subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

89. B. SIGNATULUS. *Schh.*

Oblongus, ater, subtus albido-squamosus, rostro longo, valde arcuato, thorace crebre punctato, dorso carinato, utrinque maculis duabus silaceo-squamosis, decorato, elytris subtiliter crenato-striatis, interstitiis vage confertim punctulatis, fascia baseos alia pone medium apiceque dilute silaceo-squamosis.

Habitat in Brasilia. Mus. Dom. FALDERMANN.

Habitus et fere statura *Baridii T. albi*, sed triplo major. Caput parvum, globosum, atrum, parum nitidum, subtiliter minus

crebre punctulatum; oculi oblongi, transversi, sub-depressi, nigri; rostrum longitudine capitis cum thorace, valde arcuatum, a basi ultra medium compressum, dein deplanatum, subtiliter punctulatum, nigrum, lateribus ad basin squamulis dilute silaceis adspersum. Antennæ pone medium rostri insertæ, ad dimidium thoracis vix pertingentes, crassiusculæ, piceæ, albido-pilosæ, clava breviter ovata, sub-acuminata. Thorax latitudine baseos parum longior, apice truncatus, mox pone apicem coarctatus, tubulatus, tum cito rotundato-ampliatus, lateribus rectis, basi leviter bi-sinuatus, tenue marginatus, supra parum convexus, crebre punctatus, dorso linea sub-elevata, lævissima, antice abbreviata, notatus; totus ater, parum nitidus, utrinque maculis duabus dilute silaceo-squamosis, una basali sub-quadrata, altera mox pone apicem, ornatus. Scutellum breve transversum, sub-elevatum, nigrum. Elytra basi sub-truncata, antice thorace nonnihil latiora et illo vix duplo longiora, humeris parum prominulis, obtuse rotundatis; a basi apicem versus paululum angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra planiuscula, subtiliter striata, striis in fundo obsolete punctulatis, interstitiis planis, creberrime punctulatis; tota atra, parum nitida, sutura, fascia transversa baseos, alia pone medium apiceque dilute silaceo-squamosis, decorata. Pygidium semi-rotundatum, atrum, subtiliter confertim punctulatum. Corpus subtus nigrum, punctulatum, squamulis albidis vestitum. Pedes breviusculi, validi, nigri, punctulati, squamulis albidis adspersi; femoribus modice clavatis, muticis; tibiis rectis; tarsis elongatis, nigro-piceis, subtus fulvo-spongiosis. — Bhn.

* 90. B. Obcrucis. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, nitidus, subtus dense niveo-squamosus, rostro carinato, thorace convexo, confertim punctulato, linea dorsali lævi notato, apice helvolo-squamoso, elytris subtiliter striatis, interstitiis concinne alutaceis, singulo elytro linea suturali, basi dilatata, cum fascia transversa, sub-interrupta, connexa, helvolo-squamosis.

Patria : Brasilia meridionalis. A Dom. Schuppel benevole communicatus. Mus. Schh.

Habitus fere *Baridii signatuli.* Caput breve, rotundatum, nigrum, nitidum, sat crebre evidenter punctulatum; oculi laterales, ovati, depressi, nigri; rostrum thorace nonnihil brevius, minus crassum, teres, arcuatum, supra convexum, dorso longitudinaliter carinatum, punctulatum, nigrum, nitidum, basi squamulis albidis in

fronte nonnullis cervinis mixtis, sat dense obsitum. Antennæ pone medium rostri insertæ, minus crassæ, piceæ, dense cinereo-pilosæ, clava sat magna, breviter ovata, sub-obtusa. Thorax latitudine baseos vix longior, apice truncatus, mox intra apicem transversim profunde impressus, lateribus perparum rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, lobo medio vix producto, rotundato, lateralibus deflexis, acuminatis; supra convexus, concinne subtiliter punctulatus, linea dorsali lævi, antice abbreviata, notatus; totus niger, nitidus, apice transversim helvolo-squamosus, basi squamulis nonnullis albidis adspersus. Scutellum breve, transversum, nigrum, niveo-squamosum. Elytra oblongo-subquadrata, basi singulatim perparum rotundata, antice thoracis basi non latiora, quam lata dimidio longiora, humeris elevatis, rotundatis; lateribus inflexa, apice singulatim rotundata, supra in dorso fere plana, subtiliter striata, interstitiis planis, confertim alutaceis; nigra, nitida, linea suturali basi dilatata, ultra medium extensa ibique cum fascia transversa, medio sub-interrupta, helvolo-squamosis, connexa. Pygidium semi-rotundatum, deflexum, nigrum, crebre punctatum, albido-squamosum. Corpus subtus nigrum, punctulatum, squamis niveis tectum. Pedes breviusculi, validi, nigri, parce pallido-squamosi; femoribus parum clavatis, muticis; tibiis rectis, sub-teretibus, apice intus uncinatis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. — Bhn.

* 91. B. Cupreus. *Schh.*

Ovalis, cupreo-æneus, nitidus, rostro valde arcuato, thorace antice subito angustato, supra crebre striolato-rugoso, basi obsoletissime carinato, elytris transversim impressis, ante apicem callosis, leviter striatis, striis subtiliter punctulatis, interstitiis planis, obsolete vage punctulatis.

Habitat in Brasilia. A Dom. de Winthem communicatus. Mus. Schh.

Baridio nitenti magnitudine æqualis. Caput parvum, globosum, obscure cupreum, sub-nitidum, subtiliter minus crebre punctatum; oculi oblongi, transversi, depressi, nigri; rostrum longitudine capitis cum thorace, minus tenue, valde arcuatum, basi nonnihil crassius, sub-compressum, fusco-cupreum, crebre punctulatum. Antennæ in medio rostri insertæ, ad dimidium thoracis pertingentes, subtenues, piceæ, parce pilosæ, clava ovata, parum acuminata. Thorax latitudine baseos vix longior, apice truncatus, lateribus parum rotundatus, anterius subito angustatus, tubulatus,

postice exacte bi-sinuatus, supra parum convexus, undique crebre oblique striolato-rugosus, a basi ad medium linea longitudinali vix elevata, lævi, notatus; totus obscure cupreo-æneus, sub-nitidus. Scutellum breve transversum, obscure cupreum, impunctatum. Elytra ovalia, antice thoracis basi vix latiora, quam lata dimidio longiora, humeris sub-elevatis, rotundatis; lateribus inflexa, pone medium apicem versus sensim angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra parum convexa, fere plana, postice callo obtuso notata, basi et pone medium transversim leviter impressa, subtiliter striata, striis punctatis, interstitiis planis, obsolete vage punctulatis; tota obscure cupreo-ænea, sub-nitida, ad basin squamulis nonnullis condensatis albidis adspersa. Corpus subtus obscure cupreum, sub-nitidum, sat crebre punctulatum. Pedes validiusculi, cuprei, crebre punctati; femoribus modice clavatis, muticis; tibiis rectis; tarsis elongatis, ferrugineis, subtus fulvo-spongiosis.

Bhn.

92. B. Loricatus.

Oblongo-ovatus, convexus, piceus, rostro brevi, modice arcuato, punctato, thorace antice constricto, remote profunde punctato, linea dorsali lævi, elytris striatis, transversim rugulosis, sub-setosis, tarsis angustis, subtus haud spongiosis.

Lixus id. Dom. Schneid. *in Litteris.*

* Var. β. Elytris dilutius rufo-ferrugineis.

Habitat in Caucaso. Dom. Steven. Mus. Gyllenh et Schh.

Erirhino æthiopi magnitudine et statura non dissimilis. Caput rotundatum, rufo-piceum, obsolete remote punctulatum; oculi oblongi, transversi, depressi, nigri; rostrum thorace multo brevius, crassiusculum, modice arcuatum, supra fere planum, rufo-piceum, sat profunde punctatum. Antennæ mox infra medium rostri insertæ, rostro parum longiores, crassiusculæ, rufo-piceæ, clava breviter ovata, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine longior, apice truncatus, anterius angustatus, valde coarctatus, mox pone apicem rotundato-ampliatus, dein lateribus fere rectis, basi leviter bi-sinuatus, supra modice convexus, rufo-piceus, nitidus, dorso remote profunde punctato, cum linea media longitudinali et area parva utrinque lævibus, lateribus magis confertim punctulatis. Scutellum parvum, apice rotundatum, piceum. Elytra basi singulatim sub-truncata, antice thoracis basi parum latiora et illo duplo longiora, humeris sub-prominulis, obtuse ro-

tundatis; lateribus inflexa, apice singulatim obtuse rotundata, supra convexa, tota picea, sat profunde regulariter striata, et in striis subtiliter crenato-punctata, interstitiis latis, planis, transversim rugulosis, setulis brevissimis, depressis, albidis, sub-seriatim adspersis. Pygidium parvum, apice rotundatum, rude et confertim rugoso-punctatum. Corpus subtus nigro-piceum; pectore fortius, ventre obsoletius remote punctulatis, setulis albidis, adspersum. Pedes fortes, rufo-ferruginei; femoribus modice incrassatis, muticis; tibiis subrectis, profunde punctatis, intus ciliatis, apice uncinatis; tarsis angustis, tenuibus, subtus haud spongiosis. — Bhn.

* 93. B. Nigrocephalus. *Schh.*

Oblongus, rufo-testaceus, nitidus, subtus albido-squamosus, capite rostroque nigris, rostro tenui, subrecto, thorace subtiliter minus crebre punctulato, elytris crenato-striatis, interstitiis vage remote punctulatis.

Habitat in Brasilia. A Dom. Audouin benevole donatus.

Baridio vestito statura et magnitudine sub-æqualis; rostro subrecto ut et colore a congeneribus facile distinctus. Caput minutissimum, globosum, nigrum, obsolete punctulatum; oculi ovati, transversi, modice prominuli, nigri; rostrum longitudine fere thoracis, tenue, rectum, supra planum, nigrum, subtiliter sat crebre punctulatum. Antennæ mox pone medium rostri insertæ, minus crassæ, testaceæ, parce pilosæ, clava sat magna, ovata, sub-obtusa, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos fere brevior, apice truncatus, lateribus rectis, anterius cito angustatus, basi leviter bisinuatus, supra planus, rufo-testaceus, sub-nitidus, subtiliter minus crebre punctulatus. Scutellum parvum, rotundatum, ferrugineum. Elytra basi singulatim perparum rotundato-producta, antice thoracis basi paulo latiora, latitudine duplo longiora, humeris vix prominulis, rotundatis; lateribus fere linearia, apicem versus nonnihil angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra planiuscula, parum profunde striata, striis in fundo evidenter punctulatis, interstitiis planis, subtiliter vage minus crebre punctulatis; tota rufo-testacea, nitida. Pygidium semi-rotundatum, dilute ferrugineum, confertim punctulatum. Corpus subtus rufo-testaceum, nitidum, subtiliter punctulatum, squamulis piliformibus albidis obsitum. Pedes breviusculi, validi, punctati, rufo-testacei, geniculis infuscatis; femoribus clavatis, muticis; tibiis rectis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. — Bhn.

* 94. B. VESTITUS.

Oblongus, niger, supra griseo-pilosus, subtus albido-squamosus, capite subtilissime punctulato, rostro arcuato, rugoso-punctato, basi gibbo, thorace punctatissimo, antice carinato, angulis posticis scutelloque atris, elytris crenato-striatis, interstitiis crebre punctulatis.

Baris vestita. Dom. KLUG, teste Dom. SCHUPPEL.
Baridius tripunctatus. Dom. CHEVROLAT *in Litteris.*
Baridius trinotatus. SAY, *Descript. of Curc. of N. Amer.* p. 17. n° 1.
Baris cinereus. Dom. Com. DEJEAN *in Litteris.*
Curculio trinotatus. Melsh. Catal.
Curculio Pensylvanicus. KNOCH. *Melsh. Catal.*

Habitat in Mexico. A Dom. KLUG et Dom. CHEVROLAT, in Mississipi Americæ borealis. A Dom. SAY communicatus. Mus. SCHH.

Baridio artemisiæ longior et latior. Caput parvum, globosum, nigrum, subtilissime minus crebre punctulatum, denudatum, inter oculos transversim impressum; oculi oblongi, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum longitudine thoracis, valde arcuatum, a basi ultra medium compressum, dein deplanatum, confertim ruguloso-punctatum, nigrum, griseo-pilosulum. Antennæ longe pone medium rostri insertæ, crassiusculæ, nigro-piceæ, clava breviter ovata, sub-obtusa, atro-holosericea. Thorax latitudine media vix brevior, apice truncatus, mox pone apicem valde coarctatus, tubulatus, tum rotundato-ampliatus, lateribus fere rectis, basi bi-sinuatus, supra parum convexus, confertim punctatus, dorso antico in medio carinatus; totus niger, squamulis griseis obtectus, macula parva utrinque in angulo postico atra, notatus. Scutellum breve, transversum, atrum, punctulatum. Elytra basi singulatim perparum rotundato-producta, antice thorace vix latiora et illo duplo longiora, humeris modice prominulis, obtuse rotundatis; lateribus linearia, apice ipso singulatim obtuse rotundata, supra planiuscula, ante apicem utrinque callosa, subtiliter punctato-striata, interstitiis planis, crebre punctulatis; tota nigra, dense griseo-pilosa, humeris interdum niveis. Pygidium semi-rotundatum, confertim punctatum, griseo-pilosum. Corpus subtus nigrum, crebre punctatum, squamulis albidis dense vestitum. Pedes mediocres, validi, nigri; profunde punctati, squamulis albidis tecti, pubeque pallida adspersi; femoribus modice clavatis, muticis; tibiis teretibus, rectis, apice uncinatis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

95. B. ERITHROPUS. *Schh.*

Lineari-elongatus, niger, nitidus, squamulis albidis adspersus, rostro longiore, tenuiore, modice arcuato, thorace elongato, subtiliter minus crebre punctato, elytris parum profunde striatis, striis punctatis, interstitiis vage punctulatis, pedibus rufo-testaceis.

Patria : America meridionalis. Mus. Imp. Russ.

Habitus et summa similitudo *Baridii T albi*, sed dimidio major ; rostro tenuiori, longiori, thorace subtiliter minus crebre punctato, pedibus rufo-testaceis, etc., ab illo abunde distinctus. Caput rotundatum, convexum, nigrum, nitidum, subtilissime minus crebre punctulatum, inter oculos transversim impressum; oculi ovati, transversi, depressi, nigri; rostrum longitudine capitis cum thorace, tenue, teres, deflexum, modice arcuatum, nigrum, nitidum, subtiliter punctulatum. Antennæ in medio rostri sitæ, crassiusculæ, nigro-piceæ, clava oblongo-ovata, acuminata, fusco-pubescente. Thorax latitudine baseos multo longior, apice truncatus, antice angustior, in medio rotundato-ampliatus, postice sub-truncatus, marginatus, supra planus, niger, nitidus, minus crebre parum profunde vage punctatus, versus latera et subtus squamulis piliformibus, albidis, adspersus. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum, nitidum. Elytra basi truncata, latitudine thoracis et illo plus duplo longiora, linearia, humeris vix prominulis, rotundatis; apice ipso singulatim obtuse rotundata, supra perparum convexa, regulariter minus profunde striata, striis in fundo obsolete punctatis, interstitiis planis, subtiliter vage punctulatis; nigra, nitida, squamulis piliformibus, albidis, in disco magis condensatis, adspersa. Pygidium parvum, prominens, confertim punctulatum. Corpus subtus nigrum, nitidum, punctulatum, parce albido-squamosum, area media longitudinali, denudata, notatum; pectoris lateribus dense niveo-squamosis. Pedes mediocres, rufo-testacei, subtiliter punctulati; femoribus modice clavatis, muticis; tibiis rectis; tarsis modice dilatatis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

* 96. B. T ALBUM.

Lineari-elongatus, niger, sub-nitidus, pectoris abdominisque lateribus subtus dense albo-squamosis, rostro mediocri, incurvo, thorace minus elongato, evidenter crebre punctato, elytris sat profunde striatis, interstitiis seriatim punctulatis et albido setulosis. — BHN.

Curculio id. LINN. *Faun. Suec.* n° 594. — *Syst. nat.* I. II. p. 609. n° 23. — Ed. GMEL. I. IV. p. 1748. n° 23.

PAYK. *Mon. Curc.* p. 52. n° 49.
OLIV. *Enc. méth.* V. p. 495. n° 104.
VILLERS. *Ent.* I. p. 179. n° 19.
Rhynchænus id. GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 79. n° 14.
ZETTERST. *Faun. Ins. Lapp.* I. p. 317. n° 30.
Baris id. GERM. *Ins. Spec.* I. p. 199. c.
Rhynchænus atriplicis. OLIV. *Ent.* V. 83. p. 148. n° 110. T. 27. f. 404.
Curculio id. PAYK. *Faun. Suec.* III. p. 243. n° 62.
Baris id. DEJEAN. *Catal. Col.* p. 99.
STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 10. n° 1.
Baris pilistriatus. STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 10. n° 2.
Curculio funerus. HERBST. *Col.* VI. p. 164. n° 122. T. 71. f. 2.
FOURCR. *Ent. Par.* I. p. 121. n° 17.
VILLERS. *Ent.* I. p. 190. n° 67. et IV. p. 271. n° 67.
Curculio nigrinus. HERBST. *Col.* VI. p. 60. n° 23. T. 62. f. 16.
Curculio hypoleucus. MARSH. *Ent. Brit.* p. 274. n° 109.
Curculio dolorosus. LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1804. n° 534.
GEOFFROY. *Ins.* I. p. 285. *Curculio* n° 17.

Observ. — Longitudo *Baridii artemisiæ*, sed dimidio angustior. Variat etiam dimidio imo duplo minor.

Patria : Europa septentrionalis et media, Sibiria.

* 97. B. CROCOPELMUS. *Schh.*

Oblongus, niger, parce cinereo-tomentosus, tarsis ferrugineis, thorace longiore, sub-remote punctato, basi sub-truncato, elytris simpliciter striatis, interstitiis seriatim punctatis.

Patria : Elisabethgrad. A Dom. STEVEN benevole communicatus. Mus. SCHH.

Statura angusta *Baridii T albi*, et minimis ejus magnitudine æqualis. Caput breve, convexum, punctulatum, nigrum, nitidum; oculi laterales, oblongi, depressi, nigri; rostrum thorace brevius, validiusculum, valde arcuatum, nigrum, nitidum, punctulatum. Antennæ crassiusculæ, nigræ, cinereo-pubescentes. Thorax latitudine fere longior, anterius dimidio angustior, apice leviter emarginatus, intra apicem obsolete constrictus, lateribus nonnihil ampliatus, basi sub-truncatus, supra modice convexus, pulvinatus, sat profunde, disperse punctatus, niger, nitidus, pilis minutis, depressis, cinereis, parce adspersus. Scutellum parvum, oblongum, concolor. Elytra antice conjunctim introrsum emarginata, thoracis basi paulo latiora, humeris sub-elevatis, antrorsum prominulis;

lateribus non ampliata, apice conjunctim rotundata, supra modice convexa, evidenter striata, striis vix in fundo punctatis, interstitiis planis, seriatim punctatis; nigra, pilis depressis, cinereo-albidis, parce adspersa. Corpus subtus confertim subtiliter punctulatum, nigrum, parce pilosum. Pedes validi, punctati, nigri, pilosi; tarsis dilatatis, totis dilute ferrugineis. — Ghl.

* 98. B. Indignus. *Schh.*

Oblongus, nigro-piceus, pube cinerea adspersus, antennis tibiis tarsisque ferrugineis, rostro thorace breviore, striolato-rugoso, thorace sub-quadrato, profunde crebre punctato, basi sub-truncato, elytris crenato-striatis, interstitiis evidenter seriatim punctulatis.

Var. β. Ferrugineus; forte nuper exclusus.

Patria : Caffraria. A Dom. Ecklon et Zeyher benevole communicatus. Mus. Schh.

Statura angusta *Baridii crocopelmi*, sed duplo major; thorace breviore, profundius punctato, elytris crenato-striatis, interstitiis evidenter punctulatis, etc., ab illo distinctus. Caput breve, convexum, sat profunde crebre punctulatum, nigro-piceum, sub-nitidum, pube cinerea parce adspersum; oculi laterales, oblongi, depressi, nigri; rostrum thorace nonnihil brevius, validiusculum, teres, arcuatum, nigro-piceum, nitidum, striolato-rugosum. Antennæ non procul ab apice rostri insertæ, crassiusculæ, ferrugineæ, cinereo-pubescentes, clava ovata, acuminata. Thorax sub-quadratus, latitudine baseos vix brevior, apice leviter emarginatus, intra apicem constrictus, lateribus nonnihil ampliatus, basi sub-truncatus, ibique tenue marginatus, supra parum convexus, profunde sat crebre disperse punctatus, nigro-piceus, sub-nitidus, pilis minutis, depressis, griseis, parce adspersus. Scutellum parvum, rotundatum, concolor. Elytra antice conjunctim introrsum emarginata, thoracis basi paulo latiora, humeris sub-elevatis, antrorsum nonnihil prominulis; lateribus non ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace fere triplo longiora, supra modice convexa, evidenter striata, striis in fundo punctatis, interstitiis planis, basi vage apicem versus seriatim distincte punctatis; nigro-picea, pilis depressis, cinereo-albidis, adspersa. Pygidium occultatum. Corpus subtus sub-remote punctatum, nigro-piceum, nitidum, parce cinereo-pilosum. Pedes breviusculi, validi, crebre punctati, pilosi; femoribus modice clavatis, piceis, muticis; tibiis tarsisque ferrugineis. — Bhn.

pyritosa Germ

* 99. B. NITIDUS.

Elongatus, convexus, æneo-virescens, glaber, nitidus, rostro rugoso, thorace sub-remote punctulato, elytris concinne punctato-striatis, interstitiis planis, subtilissime punctulatis.

Baris nitida. Dom. Com. DEJEAN *in Litteris.*
Baris pyritosa.? GERM. *Ins. Spec.* I. p. 203. n° 327.

Habitat in Brasilia. Mus. Dom. Com. MANNERHEIM et SCHH.

Statura fere *Erirhini æthiopis*, sed dimidio major. Caput sub-globosum, confertim punctatum, æneo-virescens, nitidum, fronte inter oculos transversim impressa; oculi perpendiculares, oblongo-ovati, brunnei, parum prominuli; rostrum longitudine fere capitis cum thorace, crassiusculum, arcuatum, longitudinaliter rugosum, striatum et punctatum, nigrum, viridi-æneo-micans. Antennæ nigro-piceæ, clava cinereo-pubescente. Thorax latitudine paulo longior, antice subito angustior, apice sub-truncatus et intra apicem transversim impressus, lateribus ante medium nonnihil ampliatus, basi sat profunde bi-sinuatus, margine reflexo; supra modice convexus, sub-remote punctulatus, æneo-virescens, nitidus. Scutellum mediocre, sub-quadratum, punctulatum, nigro-æneum. Elytra antice singulatim rotundata, thoracis basi arcte applicata, illoque ibi non latiora, humeris elevatis, lateribus non ampliata, apice etiam singulatim rotundata, thorace vix triplo longiora, supra convexa, concinne striata et in striis obsolete punctata, interstitiis planis, subtilissime punctulatis; posterius callosa; tota æneo-virescentia, nitidissima. Pygidium semi-orbiculatum, confertim punctulatum, nigro-virescens. Corpus subtus æneo-virescens, confertim ruguloso-punctatum, squamulis minutis pallidis adspersum. Pedes validi, virescentes, punctati, cinereo-squamulosi et pubescentes; femoribus medio crassioribus, muticis; tibiis intus ciliatis, tarsis subtus brunneo-spongiosis. — GHL.

* 100. B. GLABRATUS. *Schh.*

Oblongus, niger, nitidissimus, glaber, rostro supra lævi, thorace disperse punctulato, elytris subtiliter, remote punctato-striatis, interstitiis planis, lævibus.

Patria: Brasilia. Musæo Reg. Acad. Scient. Holm. et Mus. SCHH.

Pissodi pini magnitudine sub-æqualis; *Baridio nitido* alias similis et affinis. Caput sub-globosum, disperse punctulatum, nigrum, nitidum; oculi laterales, magni, ovati, sub-depressi, nigri; ros-

trum longitudine capitis cum thorace, valde arcuatum, basi crassus, sub-angulatum, lateribus punctatum; extrorsum depressum, læve, nitidissimum, totum nigrum. Antennæ nigræ, fusco-setulosæ. Thorax latitudine postica paulo brevior, antice subito duplo angustior quam basi, apice leviter sinuatus, intra apicem obsolete impressus, sub-tubulatus; lateribus mox pone stricturam rotundato-ampliatus, posterius iterum paulo angustior, basi bi-sinuatus, supra modice convexus, sub-pulvinatus, antice et lateribus disperse punctulatus, disco posteriori lævi; niger, nitidissimus, glaber. Scutellum breve, sub-cordatum, nigrum, nitidum. Elytra antice singulatim obtuse rotundata, elevato-marginata, thoracis basi ibi parum latiora, sed pone basin nonnihil ampliata, callo humerali elevato; posterius angustiora, apice etiam singulatim rotundata, thorace plus duplo longiora, supra parum convexa, inæqualia, hinc illinc sub-impressa, postice callosa, subtiliter, remote punctato-striata, interstitiis planis, lævibus; nigra, nitidissima. Pygidium rotundatum, punctatum, medio elevatum, carinatum, nigrum. Corpus subtus inæqualiter punctatum, nigrum, nitidum. Pedes mediocres, nigri; femoribus punctatis, medio crassioribus, muticis; tibiis rectis, scabris; tarsis parum latis, subtus pallido-spongiosis, articulo unguiculari longo, clavato. — GHL.

* 101. B. NOTATUS.

Oblongus, niger, nitidus, glaber, rostro longo, valde arcuato, basi compresso, striolato-rugoso, subtus canaliculato, thorace sub-conico, minus crebre punctulato, elytris striatis, interstitiis planis, basi vage dein sub-seriatim punctulatis, singulo elytro basi puncto silaceo-squamoso.

* VAR. β. Dimidio minor.
Baris notata. Dom. KLUG, teste Dom. SCHUPPEL.

Patria: Mexico. A Dom. SCHUPPEL benevole communicatus. Mus. SCHH.

Magnitudo et fere statura *Baridii glabrati*. Caput parvum, globosum, nigrum, sub-nitidum, subtiliter at minus crebre punctulatum, inter oculos transversim impressum, sub-læve; oculi oblongi, transversi, depressi, nigri; rostrum longitudine thoracis, valde arcuatum, a basi ultra medium compressum, gibbum, dein deplanatum, sat crebre striolato-rugoso punctatum, nigrum, nitidum, subtus profunde canaliculatum. Antennæ mox pone medium rostri insertæ, crassiusculæ, nigræ, parce pilosæ, clava breviter ovata,

atro-holosericea. Thorax sub-conicus, latitudine baseos longior, apice truncatus, mox pone apicem coarctatus, tubulatus, lateribus nonnihil rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, tenue marginatus, supra parum convexus, niger, nitidus, dorso minus crebre versus latera et subtus densius punctulatus. Scutellum breve, tranversum, apice rotundatum, nigrum, nitidum. Elytra sub-obconica, basi vix rotundato-producta, antice thorace non latiora, illoque dimidio longiora, humeris nonnihil elevatis, obtuse rotundatis; pone humeros leviter impressa, a basi apicem versus sensim angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra parum convexa, striata, striis in fundo obsolete punctulatis, interstitiis planis, basi subtiliter vage dein sub-seriatim punctulatis; nigra, nitida, inter striam a sutura secundam tertiamque in ipsa basi puncto oblongo, e squamulis sordide albidis, decorata. Pygidium semi-rotundatum, medio elevatum, nigrum, rude confertim punctatum, pube fusca adspersum. Corpus subtus nigrum, nitidum, profunde at minus crebre punctatum. Pedes mediocres, validi, nigri, nitidi, profunde punctati, pube pallida adspersi; femoribus modice clavatis, subtus pone medium obsolete crenulatis; tibiis rectis; tarsis piceis, modice dilatatis, subtus fulvo-spongiosis. — Bhn.

* 102. B. Apicalis.

Oblongus, ater, nitidus, rostro longitudine thoracis, valde arcuato, subtiliter punctulato, thorace sub-quadrato, profunde minus crebre punctato, linea longitudinali, lævi, notato, elytris subtiliter striatis, interstitiis planis, postice carinatis, obsoletissime seriatim punctulatis, lineola abbreviata, niveo-squamosa utrinque ad basin decoratis.

Baris id. Dom. Sturm *in Litteris.*

Patria : Mexico. A Dom. Sturm benevole communicatus. Mus. Schh.

Statura et summa similitudo *Baridii notati var.* β; sed plus duplo minor; thorace profundius punctato, linea dorsali lævi, notato, elytrorum interstitiis pone medium carinatis, antice obsoletissime punctulatis, ab illo mox distinctus. Caput parvum, rotundatum, atrum, parum nitidum, subtiliter sat crebre punctulatum, inter oculos transversim impressum; oculi laterales, oblongi, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum longitudine thoracis, teres, minus crassum, valde arcuatum, apicem versus deplanatum, atrum, nitidum, subtiliter crebre punctulatum. Antennæ mox pone medium rostri insertæ, ad dimidium thoracis pertingentes, crassiusculæ,

nigræ, parce pilosæ, clava breviter ovata, sub-obtusa, atro-holosericea. Thorax latitudine baseos parum longior, apice truncatus, mox intra apicem coarctatus, tum rotundato-ampliatus, basi bisinuatus, tenue marginatus, supra parum convexus, ater, nitidissimus, minus crebre profunde punctatus, linea dorsali, longitudinali, lævi, notatus. Scutellum breve, transversum, atrum, nitidum. Elytra oblongo-quadrata, basi nonnihil rotundato-producta, antice thorace vix latiora, quam lata dimidio longiora, humeris elevatis, obtuse rotundatis; a basi apicem versus linearia, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra parum convexa, hinc illinc sub-impressa, subtiliter striata, striis in fundo obsolete punctulatis, interstitiis a basi ultra medium planis, subtilissime seriatim punctulatis, dein apicem versus magis elevatis, carinatis; tota atra, nitida, inter striam a sutura secundam tertiamque in ipsa basi lineola brevi e squamulis niveis. Pygidium semi-rotundatum, medio elevatum, atrum, creberrime punctatum. Corpus subtus atrum, nitidum, sat crebre punctatum. Pedes breviusculi, validi, atri, nitidi, subtiliter punctati; femoribus modice clavatis, muticis; tibiis rectis, apice uncinatis; tarsis modice dilatatis, piceis, subtus fulvo-spongiosis. — Bhn.

103. B. Flavicornis. *Schh.*

Oblongus niger, nitidus, glaber, subtus albido-squamosus, antennis testaceis, tibiis tarsisque ferrugineis, rostro tenui, valde arcuato, punctulato, thorace latiore, sub-remote punctato, linea media lævi notato, elytris striatis, interstitiis confertim punctulatis; inter strias 2 *et* 3 *a sutura maculis duabus parvis e squamulis albidis.*

Patria: Caffraria. A Dom. Ecklon et Zeyher, ad describendum, benevole missus.

Baridio artemisiæ parum major, magis depressus. Caput breve, convexum, nigrum, nitidum, obsolete minus crebre punctulatum; oculi laterales, oblongi, transversi, depressi, nigri; rostrum longitudine thoracis, tenue, teres, valde arcuatum, nigrum, nitidum, glabrum, basi evidenter sat crebre apicem versus obsoletius punctulatum. Antennæ apicem propius insertæ, subtenues, pallido-testaceæ, griseo-pubescentes, clava ovata, parum acuminata. Thorax latitudine baseos parum brevior, apice truncatus, mox intra apicem leviter constrictus et transversim impressus, tum ampliatus, lateribus parum rotundatus, basi leviter bi-sinuatus, vel sub-truncatus, ibique tenue marginatus, supra fere planus, niger, nitidus, glaber, sat crebre disperse punctatus, linea media lævi

notatus. Scutellum sub-quadratum, nigrum. Elytra antice singulatim perparum rotundato-producta, thoracis basi paulo latiora, quam lata dimidio longiora, humeris parum prominulis, sub-elevatis, rotundatis; lateribus vix angustata, apice conjunctim obtuse rotundata, supra sub-depressa, evidenter striata, striis in fundo obsolete punctatis, interstitiis planis, confertim vage punctulatis; nigra, sub-nitida, inter strias 2 et 3 a sutura in ipsa basi, et in medio macula parva e squamulis niveis. Pygidium magnum, semirotundatum, nigrum, obscurum, confertim ruguloso-punctatum. Corpus subtus nigrum, nitidum, subtiliter punctulatum, lateribus dense medio parce niveo-squamosum. Pedes breviusculi, validi, punctati; femoribus modice clavatis, nigris, muticis; tibiis rectis, obscure ferrugineis; tarsis dilutius ferrugineis, dilatatis, subtus brunneo-spongiosis. — Bhn.

* 104. B. Tibialis. *Schh.*

Oblongo-ovatus, ater, nitidus, tibiis tarsisque ferrugineis, rostro longitudine thoracis, valde arcuato, crebre punctulato, thorace subtriangulari, dorso remote lateribus crebre profunde punctato, elytris sat profunde striatis, interstitiis vage punctulatis, femoribus obtuse dentatis, tibiis anticis basi arcuatis.

Baris anthracina. Dom. Sturm *in Litteris.*

Habitat in Mexico. A Dom. Sturm missus. Mus. Schh.

Magnitudo et fere statura *Baridii notati var.* β, nonnihil tamen latior; femoribus obtuse dentatis, tibiis anticis basi arcuatis, a congeneribus facile distinctus. Caput parvum, globosum, atrum, subnitidum, subtiliter minus crebre punctulatum, inter oculos transversim impressum; oculi laterales, oblongi, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum longitudine thoracis, teres, minus crassum, valde arcuatum, apicem versus deplanatum, atrum, nitidum, basi profundius apicem versus subtiliter punctatum. Antennæ mox pone medium rostri insertæ, ad dimidium thoracis vix pertingentes, crassiusculæ, nigræ, parce pilosæ, clava breviter ovata, sub-obtusa, atro-holosericea. Thorax latitudine baseos vix longior, apice truncatus, mox pone apicem coarctatus, tum nonnihil rotundato-ampliatus, lateribus basin versus sensim perparum ampliatus, postice leviter bi-sinuatus, supra parum convexus, ater, nitidus, dorso remote versus latera crebre profunde punctatus. Scutellum breve, transversum, atrum, nitidum. Elytra oblongo-quadrata, basi sub-truncata, antice thorace parum latiora, quam

iata vix dimidio longiora, humeris nonnihil elevatis, obtuse rotundatis; fere linearia, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra parum convexa, in dorso fere plana, atra, nitida, sat profunde striata, striis in fundo obsolete punctatis, interstitiis planis, subtiliter vage punctulatis. Pygidium semi-rotundatum, medio elevatum, atrum, confertim punctulatum. Corpus subtus atrum, nitidum, sat profunde minus crebre punctatum. Pedes mediocres, validi, profunde punctati; femoribus modice clavatis, subtus pone medium, dente obtuso armatis, atris, nitidis; tibiis præsertim anticis basi arcuatis, intus in medio ampliatis, apice uncinatis, obscure ferrugineis; tarsis elongatis, ferrugineis, subtus fulvo-spongiosis. Bhn.

* 105. B. Anthracinus.

Ovalis, niger, sub-nitidus, glaber, rostro tenuiore, punctulato, thorace antice subito angustato, supra parum convexo, evidenter sat crebre punctato, elytris profunde striatis, interstitiis planis, transversim cicatricosis.

Baris anthracina. Dom. Com. Dejean *in Litteris.*

Patria: America borealis. A Dom. Com. Dejean benevole communicatus. Mus. Schh.

Magnitudo et fere statura *Baridii subscabrosi.* Caput parvum, globosum, nigrum, sub-nitidum, subtiliter punctulatum; oculi ovati, transversi, depressi, nigri; rostrum longitudine capitis cum thorace, tenue, arcuatum, teres, nigrum, nitidum, basi profunde remote dein subtiliter punctulatum. Antennæ in medio rostri insertæ, subtenues, nigræ, parce pilosæ, clava ovata, sub-obtusa, cinereo-pubescente. Thorax postice longitudine fere latior, apice truncatus, anterius subito angustatus, lateribus rotundatus, basi sat profunde bi-sinuatus, supra fere planus, niger, nitidus, glaber, dorso evidenter crebre subtus densius punctatus. Scutellum parvum, sub-rotundatum, nigrum. Elytra ovalia, antice thoracis basi paulo latiora, et illo dimidio longiora, humeris sub-elevatis, rotundatis; lateribus inflexa, pone humeros ad apicem usque sensim perparum angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra sub-plana, nigra, nitida, glabra, sat profunde striata, striis in fundo obsolete punctatis, interstitiis planis, transversim cicatricosis. Corpus subtus nigrum, sub-nitidum, sat crebre punctatum, punctis squamulis albidis obsitis. Pedes breviusculi, validi, punctati, nigri; femoribus parum clavatis, muticis; tibiis rectis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. — Bhn.

* 106. B. CONFERTUS.

Oblongus, ater, opacus, antennis pedibusque obscure ferrugineis, rostro striolato-rugoso, thorace confertissime ruguloso-punctato, elytris striatis, interstitiis transversim subtiliter reticulato-strigosis.

Rhynchænus confertus. Dom. SAY *in Litteris.*

Patria : Florida, Americæ borealis. A Dom. SAY benevole missus.

Inter minimos hujus generis. *Baridio pullo* vix longior, sed multo angustior. Caput parvum, rotundatum, atrum, opacum, subtiliter confertim punctulatum; oculi oblongi, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum longitudine capitis cum thorace, crassiusculum, teres, incurvum, atrum, parum nitidum, striolato-rugosum, apice ferrugineum. Antennæ mox pone medium rostri insertæ, ad dimidium thoracis vix pertingentes, crassiusculæ, ferrugineæ, clava breviter ovata, fusco-pubescente. Thorax latitudine baseos vix brevior, apice truncatus, anterius angustior, mox pone apicem rotundato-ampliatus, tum lateribus fere rectis, basi bi-sinuatus, supra planiusculus, ater, opacus, undique confertissime subtiliter ruguloso-punctatus. Scutellum parvum, rotundatum, atrum, opacum. Elytra basi singulatim perparum rotundato-producta, thorace vix latiora, sed illo dimidio longiora, humeris parum prominulis, obtuse rotundatis; pone humeros apicem versus nonnihil angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra planiuscula, atra, opaca, minus profunde striata, striis in fundo obsolete punctatis, interstitiis planis, subtiliter transversim strigosis et serie simplici punctorum minutorum notatis. Pygidium parum prominens, atrum, punctulatum. Corpus subtus atrum, sub-nitidum, crebre punctatum. Pedes breviusculi, validi, punctati; femoribus piceis, modice clavatis, muticis; tibiis tarsisque ferrugineis.—BHN.

107. B. ALBOPICTUS. *Chevrolat.*

Ellipticus, niger, sub-depressus, squamulis angustis niveis subtus dense tectus, thorace confertim punctato, antice subito angustato, constricto, basi albo tri-maculato, scutello albo-squamoso; elytris punctato-sulcatis, interstitiis seriatim albo-squamulosis.

Patria : Brasilia. Ex Musæo Dom. CHEVROLAT, ad describendum, amice missus.

Baridio artemisiæ fere duplo minor. Caput mediocre, sub-globosum, obsolete punctatum, nigrum, albo-squamulosum; oculi majusculi, ovati, depressi, nigri; rostrum vix longitudine capitis cum thorace, valde arcuatum, lateribus punctatum et albo-squa-

mulosum, nigrum. Antennæ breviusculæ, piceæ. Thorax latitudine baseos vix brevior, antice subito duplo angustior, apice emarginatus, intra apicem sat profunde constrictus, lateribus pone stricturam modice ampliatus, basi bi-sinuatus, supra parum convexus, confertim punctatus, niger, parce albo-squamulosus, sed in angulis et lobo medio baseos maculis tribus dense albo-squamosis notatus. Scutellum transversim ovatum, dense albo-squamosum. Elytra antice singulatim rotundata, thoracis basi parum latiora, callo humerali alte elevato; pone basin oblique ampliata, posterius angustiora, apice conjunctim rotundata, thorace duplo longiora, supra sub-depressa, nigra, distincte sulcata et in sulcis obsoletius punctata, interstitiis planis, alutaceis, seriatim albo-squamosis. Corpus subtus punctulatum, nigrum, squamositate nivea omnino tectum. Pedes mediocres, nigri, dense albo-squamulosi. — GYL.

108. B. INOPS. *Schh.*

Oblongo-ellipticus, niger, sub-depressus, squamulis angustis albis subtus dense tectus, supra parce adspersus; scutello dense albo-squamuloso, thorace longiore, confertim punctato, antrorsum sensim angustato, elytris punctato-sulcatis, interstitiis seriatim squamosis.

Toxerus id. SCHH. *in Litteris,* olim.

Patria : Brasilia. Ex Musæo Dom. FALDERMANN, ad describendum, amice communicatus.

Baridio scutello-albo similis, sed longior; thoracis structura præterea distinctus. Caput parvum, sub-globosum, obsolete punctulatum, nigrum, nitidum; oculi majusculi, ovati, depressi, nigri; rostrum fere longitudine capitis cum thorace, validum, arcuatum, punctulatum, nigrum, parce albo-squamulosum. Antennæ mediocres, nigræ. Thorax latitudine longior, antice duplo angustior, apice emarginatus, lateribus anterius obliquis, dein nonnihil ampliatis; basi bi-sinuatus, supra parum convexus, sat confertim punctatus, niger, squamulis parvis, angustis, depressis, albis, parce adspersus. Scutellum elevatum, rotundatum, dense albo-squamulosum. Elytra antice sinuata, thoracis basi vix latiora, humeris elevatis, pone basin oblique ampliata, posterius angustiora, apice conjunctim rotundata, thorace duplo longiora, supra sub-depressa, nigra, sat distincte sulcata, sulcis obsolete punctatis, interstitiis planis, obsolete rugosis, seriatim albo-squamosis. Corpus subtus punctulatum, nigrum, squamulis angustis albis dense tectum. Pedes mediocres, nigri, sat dense albo-squamulosi; femoribus sub-clavatis, muticis. — GYL.

* 109. B. SCUTELLUM-ALBUM.

Rostro sub-compresso, basi curvato, niger, subtus scutelloque albo-squamosis, thorace transverso punctatissimo, apice angustato, elytris punctato-sulcatis; interstitiis bifariam squamulosis.

Centrinus id. SAY, *Descript. of Curc. of N. Amer.* p. 21.
Toxerus id. SCHH. *in Litteris,* olim.
VAR. β. Pedibus ferrugineis.

Habitat iu America boreali, Carolina et Pensylvania. Dom. SAY. Mus. GERMAR et SCHH.

Statura fere *Baridii nitentis*, paulo minor. Rostrum dimidio corporis longius, tenue, sub-compressum, basi curvatum, fere geniculatum, punctatum, scrobe lineari, subtus pone basin connivente. Antennæ thorace breviores, piceæ; clava ovali, obtusa, articulata. Caput hemisphæricum, punctatum, oculis planis, lateralibus. Thorax transversus, lateribus subrectis, apice angustatis, basi bi-sinuatus, supra scutellum lobatus, lobo rursus emarginato, dorso punctatissimus, sub-pubescens, subtus dense albo-squamosus, pone gulam leviter emarginatus, haud canaliculatus. Scutellum transversum, albo-squamosum, elevatum. Coleoptera basi thorace paulo latiora, et latitudine vix longiora, humeris prominulis, obtusis; apicem versus angustata, abdomine breviora, argute sulcata et in sulcis punctata, interstitiis planis, rugulosis, squamulis griseis bifariam tectis. Abdomen dense albo-squamosum, pygidio prominente. Pedes breves, piceo-nigri, squamulosi, basi modice distantes; femoribus clavatis, muticis; tibiis apice intus spina horizontali armatis; tarsis brevibus, latis, subtus spongiosis.

GERMAR.

* 110. B. MELANARIUS. *Schh.*

Oblongus, ater, nitidus, rostro longitudine thoracis, crasso, arcuato, sub-compresso, punctulato, thorace supra parum convexo, subtilissime sat crebre punctulato, basi leviter bi-sinuato, scutello apice truncato, elytris obsoletissime punctato-striatis, stria suturali evidentiori, interstitiis lævibus.

Patria : Brasilia. A Dom. MÉNÉTRIÉS communicatus. Mus. SCHH.

Latitudo *Baridii humeralis,* sed dimidio longior. Caput parvum, rotundatum, atrum, nitidum, vix visibiliter punctulatum; oculi ovati, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum longitudine thoracis, crassum, arcuatum, a basi ultra medium compressum,

subtiliter sat crebre punctulatum; totum atrum, nitidum. Antennæ mox pone medium rostri insertæ, ad dimidium thoracis vix pertingentes, minus crassæ, nigræ, parce pilosæ, clava breviter ovata, acuminata, fusco-pubescente. Thorax latitudine baseos vix brevior, apice sub-truncatus, antice dimidio angustior, intra apicem leviter constrictus, tum rotundato-ampliatus, dein lateribus versus basin perparum ampliatis, postice leviter bi-sinuatus, lobo ante-scutellari vix producto, supra fere planus, ater, nitidus, undique subtilissime, sat crebre punctulatus. Scutellum breve, transversum, apice truncatum, atrum. Elytra oblonga, antice sinuata, thoracis basi parum latiora, quam lata duplo fere longiora, pone basin ampliata, humeris vix elevatis, rotundatis; dein posterius sensim nonnihil attenuata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra perparum convexa, ante apicem callo vel gibbere sub-elevato, notata, dein impressa, subtilissime punctato-striata, stria suturali evidentiori, impressa, interstitiis planis, lævibus; tota atra, nitida. Corpus subtus atrum, nitidum, pectore abdomineque basi subtiliter minus crebre, abdomine apice evidenter punctatis. Pedes mediocres, atri, nitidi, subtiliter punctati; femoribus parum clavatis, muticis; tibiis rectis, apicem versus ampliatis, intus uncinatis; tarsis ferrugineis, modice dilatatis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

* 111. B. NIGELLUS. *Schh.*

Ovalis, ater, nitidus, rostro tenui, longitudine elytrorum, subrecto, thorace antice modice angustato, supra plano, minus crebre evidenter punctulato, scutello elongato, elytris ovalibus, punctato-striatis, interstitiis planis, sub-lævibus.

Habitat in Brasilia. A Dom. FALDERMANN communicatus. Mus. SCHH.

Magnitudo individuorum maximorum *Baridii nitentis;* a congeneribus rostro fere recto ut et notis indicatis facile distinctus. Caput parvum, globosum, atrum, sub-nitidum, subtiliter remote punctulatum; oculi oblongi, transversi, depressi, nigri; rostrum longitudine fere elytrorum, tenue, filiforme, subrectum vel parum arcuatum, nigrum, nitidum, obsolete punctulatum. Antennæ in medio rostri insertæ, ad dimidium thoracis pertingentes, subtenues, nigræ, parce pubescentes, clava ovata, acuminata, fusco-holosericea. Thorax latitudine baseos fere longior, apice sub-truncatus, a medio apicem versus sensim angustatus, antice tubulatus, lateribus vix rotundatus, basi bi-sinuatus, supra fere planus, ater, nitidus, evidenter, remote vage punctulatus. Scutellum elongatum, atrum. Elytra

ovalia, antice thoracis basi vix latiora, quam lata dimidio longiora, humeris sub-elevatis, rotundatis; lateribus inflexa, pone humeros ultra medium perparum ampliata, tum apicem versus nonnihil angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra sub-depressa, atra, nitida, regulariter parum profunde striata, striis in fundo distincte punctulatis, interstitiis planis, obsoletissime vix visibiliter remote punctulatis. Corpus subtus atrum, pectore rude confertim, ventre subtiliter punctatis. Pedes breviusculi, validiusculi, atri; femoribus modice clavatis, muticis, punctulatis; tibiis teretibus, rectis; tarsis nigro-piceis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

* 112. B. HUMERALIS.

Ovalis, ater, sub-nitidus, rostro modice arcuato, thorace sub-conico, supra plano, remote vage punctato, obsoletissime carinato, scutello oblongo-quadrato, elytris punctato-striatis, interstitiis planis, sub-lævibus, singulo plaga magna humerali sanguinea.

Baris id. Dom. Com. DEJEAN *in Litteris.*

Mas: rostro longitudine capitis cum thorace, basi sub-compresso, magis arcuato.

Femina: rostro longitudine elytrorum, filiformi, minus arcuato.

Habitat in Brasilia. A Dom. Com. MANNERHEIM et FALDERMANN communicatus. Mus. SCHH.

Centrino nigello statura simillimus, sed dimidio minor. Caput parvum, rotundatum, atrum, sub-nitidum, subtiliter minus crebre punctulatum; oculi oblongi, transversi, depressi, nigri; rostrum atrum, nitidum, crebre punctulatum; maris longitudine capitis cum thorace, basi nonnihil incrassatum, sub-compressum, modice arcuatum; feminæ longitudine elytrorum, tenue, filiforme, minus arcuatum. Antennæ in medio rostri insertæ, ad dimidium thoracis pertingentes, subtenues, nigræ, clava ovata, sub-obtusa. Thorax latitudine baseos nonnihil longior, sub-conicus, apice truncatus, a basi apicem versus sensim angustatus, antice coarctatus, ibique tubulatus, postice leviter bi-sinuatus, supra fere planus, ater, nitidus, remote vage evidenter punctulatus, dorso postice obsoletissime carinatus. Scutellum oblongo-quadratum, atrum. Elytra ovalia, antice thoracis basi vix latiora, quam lata dimidio longiora, humeris sub-elevatis, rotundatis; lateribus inflexa, pone humeros nonnihil ampliata, tum apicem versus perparum angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra in dorso sub-

depressa, minus profunde striata, striis in fundo punctatis, interstitiis planis, obsoletissime remote punctulatis; atra, nitida, singulo plaga magna, humerali, sub-quadrata, sanguinea, decorato. Corpus subtus atrum, sub-nitidum, pectore profunde crebre, ventre subtiliter remote punctulatis. Pedes breviusculi, validiusculi, atri, punctati; femoribus modice clavatis, muticis; tibiis rectis, teretibus; tarsis nigro-piceis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

GENUS 288. BARYCERUS. *Nobis.*

Character generis. — Antennæ breves, crassæ; funiculo 7-articulato : articulo 1° parum longo, sub-obconico, reliquis transversis, latis, perfoliatis, gradatim crassitudine crescentibus; clava breviter ovata, sub-obtusa.

Rostrum longiusculum, validum, arcuatum, supra planum.

Oculi distantes, ovati, depressi.

Thorax sub-brevis, basi bi-sinuatus, lateribus rotundatus, anterius valde angustior, supra modice convexus, subtus obsolete canaliculatus.

Elytra oblongo-subquadrata, thoracis basi parum latiora, apice sub-truncata, pygidium haud tegentia, supra parum convexa.

Pedes breviusculi, validi.

Descriptio. — *Corpus* quadrato-ovatum, dimidio longius quam latius, parum convexum, glabrum, alatum. — *Antennæ* thoracis medium non superantes, ante medium rostri insertæ, crassæ, fractæ, 12-articulatæ : articulo 1° oculos sub-attingente, sub-clavato; 2° breviusculo, sub-obconico; 3-8 brevissimis, latis, perfoliatis, sub-coarctatis, successive latioribus, ultimo clavæ sub-adpresso; clava basi truncata, breviter ovata, sub-conoidea, sub-obtusa, 4-articulata, articulo basali majusculo, rigido, reliquis brevibus, distincte articulatis. — *Rostrum* capite fere duplo longius, validum, sub-arcuatum, supra planum, apice subtus depressum; scrobe brevi, profunde, versus medium incipiente, in basi rostri subtus exeunte. — *Oculi* distantes, demissi, ovati, depressi. — *Thorax* latitudine baseos nonnihil brevior, basi bi-sinuatus, lateribus rotundatus, antice subito duplo angustior, intra apicem sub-tubulatus, apice ipso sub-truncatus, supra modice convexus, subtus obsolete canaliculatus. — *Scutellum* apice rotundatum. — *Elytra* antice thoracis basi parum latiora et illo vix duplo longiora, oblongo-subquadrata, basi singulatim sub-rotundata, humeris sub-rotundatis, sub-elevatis; posterius sensim paulo angustiora, apice sub-truncata,

pygidium haud tegentia, supra parum convexa. — *Pygidium* apice semi-rotundatum, sub-deflexum. — *Pedes* breviusculi, validi, antici basi paulo distantes; femoribus sub-compressis, in medio crassioribus, muticis; tibiis rectis, sub-teretibus, apice unco horizontali intus instructis; tarsis minus latis, articulo penultimo paulo latiore, bilobo, ultimo clavato, bi-unguiculato.

TYPUS. — *Barycerus collaris.*

A βαρὺς gravis, fortis, κέρας cornu.

Observ. — Genus quoad habitum *Baridio* quidem subsimile, sed antennis aliter constructis differt.

1. B. COLLARIS. *Schh.*

Breviter ovatus, parum convexus, niger, glaber, thorace disperse punctato, rufo, nitido, elytris simpliciter striatis, interstitiis planis, lævibus.

Patria : Brasilia. Ex Musæo Dom. FALDERMANN descriptus.

Facies *attelabi*, et *attelabo curculionoidi* parum major. Caput subglobosum, obsolete punctulatum, nigrum, fronte foveola rotunda impressa; oculi rotundati, depressi, nigri; rostrum fere latitudine capitis et illo duplo longius, validum, sub-arcuatum, supra planum, punctulatum, totum nigrum. Antennæ rostro fere breviores, valde crassæ, nigræ. Thorax latitudine postica brevior, antice subito duplo angustior quam basi; apice leviter emarginatus, intra apicem sub-tubulatus, lateribus anterius obliquis, dein fere rectis; basi bi-sinuatus, supra modice convexus, pulvinatus, obsolete, disperse punctatus, rufus, nitidus, margine antico anguste nigro. Scutellum rotundatum, rufum. Elytra antice singulatim obtuse rotundata, thoracis basi parum latiora, callo humerali elevato; lateribus non ampliata, apice sub-truncata, thorace vix duplo longiora, supra parum convexa, anguste striata, striis simplicibus, interstitiis latis, planis; nigra, nitida, ante apicem callo elevato instructa. Corpus subtus anterius confertim, posterius obsolete punctatum, nigrum, thorace etiam subtus rufo. Pedes mediocres, validi, nigri; femoribus medio crassioribus, muticis; tarsis parum dilatatis, articulo unguiculari longo, tenui. — GHL.

GENUS 289. MADOPTERUS. *Nobis.*

Baridius CHEVROLAT.

Character generis. — Antennæ longiusculæ, validiusculæ; funiculo 7-articulato: articulis duobus basalibus ob-conicis, reliquis

transversis, lenticularibus, coarctatis, gradatim latioribus; clava ovali, acuminata.

Rostrum elongatum, validiusculum, cylindricum, arcuatum.

Oculi laterales, ovati, depressi.

Thorax elongatus, conicus, basi bi-sinuatus, supra modice convexus.

Scutellum sub-quadratum.

Elytra elongata, linearia, sub-cylindrica, apice sub-truncata, pygidium non tegentia.

Pedes mediocres, validiusculi, antici paulo longiores.

Descriptio. — *Corpus* elongatum, cylindricum, angustissimum, duriusculum, glabrum, alatum. — *Antennæ* thoracis medium non superantes, pone medium rostri insertæ, validiusculæ, fractæ, 12-articulatæ: articulo 1° oculum haud attingente, clavato; 2° et 3° elongatis, ob-conicis, illo paulo crassiore, reliquis brevibus, transversis, lenticularibus, coarctatis, gradatim crassitudine crescentibus; clava ovalis, acuminata, 4-articulata.—*Caput* sub-elevatum, convexum. — *Rostrum* thoracis longitudine, validiusculum, cylindricum, lineare, arcuatum, deflexum; scrobe infra-oculari, curvata.—*Oculi* laterales, ovales, depressi, magni.—*Thorax* latitudine baseos dimidio longior, antrorsum angustior, conicus, basi leviter bi-sinuatus, in medio ante scutellum sub-lobatus, lateribus sub-rectus, apice truncatus, supra modice convexus. — *Scutellum* distinctum, sub-quadratum, apice truncatum.— *Elytra* thoracis basi vix latiora, sed illo triplo longiora, linearia, sub-cylindrica, basi singulatim rotundata, humeris antrorsum sub-prominulis; supra convexa, apice obtuse rotundata, sub-truncata, abdomine breviora. — *Pygidium* nudum, semi-orbiculatum, planiusculum. — *Pedes* mediocres, validiusculi, antici paulo longiores, basi parum distantes; femoribus in medio modice incrassatis, muticis; tibiis parum compressis, subrectis, apice truncatis, unco minuto horizontali intus instructis; tarsis longis, subtus spongiosis, articulis duobus basalibus sub-trigonis, 3° paulo latiore, profunde bilobo, ultimo longiusculo, tenuiore, modice clavato, bi-unguiculato.

TYPUS. — *Madopterus talpa.*

A μαδὸς glaber, πτερὸν ala.

Observ. — Habitus fere *Lixi; Madaro* generi aliquatenus affinitate accedit, abunde tamen differt corpore longiore, tenuiore, cylindrico, pedibus anticis basi minus remotis et articulo ultimo tarsorum tenuiore.

* 1. M. TALPA.

Lineari-elongatus, sub-cylindricus, niger, glaber, antennis pedibusque rufo-ferrugineis, thorace elongato, sub-conico, sub-remote punctulato, elytris subtiliter striatis, intra apicem impressis, inæqualibus.

Baridius id. Dom. CHEVROLAT *in Litteris.*

Habitat Cayennæ, teste Dom. CHEVROLAT. Mus. SCHH.

Statura elongata, angusta *Lixi* vel *Cossoni*, et *Lixo bicolori* Oliv. magnitudine æqualis. Caput sub-globosum, nigrum, nitidum, remote punctulatum; oculi magni, ovati, nigri, depressi; rostrum vix longitudine thoracis, validum, arcuatum, punctulatum, nigrum. Antennæ vix thoracis medium attingunt, rufo-ferrugineæ, pubescentes. Thorax latitudine baseos dimidio longior, anterius multo angustior, sub-conicus, apice truncatus, lateribus obliquis, subrectis, basi leviter bi-sinuatus, supra modice convexus, æqualis, subtiliter, sub-remote punctulatus, totus niger, nitidus. Scutellum sub-quadratum, concolor. Elytra lineari-elongata, antice singulatim rotundata, thoracis basi arcte applicata, callo humerali parum elevato; lateribus non ampliata, apice truncata, thorace plus duplo longiora, supra parum convexa, subtilissime striata, striis impunctatis, suturali et illi proxima in apice profundioribus, interstitiis planis, lævibus; pone callum posticum fovea obliqua impressa, costa angulari elevata posterius cincta; tota nigra, nitida. Pygidium ovatum, planum, punctatum, apice apertum. Corpus subtus convexum, nigrum, nitidum, glabrum, parce punctulatum. Pedes mediocres, castanei vel piceo-ferruginei; femoribus parum crassis, muticis; tarsis dilatatis, subtus dense albido-spongiosis.

GHL.

GENUS 290. CENTRINUS. *Nobis* (1).

Baris GERM., DEJEAN. — *Centrinus* et *Baridius* SAY. — *Balaninus* GERM., STURM, KLUG. — *Toxerus* SCHH., olim *in Litteris.* — *Ceutorhynchus* GERM. — *Rhynchænus* et *Calandra* FABR. — *Curculio* HERBST.

Character generis. — Antennæ longiusculæ, subtenues; funiculo 7-articulato: articulis 1° et 2° elongatis, sub-obconicis, illo sæpius longiore, reliquis multo brevioribus, etiam sub-obconicis, subdistantibus, exterioribus successive nonnihil latioribus; clava elongata, ovalis, acuminata.

(1) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 308. n° 179.

Rostrum sæpius longissimum, filiforme, valde arcuatum; mandibulæ sæpius porrectæ, apice acutæ.

Oculi sub-distantes, demissi, ovati, parum convexi.

Thorax brevis, basi profunde bi-sinuatus, versus apicem valde attenuatus, pone caput tubulatus; canalis inferus, aut valde obsoletus, aut distinctus; pectus in mare interdum antrorsum bispinosum.

Scutellum transversum aut apice truncatum, aut mucronatum.

Elytra thoracis basi paulo latiora, a basi ad apicem sensim angustata, oblongo-triangularia, pygidium in plerisque non exacte tegentia; in dorso sæpius planiuscula, ante apicem callosa; humeris obtuse angulatis.

Pedes mediocres, validiusculi; tibiæ apice aut muticæ, aut unco minuto intus instructæ.

Observ.—Corpus sub-ovale, aut glabrum, politum, aut squamulosum, alatum; aut mediocris, aut minusculæ magnitudinis.— Habitus hujus quodammodo idem est ac generis *Baridii*, sed præcipue differt corpore magis triangulari, elytris versus apicem sensim angustatis, antennis sæpissime longioribus et tenuioribus, articulis funiculi non coarctatis, clavaque angusta, acuminata.

Patria: America meridionalis et septentrionalis.

STIRPS I. —Thorax infra pro receptione rostri aut haud, aut obsoletissime canaliculatus.

Manipulus I. — Femora mutica.

♂♀ 1. C. BICUSPIS.

Sub-ovalis, niger, supra dense aureo-squamosus, rostro longo, tenui, valde arcuato, thorace triangulari, confertim punctato, linea media sub-elevata, lævi, macula utrinque basali denudata, notato, elytris oblongo-triangularibus, plaga disci denudatis, striatis, interstitiis crebre punctulatis. — BHN.

Mas: rostro breviore, basi gibbo, minus arcuato, thorace subtus spinis duabus longis, parallelis, arcuatis, armato.

Femina: rostro longiori, tenuiori, lineari, magis arcuato, thorace subtus mutico.

Baris id. GERM. *Ins. Sp.* I. p. 211. n° 336.

Patria: Brasilia.

♂ 2. C. CEMAS. *Schh.*

Ovalis, niger, squamulis luteo-virescentibus adspersus, subtus niveo-squamosus, antennis, rostro, tibiis tarsisque ferrugineis, rostro tenui, longitudine fere corporis, valde arcuato, thorace confertim subtiliter ruguloso, elytris striatis, interstitiis confertim punctulatis, singulo macula libera, apicali, nivea, ornato.

Mas: thorace subtus spinis duabus longissimis, parallelis, arcuato.

Habitat in Brasilia. Dom. FREYREISS. Mus. SCHH.

Mas : magnitudo et fere statura *Balanini cerasorum*. Caput parvum, globosum, piceum, subtiliter remote punctulatum; oculi laterales, sat magni, ovati, transversi, depressi, nigri; rostrum longitudine fere corporis, tenue, filiforme, valde arcuatum, fusco-ferrugineum, basi sub-striatum, squamulis pallidis adspersum, tum glabrum, punctulatum, inter antennas canalicula obsoleta, abbreviata, exaratum. Antennæ in medio rostri insertæ, ad thoracis medium pertingentes, tenues, fusco-ferrugineæ, extrorsum pubescentes, clava oblongo-ovata, acuminata. Thorax longitudine paulo latior, apice truncatus, antice angustior, mox pone apicem valde coarctatus, transversim impressus, lateribus modice rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, supra parum convexus, niger, undique confertim subtiliter rugulosus, squamulis luteo-virescentibus dense adspersus; in mare ante pedum anticorum originem spinis duabus longissimis, parallelis, apice nonnihil recurvatis, armatus. Scutellum sub-rotundatum, nigrum, squamulis albidis tectum. Elytra antice thoracis basi parum latiora, humeris vix prominulis, rotundatis; lateribus inflexa, thorace, vix sesqui longiora, sub-triangularia, a basi ad apicem sensim angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra sub-depressa, sat profunde striata, interstitiis planis, confertim punctulatis; tota nigra, basi squamulis griseis obsita, singulo in dorso postico, versus apicem macula parva, rotunda, libera, niveo-squamosa et præterea in dorso squamulis nonnullis ejusdem coloris adspersa. Corpus subtus nigrum, squamulis albidis dense tectum. Pedes elongati, validiusculi, squamulis griseis obsiti; femoribus modice clavatis, muticis, nigris; tibiis tarsisque ferrugineis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

♀ 3. C. OLFERSII.

Ovalis, ater, opacus, antennis, tibiis tarsisque piceis, rostro corpore multo breviori, tenui, rude punctato, valde arcuato, thorace profunde sat crebre punctato, medio sub-carinato, utrinque vitta lata recta, silaceo-squamosa, ornato, elytris striatis, interstiitis crebre punctulatis, singulo linea longitudinali, apice abbreviata, albido-squamosa. — BHN.

Mas : thorace subtus spinis duabus longissimis, parallelis, armato, rostro basi gibbo.

Femina : rostro lineari, thorace mutico.

Baris id. GERM. *Ins. Spec.* I. p. 209. n° 335.

Patria : Brasilia.

♂♀ 4. C. QUADRIVITTATUS.

Ovalis, niger, subtus dilute silaceo-squamosus, rostro corpore breviori, tenui, valde arcuato, profunde punctato, thorace confertim parum profunde punctato, silaceo trivittato, elytris striatis, interstitiis confertim profunde punctulatis, sutura late, linea angusta disci, silaceo-squamosis. — BHN.

Mas : thorace subtus spinis duabus, longis, parallelis, armato.

Femina : thorace subtus mutico.

Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 445. n° 36.

Observ. — Statura fere *Balanini cerasorum*, sed dimidio minor.

Patria : America meridionalis. A Dom. TOEND. LUND. communicatus. Mus. SCHH.

♂ 5. C. BIFRONS.

Ovalis, niger, sub-opacus, setulis silaceis adspersus, thorace obscure ferrugineo, crebre parum profunde punctato, subtus bi-spinoso, elytris sat profunde striatis, interstitiis concinne seriatim punctulatis et pallido-setulosis, pedibus ferrugineis. — BHN.

Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 449. n° 57.

Observ.—Parvus; magnitudo *Balanini salicivori*. Individuum nostrum mutilatum, caput deest. E Mus. Dom. T. LUND, Hafniæ.

Patria : America meridionalis.

♂ 6. C. CONFUSUS.

Oblongus, ater, sub-nitidus, rostro longitudine thoracis, tenue, valde arcuato, thorace antice angustato, confertim subtiliter punctato, dorso linea angusta, lævi, notato, elytris striatis, striis in fundo punctulatis, interstitiis angustis, crebre striato-punctulatis.

Mas : thorace subtus spinis duabus, parallelis, arcuatis, armato. *Rhynchænus id.* Dom. SAY *in Litteris.*
Femina : thorace subtus mutico.
Baris sulcipennis. Dom. ESCHSCHOLTZ *in Litteris.*

Patria : Florida. A Dom. SAY communicatus. Mus. SCHH. California. Mus. Dom. Com. MANNERHEIM.

Habitus fere Baridii et *Baridio picino* nonnihil minor, præsertim angustior. Caput parvum, semi-globosum, atrum, nitidum, vix punctatum; oculi laterales, ovati, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum longitudine thoracis cum capite, minus crassum, teres, valde arcuatum, basi nonnihil compressum, atrum, nitidum, basi et lateribus obsolete punctulatum. Antennæ in medio rostri insertæ, ad dimidium thoracis pertingentes, minus crassæ, nigræ, parce pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata. Thorax latitudine baseos nonnihil brevior, apice sub-truncatus, antice dimidio angustior, intra apicem leviter constrictus, lateribus pone stricturam rotundato-ampliatis, tum fere rectis, postice obsolete bi-sinuatus, supra parum convexus; confertim minus profunde punctatus, linea media lævi, vix elevata, instructus; totus ater, sub-nitidus. Scutellum parvum, rotundatum, atrum. Elytra antice sinuata, thoracis basi parum latiora, pone basin nonnihil ampliata, humeris elevatis, obtuse rotundatis; versus apicem angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra parum convexa, minus profunde striata, striis in fundo subtiliter punctulatis, interstitiis angustis, planis, singulis serie e punctis crebris impressis; tota atra, sub-nitida. Pygidium semi-rotundatum, atrum, confertim punctatum. Corpus subtus atrum, nitidum, crebre punctatum. Pedes breviusculi, atri, punctati; femoribus parum incrassatis, muticis; tibiis rectis, apice intus uncinatis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

7. C. CAPREOLUS (1).

Thorace sensim attenuato, subtus bi-dentato, niger, nitidus, elytris simpliciter striatis, ante apicem impressis. — GERM.

Baris capreola. GERM. *Ins. Spec.* I. p. 203. n° 326.

Patria : Brasilia.

* 8. C. WESTWOODI. *Schh.*

Ovalis, niger, sub-opacus, rostro longitudine fere corporis, tenui, valde arcuato, basi profunde punctato, thorace sub-triangulari, crebre punctato, medio linea elevata, lævi, notato, utrinque vitta angusta, obliqua cinnabarino-squamosa decorato; elytris striatis, interstitiis crebre rugoso-punctatis, singulo elytro linea longitudinali, apice abbreviata, cinnabarino-squamosa.

Patria : Brasilia. Dom. WESTIN. Mus. SCHH.

Habitus et summa similitudo *Centrini paralleli,* nonnihil tamen major, et abunde distinctus. Caput parvum, sub-globosum, nigrum, sub-nitidum, in fronte remote supra oculos concinne punctatum, inter oculos leviter transversim impressum; oculi sat magni, ovati, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum longitudine fere corporis, tenue, filiforme, valde arcuatum, nigrum, sub-nitidum, basi sat profunde punctatum, apicem versus læve. Antennæ fere in medio rostri sitæ, tenues, nigræ, basi ferrugineæ, clava oblonga, acuminata, fusca. Thorax sub-triangularis, latitudine baseos brevior, apice truncatus, anterius valde angustatus, leviter coarctatus, mox pone apicem basin versus ampliatus, basi profunde bi-sinuatus, lobo medio magno, rotundato, producto; supra parum convexus, concinne punctatus, in medio dorsi linea elevata, lævi, notatus, niger, sub-opacus, utrinque linea sat lata, obliqua, basi nonnihil dilatata, dense cinnabarino-squamosa, ornatus. Scutellum oblongo-quadratum, apice impressum, nigrum, nitidum, læve. Elytra basi singulatim nonnihil rotundata, antice thorace paulo latiora, et illo fere duplo longiora, humeris modice prominulis, rotundatis; pone humeros apicem versus sensim angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra in dorso fere plana, postice callo obsoleto, notata, sat profunde striata, striis in fundo obsolete punctulatis, interstitiis planis, crebre rugoso-punctatis; nigra, sub-opaca, inter strias 3 et 4 a sutura, linea recta, cinnabarino-squamosa, apice abbreviata, ornata. Corpus subtus nigrum,

---

(1) Mihi invisus.

sub-nitidum, sat crebre punctulatum, punctis squamulis albidis obsitis; pectoris lateribus cinnabarino-squamosis. Pedes elongati, validi, punctati, nigri, albido-setulosi; femoribus modice clavatis, sub-compressis, muticis; tibiis parum arcuatis; tarsis modice dilatatis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

Dom. J. O. WESTWOOD, auctor excellentis operis, Monographiæ de Famil. *Paussidæ.* — SCHH.

* 9. C. PARALLELUS. *Schh.*

Ovalis, ater, sub-nitidus, antennis piceis, rostro longitudine fere corporis, arcuato, subtiliter punctulato, thorace profunde minus crebre punctato, medio sub-carinato, utrinque silaceo vittato, elytris striatis, interstitiis sat profunde punctulatis, singulo linea longitudinali, apice abbreviata, silaceo-squamosa.

Habitat in Brasilia. Dom. FREYREISS. Mus. SCHH.

Statura et summa similitudo *Centrini Olfersii,* sed dimidio major; rostro multo longiori, minus arcuato, subtiliter tantum punctulato, thorace remote punctato, elytrorum interstitiis evidenter punctulatis, etc., distinctus. Caput minutum, globosum, nigrum, sub-nitidum, sat profunde remote punctatum, inter oculos leviter transversim impressum; oculi laterales, sat magni, ovati, transversi, depressi, nigri; rostrum longitudine fere corporis, tenue, filiforme, modice arcuatum, nigrum, sub-nitidum, basi evidenter remote, tum subtilissime punctulatum. Antennæ in medio rostri insertæ, ad dimidium thoracis pertingentes, subtenues, rufo-piceæ, extrorsum pubescentes, clava oblongo-ovata, acuminata. Thorax latitudine baseos multo brevior, apice truncatus, anterius valde angustatus, coarctatus et transversim impressus, mox pone apicem valde ampliatus, lateribus modice rotundatus, basi leviter bi-sinuatus, supra parum convexus, niger, minus crebre sat profunde punctatus, relicta in medio dorsi linea sub-carinata, lævi, lateribus et margine antico subtus silaceo-spongiosis. Scutellum sub-quadratum, nigrum. Elytra antice thoracis basi parum latiora, humeris elevatis, rotundatis; lateribus inflexa, thorace duplo longiora, a basi apicem versus sensim angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra fere plana, sat profunde striata, interstitiis planis, evidenter sat rude punctatis; tota nigra, sub-nitida, inter strias 3 et 4, a sutura linea silaceo-squamosa, apice abbreviata. Corpus subtus nigrum, punctatum, punctis squamulis albidis repletis, pectoris lateribus dilute fulvo-squamosis. Pedes elongati, validius-

culi, nigri, profunde punctati, setulis pallidis adspersi; femoribus modice clavatis, muticis; tarsis subtus fulvo-spongiosis. — Bhn.

* 10. C. Trigammicus. *Schh.*

Ovalis, niger, antennis ferrugineis, rostro valde arcuato, subtiliter punctato, thorace profunde crebre punctato, silaceo tri-lineato, elytris striatis, interstitiis confertim punctulatis, sutura anguste, linea utrinque disci apice abbreviata, silaceo-squamosis.

Habitat in Brasilia. Dom. Freyreiss. Mus. Schh.

Centrino Olfersii dimidio minor et in elytris apicem versus minus angustatus. Caput parvum, globosum, nigrum, remote, sat profunde punctatum, inter oculos transversim impressum; oculi laterales, ovati, transversi, sub-depressi, nigri; rostrum longitudine elytrorum, tenue, filiforme, valde arcuatum, nigrum, sub-nitidum, subtiliter punctulatum. Antennæ in medio rostri insertæ, ad dimidium thoracis pertingentes, subtenues, ferrugineæ, extrorsum parce pubescentes, clava oblongo-ovata, sub-acuminata, obscuriori. Thorax latitudine baseos multo brevior, apice truncatus, anterius valde angustatus, ibique coarctatus et transversim impressus, mox pone apicem valde ampliatus, lateribus parum rotundatus, basi leviter bi-sinuatus, supra parum convexus, niger, sat confertim profunde punctatus, punctis setulis depressis, obscure umbrinis obsitis, dorso lineis tribus silaceo-squamosis, quarum laterales obliquæ, anterius angustatæ, media recta, æqualis. Scutellum sub-quadratum, nigrum, silaceo-squamosum. Elytra antice thoracis basi parum latiora, humeris sub-elevatis, obtuse rotundatis; lateribus inflexa, thorace sesqui longiora, a basi apicem versus sensim perparum angustata, apice conjunctim obtuse rotundata, supra sub-depressa, nigra, sat profunde striata, striis in fundo obsolete punctatis, interstitiis planis, confertim minus profunde punctulatis; sutura tota angusta silaceo-squamosa; in singulo elytro inter strias 3 et 4, a sutura linea angusta, apice abbreviata, e squamulis silaceis. Corpus subtus nigrum, sat confertim punctulatum, punctis squamulis silaceis repletis; pectoris lateribus, lateribus abdominis basi silaceo-squamosis. Pedes elongati, validiusculi, profunde punctati, nigri, setulis squamulisque pallidis adspersi; femoribus modice clavatis, muticis; tarsis elongatis, fusco-piceis, subtus obscure fulvo-spongiosis. — Bhn.

* 11. C. SUTURALIS. *Schh.*

Ovalis, niger, subtus silaceo-squamosus, antennis rostro tarsisque piceis, rostro tenui, modice arcuato, subtilissime punctulato, thorace subtiliter crebre ruguloso, dorso sub-carinato, utrinque silaceo vittato, elytris striatis, interstitiis confertim punctulatis, sutura silaceo-squamosa.

Habitat in Brasilia. Dom. FREYREISS. Mus. SCHH.

Magnitudo et fere statura *Balanini cerasorum*. Caput parvum, globosum, nigrum, obsolete remote punctulatum, inter oculos transversim impressum; oculi ovati, transversi, depressi, nigri; rostrum longitudine elytrorum, tenue, sub-filiforme, modice arcuatum, piceum, basi evidenter, tum subtilissime punctulatum, inter antennas canalicula tenui, abbreviata, obsoleta, impressum. Antennæ in medio rostri insertæ, ad dimidium thoracis pertingentes, tenues, rufo-testaceæ, clava ovata, sub-acuminata, fusca. Thorax latitudine baseos multo brevior, apice truncatus, antice valde angustatus, coarctatus, transversim impressus, mox pone apicem valde ampliatus, lateribus vix rotundatus, basi leviter bisinuatus, supra parum convexus, niger, subtiliter confertim ruguloso-punctatus, in medio dorsi linea postice nonnihil abbreviata, sub-carinata, lævi, lateribus paleaceo-squamosis, in utroque macula sat magna, denudata, nigra. Scutellum sub-quadratum, nigrum, silaceo-squamosum. Elytra sub-triangularia, antice thoracis basi parum latiora, quam lata vix dimidio longiora, humeris parum elevatis, obtuse rotundatis; lateribus inflexa, a basi apicem versus, sensim angustata, apice ipso conjunctim rotundata, supra sub-depressa, sat profunde striata, striis in fundo obsolete punctatis, interstitiis planis, subtiliter confertim punctulatis; nigra, sutura tota anguste silaceo-squamosa. Corpus subtus nigrum, punctatum, squamulis silaceis dense tectum. Pedes elongati, validiusculi, nigri, punctati, pube grisea adspersi; femoribus modice clavatis, muticis; tarsis elongatis, piceis, subtus fulvo-spongiosis.—BHN.

* 12. C. GIBBIROSTRIS.

Ovalis, niger, opacus, squamulis silaceis parce adspersus, antennis ferrugineis, rostro basi compresso, gibbo, striolato, thorace crebre punctato, carinato, elytris punctato-striatis, interstitiis crebre rugoso-punctatis, singulo elytro lineola basali et altera infra medium dense albo-squamosis. — BHN.

Baris id. Germ. *Ins. Spec.* I. p. 209. n° 334.

Patria : Brasilia.

13. C. Posticus. *Schh.*

Ellipticus, niger, opacus, squamulis silaceis adspersus, antennis piceis, rostro valde arcuato, basi compresso, thorace sub-conico, minus profunde punctato, carinato, elytris striatis, striis in fundo punctatis, interstitiis crebre punctatis, lineola basali et apicali maculaque pone medium dense silaceo-squamosis, ornatis.

* Var. β. Singulo elytro præterea macula parva, silacea, ante medium inter strias 3 et 4 a sutura.

Patria : Brasilia. Mus. Imp. Russ. et Mus. Imp. Acad. Alexandr.

Statura et summa similitudo *Centrini gibbirostris*, sed duplo fere minor; thorace antice minus angustato, subtilius punctato, etc., ab illo distinctus. Caput parvum, semi-globosum, nigrum, sub-nitidum, denudatum, subtiliter sat crebre punctulatum, inter oculos transversim impressum; oculi laterales, ovati, transversi, depressi, nigri; rostrum capite cum thorace nonnihil longius, valde arcuatum, basi compressum, gibbum, nigrum, squamulis silaceis parce adspersum, undique sat crebre subtiliter punctatum, lateribus striolatum. Antennæ minus crassæ, piceæ, parce pilosæ, clava breviter ovata, sub-obtusa, cinereo-pubescente. Thorax sub-conicus, latitudine baseos nonnihil brevior, apice truncatus, mox pone apicem obsolete constrictus, sed basin versus sensim ampliatus, postice profunde bi-sinuatus, supra modice convexus, sat crebre minus profunde punctatus, carinula media antice præsertim elevata, notatus; niger, squamulis silaceis sat dense obsitus. Scutellum parvum, sub-quadratum, nigrum. Elytra basi singulatim nonnihil rotundato-producta, antice thoracis basi paulo latiora, quam lata dimidio longiora, pone basin ampliata, humeris elevatis, obtuse rotundatis; dein posterius valde attenuata, sub-triangularia, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra perparum convexa, sat profunde striata, striis in fundo obsolete punctatis, interstitiis planis, subtiliter sat crebre, vage punctulatis; nigra, parum nitida, squamulis silaceis dense adspersa, lineola brevi, utrinque ad basin juxta scutellum, alteraque versus apicem longiore; macula parva oblonga, infra medium et interdum punctoque parvo ante medium inter striam a satura tertiam quartamque silaceo-squamosis, ornata. Corpus subtus nigrum, nitidum, subtiliter minus crebre punctulatum, densius silaceo-squamosum. Pedes mediocres,

validiusculi, nigri, punctati, silaceo-squamulosi; femoribus modice incrassatis, muticis; tibiis rectis, apice uncinatis; tarsis dilatatis, subtus fulvo-spongiosis.—BHN.

* 14. C. NORMALIS. *Schh.*

Ovalis, ater, nitidus, subtus silaceo-squamosus, rostro basi compresso, arcuato, thorace profunde minus crebre punctato, carinato, lateribus silaceo-squamosis, elytris punctato-striatis, interstitiis remote punctatis, squamulis pallidis adspersis, singulo basi punctis duobus, macula oblonga in dorso postico et signo triangulari in apice silaceo-squamosis.

Habitat in Brasilia. A Dom. FALDERMANN communicatus. Mus. SCHH.

Centrino gibbirostri simillimus et affinis, abunde tamen distinctus; nonnihil longior, magis nitidus, thorace remote punctato, elytrorum interstitiis tenue punctulatis, ut et signaturis aliis. Caput parvum, globosum, atrum, subtiliter minus crebre punctatum, inter oculos transversim impressum; oculi laterales, ovati, depressi, nigri; rostrum longitudine capitis cum thorace, minus tenue, arcuatum, atrum, basi valde compressum, gibbum, profunde apicem versus subtiliter punctatum, inter antennas canalicula tenui, abbreviata, insculptum. Antennæ in medio rostri insertæ, subtenues, piceæ, clava ovata, sub-acuminata, atra. Thorax latitudine baseos fere brevior, apice truncatus, anterius angustatus, ibique coarctatus et transversim impressus, mox pone apicem ampliatus, lateribus nonnihil rotundatus, basi bi-sinuatus, supra parum convexus, ater, nitidus, glaber, remote profunde punctatus, relicta in medio dorsi linea continuata, carinata, lævi, subtus lateribusque dense silaceo-squamosus. Scutellum sub-quadratum, nigrum. Elytra antice thorace paulo latiora, oblongo-ovata, humeris parum elevatis, rotundatis; lateribus inflexa, thorace duplo longiora, a basi apicem versus sensim perparum angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra parum convexa, punctato-striata, interstitiis antice remote apicem versus magis confertim punctulatis; atra, nitida, squamulis nonnullis albidis adspersa, signaturis variis e squamulis silaceis insignita, nempe puncto utrinque basali juxta scutellum, alteroque humerali, longe pone medium inter strias 3 et 4 a sutura macula parva oblongo-quadrata, versus apicem juxta suturam lineola longitudinali, alia laterali adfixa. Corpus subtus nigrum, dense dilute silaceo-squamosum. Pedes elongati, validiusculi, nigri, punctati, squamulis

setulisque silaceis obtecti; femoribus modice clavatis, muticis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. — Bhn.

15. C. Ocellatus. *Hope.*

Oblongo-ovalis, ater, sub-opacus, subtus sulphureo-squamosus, rostro valde arcuato, basi compresso, thorace crebre minus profunde punctato, utrinque sulphureo-squamoso, scutello elytrorum macula pone medium silaceis, elytris subtiliter crenato-striatis, interstitiis confertim punctulatis.

Habitat Nepal Indiæ Orientalis? Mus. Dom. Hope. — Potius in Brasilia ut congeneres lectus.

Centrini normalis affinis certe, sed nonnihil minor, præsertim angustior, thorace subtiliter confertim punctato, minime carinato, elytrorum interstitiis crebre punctulatis ut et signaturis aliis, ab illo mox distinctus. Caput parvum, rotundatum, atrum, parum nitidum, subtiliter crebre punctulatum, inter oculos transversim impressum; oculi ovati, transversi, depressi, nigri; rostrum capite cum thorace nonnihil longius, valde arcuatum, basi compressum, gibbum, incrassatum, profunde rugoso-punctatum, apicem versus tenuius, deplanatum, subtiliter sat evidenter punctatum; totum nigro-piceum, nitidum. Antennæ mox pone medium rostri sitæ, subtenues, piceæ, parce pilosæ, clava ovata, sub-acuminata, atro-holosericea. Thorax latitudine baseos nonnihil brevior, apice truncatus, antrorsum angustatus, mox pone apicem coarctatus, lateribus modice rotundatus, basi bi-sinuatus, supra parum convexus, ater, sub-nitidus, crebre subtiliter punctatus, subtus lateribusque sulphureo-squamosus, macula magna atra denudata in utroque latere ad basin notatus. Scutellum sub-quadratum, nigrum, sulphureo-squamosum. Elytra basi singulatim perparum rotundato-producta, antice thorace paulo latiora, latitudine vix duplo longiora, humeris vix elevatis, obtuse rotundatis; lateribus inflexa, pone humeros apicem versus sensim perparum angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra fere plana, striata, striis in fundo punctulatis, interstitiis planis, subtiliter confertim punctatis; tota atra, sub-nitida, squamulis nonnullis silaceis adspersa; singulo elytro mox pone medium in dorso macula oblongo-ovata, e squamulis condensatis dilute sulphureis. Pygidium semi-rotundatum, crebre punctatum. Corpus subtus nigrum, squamulis læte sulphureis sat dense obsitum, pectore crebre, ventre remote punctatis. Pedes elongati, validi, nigro-picei, punctati, squamulis se-

tulisque silaceis dense adspersi; femoribus parum clavatis, muticis; tibiis rectis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

* 16. C. BIGRAMMICUS.

Oblongo-ovatus, niger, opacus, supra parce subtus dense læte citrino-squamosus, antennis pedibusque rufo-ferrugineis, rostro basi parum compresso, lateribus striolato, thorace crebre punctato, obsolete carinato, elytris striatis, interstitiis profunde temere punctatis, singulo elytro lineola basali et altera infra medium albo-squamosis.—BHN.

Baris bigrammica. GERM. *Ins. Spec.* I. p. 208. n° 333.
Centrinus vestitus. Dom. Com. DEJEAN *in Litteris*, teste Dom. CHEVROLAT.

Patria: Brasilia.

* 17. C. AURITARSIS.

Ovalis, niger, nitidus, rostro longitudine thoracis cum capite, basi profunde punctato, thorace subtilissime remote punctulato, elytris simpliciter striatis, interstitiis lævibus, singulo elytro macula infra medium oblonga, albo-squamosa, thorace subtus, pleuris abdominisque basi albo-squamosis, tarsis aureo-pulvinatis. — BHN.

Baris id. GERM. *Ins. Sp.* I. p. 207. n° 332.
Centrinus biguttatus. Dom. Com. DEJEAN *in Litteris*, teste Dom. CHEVROLAT.

VAR. β. Rufo-castaneus, nitidus, signaturis ut in α. Forte nuper exclusus. — Ex Musæo Dom. BARTELS.

Patria: Brasilia.

* 18. C. CARBONARIUS.

Ovalis, ater, nitidus, subtus squamulis sordide albidis adspersus, rostro longitudine capitis cum thorace, arcuato, basi compresso, thorace subtilissime remote punctato, elytris striatis, singulo puncto infra medium niveo-squamoso, tarsis fulvo-pulvinatis.

Calandra carbonaria. FABR. *Syst. El.* II. p. 437. n° 37.
Centrinus binotatus. Dom. Com. DEJEAN *in Litteris*, teste Dom. CHEVROLAT.

Habitat in Brasilia. A Dom. STEVEN et CHEVROLAT missus. Mus. SCHH.

Centrino auritarsi simillimus et valde affinis, sed dimidio fere

minor. Caput parvum, globosum, atrum, nitidum, subtilissime remote punctulatum; oculi laterales, ovati, transversi, depressi, nigri; rostrum longitudine capitis cum thorace, minus tenue, arcuatum, basi compressum, gibbum, atrum, profunde punctatum, squamulis piliformibus pallidis adspersum. Antennæ in medio rostri insertæ, ad dimidium thoracis pertingentes, subtenues, fusco-ferrugineæ, parce pubescentes, clava oblongo-ovata, acuminata. Thorax latitudine baseos nonnihil longior, sub-conicus, anterius nonnihil angustatus, ibique leviter coarctatus, basi bi-sinuatus, ater, nitidus, vage, subtilissime, remote punctulatus. Scutellum parvum, breve, transversum, nigrum, nitidum. Elytra basi singulatim nonnihil rotundato-producta, antice thorace paulo latiora, humeris elevatis, obtuse rotundatis; lateribus inflexa, thorace duplo longiora, a basi apicem versus sensim angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra fere plana, simpliciter striata, interstitiis planis lævibus; tota atra, nitida, singulo infra medium inter strias 3 et 4 a sutura macula parva oblonga, niveo-squamosa. Corpus subtus nigrum, punctatum, punctis squamulis silaceis repletis. Pedes elongati, validiusculi, nigri, punctati, squamulis setulisque pallidis adspersi; femoribus modice clavatis, muticis; tarsis elongatis, subtus fulvo-pulvinatis. — Bhn.

19. C. Quadrigrammicus. *Schh.*

Ovalis, ater, nitidus, subtus niveo maculatus, rostro vix longitudine capitis cum thorace, arcuato, basi minus compresso, thorace latiori, subtiliter remote punctulato, elytris subtiliter striatis, interstitiis lævibus, singulo elytro maculis duabus niveo-squamosis.

Patria: Brasilia. Mus. Imp. Russ.

Centrino carbonario statura subsimilis; rostro breviori, basi minus compresso ut et signaturis aliis, ab illo facile distinctus. Caput parvum, semi-globosum, atrum, nitidum, obsolete minus crebre punctulatum, inter oculos transversim impressum; oculi laterales, ovati, transversi, depressi, nigri; rostrum longitudine capitis cum thorace, minus crassum, arcuatum, basi compressum; totum atrum, nitidum, basi subtiliter lateribus profunde punctatum, extrorsum sub-læve. Antennæ in medio rostri insertæ, ad dimidium thoracis pertingentes, subtenues, nigro-piceæ, parce pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos multo brevior, antice dimidio angustior, apice truncatus, mox intra apicem profunde sed anguste constrictus, lateribus pone stricturam rotundato-ampliatis, postice sat profunde

bi-sinuatus, supra modice convexus, ater, nitidus, vage subtiliter remote punctulatus. Scutellum parvum, breve, transversum, atrum, nitidum. Elytra basi singulatim perparum rotundato-producta, antice thoracis basi nonnihil latiora, quam lata dimidio longiora, pone basin ampliata, humeris elevatis, obtuse rotundatis; dein posterius sensim angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra perparum convexa, subtiliter striata, striis in fundo vix punctatis, interstitiis planis, lævibus; atra, nitida, singulo in ipsa basi inter strias 2 et 3 a sutura macula oblongo-ovata, alteraque infra medium inter strias 3 et 4 etiam oblongo-ovata, dense niveo-squamosis, ornato. Corpus subtus atrum, nitidum, sat crebre punctulatum, signaturis variis e squamulis niveis variegatum, nempe: thorace macula utrinque apicali, cuneata, lineis duabus confluentibus intra pedes anticos; pectore maculis tribus, duabus in ipsa basi, tertia intra pedes posteriores; abdomine maculis quatuor, duabus anterioribus, majoribus. Pedes mediocres, nigri, punctati; femoribus modice clavatis, muticis, subtus niveo-squamosis; tibiis rectis, apice intus uncinatis, pube albida, obsitis; tarsis dilatatis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

* 20. C. SQUAMIPES.

Ovalis, niger, nitidus, subtus squamulis citrinis tectus, rostro arcuato, basi compresso, lateribus striolato, thorace disco subtilissime remote versus latera evidenter punctulato et squamoso, elytris striatis, interstitiis subtilissime vage punctulatis, singulo elytro juxta scutellum puncto parvo, citrino-squamoso. — BHN.

Baris squamipes. GERM. *Ins. Spec.* I. p. 207. n° 331.

* VAR. β. Minor, subtus cinereo-albido-squamosus.

Baris bicolor. DEJEAN. *Catal. Col.* p. 99.

Observ. — Magnitudo et fere statura *Centrini carbonarii*, sed variat etiam dimidio minor.

Patria: Brasilia.

* 21. C. PUNCTATISSIMUS. *Von Winthem.*

Breviter ovalis, niger, squamulis nonnullis niveis adspersus, rostro arcuato, thorace rude minus confertim punctato, sub-carinato, elytris striatis, interstitiis punctulatis, macula parva basali et alia infra medium e squamulis nonnullis niveis, condensatis, pectore utrinque niveo maculato.

Habitat in Insula Cuba. A Dom. DE WINTHEM et GERMAR benevole communicatus. Mus. SCHH.

Parvus; *Balanino salicivoro* fere duplo major. Caput minutum, globosum, nigrum, remote, subtiliter punctulatum; oculi laterales, ovati, transversi, depressi, nigri; rostrum longitudine capitis cum thorace, subtenue, filiforme, arcuatum, nigrum, subtiliter punctulatum. Antennæ in medio rostri insertæ, ad dimidium thoracis pertingentes, subtenues, nigræ, parce pubescentes, clava oblongo-ovata, acuminata. Thorax latitudine baseos nonnihil brevior, apice truncatus, anterius valde angustatus, ibique coarctatus, leviter transversim impressus, mox pone apicem valde ampliatus, lateribus nonnihil rotundatus, postice leviter bi-sinuatus, supra parum convexus, niger, rude sed minus crebre punctatus, relicta in medio dorsi linea continuata, sub-elevata, lævi, squamis perpaucis niveis obsitus. Scutellum parvum, sub-quadratum, nigrum. Elytra antice thoracis basi parum latiora, humeris prominulis, rotundatis; lateribus inflexa, thorace vix duplo longiora, a basi apicem versus sensim angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra modice convexa, sat profunde striata, striis in fundo obsolete punctatis, interstitiis planis, singulis serie regulari e punctis parvis, remotis, impressis; tota nigra, squamulis nonnullis niveis adspersa, in ipsa basi supra humeros et longe infra medium inter strias 3 et 4 a sutura in maculis parvis condensatis. Corpus subtus nigrum, rude punctatum, lateribus pectoris utrinque versus apicem macula parva niveo-squamosa, ornatis. Pedes elongati, validiusculi, nigri, rude punctati; femoribus modice clavatis, muticis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis.

BHN.

22. C. SUTURA-ALBA. *Schh.*

Oblongus, ater, nitidus, subtus dense albido-squamosus, rostro breviori, basi compresso, gibbo, thorace evidenter remote punctulato, macula parva ante scutellum niveo-squamosa, ornato, elytris striatis, striis in fundo subtiliter punctulatis, interstitiis obsoletissime vage punctulatis, scutello et sutura niveo-squamosis.

Patria : Brasilia. Mus. Imp. Russ.

Longitudo *Centrini squamipedis*, sed angustior; rostro breviori, thorace evidentius punctulato ut et signaturis aliis, ab illo bene distinctus. Caput parvum, semi-globosum, atrum, nitidum, minus crebre punctulatum; oculi laterales, ovati, transversi, depressi, nigri; rostrum longitudine thoracis, arcuatum, basi lateribus compressum, gibbum, profunde punctatum, squamulis albidis adspersum, apicem versus deplanatum, subtiliter punctulatum.

Antennæ pone medium rostri insertæ, ad dimidium thoracis vix pertingentes, minus crassæ, nigræ, parce pilosæ, clava oblongo-ovata, parum acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos nonnihil brevior, antice dimidio angustior, apice truncatus, intra apicem sat profunde sed anguste constrictus, tum rotundato-ampliatus, postice bi-sinuatus, supra modice convexus, remote subtiliter punctatus; totus ater, nitidus, ante scutellum macula parva transversa, niveo-squamosa, decoratus. Scutellum rotundatum, atrum, dense niveo-squamosum. Elytra antice sinuata, thoracis basi parum latiora, pone basin ampliata, humeris elevatis, obtuse rotundatis; dein posterius sensim perparum angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, quam lata fere duplo longiora, supra vix convexa, striata, striis in fundo subtiliter punctatis, interstitiis planis, obsoletissime vage minus crebre punctulatis; tota atra, nitida, sutura anguste dense niveo-squamosa. Corpus subtus atrum, squamulis niveis densissime vestitum. Pedes mediocres, atri, crebre punctati, parcius albido-squamosi; femoribus parum crassis, muticis; tibiis rectis, apice intus uncinatis; tarsis dilatatis, subtus fulvo-spongiosis. — Bhn.

* 23. C. Oblongus. *Schh.*

Oblongo-ovalis, ater, nitidus, glaber, antennis ferrugineis, capite remote punctulato, rostro arcuato, basi compresso, thorace antice constricto, lateribus fere recto, subtiliter remote punctulato, elytris striatis, interstitiis obsolete vage punctulatis.

Baris polita. Dom. Com. Dejean *in Litteris,* teste Dom. Schuppel.

Habitat in Brasilia. Mus. Dom. Chevrolat. A Dom. Schuppel etiam communicatus. Mus. Schh.

Centrini auritarsis magnitudine æqualis, sed angustior, minus convexus. Caput parvum, globosum, atrum, nitidum, subtiliter remote punctulatum; oculi oblongi, transversi, sub-depressi, nigri; rostrum longitudine fere capitis cum thorace, arcuatum, compressum, apicem versus deplanatum, atrum, nitidum, punctulatum. Antennæ longe pone medium rostri insertæ, ad dimidium thoracis vix pertingentes, subtenues, ferrugineæ, parce pilosæ, clava ovata, acuminata, atro-holosericea. Thorax latitudine baseos nonnihil longior, apice sub-truncatus, mox pone apicem coarctatus, dein rotundato-ampliatus, tum lateribus versus basin rectis, postice bi-sinuatus, supra fere planus, ater, nitidus vage minus crebre subtiliter punctulatus. Scutellum parvum, transversum, sub-quadratum, atrum. Elytra oblongo-ovalia, basi singulatim perparum rotun-

dato-producta, antice thorace nonnihil latiora, latitudine duplo fere longiora, humeris antrorsum parum prominulis, rotundatis; lateribus inflexa, apicem versus sensim angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra planiuscula, atra, nitida, simpliciter striata, interstitiis planis, vage remote obsolete punctulatis. Pygidium subtiliter punctulatum, transversim carinatum. Corpus subtus atrum, nitidum, pectore profunde sat crebre, ventre magis remote punctulatis. Pedes mediocres, validi, punctati, pube pallida parce adspersi; femoribus modice clavatis, muticis; tibiis rectis; tarsis piceis, elongatis, subtus fulvo-spongiosis. — Bhn.

* 24. C. Rubiginosus.

Ovatus, rufo-piceus, nitidus, rostro arcuato, striolato-rugoso, thorace antice subito angustato, dorso remote lateribus crebre punctulato, elytris sub-triangularibus, obscure castaneis, profunde striatis, striis obsolete punctatis, interstitiis vage punctulatis.

Baris rubiginosa. ¦ Dom. Com. Dejean *in Litteris*, teste Dom. Schuppel.

Habitat in Brasilia. A Dom. Klug communicatus. Mus. Schh.

Statura fere *Centrini lirati,* sed dimidio major. Caput parvum, globosum, piceum, minus crebre satis profunde punctatum; oculi laterales, ovati, parum prominuli, nigri; rostrum longitudine capitis cum thorace, tenue, valde arcuatum, teres, basi leviter compressum, piceum, nitidum, striolato-rugosum, apicem versus subtiliter punctulatum. Antennæ longe ante medium rostri insertæ, subtenues, rufo-ferrugineæ, parce pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos multo brevior, apice truncatus, anterius cito valde angustatus, tubulatus, lateribus nonnihil rotundatus, postice sat profunde bisinuatus, supra modice convexus, rufo-piceus, nitidus, dorso remote subtiliter, lateribus crebre magis evidenter punctulatus. Scutellum sub-rotundatum, piceum, impunctatum. Elytra basi singulatim perparum rotundato-producta, antice thorace parum latiora, humeris, vix prominulis, rotundatis; lateribus inflexa, thorace vix duplo longiora, sub-triangularia, a basi ad apicem usque sensim angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra modice convexa, obscure castanea, nitida, profunde striata, striis in fundo obsolete punctatis, interstitiis planis, subtiliter vage minus crebre punctulatis. Corpus subtus nigro-piceum, sub-nitidum, sat crebre punctatum. Pedes validiusculi, ferruginei, profunde

punctati; femoribus modice clavatis, muticis; tibiis sub-compressis, rectis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

* 25. C. QUADRIGUTTATUS.

Oblongo-ovatus, ater, subtus niveo-squamosus, thorace crebre punctato, aurantiaco-squamoso, atro maculato, elytris crenato-striatis, interstitiis punctatis, maculis quatuor niveo-apiceque aurantiaco-squamosis.

Baris id. Dom. Com. DEJEAN *in Litteris.*
Baris 4-maculata. Dom. KLUG *in Litteris.*

Habitat in Brasilia. A Dom. KLUG benevole communicatus. Mus. SCHH.

Elegans species, *Centrini rubiginosi* magnitudine sub-æqualis. Caput parvum, globosum, atrum, sat crebre punctatum, punctis squamulis minutissimis, albidis, repletis; fronte inter oculos parce punctata: oculi laterales, oblongi, transversi, depressi, nigri; rostrum longitudine thoracis, crassiusculum, teres, arcuatum, atrum, a basi ultra medium carinatum, crebre punctatum, squamulis albidis adspersum, tum glabrum, punctatum. Antennæ pone medium rostri insertæ, ad dimidium thoracis pertingentes, crassiusculæ, nigræ; clava oblonga, acuminata. Thorax latitudine baseos brevior, apice truncatus, coarctatus, anterius subito angustatus, lateribus parum rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, supra modice convexus, ater, crebre punctatus, dorso obsolete carinatus, squamulis aurantiacis, dense tectus, signaturis atris insignitus, nempe : basi macula elongata, transversa, medio flavedine excisa, dorso antico utrinque macula parva cuneiformi, obliqua, et versus latera puncto parvo. Scutellum parvum, oblongum, atrum, punctulatum. Elytra basi singulatim nonnihil rotundato-producta, antice thoracis basi parum latiora, humeris rotundatis, lateribus inflexa, thorace dimidio longiora, pone humeros apicem versus perparum angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra fere plana, crenato-striata, interstitiis sat crebre punctatis; tota atra, squamulis atro-holosericeis tecta; singulo elytro maculis duabus, rotundis, sat magnis, niveo-squamosis, ornato, anteriori prope basin, posteriori mox pone medium, apice ipso aurantiaco-squamoso. Pygidium semi-rotundatum, crebre punctatum, nigrum, squamulis albidis, dense adspersum. Corpus subtus nigrum, nitidum, squamulis niveis, dense tectum, abdomine medio transversim denudato. Pedes breves, validi, nigri, punctati, squamulis

niveis, sat dense obsiti; femoribus modice clavatis, muticis; tibiis rectis, apice intus uncinatis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. — Bhn.

26. C. Signatus. *Schh.*

Ovalis, ater, sub-nitidus, rostro valde arcuato, punctulato, antennarum clava pyriformi, thorace crebre punctato, dorso carinato, utrinque late silaceo-squamoso, elytris striatis, striis in fundo punctatis, interstitiis confertim punctulatis.

* Var. β. Thorace utrinque silaceo bi-maculato, tibiis anticis, apice tarsisque testaceis, macula pectorali nulla.

Patria: Brasilia. Mus. Imp. Russ. et Mus. Dom. Faldermann.

Centrino sparso statura subsimilis, sed duplo major; clava antennarum pyriformi, a congeneribus mox distinctus. Caput parvum, globosum, atrum, remote punctulatum, inter oculos transversim impressum, longitudinaliter tenue canaliculatum; oculi ovati, transversi, sub-depressi, nigri; rostrum thorace parum longius, valde arcuatum, basi compressum, gibbum, apicem versus tenuius, atrum, sub-nitidum, minus crebre punctulatum. Antennæ longe pone medium rostri insertæ, subtenues, piceæ, parce pilosæ, clava basi crassa, apicem versus sensim angustata, acuminata, fere pyriformi, obscuriori, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos nonnihil brevior, apice truncatus, anterius subito angustatus, leviter constrictus, lateribus modice rotundatus, postice bisinuatus, supra parum convexus, ater, sub-nitidus, crebre punctatus, linea media sub-elevata, lævissima, antice abbreviata, notatus, lateribus utrinque vitta lata, sub-arcuata, silaceo-squamosa, decoratus, subtus mox pone caput in nonnullis utrinque tuberculo minuto instructus. Scutellum parvum, atrum. Elytra antice thorace nonnihil latiora, et illo dimidio longiora, humeris sub-elevatis, obtuse rotundatis; a basi apicem versus perparum angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra planiuscula, atra, parum nitida, striata, striis in fundo punctatis, interstitiis planis, confertim punctulatis. Corpus subtus atrum, sub-nitidum, crebre punctulatum, macula pectorali in apice lateribusque abdominis pone medium silaceo-squamosis. Pedes mediocres, validiusculi, nigri, pube albida adspersi, confertim punctati; femoribus modice clavatis, muticis; tibiis rectis, apice intus uncinatis; tarsis dilatatis, subtus fulvo-spongiosis. — Bhn.

* 27. C. EBENINUS. *Schh.*

Ovalis, niger, nitidus, glaber, rostro tenui, valde arcuato, clava antennarum elongata, thorace antice subito angustato, tubulato, lævi, elytris triangularibus, planis, transversim impressis, profunde striatis, striis obsolete punctatis, corpore subtus remote punctato.

Habitat in Insula Guadeloupe. Dom. FORSSTROEM. Mus. SCHH.

Centrino specülifero proximus, sed angustior, magis depressus; ab illo præter staturam, thorace omnino lævi, corpore subtus remote punctato, mox distinctus. Caput parvum, globosum, nigrum, nitidum, obsoletissime punctulatum; oculi ovati, depressi, nigri; rostrum capite cum thorace nonnihil longius, tenue, valde arcuatum, basi compressum, evidenter rugoso-punctatum; totum nigrum, nitidum. Antennæ in medio rostri insertæ, subtenues, piceæ, clava elongata, sub-pyriformi, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos nonnihil brevior, apice truncatus, anterius valde angustatus, tubulatus, mox pone apicem rotundato-ampliatus, postice leviter bi-sinuatus, supra fere planus, lævis, niger, nitidus, glaber. Scutellum parvum, breve, nigrum. Elytra sub-triangularia, antice thoracis basi paulo latiora et illo dimidio longiora, humeris sub-prominulis, obtuse rotundatis; a basi apicem versus angustata, apice conjunctim obtuse rotundata, supra fere plana, nigra, nitida, glabra, profunde striata, striis in fundo obsolete remote punctatis, interstitiis planis, lævibus; præterea foveolæ transversim impressæ duæ : prima infra humerum, secunda in dorso pone medium. Corpus subtus nigrum, nitidum, pectore profunde remote, ventre obsolete punctulatis; abdomine utrinque ad basin macula parva e squamulis niveis, ornato. Pedes elongati, validiusculi, nigri, nitidi, subtiliter remote punctulati; femoribus modice clavatis, muticis; tibiis, rectis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

* 28. C. SPECULIFER. *Schh.*

Breviter ovalis, niger, nitidus, glaber, antennis, rostro pedibusque rufo-ferrugineis, rostro tenuiore, arcuato, thorace antice subito angustato, tubulato, dorso lævi, lateribus confertim reticulato, elytris sub-triangularibus, ante apicem callosis, profunde striatis, striis obsolete punctulatis, corpore subtus crebre punctato.

Patria: Brasilia. Dom. FREYREISS. Mus. SCHH.

Diorymero lirato similis, sed duplo minor; colore rostri, anten-

narum pedumque ferrugineo, thoracis lateribus corporeque subtus crebre punctulatis, etc., ab illo mox distinctus. Caput minutum, globosum, nigrum, nitidum, vix punctulatum, inter oculos transversim impressum; oculi laterales, ovati, depressi, nigri; rostrum longitudine capitis cum thorace, subtenue, arcuatum, basi nonnihil incrassatum, et compressum, ferrugineum, glabrum, nitidum, subtiliter punctulatum. Antennæ in medio rostri insertæ, subtenues, rufo-ferrugineæ, parce pubescentes, clava ovata, subacuminata. Thorax latitudine baseos multo brevior, apice truncatus, antice valde angustatus, ibique tubulatus, mox pone apicem valde ampliatus, lateribus nonnihil rotundatus, postice bi-sinuatus, supra parum convexus, niger, nitidus, glaber, dorso lævi, subtus lateribusque confertim reticulato-punctatus. Scutellum breve, transversum, nigrum. Elytra antice thoracis basi paulo latiora, quam lata vix dimidio longiora, humeris prominulis, obtuse rotundatis; a basi apicem versus angustata, sub-triangularia, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra parum convexa, nigra, nitida, glabra, ante apicem callo, sat elevato, obtuso, ferrugineo, notata, profunde striata, striis in fundo obsolete punctatis, interstitiis planis, lævibus. Corpus subtus nigrum, opacum, crebre punctatum. Pedes elongati, validiusculi, rufo-ferruginei, punctulati, pube pallida adspersi; femoribus modice clavatis, muticis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. — Bhn.

* 29. C. Ruficornis. *Schh.*

Ovalis, niger, nitidus, subtus squamulis silaceis parce adspersus, antennis rufo-ferrugineis, rostro basi compresso, supra valde gibbo, thorace sub-triangulari, antice constricto, subtiliter remote punctulato, scutello basi pallido-squamoso, elytris striatis, striis in fundo obsolete punctatis, interstitiis lævibus.

Patria: Brasilia. Ex Museo. Dom. Com. Mannerheim, ad describendum, amice communicatus.

Magnitudo et statura omnino *Centrini speculiferi;* thorace punctato ab illo mox distinctus. Caput parvum, semi-globosum, nigrum, nitidum, obsoletissime minus crebre punctulatum; oculi laterales, ovati, transversi, nigri, haud prominuli; rostrum longitudine capitis cum thorace, valde arcuatum, a basi ad medium compressum, gibbum, lateribus striolato-rugosum, supra subtiliter punctulatum, tum apicem versus citius deplanatum; totum nigrum, nitidum. Antennæ mox pone medium rostri insertæ, minus crassæ, rufo-ferrugineæ, parce pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata,

cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos brevior, sub-triangularis, antice dimidio angustior, apice truncatus, mox intra apicem constrictus, pone stricturam versus basin ampliatus, postice profunde bi-sinuatus, lobo medio truncato, producto; supra modice convexus, subtiliter remote punctulatus, niger, nitidus, glaber. Scutellum breve, transversum, nigrum, nitidum, squamulis pallidis ad basin obsitum. Elytra antice sinuata, thoracis basi nonnihil latiora, quam lata vix dimidio longiora, pone basin ampliata, humeris elevatis, obtuse rotundatis; dein posterius valde attenuata, sub-triangularia, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra parum convexa, nigra, nitida, glabra, evidenter striata, striis in fundo obsolete punctatis, interstitiis planis, lævibus. Corpus subtus nigrum, nitidum, sat crebre minus rude punctatum, punctis squamulis silaceis repletis. Pedes mediocres, nigri, crebre punctati, squamulis silaceis adspersi; femoribus parum crassis, muticis; tibiis rectis, apice intus uncinatis; tarsis parum dilatatis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

30. C. SICCUS. *Schh.*

Ovalis, ater, nitidus, squamulis albidis supra parce subtus densius adspersus, tarsis ferrugineis, rostro modice arcuato, thorace latiori, remote sat profunde punctato, in medio linea lævi notato, elytris sat profunde striatis, striis in fundo punctatis, interstitiis subtiliter seriatim punctulatis.

Patria: Brasilia. Mus. Dom. FALDERMANN.

Magnitudo et fere statura *Centrini sparsi*, nonnihil tamen brevior; colore atro, nitido, thorace remote minus profunde punctato, non carinato, ut et elytrorum interstitiis seriatim punctulatis, ab illo bene distinctus. Caput parvum, semi-globosum, atrum, nitidum, vix punctatum; oculi ovati, transversi, depressi, nigri; rostrum longitudine thoracis, validum, modice arcuatum, parum compressum, apice nonnihil deplanatum, basi et lateribus sub-punctatum, supra læve, atrum, nitidum. Antennæ mox pone medium rostri insertæ, ad dimidium thoracis vix pertingentes, minus crassæ, nigræ, parce pilosæ, clava oblongo-ovata, sub-acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos multo brevior, antice valde angustatus, apice truncatus, mox intra apicem leviter constrictus, lateribus tum rotundato-ampliatus, basi sat profunde bi-sinuatus, tenue marginatus, lobo medio apice emarginato, producto, supra modice convexus, ater, nitidus, remote sat profunde punctatus; linea media vix elevata, lævi, notatus, squamulis non-

nullis, albidis, versus latera adspersus. Scutellum parvum, rotundatum, atrum. Elytra antice sinuata, thoracis basi parum latiora, quam lata vix dimidio longiora, pone basin ampliata, humeris elevatis, obtuse rotundatis; dein posterius valde attenuata, subtriangularia, apice conjunctim rotundata, supra perparum convexa, evidenter striata, striis in fundo obsolete punctatis, interstitiis planis, singulis serie regulari e punctis minutissimis impressis; tota atra, nitida. Corpus subtus atrum, nitidum, confertim punctatum, punctis squamulis albidis repletis. Pedes mediocres, atri, nitidi, punctati, parcius albido-squamulosi; femoribus parum incrassatis, muticis; tibiis rectis, apice intus uncinatis; tarsis elongatis, ferrugineis, subtus griseo-spongiosis. — Bhn.

* 31. C. Senilis.

Ellipticus, niger, sub-depressus, squamositate nivea subtus dense supra parcius vestitus, antennis ferrugineis, rostro longissimo, nitido, thorace granulato, antice profunde constricto, elytris punctato-striatis, interstitiis planis, sub-rugosis.

Baris id. Dom. Klug *in Litteris.*
Toxerus id. Schh. *in Litteris*, olim.
Balaninus repandirostris. Dom. Chevrolat *in Litteris.*

Patria: Mexico. A Dom. Schuppel amice communicatus. Mus. Schh.

Statura *Centrini pistoris*, sed plus duplo major, magis oblongus. Caput parvum, sub-globosum, obsolete, disperse punctatum, nigrum, albo-squamosum; oculi sub-ovati, depressi, nigri; rostrum dimidio corpore longius, subtenue, nigrum, nitidum, glabrum, ad latera baseos punctatum et sub-striatum. Antennæ longiusculæ, ferrugineæ, albo-setosæ, clava saturatiore, pubescente. Thorax latitudine baseos fere longior, antice duplo angustior, apice emarginatus, intra apicem profunde constrictus, lateribus obliquis, parum ampliatis; basi bi-sinuatus, lobo medio truncato; supra parum convexus, confertim granulatus et punctatus, niger, squamulis lanceolatis, depressis, niveis, minus dense vestitus. Scutellum rotundatum, nigrum, dense niveo-squamosum. Elytra antice singulatim rotundata, thoracis basi paulo latiora, humeris elevatis, rotundatis; posterius valde attenuata, apice conjunctim acute rotundata, thorace duplo longiora, supra parum convexa, distincte striata, striis in fundo obsolete punctatis, interstitiis planis, disperse rugulosis; nigra, squamis lanceolatis, niveis, minus dense adspersa. Corpus subtus confertim punctatum, nigrum, dense ni-

veo-squamosum. Pedes longiusculi, nigri, albo-squamosi; femoribus parum crassis, muticis. — GHL.

* 32. C. PISTOR.

Ellipticus, sub-depressus, niger, squamulis piliformibus, albidis, undique vestitus, thorace confertim punctato, antice subito, angustato, constricto, elytris tenuiter striatis, striis vix punctatis. — GHL.

Balaninus id. GERM. *Ins. Spec.* I. p. 295. n° 434.
Toxerus id. SCHH. *in Litteris*, olim.

Patria : America septentrionalis (Kentucky).

* 33. C. HOLOSERICEUS.

Ellipticus, niger, sub-depressus, squamulis piliformibus pallidis, depressis, undique vestitus, thorace punctato, anterius sensim angustato, constricto, elytris punctato-striatis, posterius denudatis, nigris, notatis.

Baris holosericea. Dom. Com. DEJEAN *in Litteris.*
Baridius penicellus. SAY, *Descript. of Curcul. of N. Amer.* p. 17. n° 3.
* VAR. β. Squamositate albida undique vestitus.
Balaninus tomentosus. Dom. KLUG *in Litteris,* teste Dom. SCHUPPEL.

Patria : America borealis. A Dom. Com. DEJEAN benevole communicatus. Var. β. ex Insula Cuba. Donavit Dom. Prof. GERMAR. Mus. SCHH.

Centrino pistori similis, sed dimidio minor; forma thoracis et striis elytrorum latioribus, evidenter punctatis, distinctus. Caput parvum, semi-orbiculatum, obsolete punctatum, nigrum, orbita oculorum pallido-squamosa; oculi laterales, ovati, depressi, brunnei; rostrum dimidio corpore fere longius, valde arcuatum, basi crassius, squamulosum, extrorsum sub-deplanatum, læve; totum nigrum, nitidum. Antennæ breviusculæ, nigræ, clava fusca. Thorax latitudine baseos paulo brevior, antice dimidio angustior, apice emarginatus et intra apicem leviter constrictus, lateribus ab apice ad medium obliquis, dein rotundato-ampliatis; basi sub-truncatus, lobo medio triangulariter producto; supra perparum convexus, confertim punctatus, niger, squamulis depressis, lanceolatis, transversim positis, pallidis, nitidis, dense vestitus. Scutellum rotundatum, nigrum, dense pallido-squamosum. Elytra antice sinuata, thoracis basi paulo latiora, pone basin oblique ampliata, humeris elevatis; dein posterius valde attenuata, sub-triangularia, apice

conjunctim acute rotundata, thorace duplo longiora, supra in dorso fere plana, striis latiusculis, in fundo evidenter punctatis exarata, interstitiis planis, alutaceis; nigra, squamulis angustis, depressis, pallidis, seriatim digestis, vestita; posterius maculis nonnullis denudatis, nigris, notata, quarum una transversa intra medium marginis lateralis, altera intra illam in disco, angustior, interdum obsoleta; tertia posterius intra marginem, major, et demum ultima intra apicem, communis, difformis. Corpus subtus punctulatum, nigrum, vellere denso pallidius squamoso tectum. Pedes mediocres, nigri, pallido-squamosi; femoribus parum crassis, muticis; tibiis rectis; tarsis dilatatis, subtus griseo-spongiosis.

Var. β differt tantum colore indumenti albido. — Ghl.

* 34. C. Pictus.

Ellipticus, niger, subtus squamositate densa albo-argentea tectus, supra variegatus, rostri apice pedibusque ferrugineis, thorace elytrisque signaturis variis fusco-cupreis notatis.

Toxerus id. Schh. *in Litteris,* olim.

Patria : America meridionalis. A Dom. Ménétriés benevole communicatus. Mus. Schh.

Centrino pistori statura similis, sed fere dimidio minor, *Centrino holosericeo* sub-æqualis. Caput parvum, sub-globosum, obsolete punctulatum, nigrum, albido-squamulosum; oculi majusculi, sub-ovati, depressi, nigri; rostrum capite cum thorace fere longius, valde arcuatum, basi crassius, nigrum, albo-argenteo-squamosum, extrorsum deplanatum, ferrugineum, glabrum. Antennæ piceæ, albo-pilosæ. Thorax latitudine baseos vix brevior, antice dimidio angustior, apice emarginatus et intra apicem leviter constrictus, lateribus anterius obliquis, dein modice ampliatis; basi utrinque truncatus, in medio lobum rotundatum emittens; supra convexus, pulvinatus, confertim alutaceus, niger, squamulis depressis, albo-argenteis, inæqualiter vestitus, plaga media lata inæquali vittaque angusta laterali utrinque fusco-cupreo-squamosis notatus. Scutellum rotundatum, nigrum, albo-squamosum. Elytra antice sub-sinuata, thoracis basi parum latiora, humeris elevatis, rotundatis; posterius attenuata, apice conjunctim rotundata, thorace duplo longiora, supra parum convexa, distincte striata, striis in fundo obsolete punctatis, interstitiis planis, alutaceis; nigra, squamositate albo-argentea vestita liturisque cupreo-squamosis variegata; in disco singuli elytri nempe: macula ovata, posterius striam emit-

tens, et intra apicem fascia communis arcuata ejusdem coloris. Corpus subtus confertim alutaceum, nigrum, squamositate densa albo-argentea tectum. Pedes mediocres, ferruginei, dense argenteo-squamosi. — GHL.

* 35. C. PERSCILLUS.

Ellipticus, niger, sub-depressus, squamulis angustis, depressis, albidis, undique vestitus, antennis, tibiis tarsisque piceo-ferrugineis, thorace punctato, antrorsum sensim angustato, obsolete constricto, elytrorum striis in fundo confertim punctatis.

Balaninus id. (MELSH.) STURM. *Ins. Cat.* 1826. p. 99.
Toxerus id. SCHH. *in Litteris*, olim.

Patria: America borealis. A Dom. STURM benevole communicatus. Mus. SCHH.

Statura præcedentium, sed longe minor, *Balanino salicivoro* subæqualis. Caput parvum, sub-globosum, vix punctulatum, nigrum; oculi ovati, depressi, nigro-brunnei; rostrum dimidio corpore fere longius, valde arcuatum, basi paulo crassius, squamulosum, extrorsum læve, totum nigrum, nitidum. Antennæ breviusculæ, piceo-ferrugineæ, clava cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos parum brevior, anterius duplo angustior, apice late emarginatus, intra apicem obsolete constrictus; lateribus obliquis, parum ampliatis, basi sub-truncatus, lobo medio triangulari producto; supra parum convexus, confertim punctatus, niger, squamulis angustis, depressis, cinereo-albidis, dense vestitus. Scutellum rotundatum, nigrum, dense squamosum. Elytra antice sinuata, thoracis basi paulo latiora, pone basin oblique ampliata, dein posterius valde attenuata, sub-triangularia, apice conjunctim rotundata, thorace plus duplo longiora, supra in dorso fere plana, striis evidenter punctatis exarata, interstitiis subtiliter alutaceis; nigra, squamulis cinereo-albidis dense vestita. Corpus subtus punctatum, nigrum, densius et albidius squamosum. Pedes mediocres, albido-squamulosi; femoribus nigris, muticis; tibiis tarsisque obscure ferrugineis. — GHL.

36. C. PAUPERATUS.

Ellipticus, niger, sud-depressus, supra dense cinereo, subtus albido-squamosus, antennis pedibusque testaceis, thorace latitudine breviore, sub-conico, punctatissimo, elytris subtilius punctato-striatis, rostro mediocri, arcuato.

Toxerus id. SCHH. *in Litteris*, olim.

* VAR. β. Paulo minor, rostro saturate testaceo.

Patria: Brasilia. Ex Musæo Dom. FALDERMANN benevole communicatus; var. β, a Dom. SCHUPPEL donatus. Mus. SCHH.

Centrino pistori plus duplo minor. Caput parvum, sub-globosum, vix punctulatum, nigrum; oculi majusculi, ovati, depressi, nigri; rostrum capite cum thorace paulo brevius, validum, arcuatum, lateribus sub-punctatum, nigrum, nitidum. Antennæ longiusculæ, obscure testaceæ. Thorax latitudine baseos paulo brevior, anterius duplo angustior, sub-conicus, apice emarginatus, lateribus obliquis, parum ampliatis; basi bi-sinuatus, supra parum convexus, confertissime punctatus, niger, squamulis depressis, cinereis, dense tectus. Scutellum rotundatum, dense cinereo-squamosum. Elytra antice sinuata, thoracis basi parum latiora, humeris elevatis, pone basin nonnihil ampliata, dein angustiora, apice conjunctim rotundata, thorace plus duplo longiora, supra sub-depressa, anguste striata et in striis obsolete punctata, interstitiis planis, alutaceis; nigra, dense cinereo-squamosa. Corpus subtus confertim punctulatum, nigrum, squamulis depressis, albo-argenteis, dense tectum. Pedes validi, testacei, dense albo-squamulosi; femoribus clavatis, muticis.

Var. β differt tantum corpore paulo minori et rostro saturate testaceo. — GHL.

* 37. C. OLIVACEUS.

Ellipticus, niger, sub-depressus, supra parcius cinereo, subtus densius albido-squamulosus, thorace latitudine baseos breviore, sub-conico, elytris distinctius punctato-striatis, rostro subtenui, valde arcuato, longitudine dimidii corporis.

Rhynchænus id. Dom. SAY *in Litteris*, olim.
Toxerus id. SCHH. *in Litteris*, olim.
Curculio picumnus. HERBST. *Col.* VII. p. 30. n° 588. T. 99. f 9. J.?
Baridius id. SAY, *Descript. of Curc. of N. Amer.* p. 17. n° 2.

Patria: America borealis, Indiana. A Dom. SAY amice communicatus. Mus. SCHH.

Centrino pauperato similis et magnitudine æqualis; rostro multo longiore et tenuiore, elytris distinctius punctato-striatis, etc., tamen abunde distinctus. Caput parvum, sub-globosum, vix punctulatum, nigrum; oculi magni, ovati, depressi, nigri; rostrum subtenue,

valde arcuatum, dimidio corporis fere longius, nigrum, nitidum, basi punctulatum et sub-squamosum. Antennæ breviusculæ, nigræ, clava majuscula, ovata. Thorax latitudine baseos paulo brevior, antice duplo angustior, sub-conicus, apice emarginatus et intra apicem obsolete constrictus, lateribus obliquis, vix ampliatis; basi utrinque truncatus, lobo medio producto, sub-emarginato; supra parum convexus, confertim punctatus, niger, parce cinereo-squamulosus. Scutellum rotundatum, concolor. Elytra antice sinuata, thoracis basi vix latiora, humeris elevatis, pone basin parum ampliata, posterius angustiora, apice conjunctim rotundata, thorace duplo longiora, supra sub-depressa, sat profunde striata, striis obsoletius punctatis, interstitiis planis, alutaceis; nigra, parce cinereo-squamulosa. Corpus subtus punctulatum, nigrum, dense albo-squamulosum. Pedes mediocres, nigri, dense albido-squamulosi.— GHL.

38. C. PERSCITUS (1).

Niger, griseo-tomentosus, thorace utrinque margine griseo, elytris punctato-striatis. — HERBST.

Curculio id. HERBST. *Col.* VII. p. 28. n° 585. T. 99. f. 3. C.

Patria : America septentrionalis.

39. C. PENICILLUS (1).

Niger, griseo-villosus, elytris punctato-striatis. — HERBST.

Curculio id. HERBST. *Col.* VII. p. 29. n° 586. T. 99. f. 6. F.

Patria : America septentrionalis.

Manipulus II. — Femora dentata.

* 40. C. TUMIDUS. *Schh.*

Rhombicus, cœruleus, nitidus, glaber, antennis piceis, capite remote punctulato, thorace antice constricto, supra in dorso valde elevato, gibbo, remote punctulato, elytris triangularibus, ante apicem callosis, evidenter punctato-striatis, interstitiis sub-lævibus, humeris prominulis, subtus maculis quatuor aureo-tomentosis; pectore remote punctato.

Patria : St.-Paul Brasiliæ. A Dom. SCHUPPEL benevole communicatus. Mus. SCHH.

Magnitudo *Centrini parellini;* thorace in dorso valde elevato,

(1) Mihi invisus.

gibbo, humeris magis prominulis, elytris evidenter punctato-striatis, etc., ab illo facile distinctus. Caput parvum, sub-globosum, viridi-cœruleum, nitidum, remote sat profunde punctatum, inter oculos leviter impressum; oculi sat magni, ovati, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum longitudine capitis cum thorace, mox pone basin valde arcuatum, tenue, teres, nigro-æneum, nitidum, subtiliter minus crebre punctulatum. Antennæ subtenues, rufo-piceæ, clava oblongo-ovata, fusco-pubescente. Thorax latitudine baseos brevior, apice truncatus, mox pone apicem coarctatus, et transversim impressus, dein versus basin valde rotundato-ampliatus, postice profunde bi-sinuatus, lobo medio lato, obtuse rotundato, producto; supra in dorso valde elevatus, gibbus, in ipsa basi utrinque leviter impressus, cœruleus, nitidus, glaber, subtiliter remote punctulatus, subtus ante pedum anticorum originem macula magna, medio sub-interrupta, aureo-tomentosa, ornatus. Scutellum transversum, apice mucronatum, cœruleum, nitidum, læve. Elytra sub-triangularia, antice thoracis basi nonnihil latiora, quam lata vix dimidio longiora, humeris valde prominulis, elevatis, rotundatis; pone humeros apicem versus angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra parum convexa, basi leviter impressa, ante apicem callo valde elevato, notata, cœrulea, nitida, glabra, subtiliter evidenter punctato-striata, striis ad basin et apicem profundius impressis; interstitiis planis, sub-lævibus vel obsoletissime remote punctulatis. Corpus subtus viridi-cœruleum, nitidum; pectore punctis remotis, sat profundis, impresso, utrinque macula magna, aureo-tomentosa, ornato. Pedes punctati, viridi-cœrulei, punctis setulis pallidis obsitis; femoribus parum clavatis, subtus dente parvo, acuto, armatis; tibiis compressis, rectis, apice aureo-pubescentibus; tarsis dilatatis supra aureo-tomentosis, subtus fulvo-spongiosis. — Bhn.

* 41. C. Parellinus. *Schh.*

Rhombicus, viridi-cœruleus, nitidus, antennis piceis, capite remote punctulato, thorace antice constricto, supra plano, subtiliter remote punctulato, elytris triangularibus, tenue punctato-striatis, interstitiis obsolete remote punctulatis, humeris modice prominulis; subtus maculis quatuor argenteo-tomentosis, pectore remote obsolete punctato.

Patria : Sancta-Catharina Brasiliæ. A Dom. Audouin benevole missus. Mus. Schh.

Statura omnino et similitudo *Centrini cœrulei*, sed triplo major

et ultra; thorace supra plano, pectore obsolete punctato, etc., ab illo bene distinctus. Caput parvum, globosum, viridi-cœruleum, nitidum, remote pone oculos magis crebre punctulatum, inter oculos leviter impressum; oculi oblongi, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum longitudine capitis cum thorace, tenue, teres, mox pone basin valde arcuatum, nigro-æneum, subtiliter minus crebre punctulatum. Antennæ mox ante medium rostri sitæ, subtenues, piceæ, clava oblongo-ovata, acuminata, fusco-pubescente. Thorax latitudine baseos multo brevior, apice truncatus, antrorsum subito angustatus, dein versus basin valde rotundato-ampliatus, postice profunde bi-sinuatus, lobo medio magno, obtuse rotundato, producto; supra fere planus, viridi-cœruleus, nitidus, glaber, subtiliter remote punctulatus, subtus ante pedum anticorum insertionem macula sat magna, medio sub-interrupta, argentea, holosericea. Scutellum transversum, apice mucronatum, viridi-cœruleum, nitidum, læve. Elytra triangularia, antice thoracis basi nonnihil latiora, latitudine vix dimidio longiora, humeris modice prominulis, obtuse rotundatis; pone humeros apicem versus subito angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra planiuscula, basi leviter impressa, ante apicem callo vel gibbere modice elevato, obtuso, notata, viridi-cœrulea, splendida, tenuiter punctato-striata, striis dorsalibus ad basin et apicem profundius impressis, interstitiis planis, obsolete remote punctulatis. Corpus subtus viridi-cœruleum, nitidum; pectore punctis nonnullis obsoletis impresso, utrinque macula magna, argentea, holosericea, ornato. Pedes mediocres, validi, viridi-cœrulei, remote punctati; femoribus parum clavatis, subtus dente parvo, acuto, armatis; tibiis rectis, apice pallido-pubescentibus; tarsis latis, supra pube argentea, tectis, subtus fulvo-spongiosis.

BHN.

42. C. INTERSTITIALIS. *Schh.*

Rhombicus, viridi-æneus, nitidus, antennis rufo-testaceis, clava magna, acuta, rostro valde arcuato, inflexo, profunde punctato, thorace modice convexo, antice constricto, remote punctulato, elytris sub-triangularibus, tenue punctato-striatis, interstitiis evidenter remote punctulatis, subtus maculis quatuor argenteo-squamosis; pectore profunde punctato.

Patria: Brasilia. Mus. Reg. Acad. Scient. Holm.

Statura fere et similitudo *Centrini parellini,* sed dimidio minor; colore, rostro profunde punctato, elytris apicem versus minus at-

tenuatis, interstitiis evidenter punctulatis, pectore profunde punctato, ab illo facile distinctus. Caput parvum, semi-globosum, viridi-æneum, nitidum, remote sat profunde punctulatum; oculi laterales, ovati, transversi, haud prominuli, nigri: rostrum longitudine fere elytrorum, subtenue, teres, mox pone basin valde arcuatum, inflexum, viridi-æneum, nitidum, sat profunde punctatum, linea media, angusta, lævi, notatum. Antennæ mox ante medium rostri sitæ, ad dimidium thoracis pertingentes, subtenues, rufo-testaceæ, clava magna, sub-pyriformi, acuminata, obscuriori. Thorax latitudine baseos multo brevior, apice truncatus, antrorsum subito angustatus, intra apicem constrictus, pone stricturam valde rotundato-ampliatus, postice bi-sinuatus, lobo ante-scutellari magno, obtuse rotundato; supra modice convexus, viridi-æneus, nitidus, subtiliter vage, remote punctulatus, subtus ante pedum anticorum originem macula transversa magna, argenteo-squamosa, ornatus. Scutellum transversum, apice mucronatum, viridi-æneum, nitidum, læve. Elytra antice sinuata, thoracis basi parum latiora, pone basin ampliata, humeris elevatis, rotundatis; dein posterius sensim nonnihil attenuata, sub-triangularia, quam lata vix dimidio longiora, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra perparum convexa, ante apicem callo vel gibbere obsoleto, notata; viridi-ænea, splendida, tenuiter punctato-striata, striis dorsalibus ad basin profunde impressis, interstitiis planis, evidenter remote punctulatis. Corpus subtus viridi-æneum, nitidum, pectore profunde sat crebre punctato, utrinque macula magna, argenteo-holosericea, ornato, abdomine remote punctulato, macula magna basali, confertissime punctata, cuprea, decorata. Pedes mediocres, validi, punctati, viridi-ænei; femoribus modice clavatis, subtus dente minuto, acuto, armatis, apice ipso cœruleis; tibiis rectis, apice pallido-pubescentibus; tarsis dilatatis, piceis, subtus fulvo-spongiosis. — Bhn.

43. C. Cyanipes. *Schh.*

Rhombicus, æneus, nitidus, antennis testaceis, clava parva, ovata, rostro valde arcuato, basi punctato, a medio apicem versus lævi, nigro, thorace antice constricto, subtiliter remote punctulato, subtus macula magna, silaceo-squamosa, decorato, elytris sub-triangularibus, tenue punctato-striatis, interstitiis obsoletissime remote punctulatis, subtus remote profunde punctato, pedibus cyaneis.

Patria : Brasilia. Mus. Dom. Faldermann.

Centrini interstitialis affinis, sed nonnihil minor, præsertim angustior; colore, forma clavæ antennarum, interstitiis elytrorum ob-

soletissime punctulatis, ab illo facile distinctus. Caput parvum, semi-globosum, æneum, nitidum, remote punctulatum; oculi laterales, ovati, depressi, nigri; rostrum longitudine capitis cum thorace, teres, minus crassum, mox pone basin valde arcuatum, basi nonnihil incrassatum, æneum, minus crebre punctatum, dein extrorsum nigrum, nitidum, sub-læve. Antennæ mox ante medium rostri insertæ, ad dimidium thoracis vix pertingentes, subtenues, testaceæ, parce pilosæ, clava parva, breviter ovata, sub-obtusa. Thorax latitudine baseos multo brevior, apice truncatus, anterius subito angustatus, intra apicem leviter coarctatus, tum lateribus valde rotundato-ampliatus, postice bi-sinuatus, lobo ante-scutellari magno, lato, obtuse rotundato, supra modice convexus, æneus, nitidus, remote subtiliter punctulatus, medio canalicula valde abbreviata, insculptus, subtus ante pedum anticorum originem macula magna, transversa, silaceo-squamosa, decoratus. Scutellum breve, transversum, apice mucronatum, viridi-æneum, læve. Elytra antice sinuata, thoracis basi parum latiora, quam lata vix dimidio longiora, pone basin ampliata, humeris elevatis, rotundatis; dein posterius sensim attenuata, sub-triangularia, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra perparum convexa, subtiliter punctato-striata, striis dorsalibus ad basin profunde impressis, interstitiis planis, obsoletissime valde remote punctulatis; tota ænea, nitidissima. Corpus subtus æneum, nitidum, pectore profunde, ventre subtiliter minus crebre punctatis. Pedes mediocres, validi, cyanei, minus crebre punctati; femoribus modice clavatis, subtus dente minuto, acuto, armatis; tibiis rectis, compressis, apice intus uncinatis; tarsis latis, supra et subtus dense fulvo-pubescentibus.

BHN.

* 44. C. COERULEUS. *Schh.*

Rhombicus, cœruleus, nitidus, antennis testaceis, clava parva, ovata, rostro valde arcuato, punctulato, thorace convexo, antice tubulato, subtilissime remote punctulato, elytris triangularibus, tenuissime punctato-striatis, interstitiis lævibus; subtus maculis quatuor silaceo-tomentosis; pectore profunde punctato.

Patria : Rio-Janeiro Brasiliæ. A Dom. AUDOUIN communicatus. Mus. SCHH.

Magnitudo et fere statura *Centrini speculiferi.* Caput parvum, subglobosum, cœruleum, nitidum, remote subtiliter punctatum, inter oculos transversim leviter impressum; oculi laterales, ovati, haud prominuli, nigri; rostrum capite cum thorace nonnihil lon-

gius, mox pone basin valde arcuatum, nonnihil incrassatum, teres, apicem versus deplanatum, viridi-æneum, nitidum, subtiliter minus crebre punctatum. Antennæ mox ante medium rostri sitæ, minus tenues, testaceæ, clava parva, ovata, fusca, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos brevior, apice truncatus, mox pone apicem coarctatus, tubulatus, lateribus valde rotundato-ampliatus, postice profunde bi-sinuatus, lobo medio lato parum producto, apice sub-truncato; supra transversim convexus, subtilissime remote punctulatus, punctis in apice et lobo evidentioribus; totus cœruleus, nitidus, glaber, subtus utrinque ante pedum anticorum insertionem macula silacea, holosericea. Scutellum transversum, apice mucronatum, cyaneum. Elytra sub-triangularia, basi singulatim rotundato-producta, antice thoracis basi nonnihil latiora, quam lata vix dimidio longiora, humeris modice prominulis, rotundatis; pone humeros apicem versus angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra parum convexa, ante apicem callo obtuso notata, tenuissime punctato-striata, striis dorsalibus ad basin et apicem profundioribus, interstitiis planis, sub-lævibus; tota cœrulea, nitida, glabra. Corpus subtus viridi-cœruleum, nitidum; pectore sat profunde et crebre punctato, utrinque macula magna, silaceo-tomentosa, ornato; abdomen subtiliter remote punctatum. Pedes mediocres, cœrulei, punctati; femoribus parum clavatis, subtus dente parvo, acuto, armatis; tibiis compressis, rectis, apice muticis; tarsis dilatatis, supra aureo-subtus fulvo-pubescentibus.

BHN.

45. C. POLITUS (1).

Viridi-cœruleus, nitidissimus, thorace convexo, subtiliter punctato, elytris punctato-striatis; subtus profundius punctatus, maculis quatuor argenteo-tomentosis. — GERM.

Ceutorhyncus id. GERM. *Ins. Spec.* I. p. 223. n° 344.

Patria : Brasilia.

* 46. C. ANTIQUUS. *Schh.*

Rhombicus, cyaneus, nitidus, antennis ferrugineis, clava magna, acuta, rostro valde arcuato, punctulato, thorace antice constricto, subtilissime remote punctulato, subtus maculis duabus argenteo-squamosis, ornato, elytris triangularibus, tenue punctato-striatis, interstitiis lævibus, pectore sat profunde punctato, femoribus dentatis.

---

(1) Mihi invisus. — *Eurhino cuprato* paulo minor.

Patria: Brasilia. A Dom. MÉNÉTRIÉS communicatus. Mus. SCHH.

Magnitudo, statura et summa similitudo *Centrini politi;* colore, forma clavæ antennarum, striis elytrorum evidentioribus, maculis tantum duabus paginæ inferiori, ab illo fere unice distinctus. Caput parvum, semi-globosum, cyaneum, subtiliter remote punctulatum, fronte leviter impressa; oculi laterales, ovati, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum longitudine fere elytrorum, teres, minus crassum, mox pone basin valde arcuatum, inflexum, basi subtiliter sat crebre punctulatum, extrorsum sub-læve, obscure cyaneum, nitidum. Antennæ longe ante medium rostri insertæ, subtenues, ferrugineæ, parce pilosæ, clava magna, sub-pyriformi, apice valde acuminata, obscuriori. Thorax latitudine baseos brevior, apice truncatus, anterius valde angustatus, intra apicem tubulatus, tum valde rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, lobo ante-scutellari lato, obtuse rotundato, parum producto; supra modice convexus, cyaneus, nitidus, subtilissime remote punctulatus, subtus utrinque ante pedum anticorum originem macula rotunda, argenteo-squamosa, ornatus. Scutellum breve, transversum, apice mucronatum, cyaneum, nitidum, læve. Elytra antice singulatim rotundato-producta, thoracis basi parum latiora, quam lata nonnihil longiora, pone basin ampliata, humeris elevatis, prominulis, rotundatis; dein posterius valde attenuata, triangularia, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra fere plana, ante apicem callo vel gibbere obsoleto notata, cyanea, nitida, tenuiter etsi evidenter punctato-striata, striis dorsalibus ad basin profunde impressis, interstitiis planis, lævibus. Corpus subtus cyaneum, nitidum, pectore profunde, ventre subtiliter punctulatis. Pedes mediocres, validi, cyanei, nitidi, punctati; femoribus modice clavatis, subtus dente parvo, acuto, armatis; tibiis teretibus, subrectis, apice intus uncinatis; tarsis dilatatis, supra et subtus griseo-pubescentibus. — BHN.

STIRPS 2. — Thorax infra pro receptione rostri, plus minusve distincte canaliculatus.

Manipulus I. — Femora mutica.

* 47. C. VESTITUS. *Schh.*

Ovalis, ater, sub-nitidus, rostro tenui, longo, basi flexo, valde arcuato, thorace antice angustato, profunde constricto, dorso subtiliter remote lateribus confertim punctulato, elytris sub-triangularibus, striatis, interstitiis planis, crebre subtiliter punctulatis, maculis quatuor magnis, silaceo-squamosis.

* VAR. β. Elytrorum basi tantum anguste silaceo-squamoso.

Patria : Brasilia. Dom. FREYREISS. Mus. SCHH. America meridionalis. Mus. Imp. Russ.

Magnitudo *Centrini Olfersii*, sed paulo angustior. Caput mediocre, semi-globosum, atrum, sub-opacum, remote subtiliter punctulatum; oculi ovati, transversi, depressi, nigri; rostrum elytris multo longius, subtenue, basi subito flexum, sub-compressum, valde arcuatum, subtiliter punctulatum, nigro-piceum, nitidum, glabrum. Antennæ in medio rostri insertæ, ad dimidium thoracis pertingentes, tenues, fusco-ferrugineæ, apicem versus parce pubescentes, clava elongato-ovata, sub-acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos vix brevior, apice sub-truncatus, anterius angustatus, tubulatus, intra apicem profunde constrictus, ampliatus, lateribus parum rotundatus, basi bi-sinuatus, supra nonnihil convexus, ater, sub-nitidus, dorso subtilissime remote, subtus lateribusque confertim subtiliter punctulatus. Scutellum breve, transversum, atrum. Elytra sub-triangularia, antice thoracis basi nonnihil latiora, humeris elevatis, prominulis, rotundatis; thorace dimidio longiora, a basi apicem versus sensim angustata, apice conjunctim obtuse rotundata, supra parum convexa, dorso fere plana, minus profunde striata, striis in fundo vix punctatis, interstitiis planis, subtiliter crebre punctulatis; tota atra, parum nitida, basi macula magna oblongo-quadrata, transversim locata, altera pone medium etiam oblongo-quadrata, silaceo-squamosis, ornata. Corpus subtus atrum, parum nitidum, confertissime punctulatum. Pedes mediocres, atri; femoribus modice clavatis, muticis, crebre punctulatis; tibiis rectis, parum compressis, pube pallida adspersis; tarsis fusco-ferrugineis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

* 48. C. SPARSUS.

Ovalis, ater, squamulis niveis parce adspersus, rostro valde arcuato, basi compresso, striolato-rugoso, thorace profunde minus crebre punctato, medio sub-carinato, elytris striatis, striis punctatis, interstitiis distincte crebre punctulatis.

Baris sparsa. Dom. KLUG *in Litteris*, teste Dom. SCHUPPEL.

Habitat in Brasilia. A Dom. KLUG et SCHUPPEL benevole missus. Mus. SCHH.

Baridio picino parum longior, sed dimidio latior. Caput parvum, rotundatum, atrum, subtiliter minus crebre punctulatum; oculi ovati, depressi, nigri; rostrum longitudine fere capitis cum tho-

race, subtenue, valde arcuatum, basi compressum, nigrum, striolato-rugosum, apice punctulatum, squamulis niveis adspersum. Antennæ mox pone medium rostri insertæ, ad dimidium thoracis pertingentes, subtenues, rufo-ferrugineæ, clava oblongo-ovata, acuminata, obscuriori, pubescente. Thorax latitudine baseos vix brevior, apice truncatus, anterius angustatus, ibique coarctatus et transversim impressus, mox pone apicem modice ampliatus, lateribus nonnihil rotundatus, postice sat profunde bi-sinuatus, supra parum convexus, ater, sub-nitidus, profunde sed minus crebre punctatus, relicta in medio dorsi linea abbreviata, lævi, squamulis niveis parce adspersus. Scutellum parvum, sub-quadratum, atrum. Elytra antice thoracis basi parum latiora, quam lata dimidio longiora, humeris modice prominulis, rotundatis; lateribus inflexa, a basi apicem versus sensim angustata, sub-triangularia, apice conjunctim obtuse rotundata, supra parum convexa, dorso fere plana, sat profunde striata, striis in fundo punctatis, interstitiis planis, evidenter punctulatis; tota atra, squamulis niveis parce adspersa. Corpus subtus nigrum, sub-nitidum, sat crebre punctulatum, punctis squamulis niveis repletis. Pedes validiusculi, nigri, sat profunde punctati, squamulis niveis obsiti; femoribus modice clavatis, muticis; tibiis rectis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis.

BHN.

*49. C. MODESTUS.

Ellipticus, niger, sub-convexus, squamulis lanceolatis, albidis, supra parce subtus densius adspersus, rostro valde arcuato, basi compresso, thorace confertim rude punctato, in medio carinato, antice profunde constricto, elytris obscure ferrugineis, striatis, striis in fundo obsoletissime punctatis, interstitiis confertissime punctatis, pedibus ferrugineis.

Baris modesta. Dom. Com. DEJEAN *in Litteris.*

Patria : America borealis. A Dom. Com. DEJEAN benevole communicatus. Mus. SCHH.

Magnitudo, statura et summa similitudo *Centrini sparsi;* ab illo colore, thorace crebrius punctato, evidenter carinato, antice profundius constricto, ut et elytrorum interstitiis creberrime punctulatis, distinctus. Caput parvum, semi-globosum, vix punctulatum, nigrum; oculi laterales, ovati, depressi, brunnei; rostrum longitudine dimidii corporis, validum, valde arcuatum, basi compressum, lateribus profundius supra subtiliter punctatum, nigrum, nitidum. Antennæ mox pone medium rostri insertæ, ad dimidium

thoracis vix pertingentes, minus crassæ, nigræ, parce pilosæ, clava ovata, sub-obtusa, atro-holosericea. Thorax latitudine baseos brevior; antice dimidio angustior, apice emarginatus, intra apicem profunde sed anguste constrictus, lateribus pone stricturam obliquis, parum ampliatis, basi sub-truncatis, lobo medio triangulari, producto; supra modice convexus, confertissime et sat profunde punctatus, carinula media lævi, parum elevata, instructus; niger, squamulis lanceolatis, albidis, parce adspersus. Scutellum rotundatum, nigrum. Elytra antice sinuata, thoracis basi parum latiora, pone basin ampliata, quam lata vix dimidio longiora, humeris elevatis, obtuse rotundatis; dein posterius valde attenuata, sub-triangularia, apice conjunctim acute rotundata, supra perparum convexa, evidenter striata, striis in fundo obsoletissime punctatis, interstitiis planis, confertissime sat rude punctatis; obscure ferruginea, sub-nitida, squamulis lanceolatis, depressis, albidis, sub-seriatim sed parce adspersa. Corpus subtus nigrum, confertim punctatum, densius albido-squamosum. Pedes mediocres, ferruginei, crebre punctati, parcius albido-squamulosi; femoribus parum crassis, muticis; tibiis rectis, apice intus uncinatis; tarsis dilatatis, subtus griseo-spongiosis. — Bhn.

* 50. C. Pumilus.

Ellipticus, niger, squamulis lanceolatis albidis supra parce subtus dense adspersus, rostro, antennis pedibusque ferrugineis, rostro breviori, parum compresso, thorace confertim subtiliter punctato, in medio vix carinato, antice leviter constricto, elytris piceis, subtiliter striatis, interstitiis creberrime punctulatis.

Baris pumila. Dom. Klug *in Litteris.*

Patria : Rio de la Plata. A Dom. Com. Mannerheim missus.

Habitus et summa similitudo *Centrini modesti*, sed dimidio minor; colore, rostro breviori, thorace creberrime subtiliter punctato, vix carinato, elytris striis tenuioribus, interstitiis subtilissime punctulatis, etc., ab illo facile distinctus. Caput parvum, semi-globosum, obsoletissime punctulatum, nigrum; oculi laterales, ovati, transversi, depressi, nigri; rostrum longitudine thoracis, validum, arcuatum, basi parum compressum, sub-punctatum, lateribus striolatum, ferrugineum. Antennæ mox pone medium rostri insertæ, ad dimidium thoracis vix pertingentes, minus crassæ, ferrugineæ, parce pilosæ, clava breviter ovata, sub-obtusa, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos nonnihil brevior,

antice dimidio angustior, apice truncatus, intra apicem leviter constrictus, lateribus tum modice rotundato-ampliatus, postice sat profunde bi-sinuatus, supra parum convexus, confertissime subtiliter punctulatus, in medio vix carinatus, niger, squamulis lanceolatis, albidis, versus latera adspersus. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum. Elytra antice sinuata, thoracis basi parum latiora, quam lata dimidio longiora, pone basin ampliata, humeris elevatis, obtuse rotundatis; dein posterius valde attenuata, sub-triangularia, apice conjunctim obtuse rotundata, supra perparum convexa, subtiliter striata, striis in fundo vix punctatis, interstitiis planis, subtiliter confertissime punctulatis; picea, sub-nitida, squamulis lanceolatis, depressis, silaceis, versus latera et apicem sat dense adspersa. Corpus subtus nigrum, subtiliter punctatum, dense albido-squamosum. Pedes mediocres, ferruginei, punctati, parcius albido-squamulosi; femoribus parum crassis, muticis; tibiis rectis, apice intus uncinatis; tarsis parum dilatatis, subtus fulvo-spongiosis.— BHN.

51. C. FALLAX. *Schh.*

Ovalis, niger, nitidus, glaber, rostro valde arcuato, basi incrassato, gibbo, thorace latiore, dorso subtiliter remote lateribus densius et evidenter punctato, subtus sub-canaliculato, elytris profunde simpliciter striatis, interstitiis subtiliter seriatim punctulatis; femoribus posticis subtus canaliculatis.

Patria : Brasilia. Ex Musæo Dom. FALDERMANN, ad describendum, benevole communicatus.

Orobite globoso fere duplo major. Magnitudo, statura et summa similitudo *Centrini sicci;* thorace obsolete remote punctato; elytrorum striis impunctatis, etc., ab illo mox distinctus. Caput parvum, rotundatum, nigrum, nitidum, obsolete punctulatum; oculi ovati, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum longitudine thoracis, validum, basi incrassatum, gibbum, compressum, valde arcuatum, apicem versus tenuius, nonnihil deplanatum, basi et lateribus subtiliter punctulatum, apice læve; totum nigrum, nitidum, glabrum. Antennæ minus crassæ, nigræ, clava parva, oblongo-ovata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos multo brevior, antice valde angustatus, apice truncatus, mox intra apicem leviter constrictus, pone stricturam valde rotundato-ampliatus, basi sat profunde bi-sinuatus, lobo medio lato, apice rotundato, producto; supra modice convexus, niger, nitidus, glaber, dorso remote subti-

liter, lateribus densius et evidenter punctulatus, subtus obsolete canaliculatus. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum. Elytra basi sinuata, antice thorace paulo latiora et illo vix dimidio longiora, humeris parum prominulis, rotundatis; pone humeros apicem versus sensim angustata, apice ipso conjunctim rotundata, supra parum convexa, sat profunde striata, striis in fundo impunctatis, interstitiis planis, singulis serie regulari e punctis minutissimis, impressis; tota nigra, nitida, glabra. Corpus subtus nigrum, subnitidum, sat crebre subtiliter punctatum. Pedes mediocres, breviusculi, nigri, punctulati; femoribus parum clavatis, muticis, posticis subtus canaliculatis; tibiis rectis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis.— BHN.

52. C. SPADICEUS. *Schh.*

Ellipticus, piceus, nitidus, antennis, tibiis tarsisque dilute ferrugineis, rostro longo, arcuato, basi parum compresso, thorace supra fere plano, impunctato, elytris rufo-testaceis, striatis, striis in fundo obsoletissime punctatis, interstitiis lævibus.

Patria: America meridionalis. Mus. Imp. Russ.

Centrino modesto statura subsimilis, sed dimidio major. Caput parvum, semi-globosum, piceum, nitidum, vix punctatum; oculi laterales, ovati, transversi, depressi, nigri; rostrum longitudine elytrorum, teres, minus crassum, valde arcuatum, a basi ad medium incrassatum, nonnihil compressum, lateribus sat profunde striolatum, supra sub-læve, dilute piceum, nitidum. Antennæ in medio rostri insertæ ad dimidium thoracis vix pertingentes, subtenues, rufo-ferrugineæ, parce pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata. Thorax latitudine baseos nonnihil brevior, apice truncatus, antice dimidio angustior, intra apicem leviter constrictus, lateribus pone stricturam rotundato-ampliatis, tum basin versus perparum dilatatis, basi sub-truncatus, lobo medio triangulari, producto; supra fere planus, impunctatus, piceus, nitidus. Scutellum breve, transversum, rufo-testaceum. Elytra antice sinuata, thoracis basi parum latiora, pone basin ampliata, humeris elevatis, rotundatis; dein posterius valde attenuata, subtriangularia, quam lata vix dimidio longiora, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra perparum convexa, evidenter striata, striis in fundo obsoletissime punctatis, interstitiis planis, lævibus; tota rufo-testacea, nitida. Corpus subtus rufo-piceum, nitidum, minus crebre punctatum. Pedes mediocres; femoribus parum clavatis, muticis, nigro-piceis, sat profunde punctatis; tibiis rectis,

apicem versus ampliatis, intus uncinatis, ferrugineis; tarsis modice dilatatis, ferrugineis, subtus fulvo-sopngiosis.—Bhn.

* 53. C. Pectoralis. *Schh.*

Oblongus, ater, nitidus, tarsis ferrugineis, rostro longitudine thoracis, minus crasso, arcuato, punctulato, thorace latitudine longiori, supra subtilissime sat crebre punctulato, postice leviter bi-sinuato, subtus quadri-spinoso, elytris subtiliter evidenter punctato-striatis, interstitiis lævibus.

Patria: Brasilia. Dom. Freyreiss. Mus. Schh.

Baridio melanario dimidio major, præsertim latior, rostro minus crasso; thorace longiori, subtus quadri-spinoso, elytrorum striis evidentioribus, ab illo facile distinctus. Caput parvum, semi-globosum, atrum, nitidum, vix punctulatum; oculi laterales, ovati, depressi, nigri; rostrum longitudine thoracis, minus crassum, arcuatum, a basi ultra medium nonnihil compressum, atrum, nitidum, subtiliter punctulatum. Antennæ in medio rostri insertæ, ad dimidium thoracis pertingentes, nigræ, clava oblonga, acuminata. Thorax latitudine baseos nonnihil longior, apice subtruncatus, antice dimidio angustior, intra apicem leviter constrictus, pone stricturam rotundato-ampliatus, dein lateribus versus basin fere rectis, postice leviter bi-sinuatus, lobo ante-scutellari vix producto, supra parum convexus, ater, nitidus, subtilissime sat crebre punctulatus; subtus ante pedum anticorum originem spinis duabus, brevibus, rectis, lateri anteriori tuberculis duobus adfixis. Scutellum parvum, breve, transversum, atrum. Elytra antice sinuata, thoracis basi parum latiora, pone basin nonnihil ampliata, humeris vix elevatis, rotundatis; dein posterius parum angustata, quam lata dimidio longiora, oblongo-subquadrata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra perparum convexa, ante apicem callo vel gibbere obsoleto instructa, atra nitida, subtiliter at evidenter punctato-striata, interstitiis planis, lævibus. Corpus subtus atrum, parum nitidum, pectore obsolete remote, ventre vix punctatis. Pedes mediocres, atri, punctati; femoribus parum clavatis, muticis; tibiis rectis teretibus, apice intus uncinatis; tarsis ferrugineis, modice dilatatis, subtus fulvo-spongiosis.

Bhn.

Manipulus II. — Femora dentata.

♂♀ 54. C. LEACHII.

Breviter ovalis, ater opacus, thorace antice constricto, dorso postico in tuberculo valido, supra nitido, elevato, scutello apice ampliato, emarginato, elytris triangularibus, subtilissime striatis, humeris valde prominulis, obtuse rotundatis; femoribus dente minuto armatis. BHN.

Mas : thorace subtus spinis duabus brevibus, fere rectis, armato.

Femina : thorace subtus mutico.

Cryptorhynchus id. KIRBY *in* LINN. *Soc. Trans.* XII. p. 432. n° 71.

Observ. — Inter maximos hujus generis.

Patria : Brasilia.

♂♀ 55. C. MEIGENII. *Schh.*

Breviter ovalis, ater, nitidus, antennis piceis, rostro valde arcuato, basi compresso, evidenter remote striolato-punctulato, thorace transverso, antice subito angustato, tubulato, dorso obsoletissime lateribus rude remote punctato, elytris nigro-piceis, profunde striatis, fascia transversa obliqua prope basin rufo-testacea, ornatis.

Mas : thorace subtus spinis duabus longissimis reflexis, apice divergentibus, armato.

Femina : thorace subtus mutico.

Centrinus elephas. SCHH. *Curc. Disp. Meth.* p. 310.

Habitat in Brasilia. A Dom. DE WINTHEM et REINHARDT communicatus. Mus. SCHH.

Inter maximos hujus generis. *Centrino sanguinicolli* statura subsimilis, sed plus duplo major. Caput minutum, globosum, atrum, obsolete remote punctulatum; oculi sat magni, oblongi, transversi, depressi, nigri; rostrum longitudine fere elytrorum, minus tenue, valde arcuatum, basi compressum, gibbum, nigrum, nitidum, minus crebre evidenter punctulatum. Antennæ in medio rostri insertæ, ad dimidium thoracis fere pertingentes, subtenues, nigro-piceæ, parce pubescentes, clava oblonga, sub-acuminata. Thorax latitudine baseos duplo fere brevior, apice truncatus, antice cito valde angustatus, tubulatus, mox pone apicem valde ampliatus, lateribus nonnihil rotundatus, postice sat profunde bi-

sinuatus, supra convexus, ater, nitidus, dorso obsoletissime lateribus rude remote punctulatus, in mare ante pedum anticorum originem spinis duabus longissimis, reflexis, apicem versus dehiscentibus, armatus. Scutellum breve, transversum, sub-elevatum, nigrum, nitidum. Elytra basi singulatim nonnihil rotundato-producta, antice thorace parum latiora, humeris prominulis, obtuse rotundatis; lateribus inflexa, thorace duplo longiora, sub-triangularia, a basi ad apicem usque sensim angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra modice convexa, profunde striata, præsertim antice, interstitiis planis, lævibus; tota picea, nitida, singulo juxta basin fascia transversa, obliqua, rufo-testacea. Corpus subtus atrum, nitidum, pectore rude, ventre obsolete remote punctatis. Pedes elongati, validiusculi, nigri, profunde punctati, setulis pallidis adspersi; femoribus modice clavatis, subtus pone medium, dente obtuso remotis; tibiis sub-compressis, striatis, basi curvatis; tarsis parum dilatatis, piceis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

Dom. J. W. MEIGEN, Auctor operis classici et luculenti de Dipteris, etc., etc.

56. C. AXILLARIS (1).

Rostro basi flexo, ater, nitidus, punctatissimus, elytris simpliciter striatis. — GERM.

Ceutorhynchus id. GERM. *Ins. Spec.* I. p. 225. n° 347.

Patria : Brasilia.

* 57. C. CARNIFEX. *Schh.*

Ovalis, ater, nitidus, subtus obsoletissime punctulatus, rostro arcuato, thorace convexo, lævi, obscure sanguineo, antice subito angustato, tubulato, nigro, elytris sub-triangularibus, atris, macula magna humerali sanguinea notatis, subtiliter punctato-striatis, interstitiis planis, lævibus, femoribus anterioribus obsolete dentatis.

Habitat in Brasilia. A Com. MANNERHEIM benevole communicatus. Mus. SCHH.

Centrino sanguinicolli magnitudine æqualis; thorace obscure sanguineo, elytris convexioribus, macula magna humerali sanguinea notatis, ut et armatura pedum, facile distinctus. Caput parvum, globosum, atrum, nitidum, remote subtiliter punctulatum, inter oculos transversim leviter impressum; oculi laterales, oblongi, transversi,

(1) Mihi invisus.

depressi, nigri; rostrum longitudine fere elytrorum, minus tenue arcuatum, atrum, basi punctulatum, apicem versus sub-læve. Antennæ in medio rostri insertæ, nigro-piceæ, parum pubescentes, clava elongata, acuminata, atro-holosericea. Thorax latitudine baseos multo brevior, apice truncatus, antice valde angustatus, tubulatus, mox pone apicem valde ampliatus, lateribus nonnihil rotundatus, basi bi-sinuatus, supra convexus, lævis, obscure sanguineus, apice niger. Scutellum breve, transversum, nigrum. Elytra obtuse triangularia, antice thoracis basi parum latiora, quam lata dimidio longiora, humeris parum prominulis, obtuse rotundatis; lateribus inflexa, a basi apicem versus, sensim perparum angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra convexa, atra, subtiliter punctato-substriata, interstitiis planis, lævibus, macula magna humerali, obscure sanguinea. Corpus subtus atrum, nitidum, obsoletissime remote punctulatum. Pedes elongati, validiusculi, nigri, punctati; femoribus modice clavatis, anterioribus subtus dente parvo, obtuso, instructis; posticis muticis; tibiis compressis, latiusculis, striatis, apice curvatis; tarsis piceis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

* 58. C. SANGUINICOLLIS.

Ovalis, ater, nitidus, subtus remote punctatus, rostro arcuato, thorace supra convexo, lævi, sanguineo, antice subito angustato, tubulato, nigro, elytris triangularibus, sub-depressis, subtiliter punctato-striatis, interstitiis planis, lævibus; femoribus anticis bi-posterioribus unidentatis. — BHN.

Cryptorhynchus id. GERM. *Ins. Spec.* I. p. 224. n° 345.

Baris thoracica. DEJ. *Catal. Col.* p. 99.

Patria : Brasilia.

59. C. ARNOLDI (1).

Ater, corpore rhomboidali, pectore bi-corni, thorace rufo, postice lobato. — KIRBY.

Cryptorhynchus id. KIRBY *in Linn. Soc. Trans.* XII. p. 433. n° 72.

Patria : Brasilia.

---

(1) Mihi invisus.

♂ 60. C. BRUNNEICOLLIS. *Schh.*

Ovalis, ater, nitidus, rostro valde arcuato, thorace obscure sanguineo, impunctato, supra valde convexo, gibbo, elytris subtiliter punctato-striatis, interstitiis lævibus; femoribus dente parvo, acuto, armatis; tibiis anticis basi arcuatis.

Habitat in Brasilia. A Dom. MÉNÉTRIÉS communicatus. Mus. SCHH.

Specimen masculinum, nam thorace subtus spinis duabus arcuatis armato. Statura et summa similitudo *Centrini sanguinicollis*, dimidio fere minor; thorace obscuriori, supra valde convexo, gibbo, ut et tibiis anticis basi arcuatis, ut videtur, ab illo distinctus. Caput parvum, semi-globosum, atrum, nitidum, vertice obsolete sat crebre punctato, fronte lævi; oculi laterales, ovati, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum longitudine elytrorum, valde arcuatum, minus crassum, basi nonnihil compressum, subtiliter punctulatum, lateribus striolato-rugosum, atrum, nitidum. Antennæ in medio rostri sitæ, ad dimidium thoracis pertingentes, minus crassæ, parce pilosæ, clava oblonga, acuminata. Thorax latitudine baseos brevior, anterius valde angustatus, tubulatus, apice late sed parum profunde emarginatus, mox intra apicem valde rotundato-ampliatus, basi profunde bi-sinuatus, tenue marginatus, lobo medio triangulari producto, supra valde convexus, gibbus, obscure sanguineus, nitidus, apice ipso nigro, undique impunctatus, subtus ater, minus crebre punctatus, ante pedum anticorum originem spinis duabus, thorace nonnihil brevioribus, extrorsum flexis, apice recurvatis, armatus. Scutellum parvum, breve, transversum, atrum. Elytra basi singulatim nonnihil rotundato-punctata, thoracis basi parum latiora, pone basin ampliata, humeris elevatis, obtuse rotundatis; posterius valde attenuata, triangularia, quam lata nonnihil longiora, apice ipso conjunctim rotundata, supra perparum convexa, subtiliter punctato-striata, striis versus basin et apicem evidentioribus, interstitiis planis, lævibus; tota atra, nitida. Corpus subtus atrum, nitidum, pectore sat profunde, ventre remote punctatis. Pedes mediocres, atri, nitidi, profunde punctati; femoribus modice clavatis, subtus dente parvo, acuto, armatis; tibiis compressis, apicem versus ampliatis, apice intus uncinatis, anticis basi arcuatis; tarsis dilatatis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

* 61. C. RUFICOLLIS. *Schh.*

Ovalis, ater, nitidus, rostro valde arcuato, thorace modice convexo, sanguineo, impunctato, elytris sat profunde striatis, striis in fundo obsolete punctatis, interstitiis lævibus, femoribus bi-dentatis.

Patria : Brasilia. A Dom. MÉNÉTRIÉS benevole missus. Mus. SCHH.

Magnitudo et summa similitudo *Centrini sanguinicollis;* elytris sat profunde striatis, ab illo mox distinctus. Caput parvum, semi-globosum, atrum, nitidum, subtiliter minus crebre punctulatum; oculi laterales, ovati, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum longitudine elytrorum, minus tenue, valde arcuatum, teres, basi compressum, sub-læve, lateribus versus basin punctatum, atrum, nitidum. Antennæ in medio rostri insertæ, ad dimidium thoracis pertingentes, minus crassæ, ferrugineæ, parce pilosæ, clava oblonga, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos brevior, apice sinuato-emarginatus, anterius valde angustatus, pone caput tubulosus, subtiliter punctatus, mox intra apicem rotundato-ampliatus, basi minus profunde bi-sinuatus, tenue marginatus, supra modice convexus, impunctatus, sanguineus, apice ipso niger. Scutellum breve, transversum, atrum. Elytra antice singulatim nonnihil rotundato-producta, thoracis basi parum latiora, pone basin ampliata, humeris elevatis, rotundatis; quam lata nonnihil longiora, posterius valde attenuata, sub-triangularia, apice conjunctim obtuse rotundata, supra perparum convexa, evidenter striata, striis in fundo obsolete punctatis, interstitiis sub-planis, lævibus, atra, nitida. Corpus subtus subtiliter remote punctulatum, atrum, nitidum. Pedes mediocres, atri, nitidi; femoribus modice clavatis, profunde punctatis, subtus dente minuto, acuto, utrinque latere armatis; tibiis compressis, apice nonnihil ampliatis, intus uncinatis; tarsis dilatatis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

* 62. C. PALLIDICOLLIS. *Schh.*

Breviter ovalis, ater, nitidus, subtus profunde punctatus, rostro arcuato, basi compresso, evidenter punctato, thorace antice subito angustato, tubulato, nigro, supra convexo, lævi, rufo-testaceo, elytris convexis, triangularibus, sat profunde striatis, interstitiis lævibus, femoribus subtus denticulatis.

Habitat in Brasilia. A Dom. FALDERMANN communicatus. Mus. SCHH.

Centrino sanguinicolli affinis et statura æqualis, sed triplo fere

minor; rostro basi compresso, elytris profunde striatis, femoribus denticulatis, ut et punctura paginæ inferiori, profundiori, facile distinctus. Caput parvum, globosum, atrum, nitidum, remote subtiliter punctulatum; oculi oblongi, transversi, depressi, nigri; rostrum longitudine fere elytrorum, minus tenue, arcuatum, basi nonnihil compressum, atrum, nitidum, evidenter sat crebre punctatum. Antennæ in medio rostri insertæ, ad dimidium thoracis pertingentes, subtenues, nigræ, clava oblongo-ovata, acuminata. Thorax latitudine baseos multo brevior, apice truncatus, antice valde angustatus, tubulatus, mox pone apicem valde ampliatus, lateribus nonnihil rotundatus, postice bi-sinuatus, supra convexus, rufo-testaceus, lævis, margine antico nigro, subtus sat profunde remote punctatus. Scutellum breve, atrum, nitidum. Elytra triangularia, antice thoracis basi parum latiora, humeris parum prominulis, obtuse rotundatis; lateribus inflexa, thorace vix duplo longiora, a basi apicem versus angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra convexa, atra, nitida, sat profunde striata, striis in fundo obsolete punctulatis, interstitiis planis, lævibus. Corpus subtus atrum, nitidum, sat profunde minus crebre punctatum. Pedes elongati, validiusculi, atri, profunde punctati; femoribus modice clavatis, subtus pone medium denticulatis; tibiis compressis, latiusculis, striatis, basi curvatis; tarsis subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

* 63. C. RASILIS. *Schh.*

Breviter ovalis, ater, nitidus, antennis rufo-piceis, subtus subtiliter remote punctulatus, rostro arcuato, thorace convexo, lævi, antice subito angustato, rufo-piceo, elytris triangularibus, convexis, profunde striatis, interstitiis planis, lævibus, femoribus subtus obsolete dentatis.

Habitat in Brasilia. Dom. FREYREISS. Mus. SCHH.

Magnitudo, statura et summa similitudo *Centrini sanguinicollis*; thorace angustiori, rufo-piceo, elytris convexioribus, profunde striatis, femoribus obsolete dentatis, distinctus. Caput parvum, globosum, atrum nitidum, obsoletissime remote punctulatum; oculi oblongi, transversi, depressi, nigri; rostrum capite cum thorace nonnihil longius, subtenue, arcuatum, basi profunde, dein subtiliter punctulatum, nigrum nitidum. Antennæ in medio rostri insertæ, ad dimidium thoracis pertingentes, subtenues, rufo-ferrugineæ, parce pubescentes, clava oblongo-ovata, acuminata, obscuriori. Thorax latitudine baseos brevior, apice truncatus, anterius cito angustatus, ibique tubulatus, mox pone apicem valde

ampliatus, lateribus nonnihil rotundatus, basi bi-sinuatus, supra convexus, rufo-piceus, lævis, nitidus. Scutellum breve, transversum, atrum. Elytra triangularia, antice thoracis basi nonnihil latiora, et illo duplo longiora, humeris prominulis, obtuse rotundatis; lateribus inflexa, a basi apicem versus angustata, apice conjunctim obtuse rotundata, supra convexa, atra nitida, profunde striata, striis in fundo obsolete punctulatis, interstitiis planis, lævibus. Corpus subtus atrum nitidum, subtiliter remote punctulatum. Pedes elongati, validiusculi, atri, profunde punctati; femoribus modice clavatis, subtus obsolete dentatis; tibiis compressis, latiusculis, striatis; tarsis piceis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

* 64. C. MORIO. *Dejean.*

Breviter ovalis, ater, nitidus, capite minus crebre evidenter punctulato, rostro arcuato, basi striolato-rugoso, thorace dorso obsoletissime antice distincte punctulato, apice subito angustato, tubulato, elytris sub-triangularibus, profunde striatis, interstitiis lævibus, femoribus subtus obtuse dentatis.

Habitat in Brasilia. A Dom. CHEVROLAT communicatus. Mus. SCHH.

Centrino lirato affinis, sed dimidio major, elytris apicem versus magis angustatis, etc. Caput parvum, globosum, atrum, nitidum, evidenter, minus crebre punctulatum; oculi oblongi, transversi, depressi, nigri; rostrum longitudine fere elytrorum, subtenue, filiforme, arcuatum, nigrum, nitidum, basi subtiliter striolato-rugosum, apicem versus confertim punctulatum. Antennæ in medio rostri insertæ, subtenues, nigro-piceæ. Thorax latitudine baseos multo brevior, apice sub-truncatus, antice subito angustatus, tubulatus, mox pone apicem valde ampliatus, lateribus nonnihil rotundatus, basi bi-sinuatus, supra convexus, ater, nitidus, dorso obsoletissime vix visibiliter margine antico evidenter punctulatus. Scutellum breve, transversum, atrum, nitidum. Elytra sub-triangularia, antice thoracis basi paulo latiora, quam lata vix dimidio longiora, humeris prominulis, obtuse rotundatis; lateribus inflexa, a basi apicem versus angustata, apice conjunctim obtuse rotundata, supra modice convexa, atra nitida, sat profunde striata, striis in fundo obsolete versus latera distincte punctulatis, interstitiis planis, lævibus. Corpus subtus atrum, parum nitidum, remote evidenter punctulatum. Pedes elongati, validiusculi, atri; femoribus modice clavatis, profunde punctatis, subtus dente obtuso armatis; tibiis

sub-compressis, latiusculis, striatis, punctatis; tarsis piceis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

* 65. C. TARDIGRADUS.

Breviter ovalis, ater, nitidus, subtus remote punctatus, antennis tarsisque piceis, rostro carinato, evidenter punctulato, thorace antice subito angustato, tubulato, supra lævi, margine antico remote punctato, elytris sub-triangularibus, subtiliter punctato-striatis, interstitiis obsoletissime punctulatis. — BHN.

Mas : thorace subtus spinis duabus brevissimis, deflexis, armato.

Rhynchænus id. OLIV. *Ent.* V. 83. p. 204. n° 192. T. 34. f. 528.

Observ. — Statura fere *Centrini morionis*, sed dimidio minor.

Patria : Cayenna, Brasilia.

* 66. C. MICANS.

Rhombicus, cupreo-aureus, nitidus, glaber, rostro longiore, parum arcuato, nigro, punctulato, thorace supra plano, subtiliter remote punctulato, elytris subtiliter punctato-striatis, interstitiis sub-lævibus, pectore subtiliter remote punctato.

Baris id. Dom. Com. DEJEAN *in Litteris,* teste Dom. CHEVROLAT.

Patria : Brasilia. A Dom. CHEVROLAT communicatus. Mus. SCHH.

Centrino sanguinicolli vix latior, sed præsertim in elytris longior. Caput parvum, rotundatum, cupreo-aureum, nitidum, subtiliter remote punctulatum; oculi ovati, transversi, depressi, nigri; rostrum capite cum thorace nonnihil longius, subtenue, parum arcuatum, subtiliter punctulatum, nigrum, nitidum. Antennæ in medio rostri insertæ, nigræ. Thorax latitudine baseos multo brevior, apice truncatus, anterius subito angustatus, tubulatus, mox pone apicem valde rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, lobo medio lato, parum producto, apice sub-truncato; supra planus, cupreo-aureus, nitidus, glaber, vage subtiliter remote punctulatus. Scutellum breve, transversum, cupreum, nitidum, læve. Elytra triangularia, antice thoracis basi paulo latiora, et illo duplo longiora, humeris prominulis, obtuse rotundatis; lateribus inflexa, a basi apicem versus angustata, apice conjunctim obtuse rotundata, dorso sub-depressa, subtiliter punctato-striata, striis lateralibus totis dorsalibus apice evidenter punctatis, striis quatuor dorsalibus

juxta basin et apicem profunde impressis, interstitiis planis, sublævibus; tota cupreo-aurea, nitida, glabra. Corpus subtus cupreo-æneum, nitidum; pectore punctis remotis, parum profundis adsperso, ventre subtilius punctato. Pedes elongati, validiusculi, cuprei, nitidi; femoribus parum clavatis, profunde punctatis, subtus pone medium denticulatis; tibiis sub-compressis, latiusculis, striatis, basi arcuatis; tarsis nigro-piceis, subtus fulvo-spongiosis. — Bhn.

* 67. C. Cupratus. *Billberg.*

Rhombicus, cupreo-aureus, nitidus, glaber, rostro breviore, arcuato, æneo, punctulato, thorace supra plano, subtiliter remote punctulato, elytris subtiliter punctato-striatis, interstitiis obsolete remote punctulatis, pectore rude punctato, pedibus æneis.

Patria : Brasilia. A Dom. Billberg benevole communicatus. Mus. Schh.

Magnitudo, statura et summa similitudo *Centrini micantis;* ab illo rostro breviore, æneo, pectore rude punctato distinctus. Caput parvum, rotundatum, subtiliter minus crebre punctatum, cupreo-aureum, nitidum; oculi laterales, ovati, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum vix longitudine capitis cum thorace, subtenue, arcuatum, teres, subtiliter sat crebre punctulatum, æneum, nitidum. Antennæ in medio rostri insertæ, subtenues, piceæ, clava oblongo-ovata, acuminata, fusco-pubescente. Thorax latitudine baseos brevior, anterius multo angustior, apice truncatus, et longe pone apicem transversim impressus, lateribus valde rotundato-ampliatus, basi profunde bi-sinuatus, lobo medio lato, parum producto, apice sub-truncato; supra fere planus, cupreo-aureus, nitidus, glaber; disperse subtiliter remote punctulatus. Scutellum breve, transversum, cupreum, nitidum, læve. Elytra antice sinuata, thoracis basi paulo latiora, humeris parum prominulis, rotundatis; pone humeros apicem versus angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, thorace dimidio longiora, supra parum convexa, subtiliter punctato-striata, striis dorsalibus ad basin et apicem profundius impressis, interstitiis, planis, obsolete remote punctulatis; tota cupreo-aurea, nitida, glabra, sutura ænea micantia. Corpus subtus cupreo-æneum, nitidum, pectore punctis crebris profundis impresso, ventre subtilius punctato. Pedes elongati, cupreo-ænei, nitidi; femoribus parum clavatis, profunde punctatis, subtus pone medium dente parvo, acuto, armatis; tibiis

sub-compressis, latiusculis, striatis, basi parum arcuatis; tarsis nigro-piceis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

* 68. C. AURICHALCEUS. *Schh.*

Rhombicus, viridi-æneus, nitidus, glaber, capite aureo, rostro atro, cupreo-micante, obsolete punctulato, arcuato, thorace supra plano, subtiliter remote punctulato, elytris evidenter punctato-striatis, interstitiis sub-lævibus, femoribus purpureis, pectore profunde punctato.

Patria: Brasilia. Dom. FREYREISS. Mus. SCHH.

Statura omnino *Centrini cuprati*, sed dimidio minor, aliter coloratus, subtus minus rude punctatus, elytris evidenter licet subtiliter punctato-striatis. Caput parvum, globosum, cupreo-aureum, nitidum, subtiliter remote punctulatum, inter oculos leviter impressum; oculi ovati, transversi, depressi, nigri; rostrum capite cum thorace nonnihil longius, subtenue, filiforme, arcuatum, atrum, cupreo-micans, subtiliter punctulatum. Antennæ in medio rostri insertæ, fusco-ferrugineæ, parum pubescentes, clava oblongo-ovata, acuminata, obscuriori. Thorax latitudine baseos brevior, apice truncatus, antice subito angustatus, ibique tubulatus, mox pone apicem valde rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, supra in dorso planus, viridi-æneus, nitidus, glaber, subtiliter, vage, remote punctulatus. Scutellum breve, transversum, viridi-æneum, nitidum, læve. Elytra triangularia, antice thoracis basi paulo latiora, et illo dimidio longiora, humeris prominulis, obtuse rotundatis, lateribus inflexa, a basi apicem versus valde angustata, apice ipso conjunctim rotundata, supra sub-depressa, subtiliter evidenter punctato-striata, striis dorsalibus juxta basin et apicem profunde impressis, interstitiis planis, sub-lævibus; tota viridi-ænea, nitidissima, glabra. Corpus subtus obscure æneum, parum nitidum, pectore profunde minus crebre, ventre subtilius punctatis. Pedes elongati, validiusculi; femoribus parum clavatis, purpureis, profunde punctatis, subtus dente parvo instructis; tibiis sub-compressis, latiusculis, nigro-piceis, striatis, punctatis; tarsis piceis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

* 69. C. Inquinatus. *Schh.*

Ovalis, niger, pulvere griseo adspersus, antennis ferrugineis, capite rostroque basi carinatis, rostro parum arcuato, basi striolato-rugoso, thorace confertissime ruguloso, carinato, apice angustato, elytris punctato-striatis, interstitiis crebre granulatis; femoribus acute dentatis.

Habitat in Brasilia. Dom. Freyreiss. Mus. Schh.

Balanino villoso magnitudine æqualis. Caput minutum, globosum, nigrum, confertim punctulatum, carinatum, pulvere griseo tectum; oculi oblongi, transversi, depressi, nigri; rostrum longitudine fere elytrorum, tenue, a basi ultra medium nonnihil incrassatum, carinatum, striolato-rugosum, pulvere griseo adspersum, tum glabrum, nitidum, atrum, confertim punctulatum. Antennæ in medio rostri insertæ, ad dimidium thoracis pertingentes, subtenues, fusco-ferrugineæ, parum pubescentes, clava oblongo-ovata, acuminata, fusca. Thorax latitudine baseos parum brevior, apice truncatus, anterius sensim angustatus, antice leviter coarctatus, tubulatus, lateribus pone medium fere rectis, basi bi-sinuatus, supra modice convexus, niger, confertim subtiliter rugulosus, dorso longitudinaliter carinatus, pulvere griseo dense adspersus. Scutellum sub-triangulare, nigrum, pulvere griseo tectum. Elytra triangularia, antice thoracis basi paulo latiora, humeris prominulis, obtuse rotundatis; lateribus inflexa, thorace dimidio longiora, a basi apicem versus angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra parum convexa, nigra, opaca, sat profunde punctato-striata, interstitiis planis, confertissime subtiliter granulatis, pulvere griseo fere tecta. Corpus subtus nigrum, confertim punctatum, punctis squamulis griseis repletis. Pedes elongati, validiusculi, punctati, squamulis setulisque griseis obsiti; femoribus nigris, modice clavatis, subtus pone medium dente acuto armatis; tibiis piceis, latiusculis, compressis, basi nonnihil curvatis; tarsis piceis, subtus fulvo-spongiosis. — Bhn.

Ad hoc genus verisimile referendi sunt; species mihi invisæ.

70. C. Spiculator.

Corpore brunneo-nigro, pilis squamiformibus flavescenti-griseis et lineas in elytris efficientibus, vestito; pectore spinis duabus porrectis, parallelis, longissimis, armato. — Latr.

Cryptorhynchus id. Humb. et Bonpl. *It.* XII. p. 216. T. 15. f. 8.

GERM. *Mag.* I. II. p. 108. n° 8.

Patria : America meridionalis.

71. C. LUCENS.

Rhombicus, cupreo-aureus, nitidus, elytris striatis, striis apice et lateribus punctatis, femoribus denticulatis. — GERM.

Ceutorhynchus id. GERM. *Ins. Spec.* I. p. 222. n° 342.

Patria : Brasilia.

72. C. CORINTHIUS.

Oblongo-rhombicus, cupreo-aureus, nitidus, elytris striatis, femoribus denticulatis. — GERM.

Ceutorhynchus id. GERM. *Ins. Spec.* I. p. 223. n° 343.

Patria : Brasilia.

73. C. UNCIROSTRIS.

Rostro basi flexo, ater, nitidus, punctatissimus, elytris simpliciter striatis, femoribus muticis. — GERM.

Ceutorhynchus id. GERM. *Ins. Spec.* I. p. 225. n° 347.

Patria : Brasilia.

74. C. SICARIUS.

Thorace conico, ater, nitidus, subtus albido-squamosus, elytris striatis, basi albo-squamosis, femoribus muticis. — GERM.

Ceutorhynchus id. GERM. *Ins. Spec.* I. p. 226. n° 389.

Patria : Brasilia.

75. C. CESTROTUS.

Ater, opacus, thorace carinato, subtus fulvo-squamoso, elytris convexis, griseo-nebulosis, punctato-sulcatis, femoribus denticulatis, tarsis fulvo-villosis. — GERM.

Ceutorhynchus id. GERM. *Ins. Spec.* I. p. 226. n° 350.

Patria : Brasilia.

76. C. TROCHILUS.

Ovatus, ater, nitens, thorace punctato, elytris lævibus, femoribus muticis. — OLIV.

Rhynchænus id. OLIV. *Ent.* V. 83. p. 118. n° 64. T. 34. f. 531.

Patria : Insula St. Domingo.

GENUS 291. CYLINDROCERUS. *Nobis.*

Centrinus (*Cylindrocerus*) SCHH. (1). — *Baris* DEJEAN. — *Leptoschoinus* KLUG. — *Calandra* FABR.

Character generis. — Antennæ longiusculæ, minus tenues; funiculo 7-articulato: aut solummodo articulo 1°, aut 1° et 2° elongatis, obconicis, reliquis brevibus, aut lenticularibus, aut sub-perfoliatis, coarctatis, gradatim latioribus; clava in mare longissima, sub-spongiosa, in femina aut sub-cylindrica, aut oblonga, sub-obovata.

Rostrum longum, subtenue, basi compressum, valde arcuatum.

Oculi laterales, sub-ovati, depressi.

Thorax basi profunde bi-sinuatus, anterius subito angustatus, tubulatus; pectus antice in mare aut bi-spinosum, aut muticum.

Elytra sub-triangularia, humeris obtuse angulatis; a basi apicem versus valde angustata, in dorso sæpius planiuscula; pygidium in plerisque tectum.

Descriptio. — *Corpus* sub-ellipticum, aut glabrum, aut parce squamulosum, alatum; aut mediocris, aut minoris magnitudinis. — *Antennæ* thoracis medium non superantes, juxta medium rostri insertæ, minus tenues, fractæ, 12-articulatæ: articulo 1° oculos non attingente, clavato; 2° elongato, ob-conico; 3° in paucis etiam ob-conico, reliquis brevibus, aut lenticularibus, aut sub-perfoliatis, coarctatis, versus apicem sensim latioribus; clava in mare longissima, cylindrica, 4-articulata, sub-spongiosa, articulis ægre discernendis; in femina clava aut longiuscula, sub-cylindrica, aut oblonga, sub-obovata. — *Rostrum* in plerisque corporis longitudine, subtenue, valde arcuatum, inflexum, basi paulo compressum, pone medium angustatum, supra versus apicem paulo deplanatum; scrobe angusta, lineari, juxta medium incipiente, in basi rostri subtus desinente. — *Oculi* laterales, ovati, depressi, magni. — *Thorax* longitudine latitudinem baseos vix superans, basi profunde bi-sinuatus, in paucis ante scutellum valde productus, lateribus rotundatus, anterius subito et manifeste angustatus, pone caput tubulatus, apice truncatus, supra parum vel modice convexus, subtus vix canaliculatus; pectus in mare ante pedum anticorum originem aut spinis duabus acutis, recurvatis, aut latis, cuneiformibus armatum, aut muticum. — *Scutellum* aut apice truncatum,

---

(1) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 310.

aut rotundatum. — *Elytra* thoracis basi paulo latiora, quo sesquî longiora, a basi ad apicem sensim angustata, in plerisque oblongo-triangularia, apice aut conjunctim, aut singulatim rotundata, pygidium in plerisque tegentia, in dorso aut planiuscula, aut supra perparum convexa; humeris obtuse angulatis. — *Pedes* antici basi valde distantes; femoribus in medio incrassatis, muticis; tibiis rectis, sub-teretibus, muticis, anticis in mare sæpius plumatis; tarsis subtus spongiosis, in mare sæpius valde ciliatis, articulo penultimo lato, bilobo, unguiculari, clavato, bi-unguiculato.

Patria : America meridionalis.

Observ. — Generi *Centrino* statura propinqua et valde affinis, sed antennarum structura nimis diversa.

♂♀ 1. C. SIGNUM.

Oblongo-ovalis, niger, nitidus, rostro longo, valde arcuato, thorace sub-conico, antice tubulato, obsoletissime punctulato, elytris triangularibus, lineola utrinque basali, dilute silaceo-squamosa, ornatis, striatis, interstitiis lævibus; corpore subtus squamulis silaceis maculatim condensatis, variegato.

Calandra id. FABR. *Syst. El.* II. p. 436. n° 33. femina forte.

Centrinus (*Cylindrocerus*) *comma.* SCHH. *Curc. Disp. Meth.* p. 311.

Mas : thorace subtus spinis duabus, arcuatis, parallelis, armato, tibiis anticis intus pube pallida obsitis.

Femina : thorace subtus inermi, tibiis anticis intus nudis.

♂♀ VAR. β. Elytris utrinque lineis duabus silaceo-squamosis, exteriora valde abbreviata, interiora ultra medium extensa.

Baris armata. DEJ. *Cat. Col.* p. 98.

VAR. γ. Elytris utrinque ad basin maculis duabus albido-squamosis, exteriora parva, interiora oblongo-ovata; major.

Patria : Brasilia. A Dom. von WINTHEM et FREYREISS communicatus. Var. β. Cayenna. A Dom. CHEVROLAT et DUPONT missus. Mus. SCHH.

Centrino vestito longitudine æqualis, sed paulo angustior. Caput parvum, globosum, nigrum, nitidum, subtiliter remote punctulatum; oculi ovati, transversi, depressi, nigri; rostrum elytris multo longius, subtenue, valde arcuatum, a basi ultra medium compressum, nigrum, nitidum, lateribus a basi ultra medium profunde, dein subtiliter punctatum. Antennæ subtenues, clava

valde elongata, cylindrica, acuminata, fusco-holosericea. Thorax sub-conicus, latitudine baseos longior, apice truncatus, a basi apicem versus sensim angustatus, antice coarctatus, tubulatus, basi bi-sinuatus, supra modice convexus, niger, nitidus, obsoletissime remote punctulatus. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum. Elytra triangularia, antice thoracis basi paulo latiora, quam lata nonnihil longiora, humeris modice prominulis, elevatis, rotundatis; a basi apicem versus valde angustata, apice ipso conjunctim rotundata, supra in dorso fere plana, minus profunde striata, striis in fundo vix punctatis, interstitiis planis, lævibus; nigra, sub-nitida, singulo juxta basin inter strias 2 et 3 a sutura lineola abbreviata silaceo-squamosa. Corpus subtus nigrum, sub-nitidum, lateribus confertim, ventre medio subtiliter punctulatis, plus minusve silaceo maculatum. Pedes elongati, validiusculi, nigri, nitidi, punctulati; femoribus parum clavatis, muticis; tibiis rectis; tarsis subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

♂♀ 2. C. CROCOPELMUS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, opacus, squamulis albidis parce adspersus, rostro mediocri, arcuato, thorace confertim subtiliter punctato, lateribus rotundato, macula basali, linea dorsali scutelloque fulvescenti-squamosis, elytris striatis, interstitiis crebre punctulatis, pleuris lateribusque pectoris fulvescenti-squamosis, antennis tarsisque testaceis.

Mas : rostro nonnihil breviori, modice arcuato, clava antennarum longissima, tarsis anticis dilatatis, subtus plumosis.

Femina : rostro longiori, basi inflexo, valde arcuato, clava antennarum elongata, tarsis anticis non dilatatis, subtus spongiosis.

Patria : Brasilia. A Dom. von WINTHEM communicatus. Mus. SCHH.

Præcedenti parum longior. Caput parvum, globosum, crebre subtiliter punctulatum; oculi ovati, transversi, depressi, nigri; rostrum subtenue, nigrum, nitidum, subtilissime punctulatum; maris vix longitudine capitis cum thorace, modice arcuatum; feminæ longitudine elytrorum, valde arcuatum, basi inflexum. Antennæ subtenues, testaceæ. Thorax latitudine baseos vix longior, apice truncatus, anterius valde angustatus, ibique leviter coarctatus, lateribus parum rotundatus, basi bi-sinuatus, supra parum convexus, niger, undique concinne punctulatus, squamulis raris, pallidis adspersus, ante scutellum macula parva et in dorso linea

angusta, obsoleta, e squamulis fulvescentibus. Scutellum rotundatum, dense fulvescenti-squamosum. Elytra fere ovalia, antice thoracis basi nonnihil latiora, et illo sesqui longiora, humeris parum prominulis, rotundatis; lateribus inflexa, a basi apicem versus sensim perparum angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra parum convexa, nigra, opaca, minus profunde striata, striis in fundo obsolete punctulatis, interstitiis planis, subtiliter confertim punctulatis; squamulis piliformibus pallidis, parce adspersa. Corpus subtus nigrum, punctulatum, squamulis albidis dense obsitum; thorace subtus pleuris lateribusque pectoris fulvescenti-squamosis. Pedes elongati, validiusculi, nigri, pube cinerea adspersi; femoribus modice clavatis, muticis; tibiis rectis; tarsis pallido-testaceis. — BHN.

♀ 3. C. AZUREUS. *Schh.*

Rhombicus, cœruleus, nitidus, capite remote punctulato, rostro valde arcuato, thorace convexo, antice constricto, subtilissime punctulato, elytris triangularibus, evidenter punctato-striatis, interstitiis lævibus, pectore profunde minus crebre punctato, femoribus obsolete dentatis.

Patria: Brasilia. A Dom. FALDERMANN benevole communicatus. Mus. SCHH.

Habitus omnino generis *Centrini*. Magnitudo, statura et summa similitudo *Centrini cœrulei*, magis cœruleus, subtus immaculatus, antennarum clava longissima, elytris evidenter punctato-striatis. Caput parvum, globosum, viridi-cœruleum, nitidum, remote punctulatum, inter oculos puncto profundo impressum; oculi ovati, transversi, depressi, nigri; rostrum longitudine elytrorum, valde arcuatum, basi compressum, apicem versus tenuius, viridi-cœruleum, nitidum, punctulatum. Antennæ longe ante medium rostri sitæ, subtenues, piceæ, clava longissima, cylindrica, sub-acuminata, atro-holosericea. Thorax latitudine baseos multo brevior, apice truncatus, mox pone apicem valde coarctatus, tubulatus, antrorsum subito angustatus, lateribus rotundatus, postice bi-sinuatus, supra convexus, cœruleus, nitidus, subtilissime remote punctulatus. Scutellum rotundatum, viridi-cœruleum, nitidum. Elytra triangularia, basi singulatim rotundato-producta, antice thorace nonnihil latiora, et illo dimidio longiora, humeris prominulis, obtuse rotundatis; a basi apicem versus subito angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra parum convexa, cœrulea, nitida, basi leviter impressa, tenue striata, striis in fundo

evidenter punctulatis, interstitiis planis, lævibus. Corpus subtus cœruleum, nitidum; pectore sat profunde minus crebre, ventre remote obsoletius punctatis. Pedes longiusculi, validi, cœrulei, punctati; femoribus parum clavatis, subtus pone medium dente parvo, acuto, armatis; tibiis rectis; tarsis modice dilatatis, subtus fulvo-spongiosis. — Bhn.

♂♀ 4. C. Maculatus.

Breviter ovatus, ater, opacus, sub-depressus, thorace supra squamulis flavo-helvolis tecto, relictis maculis duabus magnis dorsalibus atris, elytris evidenter striatis, interstitiis crebre alutaceis; singulo macula disci helvolo-squamosa, linea suturali antice niveo-squamosa, ornato.

Mas: rostro breviore, basi crassiore, minus arcuato, antennarum clava longissima, sub-cylindrica.

Femina: rostro longiore, basi tenuiore, valde arcuato, antennarum clava oblonga, sub-ovata.

Leptoschoinus id. Dom. Klug *in Litteris.*

Baris fucata. Dom. Com. Dej. *in Litteris.*

Patria: Brasilia. A Dom. Klug benevole communicatus. Mus. Schh.

Parvus, brevis, *Mononycho pseudacori* paulo minor. Caput rotundatum, convexum, crebre subtiliter punctatum, atrum, parce cinereo-squamulosum; oculi ovati, transversi, nigri, depressi; rostrum maris longitudine fere capitis cum thorace, basi crassius, arcuatum, cinereo-squamulosum; feminæ magis tenue, valde arcuatum, nitidum; totum nigrum, punctulatum. Antennæ nigræ, clava tenuiter cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos brevior, anterius dimidio angustior, apice truncatus, lateribus obliquis, nonnihil ampliatis; basi profunde bi-sinuatus, lobo medio producto, apice emarginato; supra parum convexus, confertim subtiliter punctatus, ater, squamulis densis, depressis, helvolis, vestitus, relictis maculis duabus, magnis, dorsalibus, nudis, atris, externe limbo albo-squamoso cinctis; ad basin utrinque plaga albo-squamosa conspicitur. Scutellum rotundatum, atrum, dense niveo-squamosum. Elytra brevia, lata, antice singulatim perparum rotundata, thoracis basi arcte applicata, pone basin oblique ampliata, dein posterius angustiora, apice etiam singulatim rotundata, thorace dimidio longiora, supra parum convexa, argute striata, striis in fundo obsolete punctatis, interstitiis planis, crebre alutaceis;

atra, opaca, singulo in medio dorsi versus suturam plaga magna sub-quadrata, helvolo-squamosa ornato, externe plaga niveo-squamosa acuta et sutura antice niveo-squamosa. Pygidium breve, obtusum, nigrum, cinereo-squamulosum. Thorax subtus et pectus punctata, nigra, squamulis albidis adspersa. Ventris segmenta tria anteriora dense helvolo-squamosa, antica duo in medio albo-squamosa; postica nigra, albido-squamosa. Pedes breviusculi, nigri, punctulati, albido-squamulosi; femoribus sub-clavatis, muticis; tibiis rectis; tarsis subtus griseo-spongiosis. — BHN.

♂ 5. C. FLABELLITARSIS. *Chevrolat.*

Elongato-ovalis, niger, nitidus, glaber, rostro longo, medio nonnihil incrassato, thorace sub-conico, apice tubulato, obsoletissime remote punctulato, subtus bi-spinoso, elytris dorso subtilissime versus apicem et latera evidenter striatis, tibiis anticis intus pube longa, pallida, obsitis, tarsis anticis subtus plumatis.

♂ VAR. β. Rufo-castaneus, nitidus, clava antennarum sub-ovalis, parva, spinæ pectoris nonnihil latiores; cætera ut in α omnino. Vix species distincta. Forte femina nuper exclusa.

Baris bidens. Dom. Com. DEJEAN, testibus Dom. DUPONT et CHEVROLAT.

Habitat in Cayenna interiori. A Dom. CHEVROLAT benevole communicatus. Mus. SCHH.

Reliquis longior et angustior. *Cylindrocero signo* vix latior, sed dimidio longior. Caput parvum, rotundatum, nigrum, nitidum, subtiliter punctulatum; oculi ovati, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum elytris nonnihil longius, subtenue, compressum, valde arcuatum, medio nonnihil incrassatum, nigrum, nitidum, obsolete punctulatum. Antennæ paulo pone medium rostri insertæ, tenues, nigræ, clava elongata, sub-cylindrica, acuminata, atro-holosericea. Thorax sub-conicus, apice truncatus, mox pone apicem tubulatus, tum versus basin sensim ampliatus, basi bi-sinuatus, supra modice convexus, niger, nitidus, obsoletissime remote punctulatus, subtus ante pedum anticorum originem spinis duabus brevibus, latis, cuneiformibus, antrorsum arcuatis, apice incurvatis, armatus. Scutellum mediocre, apice rotundatum, nigrum, nitidum. Elytra elongato-triangularia, antice thoracis basi paulo latiora, humeris elevatis, prominulis, obtuse rotundatis; lateribus inflexa, thorace sesqui longiora, a basi apicem versus sensim angustata, apice conjunctim obtuse

rotundata, supra parum convexa, ante apicem callo obtuso notata, nigra, nitida, glabra, dorso obsoletissime striata, striis lateralibus totis, dorsalibus apice profunde impressis, in fundo punctulatis, interstitiis lævibus. Corpus subtus nigrum, nitidum, subtiliter minus crebre punctulatum. Pedes elongati, nigri, nitidi, punctulati; femoribus parum clavatis, muticis; tibiis sub-compressis, rectis, anticis intus pube longa, densa, pallida, obsitis; tarsis anticis dilatatis, subtus setulis crassis, sub-plumatis instructis. — Bhn.

Genus 292. PLATYONYX. *Nobis* (1).

Baris Dejean.

Character generis. — Antennæ longiusculæ, subtenues; funiculo 7-articulato: articulo 1° elongato, sub-obconico, reliquis lenticularibus; clava elongata, ovalis, acuminata.

Rostrum longum, sub-filiforme, arcuatum.

Oculi laterales, ovati, depressi, magni.

Thorax brevis, basi bi-sinuatus, lateribus rotundatus, anterius angustior, apice vix coarctatus, truncatus, supra modice convexus, subtus integer.

Elytra sub-ovata, apice obtuse rotundata, abdomine paulo breviora; supra parum convexa.

Tarsi antici lati; unguiculus sub-trigonus, valde dilatatus, unguilis gracilibus.

Observ. — Corpus breviter sub-ovatum, supra depressiusculum, parce squamulosum, alatum.

* 1. P. Ornatus.

Oblongo-ovatus, niger, thorace remote sat profunde punctato, limbo omni squamulis dilute cervinis cincto, elytris sat profunde sulcato-punctatis, medio fascia recta, transversa, e squamulis depressis dilute cervinis, ornatis.

Baris ornata. Dom. Com. Dejean *in Litteris.*

Habitat in Cayenna. A Celeb. Com. Dejean benevole communicatus. Mus. Schh.

Baridio artemisiæ dimidio longior, at plus duplo latior. Caput breve, convexum, nigrum, subtiliter punctulatum; oculi magni, ovati, depressi, nigri; rostrum longitudine thoracis, tenue, teres, valde arcuatum, nigrum, subtiliter punctulatum. Antennæ pone

(1) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 272. n° 160.

medium rostri insertæ, ad medium thoracis attingentes, sub-tenues, nigro-piceæ, pilosæ, clava elongata, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax longitudine fere latior, antice multo angustior, sub-coarctatus, truncatus, lateribus mox pone apicem ampliatus, basi bi-sinuatus, ante scutellum sub-productus, supra parum convexus, niger, remote sat profunde punctatus, limbo lato e squamulis depressis, dilute cervinis, cinctus, longitudinaliter obsoletissime canaliculatus. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum. Elytra antice thoracis basi parum latiora, humeris rotundatis, lateribus inflexa, thorace duplo longiora, pone humeros apicem versus sensim angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, abdomine paulo breviora, supra sub-plana, nigra, profunde regulariter sulcata, sulcis in fundo, subtiliter crenulatis, interstitiis latis planis, obsolete rugulosis; ante medium fascia recta, transversa, communi, e squamulis depressis, dilute cervinis, ornata. Corpus subtus convexum, nigrum, crebre subtiliter, antice profundius punctatum, pubeque tenui albida adspersum. Pedes mediocres, mutici, nigri; femoribus modice incrassatis; tibiis teretibus, rectis. Tarsi antici dilatati, subtus fulvo-spongiosi.

BHN.

GENUS 293. LOBODERES. *Nobis.*

Character generis. — Antennæ breviusculæ, validæ; funiculo 7-articulato: articulis exterioribus transversis, latis, aut sub-perfoliatis, aut sub-turbinatis, coarctatis, successive latioribus; clava sub-ovata, compressa, magna.

Rostrum longiusculum, validum, supra convexum, lateribus basi compressum, subtus canaliculatum.

Oculi laterales, ovati, depressi, magni.

Thorax oblongus, sub-conicus, postice in medio lobatus, subtus obsolete canaliculatus.

Scutellum triangulare, apice acuminatum.

Elytra oblonga, modice convexa, apice singulatim rotundata, pygidium non occultantia.

Pedes breviusculi, validi.

Descriptio. — *Corpus* oblongum, convexum, glabrum, durum, alatum; minoris magnitudinis. — *Antennæ* thoracis medium non attingentes, pone medium rostri insertæ, validæ, fractæ, 12-articulatæ: articulo 1° oculum haud attingente, validiusculo, aut clavato, aut compresso, interne dilatato; 2° parum longo, obconico; 3-8 transversis, aut sub-perfoliatis, aut sub-turbinatis, coarctatis,

gradatim latioribus; clava sub-ovata, compressa, magna, 4-articulata, articulis arcte conjunctis. — *Rostrum* thoracis longitudine, validum, deflexum, supra convexum, fornicatum, lateribus basi compressum, subtus canaliculatum; scrobe profundissima, curvata, versus apicem rostri incipiente, mox vero subtus flexa, pone gulam exeunte.— *Oculi* laterales, ovati, depressi, magni.—*Thorax* longus, sub-conicus, parum convexus, antrorsum sensim attenuatus, basi bi-sinuatus, lobo medio magno, producto, rotundato; infra pone gulam vix emarginatus, in medio obsoletissime late canaliculatus. — *Scutellum* trigonum, distinctum. — *Elytra* basi thoracis vix latiora, sed illo fere duplo longiora, sub-linearia, supra modice convexa, apice ipso singulatim rotundata, pygidium non occultantia; angulis humeralibus retusis, sub-rotundatis.— *Pygidium* ovatum, deflexum.— *Pedes* breviusculi, validi, longitudine sub-æquales, antici basi valde distantes; femoribus sub-clavatis, muticis, subtus pro receptione tibiarum sulcatis, tibiis sub-angulatis, a basi versus apicem sensim crassioribus, apice truncatis, sub-muticis; tarsis subtus spongiosis, articulis 1-2 sub-angustatis, 3° latiore, profunde bilobo, ultimo clavato, bi-unguiculato.

TYPUS. — *Loboderes citriventris.*

A λοϐὸς lobus, δέρη collum.

Patria: Brasilia.

Observ.— Quoad habitum speciebus generis *Baridii* fere similis, sed antennis aliter constructis, rostri forma, fere ut in genere *Eurhino*, thoraceque postice lobato, abunde differt.

♂♀ 1. L. CITRIVENTRIS. *Schh.*

Oblongus, niger, supra glaber, nitidus, subtus squamulis citrinis tectus, rostro crasso, multi-striato, thorace sub-conico, punctulato, elytris subtilissime punctato-striatis.

Habitat in Brasilia. A Dom. FALDERMANN communicatus. Mus. Dom. Com. MANNERHEIM et SCHH.

Longitudo fere *Baridii nitentis*, sed dimidio angustior. Caput breve, sub-convexum, punctulatum, nigrum, nitidum; oculi laterales, magni, ovati, depressi, nigro-brunnei; rostrum longitudine capitis cum thorace, valde crassum, supra convexum, fornicatum, punctatum, lateribus striis pluribus impressis, punctatis, exaratum, totum nigrum, sub-nitidum. Antennæ apicem rostri

propius insertæ, thoracis medium vix attingunt, validæ, nigræ, scapo longo, clavato, flagello brevi, articulis valde coarctatis, perfoliatis, sensim crassioribus, clava magna, compressa, ovata. Thorax latitudine baseos multo longior, anterius angustatus, sub-conicus, apice truncatus, et intra apicem leviter constrictus, lateribus perparum ampliatus, basi profunde bi-sinuatus, lobo medio magno, producto, rotundato, lateralibus deflexis, acuminatis; supra modice convexus, concinne punctatus, niger, nitidus. Scutellum breve, semi-lunare, seu basi late emarginatum, apice triangulariter acuminatum, nigrum, nitidum. Elytra antice singulatim rotundata, thoracis basi arcte applicata et illo non latiora, humeris elevatis, rotundatis; lateribus inflexa, apice singulatim rotundata, thorace dimidio longiora, supra modice convexa, subtilissime punctato-striata, nigra, nitida, glabra. Pygidium ovatum, deflexum, nigrum, confertim punctatum. Corpus subtus nigrum, punctatum, squamis læte citrinis tectum. Pedes breviusculi, validi, nigri, parce pallido-squamosi; femoribus parum clavatis, muticis.

Observ. — Individuum in Musæo Celeb. Dom. Schoenherr adest, antennarum funiculo aliter constructo, nempe: articulis parvis, lenticularibus, successive latioribus, cætera omnino ut in Typo descripto. Forte alter sexus. — BHN.

* 2. L. FLAVICORNIS. *Schh.*

Oblongus, niger, supra glaber, nitidus, subtus squamositate densa pallida tectus, antennis totis testaceis, rostro crasso, multi-striato, thorace sub-conico, confertim profundius punctato, elytris sub-remote punctato-striatis.

Patria: Brasilia. A Dom. MÉNÉTRIÉS communicatus. Mus. SCHH.

Loboderi citriventri simillimus et valde affinis, sed paulo minor, antennæ pallide testaceæ, thorax profundius punctatus et elytra distinctius striata. Caput sub-globosum, subtiliter punctulatum, nigrum, nitidum, glabrum; oculi majusculi, depressi, nigro-brunnei; rostrum vix longitudine capitis cum thorace, deflexum, validum, parum arcuatum, confertim punctatum, lateribus striatum, nigrum. Antennæ breves, crassæ, totæ pallide testaceæ, scapo compresso, interne dilatato. Thorax latitudine baseos longior, anterius angustior, sub-conicus, apice truncatus et intra apicem leviter constrictus, lateribus parum ampliatus, basi bi-sinuatus, lobo medio magno, longius producto, acute rotundato; supra

convexus, confertim et profundius punctatus, niger, glaber, subtus et lateribus dense pallido-squamosus. Scutellum brevissimum, sub-lunatum, nigrum. Elytra antice singulatim obtuse rotundata, thoracis basi non latiora, callo humerali elevato; lateribus non ampliata, apice etiam singulatim rotundata, thorace vix plus quam duplo longiora, supra inæqualia, ad suturam et pone humeros impressa, sat distincte striata et in striis remote punctata, interstitiis planis, obsolete punctulatis; nigra, nitida, glabra. Corpus subtus punctatum, nigrum, squamositate densa pallida tectum, segmento anali magis nudo. Pedes mediocres, nigri, dense pallido-squamosi; tarsis piceis.—GHL.

GENUS 294. DIORYMERUS. *Nobis* (1).

Orobitis et *Ceutorhynchus* GERM. — *Rhynchænus* FABR., OLIV.

Character generis.—Antennæ breviusculæ, validiusculæ; funiculo 7-articulato: articulo 1° oblongo, sub-obconico; reliquis sub-turbinatis, coarctatis, crassitudine crescentibus, ultimo clavæ arcte adpresso; clava majuscula, elongata, ovalis, sub-spongiosa.

Rostrum longiusculum, validum, supra convexum, subtus canaliculatum, modice arcuatum; scrobs profunda, pone medium incipiens, curvata, versus gulam desinens.

Oculi distantes, demissi, ovati, depressi, magni.

Thorax ante scutellum productus, a medio ad apicem angustatus, deflexus, apice tubulatus, supra gibbus; canalis inferus sæpius profundus, in pectus haud continuatus.

Scutellum distinctum, apice sub-truncatum.

Elytra triangularia, gibba, pone humerum rotundato-ampliata, apice conjunctim rotundata, anum obtegentia.

Pedes robusti, demissi, contracti; femora sub-cylindrica, subtus canaliculata; tibiæ posticæ sæpius basi extus angulatæ, apice intus unco valido armatæ.

Observ.—Corpus breve, robustum, sub-ovatum, valde convexum vel gibbum, glabrum, alatum; aut majusculæ aut mediocris magnitudinis. — Habitus valde congruit cum speciebus quibusdam generis *Centrini;* breviores tamen sunt antennæ, itemque rostrum, et structura robustior et femora infra canaliculata diversitatem præbent.

Patria: America meridionalis.

---

(1) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 311. n° 180.

* 1. D. AURITUS. *Schh.*

Sub-ovatus, ater, capite remote subtiliter punctulato, rostro obsolete striolato-rugoso, thorace amplo, utrinque valde elevato, rufo-ferrugineo, sub-lævi, elytris a basi ultra medium ferrugineis, subtilissime punctato-striatis, interstitiis latis, obsoletissime remote punctulatis.

Habitat in Brasilia. A Com. MANNERHEIM benevole communicatus. Mus. SCHH.

Maximus hujus generis. *Cleogono rubetra* triplo major. Caput parvum, rotundatum, atrum sub-nitidum, subtiliter sed valde remote punctulatum, inter oculos transversim impressum; oculi laterales, oblongi, transversi, sub-depressi, nigri; rostrum thorace multo brevius, crassiusculum, teres, modice arcuatum, atrum, obsolete remote striolato-rugosum. Antennæ in medio rostri insertæ, rostro vix longiores, validiusculæ, nigræ, clava magna, elongata, acuminata, fusco-holosericea. Thorax amplus, latitudine baseos parum longior, a basi apicem versus angustatus, apice nonnihil productus, emarginatus, anterius coarctatus et transversim impressus, lateribus pone medium valde elevatis, sub-acuminatis, basi bi-sinuatus, ante scutellum productus, supra deflexus, rufo-ferrugineus, subtilissime remote punctulatus, margine apicali nigro. Scutellum apice truncatum, nigro-piceum, sub-læve. Elytra triangularia, antice thoracis basi paulo latiora, humeris prominulis, obtuse rotundatis; lateribus inflexa, thorace fere sesqui longiora, a basi apicem versus angustata, apice ipso singulatim rotundata, supra valde convexa, gibbosa, a basi ultra medium rufo-ferruginea, tum atro-cœrulea nitida, subtilissime striata, striis obsolete remote punctulatis, puncto singulo colore atro cincto. Corpus subtus atrum sub-nitidum, pectore obsoletissime remote, ventre magis distincte et crebre punctulatis. Pedes elongati, robusti, mutici, nigri, punctulati, subtus fusco-pubescentes; femoribus parum incrassatis; tibiis nonnihil arcuatis; tarsis dilatatis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

* 2. D. MONOCEROS. *Schh.*

Sub-ovatus, obscure cyaneus, nitidus, glaber, fronte utrinque longitudinaliter strigosa, rostro arcuato, punctulato, thorace impunctato, ante scutellum in spinam compressam, retrorsum arcuatam, elevato, elytris subtiliter punctato-striatis, interstitiis sub-lævibus; tibiis posterioribus extus angulatis.

Patria : Brasilia. A Dom. HOPE benevole communicatus. Mus. SCHH.

Species distinctissima; a congeneribus thorace ante scutellum spina, valida, compressa, retrorsum arcuata, armato, mox distinctus. Magnitudo *Diorymeri pulvinati.* Caput breve, rotundatum, nigro-cyaneum, sub-nitidum, minus crebre punctatum; fronte ad oculos strigosa; oculi laterales, ovati, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum longitudine thoracis, teres, crassiusculum, valde arcuatum, nigro-cyaneum, nitidum, sub-remote punctulatum, basi obsolete strigosum. Antennæ breviusculæ, validiusculæ, piceæ, clava oblonga, acuminata, dense cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos parum brevior, apice nonnihil rotundato productus, lateribus a basi ultra medium sensim, tum apicem versus subito angustatus, intra apicem coarctatus, tubulatus, postice bi-sinuatus; lobo medio producto, acuto, in spinam validam, compressam, retrorsum arcuatam, apicem versus acuminatam, elevato; supra transversim valde convexus, anterius declivis, obscure cyaneus, nitidus, glaber, impunctatus. Scutellum parvum, sub-quadratum, obscure cyaneum. Elytra sub-triangularia, antice sinuata, tenue reflexo-marginata, thoracis basi latiora, quam lata parum longiora, humeris prominulis, elevatis, obtuse rotundatis; pone humeros apicem versus subito attenuata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra modice convexa, postice declivia, ante apicem gibbere obtuso notata, subtiliter striata, striis obsolete punctulatis, interstitiis planis, sub-lævibus; tota obscure cyanea, nitida, glabra. Corpus subtus nigro-piceum, sub-nitidum, vix punctatum. Pedes elongati, validi, obscure cyanei, remote punctati; femoribus vix incrassatis, muticis; tibiis compressis, rectis, posterioribus basi extus acute angulato-productis; tarsis dilatatis, subtus griseo-spongiosis. — BHN.

* 3. D. ANGULICOLLIS. *Schh.*

Sub-ovatus, convexus, ater, capite rostroque sat profunde punctatis, rostro modice arcuato, thorace gibbo, medio utrinque angulato, elevato, lævi, antice et subtus punctulato, elytris tenuiter punctato-striatis, femoribus posticis dentatis, tibiis posterioribus basi extus angulatis.

* VAR. β. Rufo-castaneus, capite, rostro corporeque subtus nigris.

Orobitis altus. GERM. *Ins. Spec.* I. p. 247. n° 377.

Habitat in Brasilia. Mus. Dom. CHEVROLAT; a Dom. WESTERMANN et FALDERMANN etiam communicatus. Mus. SCHH.

Cleogono rubetra vix latior, sed nonnihil brevior. Caput parvum, semi-globosum, nigrum, profunde sed minus confertim punctatum; oculi laterales, oblongi, transversi, sub-depressi, nigri; rostrum longitudine thoracis, crassiusculum, modice arcuatum, atrum, sat profunde crebre punctatum. Antennæ in medio rostri insertæ, vix longitudine thoracis, validiusculæ, piceæ, clava elongata, acuminata, fusco-pubescente. Thorax latitudine baseos vix brevior, apice nonnihil productus, emarginatus, a basi ultra medium parum angustatus, apice subito attenuatus, tubulatus, basi bi-sinuatus, pone scutellum productus, sub-emarginatus, supra transversim valde convexus, gibbus, medio utrinque angulato-elevatus, ater, lævis, margine antico et subtus subtiliter remote punctatus. Scutellum breve, transversum, oblongo-quadratum, apice truncatum, atrum, læve. Elytra antice sinuata, thoracis basi nonnihil latiora, pone basin ampliata, humeris prominulis, obtuse rotundatis; dein posterius valde attenuata, thorace sesqui longiora, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra convexa, gibbosa, atra, subtilissime, striata, striis obsolete punctulatis, stria suturali, evidentiori, interstitiis planis, lævibus. Corpus subtus nigrum, remote obsolete punctulatum. Pedes breviusculi, robusti, nigri, punctati; femoribus parum incrassatis, anterioribus muticis, posticis dente obtuso armatis; tibiis rectis, posterioribus dorso pone basin angulato-ampliatis; tarsis dilatatis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

*4. D. PULVINATUS. *Schh.*

Sub-ovatus, nigro-piceus, sub-nitidus, glaber, capite rostroque minus crebre punctatis, rostro modice arcuato, thorace transverso, convexo, lævi, subtus punctulato, elytris subtilissime punctato-striatis, tibiis posterioribus extus angulatis.

* VAR. β. Antennarum basi, thorace et plaga obsoleta humerali, rufo-ferrugineis.

* VAR. γ. Antennarum basi, thorace elytrisque rufo-ferrugineis.

Patria: Brasilia. A Dom. WESTERMANN, FALDERMANN et MÉNÉTRIÉS missus. Mus. SCHH.

Magnitudo, statura et summa similitudo *Diorymeri granati*, ab illo tibiis posterioribus extus angulato-productis, præcipue distinctus. Caput parvum, semi-globosum, nigrum, parum nitidum, minus crebre sat profunde punctatum; oculi laterales, ovati, trans-

versi, haud prominuli, nigri; rostrum longitudine thoracis, teres, crassiusculum, modice arcuatum, nigrum, minus crebre punctatum. Antennæ fere in medio rostri insertæ, breviusculæ, validiusculæ, piceæ, clava elongata, acuminata, fusco-pubescente. Thorax latitudine baseos nonnihil brevior; apice perparum rotundato-productus, intra apicem tubulatus, lateribus a basi ultra medium vix angustatis, tum apicem versus angustatus, postice bi-sinuatus, lobo medio lato, producto, apice emarginato; supra valde convexus, gibbus, anterius declivis, nigro-piceus, impunctatus, subtus remote punctatus. Scutellum sub-quadratum, nigrum, nitidum, læve. Elytra antice sinuata, tenue reflexo-marginata; thoracis basi paulo latiora, quam lata vix dimidio longiora, pone basin ampliata, humeris rotundatis, dein posterius valde attenuata, triangularia, apice conjunctim obtuse rotundata, supra valde convexa, postice declivia, nigro-picea, nitida, subtilissime striata, striis obsoletissime punctulatis, interstitiis planis, lævibus. Corpus subtus nigro-piceum, nitidum; pectore remote subtiliter punctulato, abdomine sub-lævi. Pedes mediocres, validi, nigri, nitidi, remote punctulati; femoribus vix incrassatis, muticis; tibiis rectis, posterioribus basi extus acute angulato-productis; tarsis modice dilatatis, subtus griseo-spongiosis. — Bhn.

* 5. D. Tibialis. *Schh.*

Sub-ovatus, nigro-piceus, sub-nitidus, glaber, capite crebre punctato, rostro ultra medium incrassato, lateribus compresso, crebre ruguloso-punctato, dorso subtiliter striato, thorace convexo, ferrugineo, impunctato, elytris obsoletissime punctato-striatis, tibiis omnibus intus dentatis.

Patria : Brasilia. Dom. Westin. Mus. Schh.

Statura et summa similitudo *Diorymeri pulvinati var.* β, sed dimidio fere minor, elytris obsoletissime punctato-striatis, tibiis omnibus intus denticulatis, ab illo mox distinctus. Caput parvum, semiglobosum, nigrum, parum nitidum, crebre punctatum; oculi ovati, transversi, nigri, haud prominuli; rostrum longitudine thoracis, a basi ad medium crassius, sub-compressum, dein tenuius, deplanatum, modice arcuatum, undique crebre ruguloso-punctatum, dorso subtiliter striolatum; totum nigrum, sub-nitidum. Antennæ in medio rostri sitæ, breves, crassiusculæ, nigro-piceæ, clava elongata, acuminata, atro-holosericea. Thorax latitudine baseos nonnihil brevior, apice perparum rotundato-productus, mox intra apicem coarctatus et tubulatus, lateribus rotundato-ampliatus, postice bi-

sinuatus, lobo medio lato, producto, apice emarginato; supra valde convexus, gibbus, anterius declivis, impunctatus, rufo-ferrugineus, sub-nitidus, margine antico anguste nigro. Scutellum sub-quadratum, nigro-piceum, læve. Elytra antice sinuata, tenue reflexo-marginata, thoracis basi paulo latiora, quam lata vix dimidio longiora, mox pone basin nonnihil ampliata, humeris rotundatis, posterius valde angustata, sub-triangularia, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra valde convexa, postice declivia, obsoletissime punctato-striata, interstitiis planis, lævibus; tota nigro-picea, nitida, glabra. Corpus subtus rufo-piceum, nitidum, vix punctatum, ventre piceo. Pedes mediocres, nigri, sub-nitidi, punctulati; femoribus vix incrassatis, muticis; tibiis sub-compressis, fere rectis, omnibus intus in medio dente acuto armatis, tum apicem versus obsolete crenulatis; tarsis parum dilatatis, subtus griseo-spongiosis.

BHN.

* 6. D. GRANATUS. *Schh.*

Sub-ovatus, nigro-piceus, sub-nitidus, capite remote punctato, rostro modice arcuato, confertim strigoso, thorace transverso, sanguineo, apice nigro, dorso impunctato, elytris subtiliter punctato-striatis, tibiis intermediis basi extus obtuse angulatis; pectore subtiliter remote punctulato.

Patria: Brasilia. A Dom. REINHARDT communicatus. Mus. SCHH.

Magnitudo et statura *Diorymeri pulvinati.* Caput parvum, globosum, nigrum, sat profunde remote punctulatum; oculi laterales, oblongi, transversi, sub-depressi, nigri; rostrum longitudine thoracis, teres, crassiusculum, modice arcuatum, nigrum, a basi apicem versus confertim subtiliter, longitudinaliter strigosum, apice punctulatum. Antennæ in medio rostri insertæ, vix longitudine thoracis, validiusculæ, piceæ, clava elongata, acuminata, fusco-pubescente. Thorax latitudine postica nonnihil brevior, apice perparum productus, lateribus a basi ultra medium angustatus, rotundatus, apice subito attenuatus, tubulatus, basi bi-sinuatus; lobo medio producto, apice rotundato; supra convexus, gibbus, sanguineus, lævis, nitidus, subtus infuscatus, ibique obsolete punctatus. Scutellum sub-quadratum, rufo-castaneum, læve. Elytra triangularia, antice thoracis basi parum latiora et illo sesqui longiora, humeris prominulis, obtuse rotundatis; lateribus inflexa, pone humeros apicem versus angustata, apice ipso singulatim rotundata, supra convexa, gibbosa, postice declivia, subtilissime striata, striis obsoletissime punctulatis, stria suturali evidentiore;

rufo-castanea, apice obscuriora. Corpus subtus nigro-piceum, subnitidum, pectore remote obsolete, ventre rude punctatis. Pedes breviusculi, robusti, nigri, punctati; femoribus parum incrassatis; tibiis compressis, rectis, intermediis basi extus obtuse angulatis; tarsis dilatatis, subtus fulvo-spongiosis.—BHN.

* 7. D. PYROPUS. *Schh.*

Sub-ovatus, niger, nitidus, glaber, capite remote punctato, rostro arcuato, remote punctulato, thorace supra sanguineo, impunctato, apice nigro, elytris latioribus, obscure sanguineis, subtiliter dorso obsolete punctato-striatis, tibiis posterioribus acute angulatis; pectore subtilissime remote punctulato.

Patria : Brasilia. A Dom. Com. MANNERHEIM amice communicatus. Mus. SCHH.

Diorymero granato magnitudine æqualis et subsimilis, sed latior; rostro non strigoso, remote punctulato, elytris latioribus, disco obsoletius punctato-striatis, pectore subtilissime remote punctulato, tibiis posterioribus acute angulatis, ab illo facile distinctus. Caput parvum, rotundatum, convexum, nigrum, nitidum, sat profunde sub-remote punctatum; oculi laterales, ovati, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum longitudine fere thoracis, teres, crassiusculum, arcuatum, nigrum, nitidum, basi evidenter apicem versus subtiliter sub-remote punctulatum. Antennæ in medio rostri sitæ, breviusculæ, validiusculæ, piceæ, clava elongata, dense fusco-pubescente. Thorax latitudine baseos nonnihil brevior, apice modice rotundato-productus, lateribus a basi ultra medium rotundatus, tum apicem versus subito angustatus, mox intra apicem coarctatus et transversim impressus, tubulatus, postice bi-sinuatus, lobo medio modice producto, apice truncato; supra valde convexus, gibbus, anterius declivis, sanguineus, impunctatus, nitidus, glaber, apice ipso et subtus niger, remote punctulatus. Scutellum sub-quadratum, piceum, transversim impressum. Elytra triangularia, antice sinuata, tenue reflexo-marginata, thoracis basi latiora, quam lata parum longiora, humeris valde prominulis, sub-elevatis, obtuse rotundatis; pone humeros apicem versus subito attenuata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra convexa, postice declivia, ante apicem gibbere obsoleto instructa, basi apiceque evidenter etsi subtiliter disco obsolete striata, striis subtiliter punctulatis, interstitiis planis, lævibus; tota rufo-sanguinea, nitida, glabra, apice nonnihil infuscata. Corpus subtus nigrum, nitidum, pectore subtilissime remote punctulato; sterno abdomineque profunde sub-

remote punctatis. Pedes mediocres, validi, nigri, nitidi, subtiliter remote punctulati; femoribus vix incrassatis, muticis; tibiis compressis, posterioribus extus acute angulatis; tarsis dilatatis, subtus fulvo-spongiosis.—BHN.

* 8. D. CASTANEUS. *Schh.*

Sub-ovatus, niger, nitidus, rostro modice arcuato, sub-lævi, basi tantum subtiliter remote punctulato, thorace transverso, convexo, rufo-castaneo, supra subtilissime remote punctulato; elytris sat profunde striatis, interstitiis subtilissime, vage, remote punctulatis; tibiis posterioribus basi extus acute angulato-dentatis.

Patria: Rio-Janeiro Brasiliæ. A Dom. HOPE amice communicatus. Mus. SCHH.

Statura et summa similitudo *Diorymeri dimidiati,* sed plus duplo major; aliter coloratus, rostro basi tantum subtiliter punctulato, tibiis posterioribus extus magis acute angulato-dentatis. Caput parvum, rotundatum, convexum, nigrum, nitidum, sat profunde, sub-remote, vage punctatum; oculi laterales, oblongi, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum longitudine thoracis, teres, crassiusculum, modice arcuatum, basi præsertim ad latera remote punctulatum, apicem versus deplanatum; totum nigrum, nitidum. Antennæ in medio rostri sitæ, breviusculæ, crassiusculæ, piceæ, clava oblonga, acuminata, dense cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos nonnihil brevior, apice ipso perparum rotundato-productus, antrorsum valde angustatus, mox intra apicem coarctatus, tubulatus, lateribus modice rotundato-ampliatus, postice bi-sinuatus, lobo medio lato, modice producto, apice truncato; supra transversim valde convexus, rufo-castaneus, nitidus, apice infuscatus, subtilissime remote punctulatus, subtus niger evidenter punctatus. Scutellum sub-quadratum, apice impressum, nigrum, nitidum, punctulatum. Elytra sub-triangularia, antice singulatim nonnihil rotundato-producta, tenue reflexo-marginata, thoracis basi paulo latiora, quam lata parum longiora, humeris prominulis, sub-elevatis, obtuse rotundatis; pone humeros apicem versus attenuata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra convexa, ante apicem gibbere obsoleto notata, sat profunde lateque striata, striis in fundo obsolete punctulatis, interstitiis planis, subtilissime, vage, remote punctulatis; tota rufo-castanea, nitida, glabra, sutura et regione scutellari infuscata. Corpus subtus nigrum, nitidum, pectore subtiliter, remote, sterno abdomineque profundius, crebre punctatis. Pedes mediocres, validi, nigri, nitidi, sub-remote

punctati; femoribus parum incrassatis, muticis; tibiis compressis, rectis, posterioribus basi extus acute angulato-dentatis; tarsis dilatatis, subtus fulvo-spongiosis.—Bhn.

* 9. D. Dimidiatus. *Schh.*

Sub-ovatus, ater, sub-nitidus, rostro modice arcuato, punctato, thorace transverso, convexo, supra rufo-castaneo, subtus evidenter minus crebre punctato, elytris a basi ultra medium rufo-castaneis, sat profunde striatis, tibiis posterioribus basi extus angulato-dentatis.

Habitat in Brasilia. A Dom. Audouin benevole missus. Mus. Schh.

Habitus *Diorymeri granati*, illo parum minor, aliter coloratus, elytris profundius striatis, tibiis posterioribus basi extus angulato-dentatis. Caput parvum, rotundatum, atrum, sub-nitidum, sat profunde minus crebre punctulatum; oculi oblongi, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum longitudine thoracis, teres, crassiusculum, modice arcuatum, a basi ultra medium compressum, dein deplanatum, atrum, undique sat crebre punctulatum. Antennæ in medio rostri sitæ, ad dimidium thoracis vix pertingentes, validiusculæ, nigro-piceæ, parce pilosæ, clava elongata, sub-acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos brevior, apice perparum productus, antrorsum valde angustatus, mox pone apicem coarctatus, tubulatus, lateribus nonnihil rotundatus, postice bi-sinuatus, lobo ante-scutellari producto instructus, supra transversim valde convexus, rufo-castaneus, sub-nitidus, margine apicali niger, lævis, subtus ater, minus crebre evidenter punctulatus. Scutellum transversum, oblongo-quadratum, piceum. Elytra triangularia, antice thorace parum latiora, illoque dimidio longiora, humeris prominulis, obtuse rotundatis; lateribus inflexa, pone humeros apicem versus angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra convexa, simpliciter striata, interstitiis planis, lævibus, a basi ultra medium rufo-castanea, tum atra, undique nitida. Corpus subtus atrum, sub-nitidum, pectore subtiliter remote, ventre profundius punctatis. Pedes breviusculi, validi, nigri, nitidi, remote punctati; femoribus parum incrassatis; tibiis compressis, rectis, posterioribus basi extus angulato-dentatis; tarsis dilatatis, subtus fulvo-spongiosis.—Bhn.

10. D. Troglodytes. *Schh.*

Breviter ovatus, nigro-piceus, nitidus, glaber, capite concinne punctulato, rostro tenui, parum arcuato, thorace supra rufo, disperse punctulato, elytris plaga magna humerali rufa ornatis, evidenter striatis; corpore subtus profunde minus crebre punctato, tibiis posterioribus extus angulato-productis.

Patria : Brasilia. Ex Musæo Dom. Bartels, ad describendum, amice communicatus.

Inter minores hujus generis. Statura *Orobitis globosi*, sed plus duplo major. Caput parvum, rotundatum, nigrum, parum nitidum, crebre sat profunde punctatum, inter oculos obsolete foveolatum; oculi ovati, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum longitudine fere thoracis, teres, subtenue, parum arcuatum, nigrum, subtiliter confertim punctulatum et strigosum. Antennæ in medio rostri sitæ, breves, crassiusculæ, nigro-piceæ, clava elongata, acuminata, fusco-pubescente. Thorax latitudine postica brevior, antice subito duplo angustior quam basi, apice nonnihil rotundato-productus, intra apicem sub-tubulatus, lateribus obliquis, rotundatis; basi bi-sinuatus, lobo medio lato, parum producto, apice subtruncato; supra valde convexus, subtiliter disperse punctulatus, rufus, nitidus, margine antico, anguste nigro-piceo. Scutellum sub-triangulare, apice truncatum, nigro-piceum, punctatum. Elytra antice sinuata, tenue reflexo-marginata, thoracis basi paulo latiora, quam lata parum longiora, humeris modice prominulis, elevatis, obtuse rotundatis; pone humeros apicem versus subito angustata, triangularia, apice ipso conjunctim rotundata, supra valde convexa, postice declivia, evidenter striata, striis in fundo obsolete punctatis, interstitiis planis, sub-lævibus; nigra, nitida, glabra, singulo plaga magna, supra humerali rufo-ferruginea. Corpus subtus nigro-piceum, nitidum, remote sat profunde punctatum. Pedes mediocres, validi, punctulati, nigri, nitidi; femoribus parum clavatis, muticis; tibiis compressis, subrectis, posterioribus basi extus angulato-productis; tarsis elongatis, subtus griseo-spongiosis.—Bhn.

* 11. D. Minutus. *Schh.*

Ovatus, convexus, niger, glaber, nitidus, capite crebre punctulato, rostro tenui, modice arcuato, thorace supra rufo, lævi, elytris rufo-testaceis, apice obscurioribus, tenue striatis, striis punctis nigris translucentibus ornatis; corpore subtus remote punctato; tibiis posterioribus extus acute angulato-productis.

Patria : Brasilia meridionalis. A Dom. SCHUPPEL communicatus. Mus. SCHH.

Magnitudo et summa similitudo *Diorymeri troglodytis,* magis convexus, thorax impunctatus, elytris aliter coloratis, subtilius striatis. Caput parvum, sub-globosum, nigrum, sub-nitidum, crebre punctulatum; oculi ovati, transversi, nigri, haud prominuli; rostrum vix longitudine thoracis, tenue, teres, modice arcuatum, nigrum, sub-nitidum, subtiliter confertim strigosum et rugulosum. Antennæ ante medium rostri insertæ, breves, minus crassæ, nigro-piceæ, clava oblonga, acuminata, dilutiori, fusco-pubescente. Thorax sub-triangularis, latitudine baseos nonnihil brevior, apice parum rotundato-productus, mox intra apicem leviter constrictus, lateribus versus basin sensim ampliatis; postice bi-sinuatus, lobo medio lato, apice truncato, leviter emarginato, producto; supra convexus, antice declivis, impunctatus, rufo-testaceus, nitidus, margine antico infuscato. Scutellum parvum, sub-rotundatum, nigro-piceum, punctulatum. Elytra antice sinuata, thoracis basi paulo latiora, quam lata vix dimidio longiora, pone basin ampliata, humeris parum prominulis, rotundatis; dein posterius subito angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra valde convexa, postice declivia, tenue striata, striis punctis nigris translucentibus ornatis, interstitiis planis, lævibus; tota rufo-ferruginea, nitida, glabra, apice infuscata. Corpus subtus nigro-piceum, nitidum, valde remote sat profunde punctatum. Pedes mediocres, validi, nigri, nitidi, crebre punctulati; femoribus parum incrassatis, muticis; tibiis compressis, subrectis, posterioribus extus acute angulato-productis; tarsis elongatis, subtus fusco-spongiosis.—BHN.

* 12. D. LIRATUS.

Ovatus, ater, nitidus, glaber, rostro capite cum thorace nonnihil longiori, arcuato, punctulato, thorace transverso, vix punctato, elytris apicem versus parum angustatis, profunde striatis, corpore subtus remote punctato, tibiis rectis, extus haud angulatis. — BHN.

Ceutorhynchus id. GERM. *Ins. Spec.* I. p. 225. n° 348.

Patria : Brasilia.

13. D. FRACTIPES (1).

Ater, lævis, nitidus, elytris sub-striatis, pone humeros angulato-dilatatis, femoribus posterioribus dentatis, tibiis basi curvatis, apice dilatatis. — GERM.

(1) Mihi invisus.

Orobitis id. GERM. *Ins. Sp.* I. p. 251. n° 383.

Rhynchænus globus. FABR. *Syst. El.* II. p. 471. n° 164.?

Patria : Brasilia.

* 14. D. ANCEPS.

Sub-ovatus, niger, nitidus, glaber, capite minus crebre punctato, rostro breviore, inter antennas obsolete canaliculato, thorace sub-orbiculato, lævi, ferrugineo, postice leviter bi-impresso, elytris basi obscure ferrugineis, subtiliter punctato-striatis, pectore subtilissime remote, ventre confertim punctatis, tibiis posterioribus infra basin angulato-productis. — BHN.

Orobitis id. GERM. *Ins. Spec.* I. p. 248. n° 378.

Baris rubens. DEJ. *Cat. Col.* p. 99.

Patria : Brasilia.

* 15. D. REPENS.

Ovatus, ater, nitidus, capite rostroque minus crebre punctatis, rostro brevi, crasso, arcuato, compresso, apice deplanato, thorace antice subito angustato, sub-lævi, elytris evidenter punctato-striatis, striis dorsalibus ad suturam impunctatis, corpore subtus profunde punctato, tibiis omnibus extus basi angulatis. — BHN.

Orobitis id. GERM. *Ins. Sp.* I. p. 149. n° 380.

VAR. β. Thorace obscure ferrugineo.

Patria : Brasilia.

* 16. D. VANUS. *Schh.*

Ovatus, ater, nitidus, subtus crebre punctatus; sub-squamosus, capite subtiliter remote punctulato, rostro arcuato, striolato-rugoso, thorace antice subito angustato, subtiliter remote punctulato, elytris parum convexis, pone scutellum utrinque lineola albido-squamosa, ornatis, profunde striatis, interstitiis obsolete seriato-punctulatis.

Orobitis lambitus. GERM. *Ins. Spec.* I. p. 250. n° 381.?

Patria : Brasilia. A Dom. Com. MANNERHEIM missus.

Magnitudo fere *Diorymeri repentis*, in elytris tamen minus convexus. Caput parvum, semi-globosum, atrum, nitidum, subtiliter remote punctulatum; oculi ovati, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum thorace nonnihil brevius, crassiusculum, arcuatum, a basi ultra medium compressum, longitudinaliter sat profunde striolato-rugosum, atrum, nitidum. Antennæ in medio rostri sitæ,

minus tenues, nigræ, parce pilosæ, clava oblongo-ovata, sub-acuminata, fusco-pubescente. Thorax latitudine baseos brevior, apice sub-truncatus, lateribus a basi ultra medium fere rectis, tum subito angustatus, tubulatus, postice bi-sinuatus, lobo medio obtuse rotundato, producto; supra convexus, subtiliter remote punctulatus, subtus densius et profundius punctatus, totus ater, nitidus. Scutellum parvum, rotundatum, atrum, nitidum. Elytra antice sinuata, thoracis basi parum latiora, quam lata nonnihil longiora, pone basin ampliata, humeris elevatis, rotundatis, dein posterius valde attenuata, triangularia, apice ipso conjunctim rotundata, supra perparum convexa, profunde striata, striis in fundo obsoletissime punctatis, interstitiis planis, obsoletissime striato-punctatis, basi temere punctulatis; tota atra, nitida, utrinque pone scutellum lineola parva albido-squamosa. Corpus subtus atrum, nitidum, profunde sat crebre punctatum, punctis squamula albida repletis. Pedes mediocres, validi, atri, profunde punctati, punctis squamulis albidis obsitis; femoribus parum clavatis, muticis; tibiis compressis, basi curvatis; tarsis modice dilatatis, subtus griseo-spongiosis.—Bhn.

*17. D. Cardinatus.

Sub-ovatus, ater, nitidus, glaber, capite minus crebre punctato, rostro breviore, basi confertim strigoso, thorace sub-conico, lævi, ante scutellum in lobo punctis sparsis impresso, elytris subtiliter punctato-striatis, pectore subtiliter remote, ventre crebre punctatis, tibiis posterioribus infra basin angulato-productis. — Bhn.

Orobitis id. Germ. *Ins. Spec.* I. p. 248. n° 379.

Patria: Brasilia.

* 18. D. Impunctus (1).

Ater, supra lævis, nitidus, subtus vage punctatus, thorace conico, elytris sub-striatis, tibiis dorso pone basin calcaratis. — Germ.

Orobitis id. Germ. *Ins. Spec.* I. p. 250. n° 382.

Patria: Brasilia.

(1) Mihi invisus.

* 19. D. INSOLENS. *Schh.*

Sub-ovatus, ater nitidus, pectore antice rude punctato, vertice transversim impresso, rostro compresso, subtiliter remote punctulato, thorace antice subito angustato, elytris obsoletissime striatis, tibiis basi extus angulatis.

Rhynchænus gagates. FABR. *Syst. El.* II. p. 439. n° 3.?
Curculio gagates. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 398. n° 18.?

Habitat in Jamaica. Dom. Prof. OL. SWARTZ. Mus. SCHH.

Magnitudo, statura et summa similitudo *Diorymeri repentis*, sed abunde distinctus. Caput parvum, globosum, atrum nitidum, remote subtiliter punctulatum; vertice transversim profunde impresso; oculi laterales, oblongi, transversi, sub-depressi, nigri; rostrum thorace nonnihil brevius, crassiusculum, compressum, arcuatum, atrum nitidum, dorso subtiliter parce punctulatum, latera profunde confertim rugoso-punctata. Antennæ in medio rostri insertæ, vix longitudine thoracis, validiusculæ, nigræ, clava elongata, acuminata, fusco-pubescente. Thorax latitudine baseos parum longior, apice nonnihil rotundato-productus, lateribus a basi ad apicem angustatis, rotundatis, antice tubulatus, postice rotundatus, supra scutellum productus, sub-emarginatus, supra gibbus, lævis, ater nitidus, antice et subtus profunde punctatus. Scutellum sub-quadratum, atrum nitidum. Elytra triangularia, antice thoracis basi vix latiora, humeris prominulis, obtuse rotundatis; lateribus inflexa, thorace dimidio longiora, pone humeros apicem versus angustata, apice ipso singulatim rotundata, supra gibbosa, obsoletissime punctato-striata, stria suturali et laterali evidentioribus; tota atra nitida. Corpus subtus atrum nitidum, subtiliter punctulatum; pectore antice rude remote punctato. Pedes breviusculi, validi, atri, punctati; femoribus parum clavatis; tibiis rectis, omnibus basi extus angulatis; tarsis dilatatis, subtus fulvo-spongiosis.—BHN.

GENUS 295. EURHINUS. *Nobis* (1).

Eurhin ILLIG., GERM. (2). — *Macrorhinus* LATR. (3). — *Cryptorhynchus* KIRBY. — *Rhynchænus* FABR.

---

(1) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 312. n° 181.
(2) Illig. Mag. VI. p. 326.
(3) Latr. Règne Anim. p. 395.

Character generis. — Antennæ breves, sub-crassæ; funiculo 7-articulato, extus longitudinaliter impresso : articulis transversis, latis, perfoliatis, crassitudine crescentibus ; ultimo clavæ arcte adpresso ; clava conoidea, acuminata.

Rostrum longiusculum, validum, supra convexum, subtus canaliculatum, parum arcuatum ; scrobs profundissima, pone medium incipiens, versus gulam excurrens.

Oculi sub-laterales, sub-demissi, ovati, parum convexi.

Thorax basi profunde bi-sinuatus, ante scutellum productus, ante medium cito angustatus, pone caput tubulatus, supra valde convexus, subtus minus distincte canaliculatus.

Scutellum triangulare, sat distinctum.

Elytra sub-triangularia, pone humerum valde ampliata, apice singulatim rotundata, pygidium haud obtegentia, supra modice convexa, dorso planiuscula.

Pedes mediocres, validi; femora postica reliquis breviora, omnia sub-cylindrica, subtus canaliculata; tibiæ apice intus dente valido, horizontali, armatæ.

Observ.— Corpus breve, sub-ovale, modice convexum, glabrum, politum, fulgurans, alatum; aut mediæ aut mediocris magnitudinis.

Patria : America meridionalis.

* 1. E. CYANEUS. *Schh.*

Brevissime ovalis, cyaneus, nitidissimus, glaber; rostro, antennis tarsisque nigris, thorace disperse punctulato, elytris remote, inæqualiter punctato-striatis, pone humeros angulatim ampliatis.

Patria : Brasilia. A Dom. WESTIN communicatus. Mus. SCHH.

Statura *Eurhini cuprati,* sed paulo major, aliter coloratus ; antennæ tenuiores, etc. Caput rotundatum, disperse punctulatum ; cyaneum, nitidum, fronte plana, fovea sat profunda impressa ; oculi ovati, nigri ; rostrum thorace paulo brevius, validum, parum arcuatum, disperse punctulatum, nigrum, nitidum, basi cyaneo-micans. Antennæ breves, nigræ, clava cinereo-pubescente, longe tenuiores quam in *Eurhino cuprato*, flagello vix impresso. Thorax latitudine postica brevior, antice duplo angustior quam basi, apice emarginatus, intra apicem constrictus, sub-tubulatus ; lateribus pone stricturam subito valde rotundato, ampliatus, basi profunde bi-sinuatus, supra valde convexus, pulvinatus, subtiliter, disperse punctulatus, cyaneo-violaceus, nitidissimus, glaber. Scutellum

breve, apice rotundatum, disperse punctulatum, cyaneum. Elytra antice singulatim rotundato-producta, elevato-marginata, pone basin oblique valde ampliata, angulum fere formantia, sed mox pone illum attenuata, apice singulatim rotundata, thorace vix dimidio longiora, supra inæqualia, in lobo producto baseos et pone medium dorsi impressa, subtiliter, abrupte punctato-striata, interstitiis punctis paucis minutis adspersis; tota cyanea, nitidissima, glabra. Pygidium breve, apice rotundatum, crebrius et evidentius punctatum, nigro-cœruleum. Corpus subtus subtiliter, disperse punctulatum, cyaneum, nitidissimum, glabrum. Pedes mediocres; femoribus tibiisque cyaneis, nitidis; tarsis dilatatis, nigris, subtus brunneo-spongiosis.—GHL.

* 2. E. CUPRATUS.

Brevissime ovalis, cupreo-aureus, virescenti-micans, nitidissimus, glaber, antennis pedibusque cyaneis, thorace subtilissime remote punctato, elytris sub-remote punctato-striatis, interstitiis lævibus. — GHL.

Eurhin id. ILLIG. *Mag.* VI. p. 309. not. ad *Rhynchænum festivum.*

GERM. *Ins. Spec.* I. p. 217. T. 1. f. 5. a. b.

Cryptorhynchus corruscans. KIRBY *in Linn. Soc. Trans.* XII. p. 432. n° 70.

Patria : Brasilia.

* 3. E. MAGNIFICUS. *Chevrolat.*

Brevissime ovalis, læte viridis, nitidissimus, glaber, fronte, rostro, thoracis antico, plagis quatuor elytrorum, pedibusque cupreo-aureis; thorace disperse punctulato, elytris remote punctato sub-striatis, interstitiis disperse, obsolete punctulatis; pone humeros angulatim dilatatis.

Patria : Mexico. A Dom. CHEVROLAT sub hoc nomine benevole communicatus. Mus. SCHH.

Eurhino flaturario paulo major, latior. Caput parvum, rotundatum, disperse punctatum, posterius viride, fronte sub-impressa, cupreo-aurea; oculi laterales, ovati, sub-depressi, nigro-brunnei; rostrum longitudine fere dimidii corporis, valde arcuatum, confertim punctatum, cupreo-aureum, apice virescenti-micans. Thorax latitudine baseos brevior, antice duplo angustior quam basi, apice late emarginatus, intra apicem depressus, tubulatus, lateribus oblique ampliatus, basi profunde bi-sinuatus, supra valde con-

vexus, pulvinatus, disperse punctatus, posterius læte viridis, versus latera cœrulescenti-micans, anterius transversim inæqualiter cupreo-aureus, fulgidissimus. Scutellum breve, sub-triangulare, obsolete punctulatum, viride, nitidum. Elytra antice singulatim rotundato-producta, elevato-marginata, pone basin oblique valde ampliata, angulum fere rectum formantia, sed mox pone angulum attenuata, apice singulatim rotundata, thorace vix dimidio longiora, supra inæqualia, in lobo producto baseos et pone medium disci impressa, cæterum modice convexa, obsolete tenuiter striata et in striis sub-remote punctata, interstitiis latis, planis, obsolete, disperse punctulatis; læte viridia, nitida, plaga magna humerali et macula minori intra apicem singuli elytri cupreo-aureis fulgidissimis ornata. Pygidium apice rotundatum, supra convexum, confertim distincte punctatum, viride, æneo tinctum. Corpus subtus sub-disperse punctatum, læte viride, nitidum. Pedes antici longiusculi, posteriores gradatim breviores, omnes cupreo-aurei, femoribus parum crassis, punctatis, muticis; tibiis scabris; tarsis dilatatis, subtus cinereo-spongiosis. Ghl.

4. E. Festivus.

Brevissime ovalis, viridi-subæneus, nitidissimus, glaber, antennis nigro-cœrulescentibus, thorace remote punctulato, elytris remote punctato-striatis, interstitiis punctulatis, pone humerum angulatis.

Ghl.

Rhynchænus id. Fabr. *Syst. El.* II. p. 445. n° 37.
Oliv. *Ent.* V. 83. p. 119. n° 66. T. 29. f. 436.
Curculio id. Fabr. *Ent. Syst.* I. II. p. 404. n° 44.
Herbst. *Col.* VI. p. 437. n° 430.

Patria : Surinam, Cayenna.

* 5. E. Flaturarius.

Brevissime ovalis, cupreo-aureus, virescenti-micans, nitidissimus, glaber, rostri apice antennis tarsisque nigro-cœrulescentibus, thorace evidentius remote punctato, elytris sub-remote punctato-striatis, interstitiis sub-lævibus. — Ghl.

Eurhin id. Germ. *Ins. Spec.* I. p. 216. n° 341.
Baris blanda. Dom. Com. Dejean *in Litteris*, teste Dom. Chevrolat.

Patria : Brasilia.

6. E. Thalassinus. *Schh.*

Brevissime ovalis, saturate viridis, cærulescenti-micans, nitidus, antennis tarsisque nigris; thorace subtilissime, disperse punctulato, elytris tenuiter remote punctato-striatis, interstitiis sub-lævibus; rostro crassiusculo, obsolete punctulato.

Patria: America meridionalis forte. Ex Musæo Imperiali Alexandrino Helsingforsiæ descriptus.

Statura et affinitas *Eurhini flaturarii*, sed paulo major, saturatius viridis, thorax subtilius punctulatus, etc. Caput parvum, rotundatum, obsolete, disperse punctulatum, viride, nitidum, fronte impressa; oculi rotundati, brunnei, modice prominuli; rostrum thorace brevius, validum, arcuatum, sub-disperse punctulatum, viride, nitidum. Antennæ breves, crassæ, nigræ, clava fusca. Thorax latitudine baseos brevior, antice duplo angustior quam basi, apice emarginatus, intra apicem constrictus, depressus, tubulatus, lateribus rotundato-ampliatus, basi profunde bi-sinuatus, supra transversim valde convexus, pulvinatus, subtilissime disperse punctulatus, viridis, nitidus, versus latera cœrulescenti-micans. Scutellum breviter triangulare, punctulatum, viride. Elytra antice singulatim rotundato-producta, interne elevato-marginata, pone basin oblique modice ampliata, posterius attenuata, apice etiam singulatim rotundata, thorace vix dimidio longiora, supra convexa, anguste striata et in striis sub-remote punctata, interstitiis latis, planis, vix vel obsoletissime disperse punctulatis; viridia, nitida, cœrulescenti-micantia. Pygidium transversim ovatum, punctatum, viridi-cœrulescens. Corpus subtus disperse punctatum, viride, nitidum, cœrulescenti-micans. Pedes validi, antici paulo longiores; femora omnia parum crassa, mutica, viridia; tibiæ subrectæ, scabræ, ejusdem coloris; tarsi dilatati, nigri, subtus pallido-spongiosi. — Ghl.

* 7. E. Auritus.

Breviter ovalis, viridi-æneus, glaber, antennis nigro-cœruleis, pedibus cupreis, thorace corporeque confertim profunde punctatis, elytris punctato-striatis, interstitiis evidenter sub-disperse punctatis.

Baris aurita. Dom. Com. Dejean *in Litteris.*

Habitat Cayennæ. A Dom. Chevrolat benevole communicatus. Mus. Schh.

Eurhino flaturario adhuc minor, angustior. Caput parvum, ro-

tundatum, confertim evidenter punctatum, fronte impressa; viridi-æneum, glabrum; oculi laterales, ovati, sub-depressi, nigro-brunnei; rostrum vix longitudine capitis cum thorace, validum, sub-arcuatum, supra convexum, fornicatum, confertim punctatum, viridi-æneum. Antennæ nigræ, parum cœruleo-micantes. Thorax amplus, latitudine paulo brevior, antice subito angustior, sub-tubulatus, apice late emarginatus, lobis ocularibus rotundatis, lateribus ante medium rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, lobo medio longius producto, rotundato; supra convexus, pulvinatus, undique profunde et sat confertim punctatus, viridi-æneus, nitidus, glaber. Scutellum triangulare, cupreum. Elytra antice thoracis basi arcte applicata, illoque ibi non latiora, pone basin nonnihil ampliata, dein posterius valde attenuata, sub-triangularia, apice singulatim rotundata, thorace vix duplo longiora, supra modice convexa, callo humerali elevatiore, sub-remote punctato-striata, interstitiis planis, evidenter, sub-disperse punctatis; viridi-ænea, nitida, glabra. Pygidium convexum, confertim punctatum, apice rotundatum, viridi-æneum. Corpus subtus viridi-æneum, glabrum, confertim punctatum, punctis, præsertim anterius, magnis, profundis. Pedes validiusculi, obscure cuprei, confertim punctati; tarsis dilatatis nigro-cœrulescentibus, subtus cinereo-spongiosis.

Ghl.

Genus 296. COLEOMERUS. *Nobis.*

Character generis. — Antennæ breves, subtenues; funiculo 7-articulato : articulis duobus basalibus longiusculis, ob-conicis, reliquis transversis, sub-coarctatis, gradatim latioribus; clava ovalis.

Rostrum longiusculum, validum, arcuatum.

Oculi magni, laterales, convexi, in fronte fere connexi.

Thorax transversus, ante scutellum productus, a basi ad apicem sensim angustatus, supra modice convexus; canalis inferus argute marginatus, in pectus continuatus.

Scutellum minutum, triangulare.

Elytra thoracis basi paulo latiora, a basi ad apicem sensim angustata, oblongo-subtriangularia, anum sub-occultantia.

Femora subtus canaliculata; tibiæ apice muticæ.

Descriptio. — *Corpus* breve, sub-ovatum, supra modice convexum, subtus fornicatum, glabrum, durum, alatum. — *Antennæ* rostro haud longiores, in medio rostri insertæ, subtenues, fractæ, 12-articulatæ; scapo oculos non attingente, versus apicem incrassato; funiculo 7 articulato : articulis 1-2 longiusculis, ob-conicis,

reliquis transversis, apice rotundatis, sub-coarctatis, gradatim crassitudine crescentibus; clava ovali, 4-articulata, articulis ægre discernendis. — *Rostrum* thoracis longitudine, validum, teres, arcuatum, inflexum; scrobe in medio incipiente, versus gulam desinente. — *Oculi* magni, oblongi, convexi, laterales, in fronte fere connexi, dimidiam partem capitis occupantes. — *Thorax* longitudine latior, basi profunde bi-sinuatus, ante scutellum productus, lateribus subrectus, parum rotundatus, anterius valde angustior, apice truncatus, supra modice convexus; subtus pro receptione rostri canalis distinctus, lateribus marginatus, in pectus continuatus. — *Scutellum* minutum, triangulare. — *Elytra* basi thoracis paulo latiora et latitudine sesqui longiora, sub-triangularia; angulis humeralibus rotundatis, ampliatis; lateribus versus apicem sensim angustata, supra modice convexa, apice ipso conjunctim rotundata, anum non exacte tegentia. — *Pedes* breviusculi, validi, longitudine subæquales; femoribus sub-compressis, in medio paulo incrassatis, subtus muticis, pro receptione tibiarum sulcatis; tibiis teretibus, rectis, apice muticis; tarsis subtus spongiosis, articulo penultimo, bilobo, unguibus gracilibus, bi-unguiculatis.

TYPUS. — *Coleomerus ebeninus.* Nobis.

A κολεὸς vagina, μηρὸς femur.

Observ.— Facie fere *Centrino* generi simile; forma vero articulorum antennarum, oculorum femorumque præcipue distinguitur.

* 1. C. EBENINUS. *Schh.*

Breviter ovatus, niger, nitidus, glaber, capite thoraceque lævibus, politis, elytris sulcatis, sulcis obsolete punctatis, interstitiis latis, planis.

Habitat in Americæ meridionalis insulis. Dom. T. LUND. Mus. SCHH.

Parvus, brevis, *Ceuthorhyncho didymo* vix major, magis depressus. Caput parvum, rotundatum, convexum, læve, nigrum, nitidum; oculi magni, oblongi, convexi, in fronte fere connexi; rostrum longitudine capitis cum thorace, validum, arcuatum, inflexum, nigrum, nitidum, læve. Antennæ breves, nigræ. Thorax brevis, anterius dimidio angustior, apice truncatus, margine nonnihil elevato, lateribus obliquis, posterius ampliatis, basi profunde bi-sinuatus, lobo medio longius producto lateralibusque rotundatis; supra parum convexus, lævis, politus, nitidus, lateribus et subtus concinne reticulato-punctatus; totus niger. Scutellum minutum,

elevatum, concolor. Elytra antice singulatim rotundata, thoracis basi arcte applicata illoque ibi non latiora, sed pone humeros elevatos nonnihil ampliata, dein versus apicem valde attenuata, fere triangularia, apice conjunctim rotundata, thorace vix duplo longiora, supra parum convexa, concinne sulcata et in sulcis obsolete catenato-punctata, interstitiis latis, planis, lævibus; tota nigra, nitida. Corpus subtus convexum, nigrum, evidenter punctatum. Pedes mediocres, toti nigri; femoribus parum crassis, muticis, tarsis subtus fusco-spongiosis. — GHL.

GENUS 297. CYRTOMON. *Nobis.*

Eccoptus KLUG. — *Zygops* GERM.

Character generis. — Antennæ mediocres, subtenues; funiculo 7-articulato : articulis duobus basalibus sub-obconicis, reliquis brevibus, lenticularibus; clava oblonga, sub-obovata.

Caput exsertum, hemisphæricum.

Rostrum longum, validum, teres, modice arcuatum.

Oculi oblongi, parum convexi, sub-approximati.

Thorax sub-conicus, basi bi-sinuatus, apice rotundato-productus, subtus minus profunde canaliculatus.

Elytra oblongo-ovata, thoracis parte postica non latiora, versus apicem attenuata, apice ipso singulatim rotundata, pygidium non obtegentia.

Pedes longi; femora postica reliquis longiora.

Descriptio. — *Corpus* oblongo-ovatum, convexum, squamosum, alatum. — *Antennæ* thoracis basin non attingentes, pone medium rostri insertæ, subtenues, fractæ, 12-articulatæ : articulo 1° clavato, oculum haud attingente, 2 et 3 longiusculis, sub-obconicis, 4-8 brevibus, lenticularibus, sub-æqualibus; clava oblonga, sub-obovata, 4-articulata, articulis ægre discernendis. — *Caput* exsertum, hemisphæricum. — *Oculi* majusculi, parum convexi, oblongi, oblique positi, margine inferne sub-connexi. — *Rostrum* thorace paulo longius, validum, sub-teres, deflexum, parum arcuatum, versus apicem sensim nonnihil dilatatum et complanatum; scrobe lineari, profunda, pone medium incipiente, versus gulam in basin rostri exeunte; mandibulæ exsertæ, apice obtuse rotundatæ, supra convexæ, intus concavæ. — *Thorax* latitudine postica vix longior, sub-conicus, antice in medio paululum productus, postice sub-bi-sinuatus, pone oculos non lobatus, supra parum convexus (in medio antico tuberculo oblongo-trigono valde elevato, supra plano,

instructus); subtus pone gulam late, sed non profunde, emarginatus; canalis inferus obsoletus. — *Scutellum* oblongum, apice rotundatum, distinctum. — *Elytra* thoracis basi non latiora; humeris antrorsum paulo prominulis, rectangulis; dein versus apicem sensim angustata, apice ipso singulatim rotundata, aliquantulum dehiscentia, pygidium non obtegentia, supra præcipue pone medium convexa. — *Pygidium* exsertum, rotundatum. — *Pedes* longi, sub-compressi, antici basi parum distantes; femoribus in medio parum incrassatis, subtus pone medium denticulo piloso instructis, posticis longe ultra elytrorum apicem protensis; tibiis posticis basi extus arcuatis, omnibus apice unco valido, deflexo, armatis; tarsis posticis longis, in omnibus articulo 1° elongato, sub-clavato, 2° oblongo, sub-trigono, 3° parum lato, subtus spongioso; ultimo clavato, bi-unguiculato.

TYPUS. — *Cyrtomon camelus.*

A κυρτόω incurvo.

Observ. — Quoad habitum generi *Pinaro* propinquum hoc; forma oculorum et longitudine femorum posticorum generi *Zygopi* magis simile, sed pedibus multo longioribus, etc., ab utroque diversum.

♂♀ 1. C. CAMELUS.

Ovatus, niger, squamulis albidis cinereisque variegatus, thorace antice turrito, elytrorum interstitiis alternis elevatioribus, convexis.

Eccoptus id. KLUG, secundum Dom. SCHUPPEL *in Litteris.*

Zygops (Piazorus) bactrianus. Dom. GERM. *in Litteris.*

Habitat ad Promontorium Bonæ Spei. Dom. KREBS. Mus. GHL. et SCHH.

Statura et fere magnitudo *Zygopis strigis.* Caput exsertum, sub-hemisphæricum, nigrum, confertim punctatum, albido-squamosum, vertice canaliculato, canali squamis densis niveis repleto; frons inter oculos angustissima, elevata, dense albo-squamosa; oculi majusculi, oblongi, brunnei, minus prominuli, oblique positi, anterius valde approximati, iride lata albo-squamosa cincti; rostrum thorace fere longius, deflexum, sub-arcuatum, nigrum, confertim punctatum, antice leviter carinatum, versus apicem nonnihil ampliatum et deplanatum. Antennæ subtenues, nigræ. Thorax sub-conicus vel antrorsum multo angustior, apice sub-sinuatus, lobis ocularibus nullis, lateribus obliquis, pone medium ampliatis, basi sub-bisinuatus, supra convexus, inæqualis, niger, rugu-

loso-punctatus ; in medio baseos canalicula brevis, lata, dense albo-squamosa ; ante illam, versus apicem tuberculum magnum, alte elevatum, sub-trigonum, supra planum, punctatum, glabrum, lateribus albo-squamosum ; in utroque latere thoracis linea valde flexuosa, atra. Scutellum ovatum, dense albo-squamosum. Elytra antice sub-sinuata, latitudine baseos thoracis, humeris prominulis, fere acutangulis ; ab humero versus apicem sensim angustata, thorace vix triplo longiora, apice singulatim rotundata, dehiscentia, pygidium non occultantia ; supra posterius convexa, dorso antico fere plana, striato-punctata, nigra, squamulis cinereis et fasciculis atro-holosericeis tessellata ; circum scutellum plaga communis, inæqualis, dense albo-squamosa ; interstitia alterna, suturale nempe, tertium, quintum et basis septimi reliquis elevatiora, lata, convexa, confertim rugulosa. Pygidium latum, obtusum, punctatum, nigrum, albido-squamosum, apice atro fimbriatum. Corpus subtus nigrum, dense albido-squamosum. Pedes elongati, nigri, confertim ruguloso-punctati, albido-squamulosi ; femoribus parum crassis, subtus versus apicem dente parvo, acuto, squamulis piliformibus albidis circumdato, armata ; femora postica basi valde remota, ultra elytrorum apicem elongata, et tibiæ ejusdem paris arcuatæ. — Ghl.

FINIS VOLUMINIS TERTII.

ADDENDA

AD VOLUMEN PRIMUM.

Pluribus jam a Dom. Ecklon et Zeyher detectis et nobis benevole communicatis speciebus, numerosisque individuis generis *Antliarhini* eique affinis generis *Platymeri*, hisque melius lustratis, nobis patuit, hæc genera indubie ad Ordinem *Orthocerorum* referenda, atque inter Divisiones *Brenthides* et *Cylades* inserenda esse, nec, ut in Tabula synoptica perperam propositum est, inter *Gonatoceros*, prope genus *Balaninum*, cum quo alia non gaudent similitudine, quam rostri feminæ longitudine insigni.

Divisio IX-X. ANTLIARHINIDES. (Pag. 369.)

Rostrum porrectum. Antennæ fere rectæ, 12-articulatæ; scapo longiusculo, clavato; clava angusta, 4-articulata. Scutellum distinctum. Corpus deplanatum, alatum.

Genus 298. ANTLIARHINUS.

Antliarhinus Schh., Latr. (1). — *Antliarhis* Billb.—*Rhynchænus* Fabr., Oliv. — *Curculio* Thunb., Herbst.

Character generis. — Antennæ mediocres, subtenues, fere rectæ: scapo longiusculo, clavato; funiculo 7-articulato: articulis omnibus sub-obconicis; clava elongata, acuminata, 4-articulata.

Rostrum porrectum, in uno sexu (quem opinor masculum), breve, rectum, ad basin latum, versus apicem sensim attenuatum; in altero sexu longissimum, sub-capillare.

Oculi laterales, rotundati, valde prominuli.

Thorax sub-orbiculatus, lateribus dilatato-rotundatus, supra deplanatus, basi elevato-marginatus.

Elytra oblonga, sub-linearia, humeris rectangulatis; supra deplanata, apice singulatim rotundata.

Pedes mediocres, validi, antici basi nonnihil distantes; femora compressa, subtus in medio valde angulato-ampliata.

Patria : Africa meridionalis.

(1) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 67. n° 26. — Latr. in Dict. Class. d'Hist. Nat. XIV. p. 600.

♂♀ 1. A. Zamiæ.

Oblongus, sub-depressus, rufo-ferrugineus, glaber, thorace sub-orbiculato, punctulato, elytris anguste sulcatis, sulcis in fundo catenato-punctatis, interstitiis anterius planis, alternis versus apicem elevato-costatis.

Mas : rostro crasso, sub-conico, corporis dimidio vix longiore; antennis versus apicem rostri insertis; femoribus subtus tenuiter ciliatis.

Femina : rostro tenuissimo, filiformi, corpore triplo longiore, arcuato; antennis versus basin rostri insertis; femoribus subtus glabris.

Curculio id. Thunb. *in Nova Acta Ups.* IV. p. 29. T. 1. f. 7. 1, 2. ♀.
Herbst. *Col.* VI. p. 211. n° 174. T. 74. f. 10. ♀.
Oliv. *Enc. méth.* V. p. 562. n° 6.
Linn. *Syst. nat.* ed. Gmel. I. IV. p. 1741. n° 550. ♀.
Rhynchænus haustellatus. Fabr. *Syst. El.* II. p. 488. n° 236.—*Ent. Syst.* I. II. p. 442. n° 198. ♀.
Oliv. *Ent.* V. 83. p. 219. n° 211. T. 14. f. 171. ♀. — *Enc. Méth.* V. p. 517. n° 205. ♀.
Herbst. *Col.* VI. p. 205. n° 167. T. 74. f. 5. ♀.
Antliarhis haustellata. Billb. *Enum. Ins.* p. 40.

Patria : Cap. Bonæ Spei et Caffraria, in Zamiæ Caffræ strobilis, Larva et Imago. Thunb. l. c.

Magnitudo variat, majores *Rhynchophoro sanguineo* longitudine æquales, sed in elytris latiores; alii dimidio minores, præsertim mares; color etiam variabilis, jam dilutius rufo-ferrugineus, jam saturatius castaneus. Caput angustum, inæquale, pone oculos profunde constrictum, vertice convexo, elevato, collare mentiente; rufo-ferrugineum, glabrum, fronte obsolete punctata; oculi semi-globosi, nigri; rostrum maris basi crassum, extrorsum sensim attenuatum, sub-conicum, dimidii corporis longitudine, supra jam distincte, jam obsoletius canaliculatum, punctulatum, rufo-ferrugineum, apice ipso nigricans. Antennæ versus apicem rostri insertæ, rufo-ferrugineæ, plerumque extrorsum nigricantes, parce pilosæ. Thorax sub-orbiculatus, basi anguste elevato-marginatus, supra planus vel in disco nonnihil impressus, sat confertim punctulatus, aut rufo-ferrugineus, aut saturatius castaneus, glaber. Scutellum triangulare, punctulatum, concolor. Elytra antice truncata, thoracis basi duplo latiora, humeris fere rectangulatis; lateribus non am-

pliata, apice singulatim sub-rotundata, thorace quadruplo longiora, supra fere plana, anguste sulcata, sulcis in fundo catenato-punctatis, inserstitiis obsolete punctulatis, anterius latioribus, planis, alternis suturaque posterius elevatis, in apice costatis; rufo-ferruginea, glabra, apice sæpe brunnea vel infuscata. Corpus subtus sub-disperse punctatum, plerumque saturatius castaneum, nitidum. Pedes mediocres, validi, dilutius rufo-testacei; femoribus valde crassis, subtus in medio angulatim dilatatis, versus basin dense cinereo ciliatis.

Femina differt præsertim rostro tenuissimo, arcuato, filiformi, corpore triplo longiore et ultra; antennis versus basin rostri insertis et femoribus subtus non ciliatis. — GHL.

♂♀ 2. A. RECTIROSTRIS. *Schh.*

Rostro feminæ tenuissimo, filiformi, corpore triplo longiore, omnino recto; cætera omnia ut in præcedente, quoad minimum punctum, et mas ejus a mare prioris minime diversus. Asseverarunt Dom. Ecklon et Zeyher se in alio loco Caffrariæ, et in nova specie arboris Zamiæ sex individua ejusmodi collegisse, unde hunc specie distinctum esse autumant. — GHL.

♂♀ 3. A. SIGNATUS. *Schh.*

Oblongus, sub-depressus, nigro-piceus, glaber, rostro thoracis lateribus, antennis pedibusque testaceis, thorace basi paulo angustiore, truncato, elytris subtiliter punctato-striatis, pallidis, plaga communi baseos fasciaque lata pone medium nigris.

Mas : rostro dimidio corporis breviore, basi crasso, extrorsum paulo angustiore; antennis versus apicem rostri insertis.

Femina : rostro tenuissimo, filiformi, corpore longiore, sub-recto; antennis basin rostri propius insertis.

♀ VAR. β. Thorace toto nigro.

Patria : Caffraria, in Zamia Caffra. A Dom. ECKLON et ZEYHER communicatus. Mus. SCHH.

Parvus, *Rhinomacero attelaboide* minor, cæterum statura præcedentium, sed thorax basi latior, truncatus. Caput oblongum, posterius angustatum, punctulatum, nigrum; oculi semi-globosi, nigri; rostrum maris longitudine capitis cum thorace, validum, rectum, basi crassius, extrorsum sensim attenuatum, punctulatum, obscure testaceum. Antennæ versus apicem rostri insertæ, testaceæ, clava nigricante. Thorax antice et lateribus rotundatus, posterius

paulo angustior, basi truncatus, supra planus, confertim, punctatus, in medio nigro-piceus, lateribus testaceus. Scutellum triangulare, nigrum, læve. Elytra antice sub-truncata, thoracis basi dimidio latiora, humeris fere rectangulatis; lateribus non ampliata, apice singulatim sub-rotundata, thorace vix quadruplo longiora, supra fere plana, subtiliter punctato-striata, interstitiis planis, obsolete punctulatis; pallida, plaga magna communi baseos et fascia lata pone medium, margines non attingente, nigris. Corpus subtus sub-disperse punctulatum, nigro-piceum, nitidum. Pedes mediocres, validi, dilutius rufo-testacei, nitidi; femoribus magnis, compressis, subtus in medio angulatim ampliatis.

Femina differt rostro tenuissimo, filiformi, corpore toto longiore, fere recto, pallide testaceo, antennisque paulo tenuioribus, basin rostri propius insertis. — GHL.

GENUS 299. PLATYMERUS. *Nobis.*

Character generis. — Antennæ breviusculæ, subtenues, fere rectæ; scapo longiusculo, clavato; funiculo 7-articulato: articulis omnibus lenticularibus; clava angustata, ovalis.

Rostrum porrectum, in mare breve, conicum, validum; in femina longiusculum, tenue, cylindricum, perparum arcuatum.

Oculi laterales, rotundati, modice convexi.

Thorax semi-orbiculatus, supra parum convexus.

Elytra oblongo-subquadrata, basi conjunctim leviter emarginata; humeris obtusis, sub-angulatis; apice singulatim rotundata, supra parum convexa.

Pedes breves, validi, antici basi valde distantes; femora compressa, valde lata; tibiæ quatuor posticæ apice multi-spinulosæ.

Descriptio. — *Corpus* breve, latiusculum, ovato-subquadratum, supra parum convexum, glabrum, alatum; aut minoris aut minusculæ magnitudinis. — *Antennæ* in utroque sexu versus basin rostri insertæ, thoracis apicem vix superantes, subtenues, fere rectæ, 12-articulatæ; articulo 1° oculos attingente, clavato, 2-8 nodosis, sub-æqualibus; clava oblonga, ovalis, angustata, 4-articulata, articulis distinctis. — *Rostrum* porrectum, in uno sexu (quem opinor esse masculum), capite vix longius, validum, extrorsum sensim attenuatum, supra parum convexum, sæpissime canaliculatum, apice ipso rotundatum; in altero sexu, seu in femina, subtenue, cylindricum, nonnihil arcuatum. — *Oculi* laterales, rotundati, modice prominentes. — *Thorax* longitudine latior, fere semi-orbicularis, lateribus oblique ampliatus, supra parum convexus. —

Scutellum majusculum, triangulatum. — *Elytra* oblongo-subquadrata, thoracis basi dimidio latiora et illo plus duplo longiora, basi conjunctim leviter emarginata, humeris obtusis, sub-angulatis; lateribus paulo rotundata, posterius sub-angustiora, apice singulatim obtuse rotundata, anum obtegentia. — *Pedes* breves, validi, longitudine sub-æquales, basi manifeste distantes; femoribus compressis, latissimis, extus valde inflatis, muticis; tibiis rectis, a basi sensim latioribus, quatuor posterioribus apice multi-spinulosis; tarsis angustis, tibia parum brevioribus, articulo penultimo cæteris vix latiore, bilobo, ultimo bi-unguiculato.

TYPUS. — *Platymerus Eckloni.*

Patria : Caffraria.

Observ. — Generi *Antliarhino* prope accedit, abunde vero distinctum.

A πλατὺς latus, μηρὸς femur.

♂♀ 1. P. ECKLONI. *Schh.*

Ovatus, sub-convexus, niger, nitidus, glaber, rostri elytrorumque, apicibus, antennis pedibusque rufo-ferrugineis; thorace subtiliter punctulato, basi canalicula brevi impresso; elytris punctato-sulcatis, interstitiis convexis, lævibus.

Patria : Caffraria, in Zamia Caffra. A Dom. ECKLON et ZEYHER detectus et communicatus. Mus. SCHH.

Magnitudo fere *Rhynchitis populi* mediocris. Caput parvum, inæquale, pone oculos constrictum, vertice elevato, collum mentiente; nigrum, nitidum, fronte maris confertim punctata, late canaliculata, feminæ subtiliter punctulata, lineola tenui impressa; oculi semi-globosi, nigri; rostrum maris capite parum longius nec basi illo angustius, supra late canaliculatum, confertim punctatum, nigrum, apice obscure rufo-ferrugineum; rostrum feminæ longitudine fere capitis cum thorace, subtenue, cylindricum, parum arcuatum, subtiliter punctulatum, nigrum, nitidum, apice rufo-ferrugineum. Antennæ breves, in utroque sexu non procul a basi rostri insertæ, testaceæ, scapo crasso, clavato. Thorax fere semi-orbiculatus, antice sub-truncatus, capite non latior, lateribus sensim versus basin ampliatus, basi sub-truncatus, angulis rotundatis; supra modice convexus, sub-pulvinatus, concinne, sub-disperse punctulatus, in medio baseos canalicula brevi impressus, niger, nitidus. Scutellum triangulare, punctulatum, nigrum. Elytra antice conjunctim sub-emarginata, pone basin oblique ampliata, posterius paulo angustiora, apice singulatim obtuse rotundata,

thorace vix triplo longiora, supra modice convexa, profunde sulcata et in fundo sulcorum confertim punctata, interstitiis convexis, lævibus; nigra, nitida, apice indeterminate rufo-ferruginea. Corpus subtus sub-disperse punctulatum, nigrum, nitidum, glabrum. Pedes breves, validi, rufo-ferruginei; femoribus maximis, externe inflatis, supra fornicatis, subtus fere rectis, muticis; tibiis brevissimis, apice dilatatis, spinulis numerosis nigris armatis; tarsis angustis, articulo penultimo bilobo, parum dilatato. — GHL.

♂♀ 2. P. ZEYHERI. *Schh.*

Ovatus, sub-convexus, niger, nitidus, glaber, rostri apice, antennis pedibusque rufo-ferrugineis; thorace subtilissime punctulato, elytris punctato-sulcatis, pallidis, puncto in singuli disco postico fusco notatis, apice fusco-brunneis.

♂♀ VAR. β. Thoracis lateribus indeterminate rufo-ferrugineis.

Patria : Caffraria, in Zamia Caffra. A Dom. ECKLON et ZEYHER detectus et communicatus. Mus. SCHH.

Platymero Eckloni similis, paulo minor, rostro maris non canaliculato et colore distinctus. Caput parvum, sub-depressum, pone oculos leviter constrictum, vertice sub-elevato, lævi, fronte punctulata; totum nigrum, nitidum; oculi semi-globosi, nigri; rostrum maris capite parum longius, latum, porrectum, basi punctulatum, nigrum, apice rufo-ferrugineum, læve, nitidum; rostrum feminæ capite duplo longius, magis tenue, cylindricum, similiter ac maris punctulatum et coloratum. Antennæ brevissimæ, rufo-testaceæ in utroque sexu prope basin rostri insertæ. Thorax latitudine baseos brevior, semi-orbicularis, basi sub-sinuatus, angulis lateralibus rotundatis; supra modice convexus, sub-pulvinatus, confertim subtiliter punctulatus, niger, nitidus, glaber. Scutellum triangulare, nigrum, læve. Elytra antice conjunctim emarginata, pone basin oblique versus medium ampliata, apice singulatim obtusissime rotundata, thorace fere triplo longiora, supra modice convexa, sat profunde sulcata, sulcis confertim punctatis, interstitiis planis, sub-lævibus; pallida, nitida, apice fusco-brunnea, et pone medium disci singuli elytri macula sub-composita nigricante notata. Corpus subtus confertim punctulatum, nigro-piceum, nitidum. Pedes breves, validi, rufo-testacei; femoribus maximis, externe inflatis, supra fornicatis, subtus vix ampliatis, muticis, apice nigricantibus; tibiis brevissimis, apice dilatatis, posterioribus spinulis numerosis nigris armatis; tarsis angustis, articulo penultimo bilobo, sed vix ampliato.

Var. β differt tantum thoracis lateribus indeterminate rufo-ferrugineis. — GHL.

♂♀ 3. P. WINTHEMI. *Schh.*

Ovatus, sub-depressus, nigro-piceus, glaber, thoracis lateribus, late, rostri apice, antennis pedibusque rufo-testaceis; elytris punctato-sulcatis pallidis, interstitiis, alternis postice elevatioribus; singulo pone medium disci macula majore nigra notato.

Patria : Caffraria, in Zamia Caffra. A Dom. ECKLON et ZEYHER detectus et a Dom. von WINTHEM amicissime communicatus. Mus. SCHH.

Platymeri Zeyheri similis, sed plus duplo minor, magis depressus, et interstitia alterna elytrorum posterius elevatiora. Caput oblongum, angustum, pone oculos vix constrictum, subtilissime punctulatum, nigrum, nitidum, fronte maris latius, feminæ anguste canaliculata; oculi rotundati, nigri, modice convexi; rostrum maris capite parum longius, conicum, supra late et profunde canaliculatum, punctulatum, nigrum, apice ipso, rufo-testaceum; rostrum feminæ longitudine fere capitis cum thorace, subtenue, cylindricum, vix arcuatum, subtiliter punctulatum, basi nigro-piceum, extrorsum rufo-testaceum. Antennæ breves, subtenues, totæ pallide testaceæ. Thorax latitudine baseos vix brevior, anterius angustior, semi-ellipticus fere, basi apiceque sub-truncatus, lateribus oblique ampliatis, angulis posticis rotundatis; supra perparum convexus, punctulatus, rufo-testaceus, nitidus, medio longitudinaliter nigro-piceus. Scutellum triangulare, nigro-piceum. Elytra antice conjunctim sub-emarginata, thoracis basi paulo latiora, callo humerali alte elevato; lateribus nonnihil ampliata, apice singulatim obtuse rotundata, thorace vix triplo longiora, supra in dorso fere plana, distincte sulcata, sulcis obsolete punctatis, sutura interstitiisque alternis elevatioribus, convexis; pallide testacea, singulo paulo pone medium disci macula magna nigra notato. Corpus subtus confertim punctatum, nigro-piceum, nitidum. Pedes breves, validi, pallidius rufo-testacei, omnino ut apud præcedentem constructi. — GHL.

♂♀ 4. P. LEHMANNI. *Schh.*

Ovatus, sub-depressus, niger, nitidus, rostri apice, antennis pedibusque obscure rufo-ferrugineis; thorace sub-orbiculato, confertim punctulato, elytris distincte punctato-sulcatis, nigris, plaga communi baseos apiceque rufo-ferrugineis.

Patria : Caffraria, in Zamia Caffra. A Dom. ECKLON et ZEYHER detectus et communicatus. Mus. SCHH.

Præcedentibus similis et affinis, *Platymeri Zeyheri* magnitudine æqualis, thorace rotundato, elytris distinctius punctato-sulcatis et colore distinctus. Caput oblongum, pone oculos in masculo leviter, in femina vix constrictum, subtiliter punctulatum, nigrum, nitidum; oculi semi-globosi, nigri; rostrum maris capite parum longius, latum, porrectum, apicem versus nonnihil angustatum, supra canalicula lata, in frontem adscendente impressum, punctatum, nigrum, apice obscure ferrugineum; rostrum feminæ longitudine capitis cum thorace, subtenue, cylindricum, fere rectum, basi nigrum, extrorsum rufo-ferrugineum, nitidum. Antennæ breves, testaceæ, prope basin rostri insertæ, in utroque sexu. Thorax semi-orbiculatus, antice latitudine capitis, lateribus rotundato-ampliatus, basi sub-truncatus, angulis rotundatis; supra parum convexus, confertim punctatus, niger, nitidus. Scutellum triangulare, punctatum, nigrum. Elytra antice conjunctim subemarginata, thoracis basi paulo latiora, lateribus nonnihil ampliata, apice singulatim obtuse rotundata, thorace vix triplo longiora, supra parum convexa, distincte punctato-sulcata, sutura interstitiisque alternis elevatioribus, convexis, præsertim postice; nigra, plaga communi baseos apiceque rufo-ferrugineis. Corpus subtus confertim punctulatum, nigrum, ventre nitido. Pedes breves, validi, obscure rufo-ferruginei, omnino ut in prioribus constructi. — GHL.

♂♀ 5. P. GERMARI. *Schh.*

Ovatus, sub-depressus, nigro-piceus, nitidus, antennis, tibiis tarsisque pallide testaceis, rostri apice, thoracis lateribus femoribusque rufo-piceis; elytris obsolete punctato-sulcatis, plaga communi baseos maculaque intra singuli apicem pallidis notatis.

Patria : Caffraria, in Zamia Caffra. A Dom. ECKLON et ZEYHER detectus et communicatus. Mus. SCHH.

Parvus, *Platymero Winthemi* fere minor. Caput oblongum, angustum, punctulatum, nigrum, nitidum, maris pone oculos leviter constrictum, fronte late canaliculata; caput feminæ pone oculos non constrictum, et frons linea parva, brevi tantum impressa; oculi semi-globosi, nigri; rostrum maris latitudine capitis et illo parum longius, rectum, supra planum, late et profunde canaliculatum, punctulatum, nigrum, apice rufo-piceum; rostrum feminæ longitudine fere capitis cum thorace, subtenue, cylindricum, vix

arcuatum, nec canaliculatum, nigrum, apice rufo-piceum, nitidum. Antennæ breves, pallide testaceæ. Thorax latitudine medii paulo brevior, antice vix capite latior, sed pone apicem subito ampliatus, lateribus dein fere rectis; basi truncatus, angulis rotundatis; supra perparum convexus, subtiliter punctulatus, in medio baseos canalicula brevi impressus, nigro-piceus, nitidus, lateribus dilutius rufo-piceus. Scutellum triangulare, punctulatum, nigrum. Elytra antice sub-truncata, thoracis basi latiora, humeris elevatis, obtuse angulatis; lateribus parum ampliata, apice singulatim rotundata, thorace plus duplo longiora, supra fere plana, evidenter sulcata, sed in sulcis obsolete punctata, interstitiis convexis, alternis et sutura elevatioribus, præsertim posterius; nigra, plaga majore communi baseos maculaque rotunda intra singuli apicem pallidis ornata. Corpus subtus subtilissime punctulatum, nigro-piceum, nitidum. Pedes breves, validi; femoribus maximis, compressis, rufo-piceis, supra fornicatis, subtus fere rectis, muticis; tibiis tarsisque pallidius testaceis, ut in prioribus constructis.—GHL.

INDEX ALPHABETICUS

IN

SYNONYMIÆ INSECTORUM

SECTIONIS QUARTÆ PARTEM SECUNDAM.

OBSERVATIONES.

Nomina generum litteris grandioribus,
Nomina gregum litteris obliquis,
Et nomina specierum litteris minimis,
Systematica in hoc indice asterisco (*) notata sunt, ut melius a synonymis distinguerentur.
Numerus primus ordinem generis,
Numerus autem secundus ordinem speciei cujusque suo in genere indicat.

RHYNCHITES.

RHYNCHOPHORUS.

SALIUS.

FINIS INDICIS.

CORRIGENDA

AD

GENERA ET SPECIES CURCULIONIDUM.

TOMUS SECUNDUS.

Tit. german., lin. 10, *dele* (,) ultima.

Pag. lin.

8, 27, et, *lege* etc.

10, 5, et T. 7. f. 82. b.?, *lege* (et T. 7. f. 82. b.?)

15, 8, nudum, *lege* nudus.

17, 5, *confertim, sub-tuberculato,* lege *confertim sub-tuberculato,*

23, 22, punctatum, nigrum, dense viridi-squamosum, *lege* punctatus, niger, dense viridi-squamosus.

28, 11, medocre, *lege* mediocre,

41, 25, p. 591, *lege* p. 191.

50, 34, *cupreo-squamosis,* lege *cupreo-squamoso.*

59, ult. *Patria*, lege *Patria :* Insula Cuba.

66, 21, Mus., *lege* e Mus.

67, 17, *C. pollinosus*, lege *Chlorophanus pollinosus.*

72, 31, quam latiora, *lege* quam lata.

91, 26, f. 118.?, *lege* f. 218.?

92, 34, emarginatus, *lege* emarginata,

117, 13, adspersus, *lege* adspersis,

124, 21, p. 126, *lege* p. 196.

128, 7, elevatis, *lege* clavatis;

135, 27, Holm., *lege* Halensia.

151, 4, n° 9, *lege* Tab. 9.

6, Scand., *lege* Scania.

38, *micanti,* lege *micantis,*

153, 24, part. II. p. 650, *lege* Tom. I. p. 650.

154, 24, 1829, *lege* 1826.

30, funiculi, 1, 2, *lege* funiculi 1, 2.

158, 1, Dej., *lege* Dejean.

160, 12, adspersis, *lege* adpersus.

173, 25, *albido, variegatus,* lege *albido variegatus,*

174, 6, T. 76, *lege* T. 96.

175, 7, *brevibus elytris,* lege *brevibus; elytris*

21, Neetschink, *lege* Nertschinck

179, 38, n° 192., *lege* n° 192.?

186, 6. *rufo-brunneo,* lege *rufo-brunnea,*

187, 6, 3, 14, *lege* 3 vel 4.

32, 2, 13, *lege* 2 vel 3.

192, 15, *quadrilineato elytris,* lege *quadrilineato, elytris*

195, 21, 3, 1, 4. *lege* 3 vel 4.

197, 14, gilvo, *lege* gilva

210, 37, thorace, *deleatur* omnino.

213, 15, Suppl., *lege* Lapp.

224, 20, n° 12, *lege* p. 163. 12.

231, 1, quadri, *lege* quatuor

234, 13, major, *lege* majore

245, 34, *canaliculato confertim*, lege *canaliculato, confertim*

247, 3, *Cleonum*, lege *Pachyc.*

253, 21, II. III, *lege* II. II.

32, Shalb., *lege* Sahlb.

257, 18, obsita, *lege* obsito.

24, latus, *lege* totus

262, 3, *canaliculata,* lege *canaliculato,*

25, ipsa, *lege* ipso

264, 22, et squamulæ dilute viridi-argentea, *lege* e squamulis dilute viridi-argenteis.

267, 4, seriatis, *lege* striatis.

269, 19, p. 76, *lege* p. 96.

273, 36, humeris obtuse angulatis, *lege* humeris obliquis, obtuse angulatis;

38, humeris obliquis, *deleatur* omnino.

280, 27, *Erith.*, lege *Erirhini.*

289, 5, Wladirrsky, *lege* Wladimirsky.

16, punctatis, *lege* punctulatis,

290, 20, sub-emarginatus, *lege* sub-emarginata,

291, 7, parvum, *lege* parva

15, nigreo-pilosæ, *lege* griseo-pilosæ,

294, 9, macula e squamulis et, *lege* macula e squamulis albidis et

300, 13, lata, *lege* tota

303, 13, Panz. Faun. Suec., *lege* Panz. Faun. Germ.

Ent. Syst., *lege* Ent. Germ.

309, 15, Linn. Syst. nat., *lege* Linn. Sys. nat. Ed. Gmel.

313, ult., squamulis nonnihil, *lege* squamulis nonnullis

CORRIGENDA.

Pag. lin.

315, 31. *Pedes* oblongati ; *lege* *Pedes* elongati ;
320, 20, apicem sin-, *lege* apice sin-
334, 22, et 5. 4. f. 42, *lege* et Tab. 4. f. 42.
338, 4, *sub-sinuato*, lege *sub-bi-sinuato*,
341, 1, *marellus*, lege *macellus*.
347, 24, rufo-ferrugineis, *lege* rufo-ferruginei,
348, 9, depressi magni, *lege* depressi, magni.
361, 18, *Brit. Rev.*, lege *Krit. Rev.*
362, 12, *Fischeri*, lege *Tischeri*.
17, FISCHERI, *lege* TISCHERI.
383, 12, basi, *lege* a basi
27, p. 108, *lege* p. 105.
384, 8, p. 69, *lege* p. 89.
385, 5, *squamosis*, lege *squamosis*,
389, 31, p. 866, *lege* p. 466.
390, 26, *P. Meli*, lege *Curc. Meli*
395, 4, *ampliata*, lege *ampliato*,
398, 10, *lubescente*, lege *lutescente*
415, 9, 2°, *lege* 7°
12, infra, *lege* basi
416, 15, corniforme, *lege* coniforme,
418, 23, declinatus, *lege* declinatis,
421, 20, seta, *lege* sita
425, 31, tectum, *lege* tectus.
454, 2, II, *lege* III.
26, basis, *lege* basi

Pag. lin.

462, 1, crenato-striata, *lege* crenato-punctata,
472, 10, XII. 11, *lege* XII. part. II.
478, 21, sulcato, *lege* falcato,
483, 12, 2° 3°, *lege* 2°, 3°
505, 2, *punctulatus*, *lege* *punctulatis*,
524, 27, *Periteli*, lege *Phlyctini*
552, 9, apicalia, divaricata ; *lege* apicalia divaricata ;
554, 8, Hoff., *lege* Host.
573, 26, alternata, *lege* attenuata,
575, 9, undiqu, *lege* undique
615, 12, VI, *lege* IV.
620, 25, *rostor*, lege *rostro*
631, 26, Faun. *lege* Enum.
636, 2, p. 177, *lege* p. 1777.
643, 32, picei, *lege* piceis.

col. lin.

651, 1, ult., g. 113, *lege* g. 113. 1.
2, 6, *adde* 24. var. γ.
655, 2, 31, g. 174. 116., *lege* g. 175. 116.
657, 2, 37, 38, *adde* albo-lineatus. g. 133. 2.
658, 1, 16, Perrenus, *lege* terrenus.
659, 2, 1, Clipes, *lege* Cilipes.
661, 2, 35, *dele* Globulus.
49, g. 192., *lege* g. 162.
663, 1, 33, g. 175. 41., *lege* g. 175. 93.
665, 1, 27, g. 144. 44., *lege* g. 142. 44.
2, 29, Marellus, *lege* Macellus.

De cetero in typis excudendis vocabulum *paulo* cum *parum* multis in locis commutatum est, quod sensum lædit, auctor enim per vocabulum *parum* minorem gradum significatum voluit, quam per *paulo*, et si illud, comparative adhibitum, haud satis bene Ciceronianum audiret, vocabulum *vix* loco ejusdem adhibendum fuisset ; quo facto sententia Auctoris mansisset. Lector igitur benevolus sequentibus præsertim locis vocabulum *paulo* eradat et *vix* vel *parum* inserat velim : nempe :

Pag. lin.

10, 31, loc. post.
12, 1.
24, 6, loc. post.
36, 14.
40, ult., loc. priori.
82, 2.
97, 19, loc. priori.
113, 24.
116, 12.
118, 1.
143, 28.
150, 17.
152, 1, loc. priori.
158, 1.
165, 31.
172, 7.
182, 20.
184, [illegible].
191, 30.

Pag. lin.

207, 29.
218, 5.
219, 2.
228, 30.
235, 15 et 27.
238, 24.
241, 30.
246, 15.
250, 23.
280, 1.
282, 2, loc. post.
306, 31.
320, 10.
368, 4.
410, 8.
424, 1, loc. post.
444, 23.
445, 30
458, [illegible].

CORRIGENDA.

Pag.	lin.
461,	29.
478,	37.
480,	29.
499,	penult.
503,	16.
513,	33.
535,	24.
539,	21.
543,	16.
554,	32.
555,	21.
557,	32.
561,	29.

Pag.	lin.
568,	22.
585,	20.
589,	11.
597,	ult. loc. priori.
600,	25.
604,	15.
608,	ult.
609,	26.
612,	16.
618,	20.
621,	31.
627,	20 et 26.

Schoenherr, C.J.
Synonymia insectorum, oder Versuch einer synonymie ...